UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Emanvelis De Naxera Toletani, E Societate Iesv, Sacrarvm Litterarvm Interpretis, Regiiqve Concionatoris. Excvrsvs Morales In Librum primum Regum

Nájera, Manuel de

Lvgdvni, MDCLXXII

urn:nbn:de:hbz:466:1-80084

Visual Library

N. 858a.
A X
7.

MAXERA
L. 6. I.
Regim.
C. LV
15

MAXERA
Lib. I.
Secund.
C. IV
15

R. P. EMANVELIS

DE NAXERA

TOLETANI,

E SOCIETATE IESV,

EXCVRSVS MORALES

In Libros Regum.

NAXERA
L. 1. 6. I.
Reg. 10.
C. IV
15

R. P. EMANVELIS

DE NAXERA

TOLETANI,

E SOCIETATE IESV,

SACRARVM LITTERARVM INTERPRETIS,
REGIIQVE CONCIONATORIS.

EXCVRSVS MORALES

In Librum primum Regum.

PARS PRIMA.

Opus non solùm Theologis ; sed etiam verbi Divini Præconibus perutile.

Cum quatuor Indicibus , Primo Paragraphorum , Secundo ad Conciones construendas , Tertio Locorum Sacræ Scripturæ , Quarto Rerum & Verborum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

LVGDVNI,
Sumptibus PETRI CHEVALIER.

M. DC. LXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Collegii Societatis Jesu Paderbornae 1692

NAXERA
T. 1. Lib. I.
Reg. in.
C. IV
15

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

D. D. ANTONIO

FERNANDEZ

DEL CAMPO,

ANGVLO ET VELASCO, CAVRIENSI PRÆSVLI,

CATHOLICÆ MAIESTATI A CONSILIIS, &c.

NVLLIS propriis innixus pennis ad Tuos liber hic, Illustrissime, ac Reuerendissime Antistes, evolat pedes. Quis ambitioni vertat Tua sisti ad vestigia, quasi præsumat fastigium, cùm Te Patronum, & tutelarem exambiat? Malui tamen censuram ambitionis subire, quàm hoc gratitudinis tributum mille Tibi nominibus debitum non persoluere. Non inficior ambitionis colorem habere, hoc Opus Magnitudini Tuæ dicare: Tui namque nominis eximia claritate perfunditur, dum dicatur. Referunt Phidiam mirum illum artificem,

MANERA
L. 16. I.
Regim.
C. D.
15

cem, vt erga Mineruam religiosum proderet studium, finxisse elaboratissimum simulachrum, ad eiusque pedes propriam effigiem colligasse: verùm etsi erga Mineruam suam prodiderit obseruantiam, effugere non potuit inuidiam, cum eo obsequio æternauerit sibi famam. Nec aliter mihi contingit. Dum hoc in opere cum clarissimo tuo nomine meum colligo, vtque possum, debitum affectum prodo, ambitiosi suspicionem laudabiliter subeo. Nec mirum, cùm immortalitas à tanto patrono promanauerit libro. O honestam, vtilissimamque industriam, soluere debitum, & ipsa acquirere solutione inuidiosum cæteris lucrum! Eximia à Te lux nequit operi non refundi, vt qui resplendeas nullis vnquam nebulis obscurato fulgore originis, & splendore virtutis. Qui latos evolverit Annales, decessorum Tuorum leget miranda facinora, & ne vel rudes laterent, stemmatibus, etsi compendiariè, oculis objiciuntur expressa. Quàm hac in re ab assentationis crimine disto, cùm mihi timendum sit, factorum gloriam potiùs minuere, quàm adaugere, & me in eorum laudibus parcum esse, quàm nimium. De Te pronuntiabo, quod Orator ille eloquentissimus de Constantino. *Mihi deorum immortalium munus, & primum videtur, & maximum, in lucem statim felicem venire.* Non solùm venisti in lucem clarissima originis vena expolitus, sed honorabili fratrum copia glorioſus. Profectò si originis claritas susciperet incrementa, suis virtutibus addere potuissent lumina. Mutuabor non abs re à Cassiodoro 8. variar. 17. quæ mire Tibi adaptantur verba: *Quid antiquam parentum repetimus nobilitatem, cùm vicina resplendeas luce germani? cuius non dicam proximitati, sed vel amicitiæ coniunctum fuisse potest esse laudabile. Huius virtutibus ita te sociasti, atque connexuisti, vt hoc potiùs sit incertum, quis magis ex altero prædicetur. Amicitiis ille præstat fidem, sed magnam tu promissis debes constantiam. Ille quoque auaritiæ vacuus, & tu à cupiditatibus probaris alienus. Hinc est, quòd nostis Regibus seruare fidem, quia nescitis vel inter æquales exercere perfidiam.* Multa Tibi à Domino talenta cognoscimus mutuata, sed nunquam marcuerunt sudario otiosa. Complutense Regis Collegium Te collegam gloriatur fuisse sortitum. Ibi cùm scientiæ luce radiares, ea Te modestia gessisti, vt nobis dolendum sit, quod & Plinio 7. epist. 25. *O quantum eruditorum, aut modestia ipsorum, aut quies operit, & subtrahit famæ.* Acri, subtilique resplendebas ingenio,

nio, sed tanta humilitate attemperato, vt magistri recusares plausum, & Te profitereris discipulum. Ingenium modestia resplendebat, & modestia ampliorem de ingenij acumine æstimationem sibi conciliabat. Quod paucis contigit, sic omnium Tibi conciliasti beneuolentiam, vt non sustinueris inuidiam. Indè ad Curunniæ euectus Præfecturam, Abbasque Arbensis quantum splendoris à bono possessore promanet dignitatibus, ostendisti. Pro tuenda fide in Toletano Sanctæ Inquisitionis tribunali Inquisitor, vt honestis moribus præditos humanitate recreabas; sic laudabili, seueraque asperitate impios, & perfidos deterrebas. Fuisti securitas religionis, munimen morum, fidei tutela, discussor causarum solicitus, iudex silentiosus. Actus Tuus vtilis venatio, quæ miro modo fidei acquirebat spolia, dum iniquis tendebat retia. Facilius æstimo obscura, implexaque Sphyngis ænigmata enodare, quàm hæreticorum versutias, & peruersæ doctrinæ tenebras astutis versutiis tectas detegere. Tu verò impigri, vigilantissimique comparasti Tibi præconium, dum, quin versuta astutia eis proderet, fidei, ac veritatis inuestigabas venenum, & meritum hæreticis infligebas supplicium. Cùm catholica solicitudinis Tuæ latè diffunderetur fragrantia, & omnium virtutum prata florerent amœna, ad Episcopatus Tudensis dignitatem ascitus es. Ad morum laudem, ad dotum elogium satis est boni Principis eligentis iudicium. Celsa ascendisti non solùm à bono Principe electus, sed Tuis actionibus approbatus. Non repentè fragili felicitate, aut fortunæ ludo præter opinionem munus subisti, immò tardis censebaris successibus peruenisse, dum grandis virtutum, ac prudentiæ census priùs Tibi laudum compararit præconium, quàm culmina ascenderis dignitatum. Pæsul factus non minori resplenduisti conuersationis laude, quàm profeceras dignitate. Pudebat ad tanti Præsulis exemplum mores probabiles non habere, immò probabiles mores non comere. Floruit Tuo tempore disciplina, floruit æquitas, floruit religio: nec mirum, cùm æquitatem doceres monitis, & ad salubria amplectenda monita blandè adurgeres exemplis. Dignitatis culmine electus, cunctis es probatus dignissimus. Aula Tua redolebat sanctitatem, nec solum Principis palatium, sed innocentiæ erat templum. Tibi parcus, pauperibus opulentus, & prudenti adeò moderamine vsus es, vt nulla tenacitate sorderes, & Episcopatus redditus ad miserorum leuamina, pia prodigalitate profunderes. Quod de

MANERA
L. 6. I.
Regnib.
C. IV
15

Basilio Nazianzenus, de Te ego, scilicet, hominem, qui pro se inspiraret? Spiritus Sanctus inuenit. Rudes pueros veluti pædagogus mysteriis imbuebas, promouebas studiosos virtutis, blandè ad rectam viam adducebas exerrantes, puniebas rigidè pertinaciter delinquentes. Pacatis benè gubernare temporibus, fortè non arduum; turbatis verò, & armorum confusis strepitu, difficillimum. Tu verò sic milites Tibi subiectos edocebas morum custodire mensuram, vt reprimeres aduersariorum audaciam. Sibi Tudensis Ecclesia gratulabatur nacta Præsulem, qui non ambiebat perpolito satellitio fulgere, sed egentibus subuenire. Ast vt omnia fortunata, angusta temporum includuntur mensura, dum Tudensis Ecclesia felicem sortem celebrat, alias Ecclesias ad laudandam æmulationem inflammat. Cauriensis Te Ecclesia quæsiuit, & licet Tudenses maiora Tibi faterentur deberi, ægrè ferebant priuari. Adhuc absens amaris. Malè vim suam potestas experitur, si venerationem, desiderium sui depulso timore non nanciscatur. Ambiguum est, quod præsenti exhibetur obsequium, quod absenti exhibetur, certum est amoris, ac venerationis indicium: Abit timor, si recedas; sed, etsi recesseris, manet amor. Vbi ad Caurienscm peruenisti Ecclesiam, vt Sol citissimè iubar suum spargit, sic tu sine mora prudentiæ, humanitatisque radios clarissimos explicuisti. Si æquabilis credendus est, prudentibus approbatus; si temperans, à moratis dilectus, omnium Tibi dum militauerunt affectus, cunctis probaris virtutibus exornatus. Rarò deest, qui sit facilis ad querelas; de Te verò nullus obmurmurauit, immò dum inauarus, omnibus præbes solatia, & publica Prouincialium solicitas commoda, vel iniqua occluditur lingua. Tu Tibi interpretaris dignitatis titulum, immò & imples. Tibi tecum certamen est; onerat Te acquisita iure fama, quam ex Tudensi Ecclesia aduexisti, sed Tibi semper similis virtutibus partam conseruas, & noua incrementis crementa adaggeras. Continuus labor validos posset humeros prægrauare, sed, ne debilibus, ne ægrotis, ne miseris, quibus vitam possint alere, & ægrimoniæ dolores, inopiæ anxietates sopire desit, mauis vel breuis otij dispendio solicitè inuigilare, quàm vires reficere. Qui accedunt mœstitudine pressi, aut alia causa soliciti, fatentur graui, decoroque tuo aspectu recreari, & vrbano, humanissimoque alloquio, quidquid vexabat, leniri. Hæc velim credas, quod initio dixi, vereri, ne tuis in laudibus sugiller parcus, cùm

haberi

haberi non possim nimius. Sisto tamen calamum, illud Poëtæ vsurpans:

Singula complecti cuperem, sed denique restat
Gestorum series, laudumque sequentibus vndis
Obruitur.

Vel Demostenis esset angusta eloquentia, vbi indeficiens videtur laudis materia, virtutum copia. Deficit fateor eloquium, non tamen hoc obseruantiæ deficiat signum. Perge, & æternum viue, Ecclesiæ, Reipublicæ, Tibi.

Illustrissimæ Tuæ

Addictissimus servus, & officiosus Capellanus

EMANVEL DE NAXERA.

NAXERA
L. 6. I.
Reg. m.
C. IV.
15

AD

AD LECTOREM.

VM ætas ſenectute fracta nec grauem laborem ſuſtinere, nec laborandi conſuetudo inertis otij tædium quiret pati, vt amico fœdere ætatem, laboremque concordarem, decreui Regum libros perſtrictim, breuiterque excurrere, &, quidquid pro mea tenuitate ex quinque tantum Interpretibus ad morum concinnitatem inuenire poſſem, excerpere. Interpretes ſunt, Gloſſa, Abulenſis, Hugo, Caietanus, & Sanctius. Ex horum tantùm, vt aiebam, viridariis aliquos theſium flores decerpſi, nam per omnes Regum Interpretes diuagari, prolixum, & operoſum. Aliquando ad moralitatem ex his Interpretibus depromptam melius ſtabiliendam, ſi quid ex ſanctis Patribus, aut Interpretibus opportunum occurrat, addo. Te ergo deprecor, ne horum quinque Interpretum repetita verba faſtidias, ſed ſeni eiuſmodi velitanti, & indulgeas, & parcas. Vale.

FACVLTAS

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV, *in Prouincia Toletana.*

GENESIVS de la Puente Societatis IESV in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à R. admodum P. N. Paulo de Oliua, Præposito Generali, facultatem facio, vt liber inscriptus *Excursus Morales in Primum Regum*, P. Emmanuelis de Naxera Sacræ Scripturæ Interpretis, Concionatorisque Regij, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti in nostro Imperiali Collegio, die 4. Aprilis, anno Domini 1669.

GENESIVS DE LA PVENTE.

APPROBATIO R. P. FRANCISCI XAVERII DE FRESNETA *Societatis* IESV, *Regiique Concionatoris ex mandato Ordinarij.*

MORALES Excursus in primum Regum, dum produnt Auctorem, vel ipso nomine sibi elucrantur approbationem, & plausum. Indulgentiæ fuit librum mihi examinandum committere; felicis sortis, vt obedientia injungeret, quod sitis honestè ambitiosa cupiebat. Et quis huius Auctoris scripta indefessè non legat, vt plurima excipiat? Attente legi & fateor nil fidei continere dissonum, & documentis ad concinnandos mores vtilissimis scatere, stiloque legendi laborem perpolito mellire. In nostro Collegio Imperiali die 17. Octobris anni 1669.

FRANCISCVS XAVIER DE FRESNEDA.

CENSVRA

NAXERA
L. 6. I.
Regum.
C. 17
15

CENSVRA R. P. M. F. FRANCISCI DE ARCOS, *Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, ſacræ Theologiæ Magiſtri, ſanctæ Inquiſitionis Qualificatoris, olim Prouincialis, Concionatoriſque Regii.*

VEREOR *ne tam proferre iudicium meum, quàm referre gratiam videar* (aiebat Plinius Iunior 9. epiſt. 8.) *ſed licet videar, omnia ſcripta tua pulcherrima exiſtimo.* Idem ego. Sæpeſæpiùs quid de libri Auctore ſentirem, aperui: idem repeto. Nil hoc in opere inuenio, quod non eleganti reluceat ſtilo, profundo floreat ingenio, plurimo ad noſtræ fidei veritates ſuffulciendas, & concinnandos mores diteſcat munimento. Id meum iudicium. In noſtro Cœnobio Madritenſi Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, die 30. Octobris, anni 1669.

FR. FRANCISCVS DE ARCOS.

LICENTIA REGIA.

REGIO diplomate conceſſa eſt P. Emanueli de Naxera Societatis IESV, Regio Concionatori facultas, vt typis mandet librum, cuius titulus eſt, *Morales Excurſus in primum Regum.* Die 31. Octobris, anni 1669.

FACVLTAS R. PATRIS PROVINCIALIS Prouinciæ Lugdunenſis.

STEPHANVS DESCHAMPS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta facultatem eidem Societati à Chriſtianiſſimis Regibus Henrico III. 20. Martii 1583. Henrico IV. 20. Nouembris 1608. Ludouico XIII. 14. Februarii 1611. Ludouico XIV. 23. Decembris 1650. permitto PETRO CHEVALIER Bibliopolæ Lugdunenſi, typis mandare ac diuendere librum cui titulus eſt: *R. P. Emanuelis de Naxera Toletani eiuſdem Societat. Excurſus Morales in Librum primum Regum*, in decem proximos annos. Datum Viennæ Delphinatum 28. Decembris 1671.

STEPHANVS DESCHAMPS.

INDEX

INDEX PARAGRAPHORVM.

CAPVT I.

1 RARVS est, qui dignitatis, fortunæque culmine elatus, eximiis fulgeat virtutibus expolitus. pag. 2.
2 Qui Dei possessionem esse desiderat, saporatis virtutum fructibus floreat. ibid.
3 Qui eminet celso dignitatis culmine, multiplici cogitur desudare certamine. ibid.
4 Prælatum exornet scientia, & scientiam commendet vita. ibid.
5 Prælati cupiditas delinquendi facit licentiam, & legibus infert iniuriam. ibid. & seq.
6 Prælatum exornet constans patientia, & prouidentissima vigilantia. p. 3
7 Rarò est Dei totus, qui culmine refulget excelsus. ibid.
8 Insolitum est virtutum ambire summa, vt frequens sequi mediocria. ibid.
9 Frequenter pro fortunæ varietate induitur vultus, & assumitur adspectus. ibid.
10 Magni est habendum à defœcata nobilitatis vena traxisse exordium. ibid.
11 Eximium filiorum præconium est nobili vena exortum, sed augustius à sanctis parentibus procreari. pag. 4.
12 In diuitiarum officina nobilitatis procudi solent stemmata. ibid.
13 Misericordes parentes ingentem diuitiarum filiis acquirunt censum, & honestissimum lucrum. ibid.
14 Nullus ex omni parte beatus. p. 4
15 Nobilitas non rarò fructibus viduata, & virtutibus infœcunda. p. 5
16 Non magni habetur, quod sine difficultate impetratur. ibid.
17 Præscriptum virtuti tempus sæpè differtur, vanitati, voluptatique adsignatam citissimè solvitur. ibid.
18 Eximius virtutis cultor non solùm legi obtemperat, sed alios ad obsequelam inuitare adlaborat. ibid.
19 Non semel templum aditur, vt oculis, & voluptati inserviatur. p. 6
20 Oratio locum deligat à strepitu remotum, & contemplandis cælestibus opportunum. ibid.
21 Sacerdos debet ob dignitatem suspici, etsi contigerit aliquibus maculis denigrari. ibid.
22 Labia superiorum ad corrigendum clauduntur, si culpis, & rapinis polluantur. ibid.
23 Sibi Reipublicæ minister inuidet, si rapinæ, aut intemperantiæ inseruit. ibid.
24 Dignitas apud sæculum aditur, aut suffulcitur fauore, apud Deum constat virtute. p. 7
25 Ex fructuum, ac virtutum copia Eucharistiæ est taxanda, aut dimetienda frequentia. ibid.
26 Tristatur amor, ni habeat occasionem dilargiendi, & dilectum muneribus honorandi. ibid.
27 Sic ingeniosus est amor, vt legi pareat, & affectioni etiam seruiat. ibid.
28 Beneficia plus animo, & modo constant, quàm pretio. p. 8
29 In beneficiis non tam quantitas attendenda, quàm opportunitas, & qualitas æstimanda. ibid.
30 Affectus non rarò impenditur, vnde nullus fructus percipitur. ibid.
31 Generosus amor propriis commodis non attendit, sed rei amatæ honestis lucris studet. ibid.
32 Mirum est, si amor se contineat, nec limites iuris excedat. p. 9
33 Sunt, qui, excusato laboris censu, virtutis exambiant potiri fructu. ibid.
34 Superior sibi arroget laboriosa, & subditis impertiatur iucunda. ibid.
35 Nonnunquam in religiosis celebritatibus non tam attenditur Dei obsequium, quàm celebrantium festivum gaudium. ibid.
36 Qui legibus, & virtuti conformatus, plurimis invenitur proficuus. ibid.
37 Durissimum est cum zelotypo degere, & cum inuido tractare. ibid.
38 Ingens dolor est dignis factis antecedere, & ob affectum postponi. ibid.
39 Nihil fœminæ durius, quàm minus à viro amari. & defectibus denigratæ postponi. p. 10
40 Superior curabit se æqualem ostendere, si iurgia velit vitare. ibid.
41 Liuor dubia in peius semper interpretatur, & inuidiosum insequitur. ibid.
42 Plures templa adeunt, non vt Deum colant, sed vt affectionibus prauis inseruiant. ibid.
43 Sunt, qui detorqueant ad vanitatis, & tumoris fomenta, quæ acceperunt à Numine beneficia. ibid.
44 Eximia Dei gratia ornatur, qui iniurium, ac prouocantem patienter sustinete cognoscitur. ibid.
45 Pro solatio est improbis iustorum mores carpere, vitamque abrodere. p. 11
46 Constans patientia est calamitatis delinimentum, immò calamitatis exilium. ibid.
47 Pater non censendus est, qui filios genuit, ni eos virtutibus expoliuit. ibid.
48 Viri erga vxorem benevolentia plura supplet, & tristia lenit. ibid.
49 Sponsa non debet despici, si sterilitate, aut ægritudine corrigerit laborare. ibid.
50 Prudens, ne aliorum gaudia interturbet, dolorem corde non rarò premit. p. 12
51 In fœminis sæpè dissident affectus, & lamentationis singultus. ibid.
52 Oratio aut calamitatem leuat, aut vires ad perferendam ministrat. ibid.
53 Fœmina marito obediens facilè à Domino assequitur, quod precatur. ibid.
54 Oratio non compositis verborum constat ambagibus

NAXERA
L. 1.
Reg. 1.
C. 1.
15

gibus sed veris, & dolorosis gemitibus. ibid.
55 Oratio amaris lachrymis obarmata gratam Numini vim infert, & feliciter prævalet. ibid.
56 Qui oblectationis tempus orationi dicat, facilè assequitur, quod exoptat. p.13
57 Carnis maceratio, & ieiuniũ inuictum orationi robur inspirant, & naturam mirè reformant. ibid.
58 Sacerdotes templis debent assidere, non fora, aut compita circuire. ibid.
59 Cùm constet sibi, suisque nimis aliquos indulgere satagunt ad virtutem cæteros reformare. ibid.
60 Ad Reipublicæ gubernationem electus, omnibus facilè pateat, nec sera accedentes exasperatos excludat. ibid.
61 Non est idem orare, & spatia longa templis insumere. ibid.
62 Impetrandi est artificium, si desiderata ad largitoris consecraris obsequium. p.14
63 Nullis defectibus debet pollui, quod constat altaribus consecrari. ibid.
64 Plures, quod sacrant, vanitate, aut adulatione defœdant. ibid.
65 Qui consecratur religioni, nonerit commodis renuntiandum, & vigiliis, ac laboribus fore viuendum. ibid.
66 Optatis fruitur indefessa orandi assiduitas, & infracta difficultatibus studiositas. ibid.
67 Nunquam fœminæ erit superflua cautela, quia vbique aut insidiosa curiositas, aut debita expandit oculos vigilantia. ibid.
68 Qui humana ducitur coniectura, sæpè denigratur fallacia. p.15
69 Qui virtutibus inserviunt, sæpè à mundialibus deridentur, & minùs prudentes existimantur. ibid.
70 Constans fiducia calamitatum volumina eludit, & feliciter portum appellit. ibid.
71 Miserum est ipso laborare remedio, & in ipso portu diuexari naufragio. ibid.
72 Occasionem præbere solet à Domino recedendi, qui causa esse debuerat approximandi. ibid.
73 Servus, quod nouit Dominum suspicari, solet, vt aduletur augere. ibid.
74 Eximia patientia fulget ornatus, qui contumelias excoquit ab homuncionibus impetitus. p.16
75 Orationis est index constans patientia, & ad iniurias responsio humillima. ibid.
76 Melius tibi consules responsione modesta, quàm excandescente iracundia. ibid.
77 Vino ingurgitari fœminæ est indecorum, & omni disciplinæ contrarium. ibid.
78 Vel procaci Sacerdoti est reuerentia præstanda, & eius dignitas suspicienda. ibid.
79 Oratio edocet contumelias deuorare, & molliter respondere. ibid.
80 Mulierem decet honestum iugum subire, dedecet liberam ceruicem gerere. p.17
81 Calamitas Deo est humiliter præsentanda, & æquanimitate medenda. ibid.
82 Prudens, quæ ad se non pertinent, vana curiositate non inquirit, nec conjectoris munus exercet. ibid.
83 Qui ad Sacerdotis orationem recurrit, magnum ad impetrandum subsidium habet. ibid.
84 Vt iter feliciter consumetur, Numine placato arripiatur. ibid.
85 Qui interdiù, vt orationi vacent, matrimonij vsu priuantur, fructus vberes assequuntur. ibid.
86 Filij orationibus impetrati, ferè semper virtutibus refulgent conspicui. p.18
87 Qui gratus acceptum beneficium fatetur, ad vlteriora disponitur. ibid.
88 Qui accepit à Domino beneficium, quàm citò solverit votum. ibid.
89 Priùs est domesticis obligationibus satisfacere, quàm pro libito templum adire. ibid.
90 A Deo accepta beneficia dignis sunt incrementi, reddenda, & diuinis obtutibus præsentanda. ibid.
91 Qui Deo dicatus, sæculum non repetat vanis occupationibus irretitus. ibid.
92 Qui Domino consecratur, debet pueritiæ impedimenta nescire, & virili maturitate se gerere. ibid.
93 Sacerdotis domus templi sanctitatem referat, & virtutem semper redoleat. ibid.
94 Speciali studio sunt educandi filij religioni offerendi. ibid.
95 Prudens pater curabit filiorum religiosa desiderta fouere, timebit obsistere. ibid.
96 Filij hilariter Domino sunt offerendi, religionique consecrandi. ibid.
97 Virtus prudenter exercenda, vt nullis nebulis obscuranda. ibid.
98 Pueri ab infantia virtutibus adaptandi, & optima educatione instruendi. ibid.
99 Qui filium discupit virtutibus exornari, non patiatur, dum puerulus, à latere suo disiungi. p.20
100 Aliquando opus est pluta, quàm Domino, dilargiri ministro. ibid.
101 Commodis nouerit renuntiare, qui diuinis discupit conspectibus inseruire. ibid.
102 Qui erudiendis pueris incumbunt, magna præmio probantur digni, vtpotè toti Reipublicæ commodi. ibid.
103 Mirum est, si virtutum sterilitate diu obscurus. dignis fructibus aliquando niteat splendidus. ibid,
104 Mirum est, si antiqui status perseueret memoria. dum cumulata lucet fortuna. ibid.
105 Qui filios Deo dicat sibi, quodãmodò æternat. p.21.
106 Sese demittit humilior, quisquis virtutum fructibus inuenitur vberior. ibid.
107 Mirum, si officiosus adeò votum sit assecutus, ac extiterat candidatus. ibid.

CAPVT II.

1 NOn semel ab filiis in matres redundant charismata, & cumulantur cœlestia dona. p. 22
2 Actione debet impleri, quod nomine constat promitti. ibid.
3 Cor solùm implet gaudium è virtute procreatum, non à deliciis vanissimis ortum. p 23
4 Beneficium à Deo collatum ad vlteriora promerenda sit incentivum. ibid.
5 Patientia vberes fructus adfert, & stabile gaudium gignit. ibid.
6 Acceptæ dotes Domini liberalitati tribuendæ, non propriis viribus applicandæ. ibid.
7 Iusti ab opportuna vindictæ occasione abstinent, & se intra virtutis limites continent. ibid.
8 Eximia est virtus posse vindictam sumere, & abstinere. ibid.
9 Qui honestum assecutus est desiderium, impendere tenetur decorum laudis tributum. ibid.
10 Vera sanctitas se aliis communicat, & sui participes habere anhelat. p. 24
11 Vel ipsa peccandi contingentia est quodammodò obscura nota. ibid.
12 Vaniloquia afferunt secum peccatum, & generant audientibus tædium. ibid.
13 Suspicionem ingenerant leuia verba, & fœminæ conspurcant labia. ibid.
14 Parum interest externis officiis colere, si constet praua intentione ferire. ibid.
15 Aliquorum labia sagittarum adinstar vulnerant, & dum

Index Paragraphorum.

dum aliis inferunt vulnera, sibi imprudenter solicitant detrimenta. ibid.

16 Facile fortuna vertitur, & in contrarium mutatur. pag.25.

17 Solida fortuna constat virtutibus, infirma est, quæ sæculi innititur splendoribus. ibid.

18 Miserrimum est post amplam fortunam incidisse in aduersam. ibid.

19 Nullus vitiis desperet infectus, nec superbiat virtutibus floridus. ibid.

20 Humilitas aut propulsat damnum, aut affert secum remedium. ibid.

21 Ob iustorum orationes salus acquiritur, & mortis periculum propulsatur p.26

22 De aliena calamitate lætari, est propriæ felicitati inuidere. ibid.

23 Iusti pro æmulis consueuerunt orare, & iniuriis beneficia tependere. ibid.

24 Quem à periculo eripuisti adscribitur tibi ad gloriam & perseuerat ad famam. ibid.

25 Iusti apud sæculum despecti solium gloriæ tenent in ipso abiectionis puluere stabiliti. ibid.

26 Gehennalem auspicatur pœnam, qui corde vipeream enutriuit inuidiam. ibid.

27 Nullus de Deo iure queritur, si quæ sua sunt, pro libito dilargiatur. ibid.

28 Qui de acceptis à Numine beneficiis conflat contra miseros arma, sibi solicitat infortunia. p.27

29 Miserabilius est, quam non possedisse, perdere. ibid.

30 Grandius beneficium est aduersi casus non sentire detrimenta, quàm dignitatum tenere culmina. ibid.

31 Impensa aliis misericordia effugit lapsum, & imminens eludit periculum. ibid.

32 Impositum silentium grande superbis supplicium. ibid.

33 Acerbissimum est calamitatibus premi, nec querelis posse dolorem aliquomodo delinire. ibid.

34 Sæpè fortitudine, ac felicitate sua vanè confisi, inopino turbine corruerunt deiecti. p.28

35 Diuinum iudicium præ cæteris calamitatibus est timendum. ibid.

36 Ea est diuina misericordia, vt priùs horrisono detereat tonitruo, ne iudex supplicio condemnarit æterno. ibid.

37 Plus homines suspiciunt potentia præditum, quàm virtutibus exornatum. ibid.

38 Vel malo Prælato est reuerentia exhibenda, & obedientia in licitis est præstanda. ibid.

39 Vel sub negligente superiore à ratione non deuiat benè moratus, sed studet virtutibus religiosus. p.29

40 Non semel subditi attendunt minus Numinis vultum, quàm superioris conspectum. ibid.

41 Obediens non deligit obsequium, sed expromptum ac indifferens obediens gerit studium. ibid.

42 Si degenerent Deo dicati, fœdioribus criminibus inuenientur infecti. ibid.

43 Non semel ad munus eleuantur electi, qui muneris inueniuntur ignari. ibid.

44 Magnatum filij omnia sibi licere putant, & legis iugum ignorant. p.30

45 Sunt, qui muneris ignorent onera, cùm non ignorent stipendia, nec lucra. ibid.

46 Nonnulli affectant ignorare, quod refugiunt exercere. ibid.

47 Nonnulli Reipublicæ ministri studiosius curant sibi diuitias acquirere, quàm censum Principis adaugere. ibid.

48 Satius est sæpè grauari, quàm cum Reipublicæ ministris contendere. ibid.

49 Stipendia lege taxata ampliantur, & per fas, aut nefas à non debentibus extorquentur. p.31

50 Ad iuris, & æquitatis tutelam designati iura, & æquitatem aliquando subuertunt auctoritate, & potentia abusi. ibid.

51 Supellectilia sacris ministeriis adsignata non semel ad profanos vsus violantur detorta. ibid.

52 Qui fortè in sæcula parcè, angustéque viuerent, in cœnobiis discupiunt lautiori mensa vti, & cibis delicatioribus vesci. ibid.

53 Qui palato inseruit legem non semel infringit. pag.32.

54 Aliquando pro absoluendis negotiis muneratus inuenitur impediuisse, aut tardasse. ibid.

55 Studiosiùs solent ministri stipendia sibi debita extorquere, quàm vectigal reddendum Principi procurare. ibid.

56 Misera Respublica, vbi non solùm errata committuntur, sed perfricta, & audaci fronte patrantur. ibid.

57 Vim patitur non semel religio, & iustitia ab ipsis quibus iniungitur eius tutela. p.33

58 Cæca cupiditas, dum studet indignis lucris, se privat honestis, & maioribus incrementis. ibid.

59 Infaustum, ominosúmque est, si qui ad virtutem debuit proritate à virtute contingat auertere. ibid.

60 Mirum est cœqualium prauis exemplis non corrumpi, sed virtutibus efflorere. ibid.

61 Fas est præ aliis honoribus insigniri, quemlibet eximiis virtutibus anteponi. p.34

62 Mirum est, si ornatus tempori, & statui adaptetur, nec vanitati blandiatur. ibid.

63 Parentes cordati filios decenter vestiunt, nec superbiam pompæ ornamentorum enutriunt. ibid.

64 Vt filios possint virtutibus adaptare, curent parentes, quæ necessaria, exhibere. p.35

65 Filium Deo hilariter offerre, non est posteritatem præcidere, sed firmare. ibid.

66 Cum Deo lucrosa semper commercia cum hominibus afferre solent ingentissima damna. ibid.

67 Quæ apud Dominum magnitudo semper est solida quæ apud homines, volatica, & fluxa. p.36

68 Miserum est naufragium ipso in portu subire, & morbum remedio augere. ibid.

69 Mulieres vel cordatæ plausu alliciuntur, & muneribus obcæcantur. ibid.

70 Non semel religionis velamine disponuntur flagitia & virtutis specie contra virtutem tenduntur retia. ibid.

71 Qui potestate ad cupiditatem implendam abutitur, contra se imprudens castrametatur. p.37

72 Qui procaces filios filios seuerè non corrigit, suam & illorum famam innubilat, & fortunam discrimini obiectat. ibid.

73 Nescire se debet patrem, qui iudicis personam gerit & iura dicit. ibid.

74 Sæpè parentes propriis actibus inculpati, filiorum amore rei. p.38

75 Aliquando parentes ne filios dignitatis luminibus viderint dispoliatos doluerunt mulctatos, & duro supplicio amissos. ibid.

76 Vtilissimum est contumacem posse depellere, & à proborum cœtu disiungere. ibid.

77 Prolabi est fragilitas, oculos non vereri peruersitas. pag.39.

78 Ecclesiasticorum culpa laicis est quodammodo delinquendi licentia. ibid.

79 Qui dissimulat domesticorum errata, nequit corrigere aliorum delicta. ibid.

80 Aliquando clamoribus iudicis obsurdescit auditus, quia reis inclinatur affectus. ibid.

81 Periculosum est Dei majestatem contemnere, & in eius oculis irreuerenter delinquere. p.40

82 Stragem sibi conciliat, qui Deo sacrata aut subripit, aut imminuit. ibid.

83 Filij,

83 Filij, si salubres parentum admonitiones contemnant, stragem sibi maturant. ibid.
84 Scelerum pœna est interioris surditas auris, & obstinata durities cordis. p.41
85 Sic in aliquibus interior relucet gratia, vt mirè allexerint sibi corda. ibid.
86 Mirandus, qui in ætate immatura virtute resplenduit cana, & pefecta. ibid.
87 Deprædicanda prudentia est sic Deo seruire, vt hominibus placeas, sic hominibus placere, vt Numini inseruias. p.42
88 Satis non est Dei ministro interiori sanctitate fulgere, sed opus, suani opinionis odore fragrare. ibid.
89 Dei ministri aspectus ad Dei prouocet laudes, & aspicienti inspiret virtutes. ibid.
90 Magisterij honor non tam debetur tempori quàm virtuti. ibid.
91 Angeli nobis sæpe futura denuntiant pericula, vt studeamus opportuna adhibere remedia. p.43
92 Plures in aduersa fortuna coluerunt virtutem, qui in prospera secuti sunt pranitatem. ibid.
93 Non semel ex infima fortuna ad dignitatem electus electoris honorem proculcat tumidus, aut auarus. ibid.
94 Aliquando minister ad Principis vtilitatem electus, propriæ indulget cupidini auarus. p.44
95 Cæca cupiditas exiguum mercatur lucrum grauissimo detrimento. ibid.
96 Qui cæca ad eligendum affectione ducitur, sibi, & electis imprudenter aduersatur. ibid.
97 Parentes non tam curant filios virtutibus expolire quam facultatibus adangere. p.45
98 Probitas affert secum semper gloriam, improbitas ignominiam. ibid.
99 A Deo promanat felicitas, ab ipso peccatore exoritur sibi calamitas. ibid.
100 Dignitatis culmen virtutibus perseuerat suffultum & corruit vitiis euersum. p.46
101 Minus dolent aliqui vita carere, quàm dignitatis splendoribus viduari. ibid.
102 Minus dolent aliqui orbari vita, quàm paternam domum, familiámque antiqua carere gloria. ibid.
103 Non adeò acerbum est dignitate mulctari, quàm ad æmulum transire. p.47
104 Ipsa morte durius est ad eius genua devolui, cui eras solitus dominari. ibid.
105 Liuor salutis tinea, & immaturæ mortis est causa. ibid.
106 Grauis dolor est, si eo tempore filius opperat mortem, quo aptior ad reparandam successionem, & dignitatem. p.48
107 Non semel infortunium alterius est infortunij præsagium. ibid.
108 Ea est diuina misericordia, vt videatur miraculum acerbum inflixisse supplicium. ibid.
109 Deus misericordiam accelerat, & inferre pœnam procrastinat. p.49
110 Deus, vt inflicti supplicij dolorem molliat, eodem tempore impertiri beneficia procurat. ibid.
111 Familiæ, domúsque splendor anchora virtutum firmatur, flatibus vitiorum euertitur. ibid.
112 Optima politices benemeritum, quin ipse exambiat, luminibus dignitatum exornat. ibid.
113 Prudentia est, dum ratio non contradicit, Principibus cõplacere, & eorum beneuolentiã lucrari. ibid.
114 Parentum merita in filiis debent remunerari, & in præmio relucere. p.50
115 Magnum meritorum parentis præmium, filius virtutibus expolitus, & dignitatum luminibus exornatus. ibid.
116 Rapinis, libidinibúsque studentes filios relinquunt inopes, mendicatóque victitantes. ibid.

CAPVT III.

1 VIrtus ab infantia adulta perseuerare solitat firma. p.51
2 Parum iuvat floreat initio virtutis studium, si marcescat exiguo tempore desiderium. p.52
3 Plurimum ad virtutem iuvat bonorum conuersatio, senúmque eruditio. ibid.
4 Peccatorum supplicium est optimis consiliariis priuari, & cœlesti luce interdici. ibid.
5 Correctio callum auribus obduci nitis assidua, & surditatem conciliat rara. ibid.
6 Vilescit Dei sermo, si venalis quærat lucrum, pretiosus est, si animarum suspirarit profectum. p.53
7 Miseræ est cæcitatis indicium, si nullum relinquat lucis fulgoribus aditum. ibid.
8 Inuidus perspicacibus oculis videt lucernam fumantem, sed non videt splendentem. ibid.
9 Aliquando oportet, vt quò ægritudo est pertinacior sit medicina benignior. p.54
10 Qui pulsanti diu luci oculos clausit, avolasse, cùm oculos aperuit, inuenit. ibid.
11 Magna Dei misericordia est somno oppressum excitare, quo cœlestia monita valeat audire. p.55
12 Excusatiùs dormit puerulus, sine excusatione claudit oculos senectute granatus. ibid.
13 Obsequij decus est animi promptitudo; nam qui traxit moras, offudit pulchritudini nebulas. ibid.
14 Superior errantes patienter sustineat, & hilari vultu admoneat. p.56
15 Veritas humilibus, ac parvulis reuelatur, tumidis ac superbis tegitur. ibid.
16 Inglorium est, si puerulus senem ignavè dormientem excitet, cùm senex puerulum debeat exemplis instruere, & monitis salubribus excitare. ibid.
17 Deus nos superioris voce instruit, & quid à nobis velit, exponit. p.57
18 Qui expromptè Dei voci obedit, se ad honores, & dignitates disponit. ibid.
19 Superior est pro lapide Lydio ad reuelationes dignoscendas, & fallacias euitandas. p.58
20 Deum priùs discat audire, qui alios vult vtiliter edocere. ibid.
21 Prudens, ni ratio cogat, aliis acerba prænuntiare recusat. ibid.
22 Peccatores difficulter imminere sibi credunt flagella, cùm admissa nequeant dubitare delicta. p.59
23 Non est reuelationibus fides facilè adhibenda, sed veritas per otium examinanda. ibid.
24 Quò expromptiùs obedimus, proximiorem nobis Deum adesse non dubitamus. p.60
25 Vt Dei vocem possis audire, opus est collectis animi viribus orationi solicitè attendere. ibid.
26 Deus patienter tolerat, sed aliquando supplicij gravitate tarditatem compensat. ibid.
27 Superior sæpiùs admoneat, vt semel puniat. p.61
28 Non minus denigrat iudicem omissio tarda, quàm ardens excandescentia. ibid.
29 Pius aliquando nocuit sibi, & filiis parentum amor, quàm rigor. ibid.
30 Dum sanctissimæ Virginis nos protegit vmbra, ferire non audet pœna. p.62
31 Etsi contumax temporalem despiciat pœnam, nequit non pauescere æternam flammam. ibid.
32 Ea est diuina misericordia, vt iuramentum otiosum non sit, vt infligenda grauis credatur pœna. ibid.
33 Non est adeò miserum gehennalibus flammis aduri quàm culpa inexpiabili denigrari. p.63

Index Paragraphorum.

34 Diuina probatur iuſtitia, quæ muneribus non corrumpitur, nec placatur. ibid.
35 Iuramento opus eſt, vt credas dimites puniendos, & magnates caſtigandos. ibid.
36 Indecorum eſt munera acceptare, & largienti non fauere. p.64
37 Facilè Deum poſſumus pœnitentia placare, etſi muneribus nequeat eius indignatio ſopiri. ibid.
38 Ferè omnes timent magnates admonere, & veritatem ſine ambagibus aperire. ibid.
39 Mirum eſt, ſi quis non geſtiat denuntiare infauſta, & prædicere acerba. p.65
40 Grande beneficium eſt culpas pœnis hic acerbis purgare, & purgatorij flammas effugere. ibid.
41 Dependentia potentes ſubjici edocet, & deponere auctoritatem ſuadet. ibid.
42 Comitas, vrbanitáſque gratam vim infert, vt deſiderata obtineat, immò vt extorqueat. p.66
43 Veritas magnatibus aliquando dicitur, ſed minuta, aut obſcuris ambagibus tecta. ibid.
44 Sibi inuidet Dei miniſter, qui veritatem detinet, aut abſcondit. ibid.
45 Dignitas non debetur albicantibus canis, ſed virtutibus maturis. p.67
46 Turpius eſt ſenem neſcire, quàm ab adoleſcente edoceri. ibid.
47 Erubeſcendum eſt ſeni à puero redargui, & quod peius eſt, confundi. ibid.
48 Conformitas in aduerſis dolorem lenit, & indignationem diuinam minuit. p.68
49 Plus de diuini honoris iactura iuſti triſtantur, quàm de propria calamitate triſtentur. ibid.
50 Admonitionis verba ſi nugis intertexeris, eneruantur, corda eneruatis ſpiculis non feriuntur. ibid.
51 Aliquid redolet diuinum, cuius nullum caſſum eſt verbum. ibid.
52 Vlteriora beneficia promeruit, qui priora dignis actionibus honorauit. ibid.
53 Virtutem comitatur gloria, & auguſta apud omnes fama. p.70

CAPVT IV.

1 NOſtra delicta valentiora aduerſariorum ſunt arma. p.71
2 Dæmones acriora ſuſcitant bella, dum ſtudioſius diuina obſeruantur mandata. ibid.
3 Indecorum eſt nomine promitti, quod conſtat actionibus euacuari. ibid.
4 Superbi, ſuiſque viribus fiſſi, facilè vincuntur, & detriumphantur. p.72
5 Satis non eſt, vt vincas virtutibus proximare, ſed communiri. ibid.
6 Inſudandum eſt, donec animæ inimicos penitus deleas, quia vrgebit periculum, ſi relinquas. ibid.
7 Ob Principis ſcelera premi ſolet populus grandi ruina. p.73
8 Si aliquod vitio tributum pendas, maius exiget, & imponet. ibid.
9 Qui ipſo in periculo vires colligit, non ſemel miſerabiliter perit. ibid.
10 Stragem ſuam maturat, qui inimicis cedit; triumphat, qui in ſtatione perſiſtit. p.74
11 Quidquid nobis accidit, diuina prouidentia ordinatur, non cæca fortuna diſponitur. ibid.
12 Plures nullam in ſe inueniunt cauſam, cùm infelicitati ſuæ copioſam miniſtrauerint materiam. ibid.
13 Qui ignauè aliquando deſeruit ſtationem, animum non deſpondeat, ſed ad caſtra animoſus redeat. pag.75.
14 Qui à Deo diſtat, ſe facilè ab inimicis vincendum credat. ibid.
15 Nonnulli exactè ſtudent ceremoniis, incurioſè ſatis conſcientiis. ibid.
16 Reipublicæ miniſtri, dum humana fidunt prudentia, incrementare ſolitant damna. p.76
17 Ad ſanctiſſimæ Virginis conſpectum frænatur militaris etiam imprudentia, & exoculata audacia. ibid.
18 Dum conſules, magnatéſque ad ſacrata juriſdictionem extendunt, generalem calamitatem adſciſcunt. ibid.
19 Deus dignè receptus affert ſalutem, ſed indignè ingentem cladem. p.77
20 Iuuant munera religioſè oblata, ſed opus eſt, ne refragetur conſcientia. ibid.
21 Prædicatorum vocem dæmones expaueſcunt, & fructum veriti contremiſcunt. ibid.
22 Percellit dæmonium, ſi plurimorum clamor diuinum implorarit auxilium. p.78
23 Expertus dux inimicorum prouidenter callebit ſtudia, vt adhibere poſſit remedia. ibid.
24 Sæpè excellens æſtimatur pluris apud extraneos, & minoris apud proprios. ibid.
25 Timor cordatus eſt ſæpè pater conſilij, & vires exerit animi. p.79
26 Sæpè cùm aliena infelicitas ſuadeat prudentiam, temeritas inſpirat audaciam. ibid.
27 Conducibilior eſt mors honeſta, quàm vita ingloria. p.80
28 Si iam emarcuit dignitas, & potentia conſurget contra olim plauſibus celebratum audaci. ibid.
29 Duriſſimum eſt inſervire, cui conſueueras imperare. ibid.
30 Qui frequenter cadit, aliquando ſpem reſurgendi amittit. p.81
31 Satius eſt imbelli occaſiones fugere, quam miſerabiliter cadere. ibid.
32 Peccatores malunt Deo bellum ingerere, quam vtiliter inſervire. ibid.
33 Qui admonitus mores non mutat, Dei contra ſe indignationem inflammat. p.82
34 Si Sacerdotes audeant impurè ſacra tractare, nouerint mortem ſibi infeliciſſimam imminere. ibid.
35 Dignitatis labor frequenter detrectatur, honor, & ſplendor ambitur. ibid.
36 Fides Principi, Religioníque debita nunquam violanda, etſi aliàs culpis ſordeſcat vita. p.83
37 Ni exterior concordet habitus, ſimulatus probatur luctus. ibid.
38 Dei abſentia vniuerſali luctu eſt plangenda, & cordis amaritudine deploranda. ibid.
39 Ad occaſum vergit Reſpublica, ſi Princeps oculis non vtatur, & ſolum auribus moderetur. p.84
40 Omnes reculant aduerſa Principibus denuntiare, & infauſta timent prædicere. ibid.
41 Religionis iniuria præ aliis incommodis eſt dolenda, & irremediabilibus lachrymis lamentanda. ibid.
42 Rarus eſt, qui plus doleat ſpiritualibus carere, quàm commodis humanis priuari. p.85
43 Non verentur plures Deum amittere, ſi amittendo quiuerint temporalibus commodis prouidere. ibid.
44 Iacent in morte inglorij, qui poteſtate ad rapinam, & voluptatem abuſi. ibid.
45 Thronus titubat, ni prouidentia firmetur, & honeſtis actionibus ſuffulciatur. p.86
46 Gaudet ſedes vacua, ſi ab indigno ingemuit poſſeſſa. ibid.
47 Externus opus non eſt ad ruinam impulſus, ſi eam ſibi ſolicitarit æquitatis defectus. ibid.
48 Quo dignitas altior, caſui inuenitur proximior. p.87
49 Miſerum eſt Dei domum diù inhabitare, & mortem abſente Numine oppetere. ibid.

50 Dignitatis splendor oblectat, sed in ignem conuersus aliquando discruciat. ibid.
51 Aliena calamitas edocet tempus redimere, & virtutum fructibus studere. p.88
52 Rarò aduersitas venit sola, sed aliis calamitatibus associata. ibid.
53 Eo tempore aliquando accedunt prospera, vt dolorem augeant relicta, non gaudium possessa. ibid.
54 Consulum, magistratuúmque viduæ ærumnis inueniuntur expositæ, & plurium malevolentiæ subjectæ. p.89
55 Virtutis fructus perfectus lucet, imperfectus citò marcescit. ibid.
56 Ingens Reipublicæ est calamitas sapienti priuari consiliario, integerrimóque ministro. ibid.

CAPVT V.

1 Miserum est in Deum prævalere, & de virtute triumphare. p.90
2 Aliquando decentiùs tractant sacra populares, quàm Sacerdotes. p.91
3 Sæpè Deus scelestis grauiora dissimulat, suos verò ob leuiora diuerberat. ibid.
4 Non adeò est durum minus reuerenter tractari, quàm nimis curiosè discuti. p.92
5 Sacris rebus exhibita reuerentia Dei sopit iram, & inferendam anertit plagam. ibid.
6 Dei, Principísque præsentia vires inspirat, absentia sæpiùs enervat. ibid.
7 Voluptas ab hominibus colitur, & cælestibus antefertur. p.93
8 Qui decreuit voluptatibus inseruire, nonerit contra se ignem ardentissimum insufflare. ibid.
9 Veneris est facies pulchra, cætera cruentis aculeis, & spinis acutissimis sunt implexa. ibid.
10 Maria sanctissima est impuritatis excidium, & diabolicæ fraudis tormentum. p.94
11 Maria sic ab omni originalis labe est exempta, vt in primo naturali instanti singulari resplenduerit victoria. ibid.
12 Sæpè qui ad speciem videtur triumphus, reuera miserandus est casus. p.95
13 Plures adnituntur opposita associare, & contraria vnire. ibid.
14 Vel in aduersis casibus decenter tractandus, qui agnoscitur eximiis dotibus reuerendus. ibid.
15 Casus rebus sacris aduersus non est impotentiæ Numinis assignandus, sed culpis hominum adscribendus. p.96
16 Virtus auctorem fulgore prodat, sed auctor plausum non quærat. ibid.
17 Deus oculos quodammodò fugit illaturus supplicia, largiturus non fugit dona. ibid.
18 Sæpè socius manus abscondit, & socium deturbare contendit. p.97
19 Solicitare indigno honorem indebitum, est maturare miserum casum. ibid.
20 Quas iniustè exegit adorationes culmine elatus, meritò pendit detrusus. ibid.
21 Vtilitas adnititur indignum culmine stabilire, & defectus eius abscondere. p.98
22 Mulierculæ, si venustæ, semper sortiuntur tutelares, & defensores. ibid.
23 Miserum est dignitatis culmine deturbari, sed miserius ad reuerentiam deturbanti exhibendam compelli. ibid.
24 Non habet caput, qui præstaturus obsequium adversum indicat animum. p.99
25 Quæ animo invito exhibentur, exhibendi modo agnoscuntur. ibid.
26 Malunt nonnulli ministri otio indulgere, quàm Reipublicæ periculum propulsare. p.100
27 Qui punitus reincidit, acriorem contra se severitatis flammam accendit. ibid.
28 Reipublicæ est commodum dignitatibus interdicere, quos constat capite, & prudentiâ carere. ibid.
29 Ni aliqua spes, timorvè suadeat, nec penditur cultus, nec plausus. p.101
30 Mendacium, si perspexeris, lucet, quantumvis fucis illitum, & artificio protectum. ibid.
31 Vel trunco exhibetur reuerentia, si dignitatis possideat culmina. ibid.
32 Latere antiquam non sinit infamiam, qui suis indebitam honoris solicitat reuerentiam. p.102
33 A Venere nec aliena clades arcet, nec labor cohibet. ibid.
34 Pulchra Venus, etsi aliquo tempore celebretur plausu, habetur tandem ludibrio. p.103
35 Qui strage noluit eruditi aliena, ingemiscere solet propria. ibid.
36 Imprudentia est ita præsens vitare incommodum, vt grauius tibi adaggeres detrimentum. ibid.
37 Calamitosum est Dei offensa quærere sibi volaticum splendorem, & carissimam vanitatem. p.104
38 Qui Dei Arcæ captiuitatem tentarunt, confusi pœnas dederunt. ibid.
39 Communis culpa plecti debet communi pœna. ibid.
40 Maria sanctissima Dei iram temperat, & peccatores cum Numine reconciliat. p.105
41 Ab ipsa voluptate procreatur tormentum, & delicti acceleratur supplicium. ibid.
42 Veneris cultores non solùm doloribus atteruntur, sed etiam facultatibus denudantur. p.106
43 Ad puniendos scelerum artifices ipsa delicta extorquere solent miracula. ibid.
44 Minutissimis rebus de hostibus Deus reportare solet victoriam, vt duriùs puniat insolescentem superbiam. ibid.
45 Quantumvis leues, si multiplicentur culpæ, virtutis pulchritudinem deuenustant, & animi vim enervant. p.107
46 Parum juvat, ni causam nitaris auferre, calamitatis occasionem aliquantulum separare. ibid.
47 Quæ justè patimur, rigidæ severitati, & duro labori adscribimus. ibid.
48 Non adeò dolent homines Numinis offensam, quàm salutis, aut dinitiarum jacturam. p.108
49 Euanida, fugitiuáque gloria graui compensari solet angustia. ibid.
50 Prudens suo judicio non fidit, sed alios exornatos prudentia consulit. ibid.
51 Consilium à quovis non est requirendum, sed à moratis, & sapientibus expectandum. p.109
52 Aliquando à quibus erat Reipublicæ calamitas depellenda, ingeminatur adaucta. ibid.
53 Dum liuor, æmulatióque alienæ gloriæ adnituntur obsistere, solent imprudenter augere. p.110
54 Qui pessimum exhibuere consilium, consilij experiri solitant detrimentum. ibid.
55 Pertinax odium mavult aliquando perire, ne æmulo contigerit resplendere. ibid.
56 Solicitè curant homines corporis commodis prouidere, despiciunt animæ periculis obuiare. p.111
57 Non potest non inuri gubernatoribus nota, si communis de regimine aures referiat querela. ibid.
58 Aliquando longa Numinis patientia abusi, mortem oppetunt mente, & ratione priuati. ibid.
59 Ad repentinæ mortis conspectum obstinata etiam cæcitas vertit stilum. p.112
60 Sapientis est emendare erratum, & demutare consilium. ibid.
61 Deus vtraque benefacit, & vnica manu punit. pag.113.

CAPVT

Index Paragraphorum.

CAPVT VI.

1 VIrtutis alumni, etsi aliquando contingat delinquere, quàm citò satagunt culpam detergere. p.114

2 Satius tibi est, si Deum habeas, duris laboribus adurgeri, quàm, si careas, multis commodis exundare. ibid.

3 Sic homines Deus amat, vt passus offensam, ipse solicitet amicitiam. p.115

4 Diuinus spiritus gemitibus pro nobis exorat, & cœlestem sopire indignationem solicitat. ibid.

5 Heroïca, eximiáque virtus reuerentiam sibi inter virtutis hostes conciliat, & æstimationis plausum consequitur. ibid.

6 Plures, vt cupiditatibus adulentur, vanissimis conjecturis contra euidentiam vtuntur. p.116

7 Consilium ab expertis est petendum, & à nulla affectione corruptis est indagandum. ibid.

8 Abeis petendum consilium, qui familiare cum Deo nolcuntur habere commercium. p.117

9 Nonnulli sic proferunt sententiam consulti, vt nulli disceptantium videantur aduersi. ibid.

10 Vel idolorum Sacerdotes non audent consulere, Deum abjicere, & calamitates abjiciendo releuare. ibid.

11 Sunt, qui vt præsentem calamitatem depellant, grauiorem non verentur incurrere, & admissis criminibus adaugere. pag.118.

12 Sæpè Deus à veritatis aduersariis veritatem extorquet, & manifestare compellit. ibid.

13 Vel iniquo superiori honestè obedire affert plurima & salubertima commoda. p.119

14 Superior, etsi vitiis sordeat, subditis ad virtutem involare suadeat. ibid.

15 Peccatorem decet non solùm abolere delicta, sed honestè ostendere emendatæ vitæ argumenta. ibid.

16 Pœnitentia est non solùm peccati exilium, sed calamitatis remedium. p.120

17 Oblatis Deo humiliter donis sæpè infirmitas releuatur, & salus desiderata obtinetur. ibid.

18 Salutis est exordium scire velle infirmitatis remedium. ibid.

19 Qui candido animo veritatem inquirunt, facillimè inueniunt. p.121

20 Magnatum dedecora non sunt publicitùs proferenda, sed prudenti, & vtili silentio signanda. ibid.

21 Ærumna Deo patienter oblata opportuna sui ipsius inuenitur medela. p.122

22 Nil adeò est fœdum, quod non inauruerit pœnitentia, nil adeò horridum, quod honestâ pulchrum non reddiderit tolerantiâ. ibid.

23 Compulsi sunt ad publicè fatendum Arcæ victoriam, qui captiuitatis ei impingere conabantur iniuriam. p.123

24 Dei misericordia est calamitatibus adurgeri, si eis mores contigerit concinnari. ibid.

25 Indè sæpè procreatur tormentum, vndè sperabatur gaudium. ibid.

26 Plures, quæ oportent, non ignorant, sed ignaui, ac torpentes exequi sæpè protelant. p.124

27 Eligit contumax superbia ærumnis durissimis premi antè quàm decora subiectione humiliari. ibid.

28 Imprudentissimus est, qui aliena strage eruditus eadem sequitur vestigia protervus. ibid.

29 Infelicissimus est, qui nec assequitur votum, nec euadit voti supplicium. p.125

30 Qui spebus scelera prosequuntur abusi, solent sine effugio perire miserrimi. ibid.

31 Maculis non sordeat pollutum, quod Numinis honori sacratum. p.126

32 Ad Domini crucem accurrat, qui exolui malis exoptat. ibid.

33 Nonnulli alienis imponunt humeris crucem, vt suam leuarint calamitatem. ibid.

34 Quæ humeros aliquando attriuit, triumphis, & plausibus crux deserit. p.127

35 Prædicatores, si crucifixo iungantur, afflictorum morbis medentur. ibid.

36 Si Prædicatores charitatis vinculis non vniantur, difficulter vulneribus peccatorum medentur. ibid.

37 Electus ad publicæ vtilitatis remedium soli æquitatis iugo subdiderit collum. p.128

38 Quæ ad communem salutem pertinent, non sunt lentâ ignauiâ procuranda, sed prudenti velocitate arripienda. ibid.

39 Sic aliorum saluti prouideas, vt tibi consulas, & periculum abigas. p.129

40 Miraculo aliquando opus est, vt supplicia ob culpas illata putentur, nec causis aliis adscribantur. ibid.

41 Tumens sæcularis prudentia à se excogitata arbitratur indubia, ab alijs existimat sæpè incerta. p.130

42 Minus aliquando prodest comprobata virtus ad stabiliendam famam, quàm defectus existimatus ad notam. ibid.

43 Virtus maximè agnoscitur, si naturæ affectus laudabiliter subiugatur. ibid.

44 Eximia virtus sua sponte legis iugum portat, immò sine irritatore ad perfectionis culmen gradum accelerat. p.131

45 Mirum est, si quis insuetam virtutis viam constanti gressu arripiat, & insuetum iugum humili cervice gerat. ibid.

46 Sæculo renuntiantes Dei commendauere virtutem & immortalem pepererunt sibi laudem. p.132

47 Mirum erit, si inexpertus feliciter munus perficiat & negotia publica laudabiliter peragat. ibid.

48 Miraculum est parentes à rectitudine non deuiare, si filios adspexerint indigere. p.133

49 Diuina lex grauat tantùm per humerum sed inoffensum dirigit gressum. ibid.

50 Sæpè dæmon veritati famulatur, & Dei virtutem, etsi inuitus, confitetur. p.134

51 Non vult Deus suos doloris insensiles, sed suæ in dolore voluntati conformes. ibid.

52 Miserum est non posse iugum excutere, & inuitè, ac impatienter portare. ibid.

53 Deus aliquando ad suam domum solet reluctantes trahere, & si fas est dicere, inuitos cogere. p.135

54 Mirum est, si quis quà Deus ducit, gradiatur, nec Deum, quà ipse discupit, trahere conetur. ibid.

55 Miraculum erit, si quis absque rectore, & auriga securo vestigio incedat, & scandala fallaciarum effugiat. p.136

56 Iusti terrenis non carent affectionibus, sed vincunt & rectis procedunt gressibus. ibid.

57 Deus aliquando decretis ab homine signis obsecundat, quò dilucidius veritas clareat. ibid.

58 Opus est ad Dei domum tendenti aduersis non vinci, & prosperis non inflari. p.137

59 Laudabilis est proximorum commiseratio, si exoriatur à charitate; vitupetanda, si exorbitet à virtute. ibid.

60 Si à publica negotia gerentibus, studiosè in diversa itur nihil, aut parum populi vtilitas promoueatur. ibid.

61 Dei jugum gerentes exteriùs videntur tristari, sed interiùs inueniuntur gaudere. p.138

62 In concionatore debent coniungi & carnis mortificatio, & Scripturæ Sacræ eruditio. ibid.

63 Dei minister eius solùm gloriam debet ambire, non propriis plausibus studere. p.139

64 Deus cordi restitutus tristitiam depellit, & gaudium secum adducit. ibid.

65 Vt

65. Vt veris perfruaris gaudiis, opus est oculos amovere à volaticis, & terrenis. p.140
66. Honestè occupatis,& muneris obligationi intenti. Deus adest, ab otiosis, & torpentibus fugit. ibid.
67. Miraculi adinstar erit, si vocanti humano lucro, celeri ad Deum contenderit quis volatu. ibid.
68. Apud Deum, qui meritis antecellit, dignis etiam præmiis nobilitatus refulget. p.141
69. Nonnulli videntur Deum obsequiis promereri, immixtis tamen erratis probantur exasperare. ibid.
70. Dei serui non solùm gestiunt muneris obligationem implere,sed etiam auctarium addere. p.242
71. Celeritas gratitudini addit gratiam, & exiguam obsequiorum nobilitare solet materiam. ibid.
72. Quæ à Deo nobis constant promanare, ad eius honorem integra debent referri. ibid.
73. Aliqui sæculo consecrant magna, Deo applicare solent exigua. p.143
74. Eucharistia secum affert, quo fortunatus resplendeas,& gratus etiam appareas ibid.
75. Miraculi adinstar est magnates Dei sequi vestigia, imitarique exempla. p.144
76. Sæpè à Deo distans felicitate floret, & firma salute viget. ibid.
77. Qui aliena retinet,saluti suæ, & diuitiis inuidit. pag.145.
78. Facilè prauis exemplis corrumpimur, difficulter optimis reformamur. ibid.
79. Superior per se ipsum veritatem inquirat, aliter namque aut corrumpitur,aut coloratur, aut tegitur. ibid.
80. Nonnulli Deum decreuerunt sequi, sed & terminum sibi non transiliendum præfigere. p.146
81. Qui veritatem desiderat inuenire, Deum non detrectauerit sequi. ibid.
82. Nonnulli,si aliquod appareat periculum, à virtutis itinere reuocant gressum. p.147
83. Si Princeps, magistratúsque sacrorum imagines publicè elatas deuotè comitentur, Deum exhibito honore placant, & publicam calamitatem propulsant. ibid.
84. Si Princeps Deum sequitur, multis Respublica calamitatibus liberatur. 148
85. Conditionis, ac status sui transgressi terminum, sibi solicitauere periculum. ibid.
86. Munera quodammodò delictorum videntur baptismata. ibid.
87. Communes sumptus ab omnibus debent impendi, non tamen pauperiores grauari. p.149
88. Non semel lapides sanctorum reliquiis nobilitati magnitudinem miraculosè conseruant, quantumuis aliquid concurrentes deuotè radant. ibid.
89. Plures, quia oculos non nouerunt frænare,fuerunt compulsi lugere. ibid.
90. Qui ob virtutem recusat periculum, grauius sibi solet adsciscere detrimentum. p.150
91. Sibi calamitatem accelerat, qui ad sacram mentam affectibus non repurgatis propinquat. ibid.
92. Si aliqua optimatum puniatur culpa, ab ipso Numine noscitur inflicta pœna. p.151
93. Qui altari inconcinnis moribus audet accedere, videtur Dei majestatem despicere. ibid.
94. Peccatores refugiunt Deum quærere, & ægrè ferunt à Deo perquiri. p.152
95. Perpetrata culpa parum angit inflicta pœna distorquet. ibid.
96. Plures, vt nobilium se cognatos mentiantur, in eorum morte pullis induuntur. ibid.
97 Magna est populi calamitas senum prudentia carere & æquitate iudicum viduari. p.153
98. Dignitatum fastigia occupanti turba adulatur, sed rarus dolet, si moritur. ibid.
99. De suo auari, de alieno inueniuntur liberalissimi. pag.154.
100. Magna obsequia exiguo excusato impendio solent deuenustari,& indignationem mereri. ibid.
101. Qui Dei Arcæ quid ab hoste posse auferri existimauit, diuinam contra se indignationem accendit. ibid.
102. Profunda Dei mysteria nimia curiositate indagare est periculum sibi adsciscere. p.155
103. Leuia subditorum errata inerti superiori grauissima aliquando attulere supplicia. ibid.
104. Aliquando nimium timet, qui nimium audet. pag.156.
105. Superior rigidus audit, si compulerit ad honesta, optimus, si dissimularit errata. ibid.
106. Malunt homines virtute carere, quàm diuitiis, & commodis denudari. ibid.
107. Qui aliorum actiones notat curiosus, venaticis etiam oculis denotarit inspectus. p.157
108. Sæpè communis vtilitatis prætextu singularis vtilitas procuratur. ibid.
109. Plures sic vtilitati communi consulunt, vt onus aliis imponant,& sibi parcant. p.158
110. Adulator gestit blandiri, vt quiuerit facilius onus imponere. ibid.

CAPVT VII.

1. QVam tepidus solicitè rejicit, deuotus Domini crucem sitienter exambit. p.159
2. Labor,qui pro virtute subitur,honoris in lucrum vertitur. p.160
3. Eximia virtus in vitiorum ditione, ea inuadit, & vincit. ibid.
4. Aliorum scandala ad euitandam ruinam sunt prudentibus documenta. ibid.
5. Suspicionem ingenerat, qui lucem veretur, & oculos fugere admittit. ibid.
6. Virtus plurimum affert fructum exprompto animo culta, non adacto,& inuito exercita. p.161
7. Sacerdotis domus dignum Dei esse debet hospitium immò gratum habitaculum. ibid.
8. Ea virtus solicitudine custodienda, vt hostis non tentet furari, immò nec præsumat accedre ibid.
9. Virtutum debet culminibus elucere, qui Sacerdotalibus insulis desiderat exornari. p.162.
10. Sacerdos Numinis sit adiutor, vitiorum terror. ibid.
11. Qui Sacerdotali dignitate refulget, tenetur sæculo prorsus renuntiare,& Numini totis viribus inseruire. ibid.
12. Luctuosa aliorum strages edocet respiscere, & se ad meliora transferre. ibid.
13. Virtutum lentissime procedunt incrementa,crescũt citissimè vitiorum delria. p.163
14. Qui virtutem amplectitur, quiescit placidus, qui non, vacillat variis perturbationibus impetitus. ibid.
15. Non cesset concionator salubriter admonere, etsi videatur diù sine fructu laborare. ibid.
16. Concionator non solicitet sibi plausum, sed audientium procuret fructum. ibid.
17. Concionator singularem non feriat,sed doctrinam cunctis profuturam spargat. p.164
18. Vitiis intinctus non est repentè transferendus ad perfectionem, sed pedetentim ducendus est ad virtutem. ibid.
19. Sub Præsule sãctitate,& æquitate exornato Respublica floret,& virtus nitet. ibid.

Index Paragraphorum.

20 Plus Reſpublicæ conducit ſuperior ornatus meritis, quàm prolixis grandæuus annis. p. 165
21 Qui vitiis inſerviunt cæcus, inuolet ad virtutes feſtinus. ibid.
22 Virtute melius, quàm armis reportantur triumphi, & premuntur aduerſarij. ibid.
23 Curet ſuperior ſubditorum famam non lædere, quo poſſit ad virtutem optimis conſiliis inſtruere. ibid.
24 Parum proderit virtutem amplecti, ſi vitium diſtuleris extirpare. p. 166
25 Qui ſoli virtuti famulatur, libertate inconcuſſa fruitur. ibid.
26 Firmum non eſt virtutis propoſitum, ſi quod remanſit cupiditatis veſtigium. ibid.
27 Qui virtuti addicitur, curet vanitate non inſici, nec ſuperbia denigrari. ibid.
28 Mundi ſuperba delitia, & delicioſa carnis oblectamenta opus eſt deſpicere, & ſubjugare, vt vni Domino poſſis inſeruire, & placere. p. 167
29 Superior exemplo efficaciter monet, & præeundo ſubditos ad veritatem adducit. ibid.
30 Superioris vita pateat omnibus ad exemplum, & ſit ad honeſta illicium. ibid.
31 Satis non eſt animæ pulchritudinem concupiſcere, ſed opus ſibi dignis acti onibus comparare. ibid.
32 Deum conciliat pœnitentia omnibus requiſitis integra, & circunſtantiis perfecta. p. 168
33 A concupitis abſtinere eſt ſine ſanguine ſacrificium, & gratum Numini obſequium. ibid.
34 In labris ſæpè relucet, quod præcordiis abditiſſimis latet. ibid.
35 Scelera non ſolùm mortifero præcordia adurunt aconito, ſed improbando ſigillant ora ſilentio. ibid.
36 Citiùs ſibi peccator adſciſcit mortem taciturnitate, quàm crimine. p. 169
37 Lacrymæ vera pœnitudine effuſæ Deum placant, & aduerſarios eneruant. ibid.
38 Qui apprehenſa pœnitentiæ tabula vitauit naufragium, ad pelagus non redeat infidum. ibid.
39 Culpæ ſordes ſic pœnitentia detergat, vt nec odorem anteactæ vitæ relinquat. p. 170
40 Parum intereſt exterius virtutibus inſeruire, ſi animum contigerit diſcordare. ibid.
41 Publicum præbeat exemplum, qui publicum perpetrauit ſcandalum. ibid.
42 Qui carnis inſeruiuit oblectamentis, auſteris fuget oblectamenta jeiuniis. ibid.
43 Strages aliis ob culpam illata, eſt prudenti contra appetitum medela. ibid.
44 Sit tribunal patria æquitatis, non meſſis cupidinis. pag. 171.
45 Pars fortunæ eſt odioſo anteceſſori ſuccedere, & eius prauis actionibus contraire. ibid.
46 Melius ſæpè medetur culpis vrbana lenitas, quàm torua rigiditas. ibid.
47 Pax, & concordia fatalis eſt aduerſatiorũ ruina. 172
48 Gratum Deo holocauſtum, & hoſtium magnum exitium, eſt iniurias remittere, & de iniurio benemereri. ibid.
49 Non poteſt Reſpublica conſiſtere fortunata, ſi eius ſuperiores fœda ſordidarit rapina. ibid.
50 Verentur dæmones ſacra comitia, & piæ congregationis lamenta. ibid.
51 Benè politicus præſagit aduerſariorum conſilia, & ſibi matura præcanet prouidentia. p. 173
52 Peccatores, etſi tantiſper afflicti ſe abſtineant, antiqua poſtea proſequuntur ſtudia, & contra virtutem inſtaurant bella. ibid.
53 Suſpicionibus non fundatis credere eſt ſibi periculum procreare. ibid.
54 Qui delinquit admonitus, aliquando deperit cæcus. ibid.
55 Principis oculi militibus vires inſpirant, & aduerſarios eneruant. p. 174
56 Prouida ſolicitudine contra diſcrimina non munitus, ingenti timore percellitur obturbatus. ibid.
57 Quiſquis ſtudioſiùs colit virtutem, acrius ſubibit certamen. ibid.
58 Cœleſte ſibi auxilium crediderit affuturum, qui ad virtutum transfugit caſtrum. ibid.
59 Populis eſt pro muro vir Deo dicatus, & eximiis virtutibus expolitus. p. 175
60 Prodeſt Sacerdotis oratio, quam populi comitatur jeiunium, & placandi Domino deſiderium. ibid.
61 Qui omnem in Deo ponit fiduciam, reportat facilè de aduerſariis victoriam. ibid.
62 Feruens juſti oratio ſuis eſt inexpugnabile ſcutum, & aduerſariis enorme faſcinum. p. 176
63 Deliciæ militares vires prorſus eneruant, auſteritas, & rigiditas robur ædificant. ibid.
64 Euchariſtia ſemper dæmonibus fuit exitium, & fidelibus propugnaculum. ibid.
65 Saluti, & ſecuritati conſulitur, ſi optimum ad Dei honorem offertur. p. 177
66 Grandi pretio emunt frequenter homines luctuoſam ſtragem, cùm exiguo potuerint promereri ſibi ſalutem. ibid.
67 Vnicum Miſſæ ſacrificium offert dæmonibus ruinam, & fidelibus affert victoriam. ibid.
68 Floret Reſpublica, ſi miniſtrorum manus nulla rapina ſorduerit, & ſolicitudo generalitatis commodis vigilauerit. p. 178
69 Cœleſti epulo armatis ſatis non eſt hoſtem fugere, ſed fugare. ibid.
70 Inita cum impiis fœdera eſſe ſolent victoriæ obſtacula. ibid.
71 Vbi religioſè procuratur Numinis cultus, cæleſti brachio oppugnatur aduerſarius. ibid.
72 Cùm nulla in caſtris culpa graſſatur, victoria ſine difficultate obtinetur. ibid.
73 Qui ſacris aſtantes perturbare moliuntur, ſeueris pœnis mulctantur. p. 179
74 Tunc floret conſummata victoria, cùm cæleſtis militat prouidentia, & humana deſudat etiam induſtria. ibid.
75 Satis non eſt ad tranquillitatem hoſtem fugere, ſed neceſſarium proſequi, & vincere. ibid.
76 Vbi non deſudauit cauta prouidentia, miraculis opus eſt, vt obtineatur victoria. p. 180
77 Pertinacior durat iniuriarum memoria, citiùs è memoria excidunt beneficia. ibid.
78 Plus inuidet ſibi ingratus, quàm officiat illi inimicus. ibid.
79 Concionator muneri ſatisfaciens eſt dæmonum horror, vitiorum terror. p. 181
80 Qui Dei beneficium gratus honorat, iterum ſubire periculum vitat, & inimicorum vires eneruat. ibid.
81 Melius ſtabilitur otium ſemel acritèr confligendo quàm ſæpè eneruiter decertando. p. 182
82 Lucroſa prudentia eſt ſuppliciis reſipiſcere, nec fortunam proteruitate cæciſſima prouocare. ibid.
83 Dæmon tunc viuidiùs accenditur, cùm ſolicitiùs virtutibus impugnatur. ibid.
84 Non floret triumphus perfectus, donec, quæ abſtulerat, reddiderit aduerſarius. p. 183
85 Prudentia eſt tempori cedere, & pacem vel diſpendio aliquo ſtabilire. ibid.
86 Enitendum eſt, vt ab hoſtibus accipias, quæ eis indecorè tributa pendebas. ibid.
87 Qui magiſtratu fulget, ſi exauguretur jam periit. pag. 184.
88 Circa inferiores miniſtros debet judex ſolerter inuigilare, quia ſolitant præſcriptis, & legibus contraire. ibid.

NAXERA
L. 16. I.
Reg. 4 D.
C. IV
15

89 Eis tribunalia locis debent ſtatui, ad quæ litigantes ſine magno poſſunt labore confluere. ibid.
90 Ad Prouinciam explorandam delegatus itineris expenſis ſtudeat populum non premere, ſed leuare. pag. 185.
91 Iudex in judicium præceps non feratur, ſed cauſas ſolerter ſpeculetur. ibid.
92 Iudex, ſi vnum Deum ſpectat, omni ſuſpicione ſententiam liberat. ibid.
93 Si judicem nil ſordidet lubricum, & cænoſum, conforme ſemper æquitati profert judicium. ibid.
94 Iudex à ſe debet circumcidere quidquid videtur æquitati, & legibus adverſari. p. 186
95 Vbi indulgentior reſplenduit beneficentia, gravior deuenuſtat culpa. ibid.
96 Bonus Reipublicæ adminiſter nunquam otio indulgeat, ſed labori labor ſuccedat. ibid.
97 Bonus Reipublicæ adminiſter ampla ſibi palatia non mollitur conſtruere, ſed Principis gloriam adnititur adaugere. p. 187
98 Non debet audaci ſuſpicione notari, quem liquet eximiis virtutibus efflorere. ibid.
99 Virtute eximij aliquando lege communi non tenentur, quia ſpeciali priuilegio donantur. ibid.

CAPVT VIII.

1 MIrum eſt, ſi vel ætate conſumptus regimini ſibi non videatur idoneus. p. 188
2 Prudens tempus ſibi colligit, nec totum aliis impendit. ibid.
3 Non facilè negotia expediet, qui omnem Reipublicæ adminiſtrationem ſibi arrogarit. p. 189
4 Præfectura virum exigit ætate maturum, & moribus exornatum. ibid.
5 Magnatum filij frequenter inueniuntur indignis affectibus ſordidati. p. 190
6 Sæpè filij, quæ à parentibus beneficia receperunt, ingratitudine compenſarunt. ibid.
7 Non ſemel, qui dignitate habebantur antea digniſſimi, ſpem früſtrarunt dignitatem adepti. ibid.
8 Differta, & delicata judicis menſa æquitatis eſt aduerſatrix, & cupiditatis nutrix. ibid.
9 Iudex cupidus ſententiam vendit, & jus pro qualitate muneris dicit. ibid.
10 Iudex cupidus ſibi ipſi nocentiſſimus aduerſarius. pag. 191.
11 Non eſt ſuperiori vertendum crimini non carpere, quod notitiam eius conſtat effugere. ibid.
12 Prudens ad dignitatum celſa non efferet, quem minoribus non probauit. ibid.
13 Graue eſt judicem ſordida auaritia pollui, ſed deterius rapinis, & impietatibus defœdari. ibid.
14 Non ſtat potentia dignitatis tutus, qui virtutum anchora non fundatus. p. 192
15 Sub judice auaro gliſcit audacia, & timet integra, & illibata conſcientia. ibid.
16 Scelera magnatum ſunt reprimenda, non tamen ſugillatiua voce evulganda. ibid.
17 Reipublicæ detrimentum eſt, ſi adminiſtrationem obtineat nimia ætate confectus, aut inconcinnis moribus ſordidatus. ibid.
18 Si ad plures regimen conſtet æqualiter pertinere minus ſolet ſtudiosè tractari. p. 193
19 Si quid deſideretur, quævis occaſio prætipitur. ibid.
20 Pudet aliquos aliorum vitiis non inſici, & reputant honorem, ſectari. ibid.
21 Amentia eſt non duratura exambire, & magnis laboribus procurare. p. 194
22 Imprudens eſt, qui ad maiora elatus turget antiquæ fortunæ oblitus. ibid.
23 Grauius ſæpiſſimè aditur, vt leuius incommodum vitetur. ibid.
24 Nonnulli quod ſemel decreuerunt inconſulti, viſis etiam incommodis proſequuntur indurati. ibid.
25 Non videntur grauia tributa, dum Princeps ad ſuorum tutelam Martia tractauerit bella. p. 195
26 Bona politices mavult quid ſuæ poteſtati detrahere, quàm aliorum querelis, & offenſionibus exercere. ibid.
27 Bonus Reipublicæ adminiſter ægrius fert Dei, Principiſque honorem imminui, quàm dignitate priuari. ibid.
28 Sæpè qui poſſet applicare medelam, vltimus habuit notitiam. ibid.
29 Nonnullis rationi videtur accedere, quod conſtat conſuetudine ſtabiliri. p. 196
30 Rarus eſt, qui domus, familiæque ſuæ incrementa reſpuat, vt publicæ vtilitati proſpiciat. ibid.
31 Volatici, ac mundialis honoris ambitio dura imponit nobis tributa, & adducit detrimenta. p. 197
32 Plus leue exaſperat damnum, quàm eximium obligauerit beneficium. ibid.
33 Erga Deum, & homines erit ingratus, qui honoris eſt ambitioſus. ibid.
34 Liuore, ambitionéque aduri videtur, qui non admonitos deturbare molitur. ibid.
35 Magna negotia immaturè non ſunt expedienda, ſed prudenti conſideratione penſanda. p. 198
36 Omni adfectione animum conuenit repurgare, qui veritatem à Deo deſiderat edoceri. ibid.
37 Quæ denegaret propitius, ſæpè Deus concedit iratus. ibid.
38 Vt Deus factam ſibi iniuriam vlciſcatur, aliquando quod deſideramus, largitur. ibid.
39 Solatium Prælato eſt, ſi acerbus caſus non contegit eius inertia, ſed alienæ cupiditatis, & ambitionis infamia. p. 199
40 Plus juſtos angit culpâ infici, quàm dignitatibus diſpoliari. ibid.
41 Homines agglutinari ſolent erroribus pertinaciùs, adhærere virtutibus leuius. p. 200
42 Solatium eſt à Deo deficientibus non præeſſe, contumacibus non imperare. ibid.
43 Quidquid poteſtas audet, & licere ſibi credit. ibid.
44 Nil debet Principi à ſubditis denegari, ſi neceſſitate conſtiterit adurgeri. p. 201
45 Magnates priùs curant ſuperbam, & euanidam pompam ſibi acquirere, quàm ſubjectorum vtilitatibus prouidere. ibid.
46 Iura, & arma regnorum ſunt fulcimenta. ibid.
47 Magnates, cùm plures cogant laboriosè luxibus inſeruire, detrectant mercedem laboris reddere. pag. 202.
48 Quod non ſine gemitu à ſubjectis penditur, non ſemel paraſitis, & hiſtrionibus applicatur. ibid.
49 Quod juſta cauſa tributum conſtat imponi, ablata debet ceſſare. ibid.
50 Duriſſimum eſt, ſi à ſuperiore ſubditus tractetur, vt ſervus. p. 203
51 Cæca ductus cupiditate, dum ſibi ſollicitat oblectamentum, inuenire ſolet ſupplicium. ibid.
52 Eis ſe tricis ſolet cæca cupiditas implicare, vt nequeat faciliter expediri. ibid.
53 Recrudeſcit, ſi præſcita, dum remedio caret, miſeria. ibid.
54 Nonnulli malunt grauia incommoda deuorare, quàm à probata ſemel ſententia recedere. p. 204
55 Alienis erroribus error ſæpè defenditur, & vitiorum conſuetudini virtus poſtponitur. ibid.
56 Humana imprudentia res non à ratione metitur, ſed euentum intuetur. p. 205

Index Paragraphorum.

57 Laborare solet politica, nisi ad aliquem specialiter Reipublicæ spectauerit cansa. ibid.
58 Dux strenuus militibus est scutum, milites sunt duci inerti propugnaculum. ibid.
59 Prudens superior magnatibus non adulatur, sed Numini obsequi adnititur. 206
60 Beneficium est petenti nocitura differre, si dilatio forte quiuerit insaniæ ardorem sopire. ibid.
61 Propriis sedibus exulantium quàm citò oportet negotia expedire, & eorum incommodis misereri. ibid.

CAPVT IX.

1 OPortet non denigrari prosapia, qui eligitur ad dignitatum excelsa. p. 208
2 Filiis, corporis habitudines, dum generantur, sæpè à parentibus refunduntur. ibid.
3 Integra dignitatis resplendet pompa, quem suspectæ ambitionis nulla defædauit nebula. ibid.
4 Decet decora corporis proceritate exornari ad culmen electus, & cæteris dignitate antelatus. p. 209
5 Qui antecedit dignitate, & præire debet virtute. ibid.
6 Ad prælaturam eligendus est eximia patientia præditus, & excellenti charitate adornatus. ibid.
7 Præstans forma, & corporis elegantia solent virtutibus insidias prætendere, & causam vitiorum agere. pag. 210.
8 In superiore requiritur mentis perspicacia, & eximia etiam prudentia. ibid.
9 Ad munus eligendus est aptior, quamvis cæteris non sit virtute excellentior. ibid.
10 Ad dignitatem ritè deligitur eximiis virtutibus expolitus, dum tamen nullis præsumptionis nebulis obscuratus. p. 211
11 Perfectus sibi semper videtur parvulus, etsi cæteros virtute supergrediatur eximius. ibid.
12 Perfectus ad obediendum repuerascit, & priuilegium ætatis nescit. ibid.
13 Exhibitum parenti obsequium est promerendi artificium. ibid.
14 Oportet didicerit obedire, qui eligitur imperare. pag. 212.
15 Qui animarum saluti consulit, æternum sibi regnum acquirit. ibid.
16 Curet citò ad patrem redire, qui curantibus desiderat prouidere. ibid.
17 Superior plutis æstimet subditum, quàm jumentum. p. 213
18 Rebus indubiis, amissisvè non sunt consulenda specula, vel auguria. ibid.
19 Sæpesæpius quæ vtiliora, solicitantur postrema. ibid.
20 Illustrior nobilitas non quæ natalibus orta, sed quæ propriis virtutibus, ac facinoribus parta, p. 214
21 Quò quis pauperior, cælesti excipiendæ luci inuenitur aptior. ibid.
22 Ingenuus recusat beneficium accipere, ni digna quiuerit gratitudine compensare. ibid.
23 Non est idem vaticinia vendere, & xenium aliquod liberaliter oblatum accipere, p. 215
24 Exiguis magna possunt acquiri, & pretiosa vilibus comparari. ibid.
25 Aliquando serui ditantur pecunia, cùm Domini premantur inopia. ibid.
26 Si rationi consonum, arripiendum est à quocumque detur consilium. p. 216
27 Puellæ de industria cum juvenibus longum sermonem texunt, & loquendi quamlibet occasionem arripiunt. ibid.
28 Decens est, vt benedictio præcedat prandium, & Numinis inuocatio conuiuium. ibid.
29 Digna sunt laude conuinia, si charitatem foueant, indigna, si intemperantiæ deseruiant. p. 217
30 Pro hospitis dignitate, & exornari debet hospitium, & disponi prouidenter obsequium. ibid.
31 Deus clamantes in angustia non deserit, & respiscentibus fauet. ibid.
32 Reipublicæ salus, aut pernicies est superior vitiis obscuratus, aut virtutibus expolitus. p. 218
33 Iusti diuinam indignationem emolliunt, & imminentem Reipublicæ calamitatem auertunt. ibid.
34 Deteriora ferè semper eligimus, & præstantiora postponimus. ibid.
35 Ad dignitatem eligitur dignus, si elector nullis affectionibus præoccupatus. p. 219
36 Non debet servulis demandari, quod desideratur citissimè absolui. ibid.
37 Non est humilitati detrahere, acceptas à Deo prærogatiuas, si ratio exigat, aperire. ibid.
38 Deus aliquando dormientes instruit, & ventura somniis arcanis ostendit. p. 220
39 Qui ad magna à Domino electus, reculis non detineatur implicitus. ibid.
40 Splendidæ dignitates à plurimis exambiuntur, à cordatis verò onera onera grauissima habentur. ib.
41 Si quis dignitatis culmen inscendit, eius parentela quidquid optimum obtinuit. p. 221
42 Quo excellentioribus quis virtutibus splendet excultus, & profundiori humilitate agnoscitur exornatus. ibid.
43 Alia fortuna opus est ad fortunam conseruandum, & dignitatem tuendam. ibid.
44 Benè politicus ad tuendam dignitatem non tam congregare pecuniam, quàm illustrium sibi curat adjungere parentelam. p. 222
45 Eximiis solet Deus dotibus nobilitare, quos ad dignitatum culmina decreuit euehere. ibid.
46 Nullus grauanter ferre debet, si in conuiuiis hospites honorentur, aliisque præponantur. p. 223
47 Qui laboris præ aliis particeps, & præ aliis lucere debet consors honoris. ibid.
48 Regia dignitas resplendet honoribus, sed & prægrauatur oneribus. ibid.
49 Sacerdotalis dignitas regiæ anteponenda, & à Regibus honoranda. ibid.
50 Dignitas non est cæcis oculis adeunda, sed præcognitis grauaminibus suspicienda. p. 224
51 Omnibus pateat conspicuus dignitatis insulis exornatus. ibid.
52 Altitudo, ni muris fuerit circumvallata, casibus inuenitur exposita. ibid.
53 Si quis secretum agnoscit, nescio quo proritu conatur effundere, & ad aurem omnibus propalare. p. 225
54 Ambitio sibi queritur ablatum, quod alteri quantumvis digno concessum. ibid.
55 Si semel animo iniqua suspicio adhæsit, nec miraculum facilè expunget. ibid.
56 Quem magnis antea plausibus celebrabamus, si à nostra sententia discrepet, liuido dente mordemus. pag. 226.

CAPVT X.

1 QVisque materiam offert, qua felix fulgeat, aut infelix sordeat. p. 227
2 Ni incipientes curent magnis virtutibus exornari, facilè temporum tractu solent vitiorum sordibus inficiri. p. 228

Index Paragraphorum.

3 Humanos exuere debet defectus, qui à Deo regimini consecratus. ibid.
4 Qui possedit magna fastigia, sæpesæpiùs audit dulcia, quàm vera. ibid.
5 Ad culmen euectus se intelligat non tam homini debere gratiam, quàm Numini. p.229
6 Plures, si dignitatem adepti, otiantur obligationis obliti. ibid.
7 Plures inutilia sectantur oblectamenta, cùm alienus casus salubria præbet consilia. ibid.
8 Sæpè quid domi tractetur ignorauere domestici, & agnouerunt extranei. p.230
9 Dum sedatur altera causa angoris, altera renascitur anxietatis. ibid.
10 Sanctorum mausolea sunt tutissima patrocinia. ibid.
11 Si petat, aut accipiat ad dignitatem electus, innubilat famam, & armat contra se linguam. p.231
12 Ingenuo durum est petere, etsi fame contigerit diuexari. ibid
13 Egenti succurrere est hostias Numini consecrare. ibid.
14 Pro melodiæ, & concentus qualitate aut ad virtutem animus erigitur, aut ad vitium inflammatur. ibid.
15 Citò addiscitur, quod Numine magistro edocetur. pag.232.
16 Lingua est non obscurum animi indicium, & argumentum. ibid.
17 Maior in eo virtutis census requiritur, qui aliis gubernandis præponitur. ibid.
18 Regio resplendeat animo ornatus, qui ad regiam dignitatem electus. p.233
19 Superior studeat præcallere futura, & benè tractet præsentia. ibid.
20 Opus est corda terrenis affectionibus expurgare, vt cœlestem lucem valeant recipere. ibid.
21 Aliqua loca virtuti videntur aduersa, alia vitiis inimica. ibid.
22 Miraculis opus est, vt electio digna habeatur, si quis præter opinionem deligitur. p.234
23 Fortunatus, ni futura attenderit prouidus, errabit sæpè delusus. ibid.
24 Superior debet vrbana comitate florere, & grata vrbanitate micare. ibid.
25 Vbi virtus nitidior floret, ibi inimicus aduersari vigilantius studet. p.235
26 Leuis animus quauis occasione mutatur, & nunquam sui similis inuenitur. ibid.
27 Nunquam otiabitur manus, si corda possederit Deus. p.236
28 Priùs sibi attendat, virtutésque expoliat, qui aliis est præficiendus, & ad dignitatis culmen eleuandus. ibid.
29 Prudentis est se priùs secretò exercere, & publicè posteà difficultates adire. ibid.
30 Quamuis præsentissimus sit diuinus fauor, nil omittat prudens industria, & solertissima vigilantia. pag.237.
31 Etsi instrumenta fuerint infirma, Deo auspice, facillimè reportantur trophæa. ibid.
32 Magna non sunt impetu cæco aggredienda, sed prudenti consilio tentanda. ibid.
33 Grande est commodum consiliariis optimis vti, detrimentum grande carere. p.238
34 Oportet expectandi experiatur incommodum, qui dignitatis obtinuit clauum. ibid.
35 Cùm Deus aliquod onus imponit, vires requisitas præbet. ibid.
36 Deus beneficia frequenter accelerat, supplicia tardat. ibid.
37 Deuotus absoluto itinere priùs gratias acturus contendit templum, quàm domum. p.239
38 Parum juvat spiritu ebulliens feruescas, si quàm citò tepefias. ibid.
39 Prodest plurimum cum viris honestis agere, & eorum consortio viuere. ibid.
40 Mirum est, si filius studiosè non educatus vrbanitate, & scientia euaserit expolitus. p.240
41 Dei dona non alligantur prosapiæ, nec redduntur origini. ibid.
42 Aliquando citissimè diuino fauore acquiritur, quod diuturnis laboribus comparatur. ibid.
43 Qui ad celsa adnituntur conscendere, solent ferventi deuotione cessare. p.241
44 Magnum aliquando est lucrum non succedere desiderium. ibid.
45 Humilis nec inuitante occasione magnalia sua profert, sed vtili silentio tegit. ibid.
46 Nonnulli aliorum dotes silentio tegunt, & suas occasione quauis effutiunt. p.242
47 Nonnulli, dum immaturè spargunt consequendæ citò felicitatis notitiam, contra se obarmarunt imprudenter inuidentiam. ibid.
48 Cœlestium donorum cursus à nobis ipsis retardatur & diuina liberalitas impeditur. ibid.
49 Malunt aliquando homines ab aliquo è suis regi, quàm ab experto, & sapientissimo gubernari. p.343.
50 Ni omnis in electione iniquæ suspicionis prædicatur occasio, omnia perturbabit ambitio. ibid.
51 Plus homini proficit Deus etiam iratus, quàm homo beneficiis obstrictus. p.244
52 Plus apud homines valet temerarius animi impetus, quàm beneficiorum census. ibid.
53 Non est dignitas possidentis, sed possidens dignitatis ibid.
54 Honestum est nomen de peritia veniens, & laudabili industria florens. p.245
55 Nobiles se cæteris semper præferendos arbitrantur, & ni præferantur, queruntur. ibid.
56 Difficulter, quod displicet, creditur, & facilè, audacibus suspicionibus contradicitur. ibid.
57 Frequenter se dignitatibus impares arbitrantur, qui virtutum suffragiis cæteris præponuntur. p.246
58 Qui alacriter dignitatem inscendit, aliquid humilitati detraxit. ibid.
59 Qui absens anhelis desideriis quæritur, non semel præsens despicitur. ibid.
60 Superiori ad optimum regimen opus est à subiectis timeri, & veneratione suspici. p.247
61 Superior à subditis debet distare, & inter ipsos adesse. ibid.
62 Solicitiùs curamus temporalia detrimenta propulsare, quam spiritualia depellere. ibid.
63 Felix floret Respublica, si ipsa pareat Principi, & Princeps legi. p.248
64 Quæ ad publicam vtilitatem sancita, non sunt memoriæ solùm tradenda. ibid.
65 Ritè sancita ea debent solicitudine asseruari, vt nulla quiuerint malignitate corrumpi. ibid.
66 Princeps à Deo electus non quærit sibi pompæ splendorem, sed Reipublicæ procurat vtilitatem. pag.249.
67 Aliquando inuertuntur tempora, & quæ non vrgent tractantur negotia. ibid.
68 Prudens, etsi fortuna arrideat, antiquum vitæ tenorem nimis non variat. ibid.
69 Si desit experientia, non benè geruntur munia. ibid.
70 In communitatibus nonnulli, quid honoris, exambiunt, quidquid laboris refugiunt. p.250
71 Lubentiùs adhæremus iniquæ suspicioni, quàm indubiæ veritati. ibid.
72 Prudens affectat aliquando nescire, quæ nec decet agnoscere, nec expedit castigare. ibid.

CAPVT

Index Paragraphorum.

CAPVT XI.

1 SErpens noſtros ſibi ſenſus anhelat ſubiicere, quo triumphos quiuerit reportare. p. 251
2 Periculis exponitur, qui à fratrum conſortio, communioneque ſeparatur. p.252
3 Opus eſt, quæ voluerit, tributa pendere, ſi vitio inceperis inſeruire. ibid.
4 Qui in vitiorum viuit conſinio, duro ſolet vrgeri bello. ibid.
5 Acriùs dæmon commouet bellum, ſi quem videat à vitiorum ſordibus mundum. p.253
6 Vel poſt reportatam de vitiis victoriam oportet ſolicitis excubiis inuigilare, nec ſecuritatem ſibi promittere. ibid.
7 Temporalibus incommodis ſolerter occurrimus, vitiis facillimè cedimus. ibid.
8 Qui vitiis inſeruit, non ſolùm acri premitur dolore, ſed obſcuratur etiam dedecore. p.254
9 Nil magis exambit dæmon, quàm vt non mediteris cœleſtia, & ſuſpires temporalia. ibid.
10 Dæmon non ſolùm adnititur hominem obcæcare, ſed radicem lucis prorſùs euellere. ibid.
11 Semper dæmon orthodoxam fidem conatur extingnere, & lumen veritatis arcere. p.255
12 Si Deo accedant, inoculantur vel rudes, ſi eius æmulo, etiam exoculantur ſapientes. ibid.
13 Non adeò indecorum eſt cæcos vitio inſeruire, quàm perſpicacia præditos cupiditatibus famulari. ibid.
14 Durus carnifex eſt appetitus, & grauis dolor inordinatus affectus. p.256
15 Quos dedititios ſibi ſuſcepit voluptas, nunquam permittit otiari, ſed continuis ſolicitat anxietatibus diſtorqueri. ibid.
16 Sæpè inimicus, vt grauia attulerit detrimenta, à nobis impetrare cupit exigua. p.257
17 Hoſtium vires contemnere eſt ſibi ſtragem maturare. ibid.
18 Qui inuitantem triumphum diſtulit, ſera, & inutili pœnitudine planxit. ibid.
19 Si ſuperior laborante Republica oblectamentis indulgeat, ab omnibus deſpicitur, nec pro ſuperiore habetur. p.258
20 Oratio hoſtium vires frangit, & imminentia pericula avertit. ibid.
21 Multorum oratio gemitibus aſſociata depellit miſerorum pericula, & diabolica retundit tela. ibid.
22 Non poteſt populus non flere, ſi gubernator dormit & hoſtis vrget. p.259
23 Aliquando gubernatores plus ſatagunt ſua adaugere, quàm generalia detrimenta vitare. ibid.
24 Plus Reipublicæ congruit gubernator laudabiliter ſuperbus, quàm nimia humilitate remiſſus. ibid.
25 Non ſunt mediocria certa relinquenda ob maiora, ſi dubia. p.260
26 Honeſtè ſuperbus mavult honorem dignitati præſtare, quàm à dignitate accipere. ibid.
27 Ni Princeps ſtudioſè ſciſcitetur, neſciet aduerſa, quia adulatores ſolùm adnituntur referre grata. ibid.
28 Laudabilis eſt ira Dei zelo flammeſcens, & communi vtilitati proſpiciens. p.261
29 Felix eſt ſemper labor, quo muneri ſatisfacis, pietatique inſeruis. ibid.
30 Nonnulli pro ſe ipſis diuitias amant, & periculo etiam vitæ aſſeruare procurant. p.262
31 Erubeſcit miles ducem non ſequi, ſi aſpexerit ſanteire. ibid.
32 Non eſt culpandus, qui præſcriptam ſibi regiminis mutat formam, ſi cogant circunſtantiæ diuerſam inire viam. ibid.
33 Nimius rigor exordia principatus aut infamat, aut turbat. p.263
34 Dum ſuperior muneri ſatisfacit vigilanti ſolertia, Deus opportuna præbet auxilia. ibid.
35 Vitat propria, charitas efferueſcens, dum pericula propulſat aliena, p.264
36 Qui ſuperiori ſuo detrectat parere timeat cœleſtem indignationem incurrere. ibid.
37 Verus obediens obſequitur, non vt temporalem effugiat pœnam, ſed vt ſibi promeruerit Numinis gratiam. ibid.
38 Ni inconcuſſa illigentur concordia, quò fuerit maior, plus nocebit militum ſumma. ibid.
39 Mortis conſideratio oppugnat vitia, & miniſtrat ad pugnam tela. p.265
40 Non ſemel ad Chriſti vexilla attulit calamitas, quos vitiorum caſtris adſcripſiſſet felicitas. ibid.
41 Iure fulget ſpeciali honore nobilitatus, qui laudandis dotibus reſplenduit etiam eximius. ibid.
42 Non æſtimatur iucundum, quod ingrata fuerit dilatione ſuſpenſum. p.266
43 Satis non eſt ad ſalutem hoſtem impetere, ſed neceſſe eſt detriumphare. ibid.
44 Chriſtus nullum laborem recuſat, vt hominibus ſalutem afferat. ibid.
45 Regis verba non ſint minus firma, quam facta. pag.267.
46 Peccatores ſecuras ſpes tunc delùſi ſolent fouere, cùm miſerandis ſtragibus indubium eſt propinquare ibid.
47 Trinitatis fides dæmones affligit, & deterit. p.268
48 Magna nobis ab Angelis proueniunt ſubſidia contra diabolica bella. ibid.
49 Peccatores altiori ligantur ſomno, quo miſero propinquiores excidio. ibid.
50 Silentium victoriæ de inimicis reportandæ opportunum. p.269
51 Chriſti Domini incunabula fuerunt inimicorum excidia. ibid.
52 Apud ſæculum magis fortuna attenditur, quàm perſona. ibid.
53 Sapiens obſurdeſcit ad iniuriam, & audit ad indulgentiam. p.270
54 Diem quem inopinà clarauit felicitas cruentà nox obſcurarit ſeueritas. ibid.
55 Peccator, ſi enaſit imminens Dei benignitate periculum, arripere debet alacriter pœnitentiæ remedium. pag.271.
56 Superior curam agat non tantum virtutis, ſed delinquentium etiam honoris. ibid.
57 Glorioſius eſt omnium ſuffragiis dignitatem adire, quàm fortunata ſorte poſſidere. ibid.
58 Nec dura pertinacia contradicere audet, quod generali plauſu, & conſenſu deprædicari cognoſcit. pag.272.
59 Eo ſolo tempore quis dignitatem poſſedit, quo dignis factis dignitatem honorauit. ibid.

CAPVT XII.

1 EA ſuperior vitæ claritate reſplendeat, vt ab iniquis etiam iudicibus explorari non timeat. p.273
2 Mirum eſt ſi dignitate depoſita, argumentatrix iudicem non tentet obſcurare calumnia. p.274
3 Grandis imprudentia eſt aliqua tentare, ſed maior aliquando à iam tentatis recedere. ibid.
4 Quæ felicem euentum ſortita, cenſentur ſæpè prudenter decreta. p.275
5 Aliquando ſancti virtutes ſuas proferunt non laudis euanidæ deſiderio, ſed proximorũ vtilitatis ſtudio. ibid.
6 Vt quis audacter in aliorum inuehatur culpam

MAXERA
L. 16. I.
Reg. 10.
C. IV
15

opus est intactam custodisse innocentiam. p.276
7 Si ad iudicium interpellans Deum non attenderit, nec innocens criminationes effugiet. ibid.
8 Plures ad tribunalia conventi parui pendunt crimine defœdari, & fauore, aut auro conantur absolui. ibid.
9 Non refugit iudicium subire, qui inculpatè munus stnduit semper implere. ibid.
10 Non decet esse alterius voluntatis seruum, quem Respublica æquitatis, ac iustitiæ designauit ministrum. p.277
11 Oblata iudici, aut superiori munuscula sunt famæ tinea & æquitatis scandala. ibid.
12 Nonnulli iudices calumniantur, vt æquitatis colore aurum prædentur. ibid.
13 Sunt, qui potestate ad rapiendum abutantur, & humilium bona prædentur. p.278
14 Mirum est, si contra dignitate iam functum argumentrix non insurgat querela, nec obscurare factitia adnitatur causa. ibid.
15 Qui anteà dilaudabant, si de aliquo defectu arguantur, obmurmurant, opinionémque arguentis infamant. ibid.
16 Corrigentis languent verba si se infectum agnoscit culpa. p.279
17 Ea Principes arte debent erudiri, vt non videantur reprehendi. ibid.
18 Qui aliquomodo offensus alium carpit, non creditur zelo moueri, sed vindictæ desideria adulari. pag.280.
19 Nulla nobis à Domino conferuntur beneficia, de quibus non sit ratio in iudicio petenda. ibid.
20 Experti diuinam misericordiam, in hominibus collocamus fiduciam. ibid.
21 Ad conscientias cæcis tricis implexas liberandas eligendus est sapientiæ luminibus præditus, non solùm virtutibus exornatus. p.281
22 Dei serui, cùm reliqui premuntur inopia, frui solitant abundantia. ibid.
23 Mundus initio ostensis deliciis allicit, sed durissimè posteà premit. ibid.
24 Benigni Principis est supplicia, silentio tegere, & & larga manu beneficia profundere. p.282
25 Sæpè vbi fertilitas floret, & culpa viget. ibid.
26 Parum interest Dei beneficia memoriter retinere, ni cures dignis actionibus honorare. ibid.
27 Durius videtur in manus ministrorum incidere, quàm Principem, quantumuis asperum sustinere. pag.283.
28 Vera pœnitentia, dum abradit culpam, culpæ appendicem depellit etiam miseriam. ibid.
29 Peccatores damnabili patientia tolerauerunt sæpissimè incommoda, ne deierarint scelera. p.284
30 Ob patrum merita filiorum temperari solent supplicia. ibid.
31 Ne silentio maneant sepulta, cœlesti pulsu aliquando sancti sua evulgauere magnalia. ibid.
32 Nomina sua consecrarunt æternitati, qui egregiè consuluerunt proximorum saluti. p.285
33 Quos Deus ad proximorum salutem deligit speciali ac cœlesti fauore munit. ibid.
34 Reprehensibilis est, qui magna vicit, & in exiguis defecit. ibid.
35 Quantum de creaturis imprudenter confidimus, tantum diuina auxilia tardamus. p.286
36 Superioris est nota alium subiectos suspirare, & anxiis vōtis exquirere. ibid.
37 Deus multa concedit iratus, quæ denegaret propitius. ibid.
38 Rarò, si noxia nobis expetimus, quousque infeliciter assequamur, desistimus. p.287
39 Dei patientiam exasperat, qui vt delicta excusationem obtendat, eius præcepta durissima publicat. ibid.
40 Deum amaritudine replet, qui ad infligenda supplicia cogit. ibid.
41 Virtutem sequi est virtutis præmium, & deprædicandum elogium. p.288
42 Virtus nequit præmiis dignissimis non coronari, & ideò superfluum videtur exprimere. ibid.
43 Prudentis est non expectare trahi, sed sponte sequi. ibid.
44 Magnum virtutis est præmium superiorem sortiri Deum sequutum, & virtutibus exornatum. p.289
45 Grauius aliquando punit Deus eius ministros, & prædicatores parui pendere, quàm aliis vitiis delinquere. ibid.
46 Priuatus punitur ob culpam propriam, & superior sæpè ob alienam. p.290
47 Graue supplicium est Prælato verè patre priuari, & eius solatio destitui. ibid.
48 Vt magnates sua agnoscant errata, videntur necessaria prodigia. ibid.
49 Cœlestia innocentiæ testimonia plurimi habenda, humana elogia parvi culmina possidentibus æstimanda. p.291
50 Tempora sæpesæpius inuertuntur, vt se in pœnitudinis præsidium recipere peccatores conentur. ibid.
51 Deus ad sanctorum preces mutat tempora, & stata temporum variat iura. p.292
52 Dei timor est salutis tutamentum, & periculorum exilium. ibid.
53 Prudentia est periculis adurgentibus ad sanctos reccurrere, sed opus à propria solicitudine non cessare. ibid.
54 Si mors immineat acri timore pulsamur, si defædet culpa, parum affligimur. p.293.
55 Cùm non rarò à nobis possimus petere nostræ calamitatis remedium, externum solicitamus auxilium. ibid.
56 Dei inhæreat vestigiis, qui cupit expediri timoribus anxiis. p.294.
57 Vel magnis sceleribus infectus non debet desperare, quia omnibus in integrum, si velint, licet restitui. ibid.
58 Deus totum sibi cor exigit, nec alterius rei consortium admittit. ibid.
59 Graue est, si pecces magnis promissis illectus, sed grauius si spebus omnibus destitutus. p.295.
60 Parum iuvat extrius viam virtutis sequi, si contingat interiùs insanis appetitionibus sordidari. ibid.
61 Summum beneficientiæ ingenium est, ita se ad benefaciendum ligare, vt nequiuerit resilire. p.296.
62 Prudentia est abstinere à vindictæ solatio, vt grauiori occurreris detrimento. ibid.
63 Glorioſum est iniurias beneficiis compensare, & iniuriam humanitate confundere. p.297.
64 Glorioſum est sic parcere, vt nec trepida suspicione sinas iniurium torqueri. ibid.
65 Ecclesiasticus superior, quamuis offensionibus exasperatus, tenetur pro sibi subiectis orare, & cælesti doctrina imbuere ibid.
66 Bonus Prælatus sibi non quærit, sed Domini gloriam sitit. p.298
67 Apud sæculum magnatum delicta honorantur, apud Deum vt popularium puniuntur. ibid.

CAPVT XIII.

1 NOn rarò qui ad dignitatem peruenit virtutibus exornatus, citò fordescit sceleribus pollutus. p. 299
2 Digni

Index Paragraphorum.

2 Dignitatum celsa magnis laboribus possidenter, & tempore breui amittuntur. p. 300.
3 Vitia non sunt dignitatum, sed hominum. ibid.
4. Felix Respublica, cuius præpositi innocentia pueri, iudicio senes maturi. ibid.
5 Virtutes citissimè fastidimus, vitia prolixis temporibus conseruamus. p.301.
6 Si desit virtus sub regio ornatu felicitas est personata, si adsit sub attrita veste est vera. ibid.
7 Qui inter hostes degit, etiam accepta victoria obarmetur vigilantissima cura. p. 302
8 Exercitus non tam constat numero, quam strenuo militum animo. ibid.
9 Tibi consules eisdem subsidiis, quibus afflictis subveneris. ibid.
10 Ita alienis consulendum est commodis, vt propriis non exponaris periculis. p.303
11 Principem thronum aditurum decet arma tractasse, & peritia militari floruisse. ibid.
12 Qui aliorum saluti desiderat prouidere, nulla vitia sibi patiatur appropinquare. ibid.
13 Si vitium Rex, caputque destruitur, imbellis turba facillimè dissipatur. p.304
14 Vitia nos subingant non tam propria valentia, quàm nostra ignauia. ibid.
15 Infausta ad aures perueniunt celerius, felicia tardiùs ibid.
16 Qui Christum ducem sequitur, libertate integra fruitur, & indecoris vectigalibus liberatur. p. 305
17 Qui de hoste præclaram accepit victoriam, ad nouam obarmetur prudenti solicitudine pugnam. ibid.
18 Plus obtinet sæpè superior ciuili vrbanitate, quàm acti, & duro timore. p.306
19 Superior timore deterreat indomitos, alliciat humanitate morigeros. ibid.
20 Sacerdotis munus est ad honesta bella ciere, & futura pericula denuntiare. ibid.
21 Superbi omnem sibi gloriam arrogant, & adscribi sibi egregia aliorum facta procurant. p.307
22 Proficit regentis ad laudem, quam subiecti exercuere decorosè virtutem. ibid.
23 Ad parentum notam, aut famam quidquid à filiis efficitur, applicatur. ibid.
24 Superioris factum, est actionum deseruientium frequenter auspicium. ibid.
25 Satius est collectis viribus inimicum impetere, quàm bellà exiguo exercitu protelare. p.308
26 Prudens vt inimicum possit atterere, auxiliares sibi vi res solicitat comparare. ibid.
27 Prudentia est proprias vires expendere, & periculum prouidenter effugere. p.309
28 Pro periculi qualitate sunt quærenda effugia, & elaboranda tutamina. ibid.
29 Virtutem sequimur, dum spes arridet læta, deficimus, si appetat calamitas dura. ibid.
30 Plures sequuntur non personam, sed fortunam. pag.310.
31 Securè degit obedientia armatus, magnis etiam periculis cinctus. ibid.
32 Stultus est, qui diuturnos in virtute labores positis frustratur, vt timori, aut cupiditati aduletur. pag.311.
33 Nonnulli honorem amittunt proprium, dum exambiunt impotenter alienum. ibid.
34 Nonnulli, dum Numen offendunt, ab eo beneficia impetrare discupiunt. ibid.
35 Honor à magnatibus acceptus insidiatur sæpè virtuti, & ponit obicem correctioni. ibid.
36 Peccatores sæpiùs confugiunt ad criminis excusationem, quàm ad veram pœnitudinem. p.312
37 Nequeunt peccata tenebris sepeliri, quia constat prouidentiæ lumine detegi. ibid.
38 Dimidiata delictorum confessio crimen non absoluit sed arguit. ibid.
39 Stultus est, qui grandi futurorum dispendio præsenti occurrit periculo. p.313
40 Stultus, immò barbarus est, qui non placato Numine init cum hoste certamina, & periculosa aggreditur bella. ibid.
41 Qui aliquo in scelere delinquunt primi, inueniuntur grauiori pœna mulctati. ibid.
42 Perseuerantia virtutem coronat, quæ si deficiat, labefactat. p.314
43 Qui Reipublicæ improbi antecessoris loco præficitur, virtutum luminibus resplendere tenetur. ibid.
44 Sibi Princeps consulit, dum Reipublicæ præficit non fauore intrusum, sed virtutibus exornatum. ibid.
45 Eximiis virtutibus ornati ad culmina veniunt compulsi, non extorquent ambitiosi. p.315
46 Deus prorsus non deserit, quos nec sanctorum deuotione, nec patrocinio priuauit. ibid.
47 Non est desperandum, sed contra vitia, quantumvis valida, & roborata, certamen fortiter ineundum. ibid.
48 Diabolus priùs tentat debilitare, vt penitus possit posteà virtutes euertere. p.316
49 Dæmon, vt subiectos faciliùs possit culpis inficere, priùs aggreditur superiorem criminibus obscurare. ibid.
50 Auaritia omnia deuastat, & virtutum amœnitatem defœdat. p.317
51 Superbia, & inanis gloria corrumpit mores, & deuastat semper virtutes. ibid.
52 Libido, luxuriáque omnia depascit, & deserta reddit. ibid.
53 Nihil adeò studiosè curat dæmon, quàm te armis denudare, ne valeas iugum excutere. p.318
54 Solicita cura student dæmones concionatores impedire, vt vulgus possint seruitute durissima premere. ibid.
55 Satis non est vitium auferre, sed ne pullulare possit iterum, impedire. ibid.
56 Dæmones, quidquid opus est ad terrenis incumbendum, disponunt, & quàm citò fieri satagunt pag.319.
57 Sæpè tempus instrumenta peccatorum obtundit, & ipse homo dæmonis auxilio exacuit. ibid.
58 Nisi tempus virtuti debitum solicitè instaures, ad miserum statum deuenies. p.320
59 Miraculo opus est, vt in die prælij exarmatus triumphis gaudeat redimitus. ibid.
60 Studiosè curant homines, quæ ad breuem vitam spectant, amenter obliuiscuntur, quæ ad triumphum in mortis certamine iuuant. ibid.
61 Angelis debemus non solùm ab inimicis defendi, sed ad triumphum armis muniri. p.321
62 Suspectus tibi semper sit locus, vbi ruinam semel expertus. ibid.

CAPVT XIV.

1 BOnus Princeps vitam aliquando exponit discrimini, vt subueniat suorum calamitati. pag.323.
2 Principi fida sunt ministrorum auxilia, si agnoscatur suspirare cunctorum commoda. ibid.
3 Cœlestis inspiratio vel purentibus occultanda, si prudenter timeantur impedimenta. p.324
4 Vbi humana deficiunt media, confert sæpè Deus opportunissima auxilia. ibid.

5 Quò

Index Paragraphorum.

5 Quò plus inimicorum adurgent à maturiora perquiri debent profugia. p.325
6 Qui cupit tentationes illudere, arma non deserat, & ad Christum simul accurrat. ibid.
7 Principibus Martiali in campo prodest Dei servus, vt militum audacia frænetur & rerum ambiguitas depellatur. p.326
8 Nil adeò est tutum, quod hostili audaciæ non pateat si ignauia, & inertia dormiat. ibid.
9 Qui de vitiis exambit triumphos, nec allici micantibus raris, nec horridis terreri debet spinis. p.327
10 Non minus ad reportandum de vitiis triumphum solent impedire prospera, quàm aduersa. ibid.
11 Inter subiectos, & superiorem honesta concordia est aduersariorum ruina. p.328
12 Aliqua sanctorum facta non tam proponuntur sequenda, quam imitanda. ibid.
13 Superbire non debet, qui magna aggreditur amore diuino impulsus, cùm aggrediatur similia humanis affectionibus prolectatus. p.329
14 Verus amor difficultates emollit, & ipsam vitam contemnit. ibid.
15 Ita superior cum subiectis agat, vt omnem erga se iniquæ suspicionis occasionem præcidat. ibid.
16 Superior non solùm ad virtutem debet præcedere, sed sequentium subiectorum constantiam prouidenti cautela præmunire, & contra pericula armare. pag.330.
17 Plus aliquando nocet pravum socij exemplum, quàm aduersariorum munitissimum armis castrum. ibid.
18 Qui ad certamen prouocat, iam habet infelicitatis auspicium, & non dubium casus præsagium. pag.331.
19 Deuoti est à Deo aliquando signa exorare, superstitiosi suo sibi arbitrio statuere. ibid.
20 Peccatores appetens periculum contemnunt, & se tunc securiores confidunt. p.332
21 Arctam viam opus est ingredi, qui de vitiis triumphum discupit reportare. ibid.
22 Christum sequuti incedunt per ardua, sed sæculis celebranda coronantur etiam victoria. ibid.
23 Franciscus Christo Domino pro copioso est milite ad dæmones conterendos, & effugandos. p.333
24 Nonnulli erga salubria cæci, erga cætera oculatissimi. ibid.
25 Quæ peccatoribus videntur munimenta, inueniuntur præcipitia. ibid.
26 Exiguam terram occupant pereuntes, qui mundi claustra disrumpere procurabant ambientes. p.334
27 Peccatores scelerum catenis illigantur, ne dignam pœnam euasisse conentur. ibid.
28 Si multorum prauitas inita confœderatione obarmetur, miraculo opus erit, vt digna castigatione puniatur. p.335
29 Dum maior improborum numerus, illis imminet proximior casus. ibid.
30 Deus à peccatoribus mutuatur arma, queis inferat dura supplicia. ibid.
31 Ipsa tellus à se peccatores excutere adnititur, quia sustinere grauatur. p.336
32 Aliquando quo tempore quis aliis insidias prætendere adnititur, & ipse patitur. ibid.
33 Aliquando, qui ad deprædandum inuolauere concordes, post prædam in se ipsos insurgunt litibus dissidentes. p.337
34 Ea est peccatorum cæcitas, vt dum tentant effugere euius ad periculum inuolarint & certius, & granius. libid.
35 Licèt sancti sua facinora latere exambiant, ipsa se produnt, & auctorem omnibus manifestant. pag.338.
36 Virgo sanctissima est optima consiliaria in rebus arduis, & negotiis vndequaque perplexis. ibid.
37 Ardua negotia cum Deo tractanda, & eius luce exordienda. p.339
38 Nec ante prudentem consultationem audendum, nec posteà immorandum. ibid.
39 Non minus periculum affert improbus socius, quàm armatus inimicus. p.340
40 Semper Dei auxilio fidendum, sed pro viribus etiam adlaborandum. ibid.
41 Diabolus à nobis mutuatur arma, vt conflet contra nos bella, p.341
42 Quæ ob virtutem periculo solent exponi, securius solitant possideri. ibid.
43 Qui contumaciæ agglutinatur, grauissimo periculo exponitur. ibid.
44 Facilius ab aliquibus negotiatur pœnitentiam vitæ periculum, quàm animæ detrimentum. p.342
45 Pro fortunæ varietate inueniuntur homines amici, vel aduersarij. ibid.
46 Deus, quantumvis deliquerint, benignè suscipit peccatores, si redeant vera pœnitentia resipiscentes. ibid.
47 Qui singulari Dei misericordia vrgentissima euasit pericula, sine mora ad virtutis inuolet castra. pag.343.
48 Quos timor ab statione deiecit, ad castra debent redire, & acriùs pugnando admissam notam delere. ibid.
49 Miraculi adinstar erit, si quis diuitiarum, filiorúmve amore non prosequatur errorem, sed inuolauerit ad virtutem. p.344
50 Dei auxilio citissimè recuperantur, quæ longo spatio amittuntur. ibid.
51 Dei beneficia plus valent, quàm sonant, hominum plus sonant, quàm valent. ibid.
52 Prudentia est, vt assequaris magna, contemnere exigua; imprudentia, vt assequaris exigua, amittere magna. p.345
53 Superiori curandum est, ne subiectos crimini exponat, si præceptis generalibus, & nimis rigidis vrgeat. ibid.
54 Imprudentia est eadem lege metiri laboribus plurimis fatigatos, & otio deditos. p.346
55 Qui Dei timore armatur, humanis deliciis nullatenus irretitur. ibid.
56 Non est perfecta obedientia, ni subiecteris etiam iudicium, exterius adimplere præceptum. ibid.
57 Quidquid saporatum, & dulce, ferè semper volaticũ, & periculis, aut difficultatibus intertextum. p.347
58 Nullum est regimen, quod placeat omnibus, laudandum illud, quod pluribus. ibid.
59 Ecclesiasticum anathema quoquo modo inflictum semper est animitus extimescendum. p.348
60 Grauissimum Reipublicæ damnum est, si potestatis virga legem abrumpat, & cupiditati inseruiat. ibid.
61 Qui magnis difficultatibus victis virtutem aggressus tardari solet exiguis reculis impeditus. p.349
62 Ad reportandos triumphos non sufficiunt robusta tela, ni obseruata lex præstiterit etiam auxilia. ibid.
63 Admissa à superiore culpa est cæterorum ignauia. pag.350.
64 Ieiunium obseruatum est dæmonum excidium; violatum, suffragium. ibid.
65 Ieiunium cælestia nobis negotiatur oracula, impedit comessatio diuina colloquia. ibid.
66 Qui voluptatem sequitur cæcus, solet oculos aperire confusus. 351
67 Sunt qui cùm possint à culpa auertere, sinant, vt exegerint pœnam aut exprobrarint, delinquere. ibid.

68 Delin

Index Paragraphorum.

68 Delinquentis defectus debet corrigi, sed apud insçios non infamari. p.352
69 De alienis erratis delicto quæritur patrocinium, non pœnitentiæ remedium. ibid.
70 Ea est peccatoris cæcitas, vt dum nititur peccatum minuere, inueniatur aggrauare. ibid.
71 Peccatores commoditatis venenum non semel arbitrantur auxilium. p.353
72 Quò sensus corporis floret vegetior, eò contra hostes vigor animæ inuenitur infirmior. ibid.
73 Labor ob virtutem breui spatio finitur, & laboris præmium limite nullo taxatur. p.354
74 Vbi animæ inimicus euertitur, & vitæ tempus producitur. ibid.
75 Principum difficilia etiam præcepta inuiolatè obseruantua, facilia mandata Numinis contemnuntur. ibid.
76 Felix fames, quam saturitas remunerat, infelix saturitas, quam dura dura fames diuexat. p.355
77 Quæ aliena deglutit, cum suis aliquando euomit. ibid.
78 Nihil ex tuis apud hostem remaneat, vt consummata victoria floreat. p.356
79 Impensa à Deo hominibus beneficia non semel ad obsequium dæmonis inueninntur deflexa. ibid.
80 Aliorum peccata correctori solùm dicenda, & cæteros sunt celanda. p.357
81 Superior admissa debet corrigere, & impendentia scelera pronida celeritate vitare. ibid.
82 Superioris aspectus subiectos continet in officio, & obuiat feriata districtione piaculo. ibid.
83 Bonus Princeps acriùs suorum obiurgat delicta, leniùs aliorum peccata. p.358
84 Deo grata consecrauit obsequia, qui impediuit proximorum delicta. ibid.
85 Quidquid Deo grata deuotione impenditur, impendentis commodis applicatur. p.359
86 Quam populare Numinis iram inflammat delictum placat oblatum altaribus holocaustum. ibid.
87 Insolita Dei beneficia immortali sunt celebranda memoriâ. p.360
88 Illud solùm inter obsequia est computandum, quod rite, laudabilitérque perfectum. ibid.
89 Gratiarum actio gratum Deo obsequium, & felicitatis auspicium. ibid.
90 Iusti somno debita spatia impendunt in hostibus animæ deterendis, vanituli in cupiditatibus, & otiositatibus concinnandis. p.361
91 Rarus est, qui Principi audeat resistere, quia omnes adnituntur adulari. p.362
92 Non facilè ingredietur tutam, viarum insçius, si aduersariis vrgentibus perturbatus. ibid.
93 Quod Deo inconsulto decernitur, implexum difficultatibus innenitur. ibid.
94 Totius populi est salus Sacerdos virtutibus expolitus, & prudentiæ luminibus exornatus. p.363
95 Merito responsum, non redditur, cùm iam decretum consulitur. ibid.
96 Deus ad dilargienda nobis beneficia semper inuenitur expromptus, ni nostris fuerit sceleribus retardatus. p.364
97 Superiores, Principésque esse debent populi fulcra probitatisque sustentacula. ibid.
98 Criminis resecanda est infantia, ne si creuerit pertinaciter dura, claudat omnia remedia. p.365
99 Bonus index, antequàm examinauerit culpam, reo non indicet seueram pœnam. ibid.
100 Qui fastigij dignitatem occupat, consanguinitatis affectionem exuere satagat. p.366
101 Virtutis studiosus culpæ sibi indulgentiam non solicitat, nec pœnam aliis anhelat. ibid.
102 Virtutis eximiè studiosus legi non solùm obsequitur, sed non obsequendi facultatem adimere sibi adnititur. p.367
103 Superiori satis non est crimine carere, sed criminis etiam suspicionem vitare. ibid.
104 Delinquit, qui superiorum audaci lingua abrodit mandata, & obtrectationibus infirmat edicta. p.368
105 Quantumuis constet edictum, non incommodat reum audire, & supplicium maturitate suspendere. ibid.
106 Laudabilis est ambitus inculpabili morte pietatem implere, & salutem plurimis impertiri. p.369
107 Religio amori debet præponi, & filiis etiam dilectissimis anteferri. ibid.
108 Quo viuidius contra virtutem emergunt difficultates, validiùs exerendæ contra difficultates sunt vires. ibid.
109 Prosunt egregia facta ad auertenda animæ, & vitæ pericula. p.360
110 Plurimum valent sanctorum suffragia ad eludenda pericula, & supplicia delinienda. ibid.
111 Inefficacia redduntur arma, si commissa Dei auxilium impedierint delicta. p.371
112 Qui Dei sequitur iussa, facilè de hostibus reportat tropnæa, & coronatur victoriâ. ibid.
113 Frequenter, qui propitio Marte vtitur culparum nebulis obscuratur. p.372
114 Ni copiosa adfuerit pecunia, strenuè nequeunt tractari bella. ibid.
115 Qui optima parentum exempla non sectatus, à filiorum numero mulctatur exclusus. ibid.
116 Matris nomen non debet silentio præteriri, dum filios constat egregiis factis radiare. p.375
117 Extraneæ origini solent se inserere, quibus contigit dignitatum luminibus emicare. ibid.
118 Vir præstans non est in otio permittendus, sed dignis occupationibus applicandus. ibid.

MANERA
LIB. I.
Regum.
C. IV.
45

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Qui in hoc Volumine explicantur.

Prior Numerus Caput : Alter Paragraphum : Postremus verò Paginam designat.

Ex Genesi.

CAP. I. v. 3. *Fiat lux. c.* 3. §. 20. *p.* 58. & *c.* 10. §. 28. *p.* 236

V. 14. *Fiant luminaria. cap.* 13. §. 24. *p.* 307

V. 26. *Dominamini piscibus, &c. c.* 13. §. 3. *p.* 300

Cap. II. v. 18. *In quocumque die, & c. c.* 3. §. 31. *p.* 62

Cap. III. v. 4. *Dixit serpens ad mulierem. c.* §. 59. *p.* 112

V. 5. *Eritis sicut dij. c.* 12. §. 4. *p.* 275

V. 6. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum. c.* 6. §. 89. *p.* 149. & *seq.*

V. 6. *Tulit de fructu illius, & comedit. cap.* 6. §. 104. *p.* 156.

V. 6. *Consuerunt folia sicut. c.* 5. §. 56. *p.* 111

V. 8. *Vocauit Dominus Deus Adam, &c. c.* 6. §. 94. *p.* 152.

V. 8. *Cùm audissent vocem Domini. c.* 10. §. 48. *p.* 242. & *seq.*

V. 10. *Vbi es? c.* 14. §. 81. *p.* 357

V. 12. *Mulier, quam dedisti mihi. c.* 14. §. 70. *p.* 352. & *seq.*

V. 14. *Maledictus es inter omnia animantia. c.* 11. §. 13. *p.* 221. & *c.* 14. §. 59. *p.* 348

V. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem. c.* 14. §. 33. *p.* 337

V. 19. *In sudore vultus tui, &c. c.* 5. §. 32. *p.* 102

V. 20. *Vocauit Adam nomen vxoris. c.* 4. §. 3. *p.* 75

V. 24. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin. c.* 3. §. 31. *p.* 62

Cap. IV. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel. c.* 3. §. 37. *p.* 64. & *c.* 5. §. 25. *p.* 99

V. 5. *Ad Cain, & ad munera illius non respexit. c.* 6. §. 71. *p.* 142

V. 7. *Nonne si benè egeris, recipies. c.* 6. §. 44. *p.* 131

V. 9. *Interfecit eum. c.* 5. §. 1. *p.* 90

V. 10. *Vox sanguinis fratris tui. c.* 14. §. 73. *p.* 354. & §. 80. *p.* 357

V. 11. *Nunc igitur maledictus eris. c.* 5. §. 27. *p.* 100

V. 13. *Dixitque Cain ad Dominum. c.* 12. §. 57. *p.* 294

V. 16. *Habitauit profugus in terra. c.* 6. §. 76. *p.* 144

V. 23. *Occidi virum in vulnus, &c. c.* 11. §. 8. *p.* 254

Cap. V. v. 2. *Vixit autem Lamech. c.* 11. §. 9 *ibid.*

Cap. IX. v. 20. *Cœpit Noe vir agricola, & c. c.* 11. §. 10. *ibid.*

Cap. XII. v. 1. *Egredere de terra tua. cap.* 14. §. 42. *p.* 341

V. 17. *Flagellauit Dominus Pharaonem. c.* 5. §. 41. *p.* 105. & *c.* 13. §. 52. *p.* 317

Cap. XIII. v. 1. *Ascendit Abraham de Ægypto. c.* 6. §. 80. *p.* 146

V. 11. *Elegit sibi Loth regionem, &c. c.* 3. §. 2. *p.* 52

Cap. XIV. v. 18. *Melchisedech Rex Salem. cap.* 14. §. 100. *p.* 366

Cap. XV. v. 5. *Numera stellas, si potes. cap.* 3. §. 18. *p.* 57.

V. 11. *Descenderunt volucres. c.* 4. §. 8. *p.* 73

V. 15. *Tu autem ibis ad patres tuos. c.* 3. §. 16. *p.* 56

Cap. XVIII. v. 7. *Ipse ad armentum cucurrit. c.* 6. §. 100. *p.* 154.

V. 10. *Habebit filium Sara. c.* 4. §. 19. *p.* 77

V. 17. *Num celare potero. c.* 5. §. 50. *p.* 108. & *seq.*

Cap. XIX. v. 8. *Habeo duas filias. cap.* 10. §. 21. *p.* 233. & *seq.*

V. 17. *Nec stes in omni circa regione. c.* 5. §. 8. *p.* 92. & *c.* 6. §. 80. *p.* 146 & *c.* 11. §. 4. *p.* 252

Cap. XXII. v. 2. *Tolle filium tuum. c.* 14. §. 107. *p.* 369

V. 9. *Cumque alligasset Isaac filium suum. c.* 3. §. 33. *p.* 63.

V. 13. *Obtulit holocaustum. c.* 14. §. 89. *p.* 360. & *seq.*

V. 17. *Quia fecisti hanc rem, multiplicabo, &c. c.* 3. §. 18. *p.* 57. & *c.* 6. §. 56. *p.* 136. & *c.* 13. §. 23. *p.* 307.

Cap. XXV. v. 22. *Perrexit vt consuleret Dominum. c.* 6. §. 8. *p.* 117

V. 31. *Vende mihi primogenita tua. c.* 6. §. 82. *p.* 147

Cap. XXVII. v. 12. *Si attrectauerit me pater meus. c.* 4. §. 25. *p.* 79

V. 15. *Vestibus Esau valdè bonis. c.* 5. §. 19. *p.* 97

V. 27. *Benedicens illi, ait, &c. c.* 3. §. 13. *p.* 55

V. 30. *Vix Isaac sermonem impleuerat. c.* 14. §. 39. *p.* 304.

V. 35. *Venit germanus tuus fraudulenter. c.* 14. §. 32. *p.* 336.

Cap. XXVIII. v. 11. *Tulit de lapidibus, qui iacebant. c.* 6. §. 61. *p.* 138

Cap. XXIX. v. 26. *Non est in loco nostro consuetudinis. c.* 6. §. 73. *p.* 143

Cap. XXX. v. 28. *Constitue mercedem. cap.* 12. §. 42. *p.* 288.

V. 42.

V. 42. *Facta sunt ea, quæ erant serotina, c.* 6. §. 73. *p.* 148
Cap. 31. v. 3. *Reuertere in terram tuam, c.* 12. §. 42. *p.* 288
Cap. XII. v. 25. *Tetigit nervum fœmoris eius, c.* 6. §. 106. *pag.* 157.
V. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur, &c. c.* 4. §. 16. *pag.* 76.
Cap. XXXIV. v. 1. *Egressa est autem Dina, &c. c.* 6. §. 107. *p.* 157
Cap. XXXV. v. 4. *Dederunt ei omnes Deos alienos, c.* 6. §. 51. *p.* 134
Cap. XXXVII. v. 8. *Nunquid Rex noster eris, cap.* 13. §. 49. *p.* 316
V. 14. *Vade, & vide si cuncta, &c. cap.* 6. §. 55. *p.* 136
V. 19. *Ecce somniator venit, c.* 3. §. 23. *p.* 59
V. 28. *Vendiderunt eum Ismaëlitis, c.* 3. §. 15. *p.* 52. *& c.* 4. §. 24. *p.* 78. *& c.* 13. §. 50. *p.* 317.
Cap. XXXVIII. v. 25. *Producite eam, vt comburatur p.* 151 *c.* 6 §. 92.
Cap. XXXIX. v. 4. *Inuenit Ioseph gratiam, &c. cap.* 6. *& seq.* §. 5. *p.* 115.
Cap. XL. v. 16. *Vidi somnium, &c. c.* 3. §. 21. *p.* 58. *& p.* 73 *cap.* 4. §. 8.
V. 18. *Auesque comedere ex eo, c.* 4. §. 52. *p.* 88. *& p.* 316 *cap.* 13. §. 48.
Cap. XLI. v. 42. *Collo torquem auream circumposuit. c.* 4. §. 28. *p.* 80. *& cap.* 10. §. 52. *p.* 245
V. 45. *Vertit nomen eius, &c. c.* 6. §. 37. *p.* 128
Cap. XLII. v. 21. *Loquuti sunt adinuicem, c.* 6. §. 24. *pag.* 123.
Cap. XLIII. v. 2. *Consumptis cibis, &c. cap.* 13. §. 62. *pag.* 321.
V. 26 *Obtulerunt ei munera. c.* 4. §. 20. *p.* 77
Cap. XLVII. v. 12. *Alebat eos, &c. c.* 12. § 22. *p.* 281
Cap. XLIX. v. 8. *Iuda, te laudabunt fratres tui, c.* 6. §. 46. *p.* 132
V. 17. *Fiat Dan coluber, &c. c.* 4. §. 2. *p.* 71. *& c.* 14. §. 84. *p.* 58
V. 24. *Inde pastor egressus est, c.* 14. §. 56. *p.* 345. *& seq.*

Ex Exodo.

Cap. II. v. 9. *Vis, vt vadam, & vocem tibi mulierem, c.* 3. §. 1. *p.* 51
V. 20. *Vocate eum, vt comedat panem, c.* 14. §. 102. *pag.* 367.
Cap. III. v. 1. *Cùm minasset gregem ad interiora, &c. c.* 6 §. 66. *p.* 140
V. 3. *Vadam, & videbo visionem, c.* 6. §. 102. *p.* 151
V. 5. *Solue calceamentum, &c. c.* 6. § 65. *p.* 140
V. 10. *Veni, & mittam te ad Pharaonem, c.* 6. §. 84. *pag.* 148.
Cap. IV. v. 12. *Ego ero in ore tuo. c.* 3. §. 51. *p.* 69. *& c.* 14. §. 58. *pag.* 347
V. 14. *Aaron frater tuus, &c. cap.* 14. §. 11. *p.* 328
V. 17. *Virgam quoque hanc, ibid.*
V. 1. *Ecce constitui te Deum, c.* 3. §. 53. *p.* 70
Cap. VII. v. 6. *Dimitte populum meum, & c. c.* 10. §. 21. *pag.* 231.
Cap. VIII. v. 17. *Extendit Aaron manum, c.* 5. §. 44. *pag.* 106.
V. 26. *Ite, & sacrificate Deo vestro, cap.* 10. §. 21. *p.* 233
Cap. IX. v. 8. *Orate Dominum, & c. c.* 12. §. 95.
Cap. X. v. 17. *Rogate Dominum Deum vestrum, c.* 6. §. 95. *p.* 152
Cap XIII. v. 21. *Dominus autem præcedebat eos, c.* 13. §. 16. *p.* 305
Cap. XIV. v 15. *Quid clamas ad me, c.* 12. §. 53. *p.* 292 *& seq.*
V. 16. *Extende manum tuam. c.* 5. §. 11. *p.* 94
V. 10. *Erat nubes tenebrosa, c.* 13. §. 19. *p.* 306
V. 21. *Cùmque extendisset Moyses manum, c.* 11. §. 34. *pag.* 238.

V. 27. *Fugientibus Ægyptiis, &c. c.* 14. §. 34. *p.* 337
V. 30. *Liberauit Dominus in die illa, c.* 13 §. 16. 305
Cap. 15. v. 9. *Dixit inimicus: Persequar, & c. c.* 6. §. 30. *p.* 215
Cap. XVII. v. 11. *Cùm leuaret Moyses manus, c.* 14. §. 41. *p.* 341.
Cap. XIX. v. 5. *Si audieritis vocè meam. c.* 12. §. 61. *p.* 296
Cap. XXVIII. v. 4. *Hæc autem erunt vestimenta, c.* 10. §. 35. *p.* 238
Cap. XXX. v. 6. *Pones altare, c.* 14. §. 88. *& p.* 360
V. 31. *Hoc oleum unctionis. c.* 10. §. 3 *p.* 228
Cap. XXXII. v. 4. *Fecit ex eis vitulum conflatilem, c.* 6. §. 1. *p.* 114. *& §.* 54. *p.* 135
V. 4. *Hi sunt dij tui. c.* 4. §. 24. *p.* 78. *& seq.*
V. 10. *Dimitte me, c.* 11. §. 21. *p.* 258. *& seq.*
V. 13. *Recordare Abraham, c.* 12. §. 30. *p.* 284
V. 25. *Videns ergo Moyses, & c. c.* 14. § .64. *p.* 350. *& p.* 371 §. 111.
V. 28. *Cecidederunt in die illa, & c. c.* 5. §. 28. *p.* 100
Cap. XXXIV. v. 1. *Præcide tibi duas tabulas, cap.* 10. §. 30. *p.* 237
V. 28. *Panem non comedit, c.* 10. §. 64. *p.* 248

Ex Leuitico.

Cap. II. v. 13. *In omni oblatione tua. & c. c.* 14. §. 87. *p.* 360
Cap. VIII. v. 8. *de super humerale, c.* 6. §. 79. *p.* 145
Cap. X. v. 9. *Vinum, & omne, quod inebriare potest. c.* 6. §. 93. *p.* 151
Cap. XI. v. 27. *Hæc quoque inter polluta. c.* 10. §. 26. *pag.* 235.
Cap. XVII. v. 10. *Si comederit sanguinem, c.* 14. §. 75. *p.* 354. *& seq.*

Ex Numeris.

Cap. XIII. v. 33. *Terra, quam lustrauimus, devorat habitatores. c.* 6 §. 90. *p.* 150
Cap. XIV. v. 36. *Omnes viri, quos miserat Moyses. c.* 6. §. 90. *ibid.*
Cap. XVII. v. 8. *Inuenit germinasse virgam Aaron, c.* 6. §. 34. *p.* 127.
V. 12. *Ecce consumpti sumus, c.* 6. §. 105. *p.* 156
Cap. XX. v. 3. *Versi in seditionem, & c. c.* 5. §. 3. *p.* 91
V. 10. *Audite rebelles, c.* 11. §. 50. *p.* 269
Cap. XXIV. v. 14. *Dabo consilium. c.* 5. §. 54. *p.* 110 *& c.* 6. §. 49. *p.* 133
Cap. XXV. v. 2. *Comederunt, & adorauerunt deos earum. c.* 6. §. 78. *p.* 145
V. 4. *Tolle cunctos Principes, c.* 5. §. 9 *p.* 93
V. 8. *Balaam quoque filium Beor, & c. c.* 5. § 54 *p.* 110

Ex Deuteronomio.

Cap. XX. v. 12. *Sin autem fœdus inire, & c. c.* 14. §. 112 *p.* 371
Cap. XXI. v. 15. *Si habuerit homo vxores duas, cap.* 14. §. 73. *p.* 354
Cap. XXXIII. v. 19. *Inundationem maris, & c. c.* 6. §. 51. *p.* 134.

Ex Iosue.

Cap. VI. v. 20. *Muri illico corruerunt, c.* 14. §. 113. *p.* 372
Cap. VII. v. 1. *Tulit aliquid de anathemate. c.* 6. §. 77. *p.* 145. *& cap.* 12. §. 34. 286 *& c.* 14. §. 113. *p.* 372
V. 14. *Ascendetis mane singuli, c.* 14. §. 27. *p.* 334
V. 19. *Indica mihi quid feceris, c.* 14. §. 105. *p.* 368
V. 25. *Cuncta, quæ illius erant igne, & c. cap.* 14. §. 77. *pag.* 355.
Cap. X. v. 12. *Sol contra Gabaon ne mouearis, c.* 14. §. 74 *pag.* 354.

Ex libro Iudicum.

Cap. II. v. 1 *Ascendit Angelus Domini de Galgalis, c.* 3. §. 6. *p.* 53.

V. 4. *Cùm loqueretur Angelus Domini. c.3.§.4.p.52*
Cap.III. v.15. *Clamauerunt ad Dominum. c.14.§.9 p.327.*
Cap. VI. v.21. *Extendit Angelus Domini, &c. c.12. §.66. p.298.*
Cap.VII. v.9. *Descende in castra. c.14.§.23.p.333*
Cap.IX.v.2. *Quid vobis est melius. c.5.§.11.p.98*
V. 4. *Dederunt illi septuaginta pondo. c.14.§.114. p.372.*
*V.*8. *Dixerunt oliuæ, &c. c.14.§.10.p.327*
Cap. XIV. v.3. *Hanc mihi accipe. c.12.§.3.p.274*
*V.*6. *Irruit spiritus Domini. c.14.§.12.p.328*
Cap.XV.v.13. *Ligauerunt eum. c.14.§.20.p.332*
Cap.XVI.v.6. *Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo. c.6.§.110.p.158*
*V.*31. *Descendentes fratres eius, &c. c.4.§.44.p.85*
Cap.XVII. v.9. *Leuita sum de Bethlehem. cap.6.§.2. p.114.*

Ex Libro primo Regum.

Cap.II. v.31. *Præcidam brachium tuum. cap.3.§.31. p.62.*
Cap.V. v.3. *Cúmque surrexissent diluculo Azotij. c.6. §.20. p.121*
Cap.XIV.v.10. *Ascendite ad nos. c.6.§.57.p.136*
V. 13. *Alij cadebant ante Ionatham. cap.10.§.25. p.235.*
V. 27. *Extendit summitatem virgæ. cap.12.§.66. p.298.*
Cap. XV. v.9. *Pepercit Saul, & populus. c.10.§.26. p.235.*
*V.*28. *Scidit Dominus regnum tuum. cap.10.§.36. p.239.*
Cap. XVI. v.13. *Tulit Samuel cornu olei. c.10.§.2. p.228.*
*V.*23. *Quandocunque spiritus Domini. c.14.§.30. p.335.& c.5.§.55. p.110.& c.12.§.17. p.279*
Cap.XVII. v.33. *Non vales resistere Philisthæo. c.14. §.108. p.369*
*V.*34. *Veniebat leo. c.14.§.109.p.270*
*V.*36. *Nunc vadam,& auferam caput,& c.c.14.§.2. p. 323.*
*V.*39. *Non possum sic incedere. c.6.§.47.p.132*
*V.*43. *Dixit Philisthæus ad Dauid. c.11.§.17.p.257*
*V.*48. *Cùm surrexisset Philisthæus. c.6.§.38.p.128*
*V.*50. *Præualuit Dauid. c.4.§.1.p.71*
*V.*51. *Cùm gladium non haberet. c.14.§.30.p.335*
Cap.XVIII. v.4. *Expoliauit se Ionathas.c.14.§.30.ibi.*
*V.*10. *Inuasit spiritus Dei malus Saul, &c. c.5.§.55. p.110.*
*V.*10. *Tenebat lanceam. c.14.§.109.p.370*
Cap.XIX.v.11. *Misit Saul satellites. c.13.§.28.p.309*
Cap.XXI.v.9. *Ecce hîc gladius. c.14.§.85.p.359*
Cap. XXV. v.35. *Suscepit Dauid de manu eius. c.4. §.20. p.77*
Cap.XXX.v.2. *Non interfecerunt quemquam.c.14.§.78. p.356.*

Ex Libro 2. Regum.

Cap. I. v.6. *Saul incumbebat super hastam suam. c.3. §.10. p.54*
Cap.II.v.23. *Percussit eum Abner auersa hasta. cap.6. §.28. p.125*
Cap.VI.v.15. *Dauid, & omnis domus Israël,& c. c.6. §.83. p.147*
Cap.VII. v.1. *Factum est autem cùm sedisset Rex. c.6. §.83. ibid.*
*V.*3. *Omne, quod est in corde tuo, fac.c.14.§.93.p.362*
Cap. XI.v.2. *Vidit mulierem. c.14.§.41.p.341*
Cap. XII. v.1. *Duo viri erant in ciuitate. cap.7.§.43. p.170.& seq.*
Cap.XVIII.v.22. *Non erit boni nuntij hainlus.c.3.§.39 p.65.*
Cap.XXIII.v.16. *Irruperunt ergo tres fortes. c.14.§.2 p.323.*

Ex Libro 3. Regum.

Cap.II. v.5. *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab.c.6 §.20. p.121*
Cap.X.v.3. *Docuit eam Salomon. c.11.§.12.p.255*
Cap. XII. v.4. *Pater tuus durissimum jugum, & c. c.10. §.24. p.234.& seq.*
*V.*10. *Dixerunt ei iuuenes. c.5.§.51.p.109*
Cap.XIII.v.4. *Ecce altare scindetur. c.12.§.45.p.289*
*V.*4. *Extendit manum suam. c.3.§.33.p.63.& c.14. §.62. p.349*
*V.*24. *Inuenit eum leo. c.14.§.12.p.328*
Cap.XIV.v.9. *Fecisti tibi Deos alienos. c.6.§.11.p.118*
Cap.XVI.v.26. *Dixit Ieroboam in corde suo.c.6.§.11. ibid.*
Cap.XVII.v.1. *Viuit Dominus Deus Israel. c.11.§.28. p.261.& c.12.§.51. p.292*
*V.*4. *Coruis præcepi, &c. c.12.§.22.p.281*
*V.*6. *Corui deferebant, &c. c.14.§.65.p.350*
*V.*13. *Noli timere. c.13.§.19.p.306*
*V.*19. *Expendit se, atque mensus est. cap.6.§.35. p.127*
Cap.XVIII. v.17. *Venit Achab in occursum Eliæ. c.6 §.40.p.150.& c.14.§.96. p.364*
Cap.XIX.v.8. *Ambulauit in fortitudine cibi illius.c.14. §.65. p.350*
Cap.XXII.v.6. *Ire debeo in Ramoth Galaad. c.6.§.7. p.116.*
*V.*17. *Vidi cunctum Israel dispersum. c.6.§.6.p.116*

Ex Lib. 4. Regum.

Cap.I. v.2. *Cecidit Ochozias per cancellos. cap.9.§.52 p.224.& seq.*
*V.*11. *Rursus misit ad eum Principem.c.4.§.26.p. 79*
*V.*13. *Curuauit genua. c.5.§.5.p.92*
Cap.II.v.19. *Ecce habitatio ciuitatis. c.5.§.52.p.109*
Cap.III. v.17. *Alueus iste replebitur. c.14.§.7.p.325*
Cap.IV.v.55. *Deambulauit in domo. c.13.§.10.p.303*
Cap. VI.v. 11. *Conturbatum est cor. c.4.§.23.p.78*
Cap.IX.v.13. *Hæc dicit Dominus: vnxi te Regem.c.6. §.13. p.119*
Cap. XIX. v.20. *Quæ deprecatus es me. cap.14.§.74. p.354.*
Cap.XX. v.6. *Addam diebus tuis. c.14.§.74.ibid.*
*V.*11. *Reduxit vmbram. c.13.§.24.p.307*
Cap.XXIII. v.14. *Succidit lucos. c.4.§.19.p.77*

Ex Tobia.

Cap.VI.v.4. *Apprehende branchiam eius. cap.14.§.40 p.340.*
Cap.VIII.v.4. *Deprecemur Deum hodie. cap.4.§.22. p.78.*
Cap.XI.v.13. *Sumens Tobias de felle. c.9.§.9.p.210*

Ex Judith.

Cap. I V. v.17. *Ex toto corde suo, &c. cap.11.§.20. p.258.*
Cap.VI.v.9. *Ligauerunt Achior. c.5.§.22.p.98*
Cap.XII.v.1. *Iussit eam introire. c.5.§.22.ibid.*

Ex Libro Job.

Cap. I. v.5. *Consurgens diluculo. cap. 14. §.86. p.359.*

Sacræ Scripturæ.

Cap. II. v. 5. *Mitte manum tuam, & tange.* c. 5. §. 61. pag. 103.
V. 9. *Dixit autem illi vxor sua.* cap. 3. §. 49. p. 68. & c. 6. §. 52. p. 135.
V. 12. *Exclamantes plorauerunt.* c. 4. §. 37. p. 83
Cap. III. v. 5. *Obscurent eum tenebræ.* c. 4. §. 55. p. 89
V. 6. *Noctem illam, &c.* cap. 4. §. 46. p. 86
Cap. X. v. 8. *Manus tuæ fecerunt me.* c. 5. §. 61. p. 113
Cap. XV. v. 12. *Quid te eleuat cor tuum.* cap. 6. §. 23. pag. 123.
Cap. XVII. v. 3. *Pone me iuxta te,* cap. 4. §. 38. p. 83
Cap. XVIII. v. 10. *Abscondita est in terra pedica, &c.* cap. 14. §. 27. p. 334
Cap. XIX. v. 20. *Pelli meæ consumptis carnibus.* c. 11. §. 50. p. 269
Cap. XXVII. v. 5. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* c. 6. §. 58. p. 127
Cap. XXX. v. 10. *Frænum posuit in os meum.* c. 11. §. 50. pag. 269.
Cap. XXXIX. v. 13. *Penna struthionis similis est pennis herodij,* c. 6. §. 85. p. 149
V. 27. *In petris manet.* c. 14. §. 29. p. 335
Cap. XL. v. 15. *Huic montes herbas ferunt,* c. 13. §. 13. pag. 304.
Cap. XLI. v. 6. *Corpus illius quasi scuta, &c.* c. 14. §. 28. pag. 335.
Cap. XLII. v. 8. *Ite ad seruum meum Iob.* c. 6. §. 23. pag. 123.

Ex Psalmis.

Psal. 5. v. 10. *Non est in ore eorum veritas,* cap. 6. §. 12 p. 118.
Psal. 11. v. 1. *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum,* c. 6. §. 15. p. 119.
V. 9. *In circuitu impij ambulant,* c. 11. §. 15. p. 256
Psal. 18. v. 14. *Ab alienis parce seruo tuo.* c. 6. §. 103. p. 155.
Psal. 34. v. 2. *Apprehende arma, & scutum,* c. 6. §. 32. pag. 126.
Psal. 40. v. 10. *Etenim homo pacis meæ.* c. 5. §. 18. p. 93
Psal. 48. v. 13. *Homo cum in honore esset,* c. 14. §. 72. pag. 353.
Psal. 61. v. 10. *Vani filij hominum,* c. 13. §. 39. p. 313
Psal. 73. v. 4. *Posuerunt signa sua signa.* c. 6. §. 41. p. 140
V. 6. *In securi, & ascia,* c. 13. §. 48. p. 316
Psal. 81. v. 5. *Nescierunt, neque intellexerunt.* c. 14. §. 31. p. 336.
Psal. 93. v. 20. *Qui fingis laborem in præcepto,* c. 12. §. 39. p. 340.
Psal. 94. v. 1. *Et illi non cognouerunt vias meas,* cap. 3. §. 32. p. 62
V. 10. *Quadraginta annis, &c.* c. 12. §. 60. p. 295
Psal. 100. v. 8. *In matutino interficiebam.* cap. 14. §. 90. p. 361
Psal. 103. v. 20. *Posuisti tenebras.* c. 14. §. 90. *ibid.*
Psal. 105. v. 34. *Et distinxit in labiis suis.* cap. 11. §. 50. p. 269.
Psal. 115. v. 13. *Quid retribuam Domino.* cap. 6. §. 74. p. 156.

Ex Proverbiis.

Cap. XIV. v. 12. *Est vi, quæ videtur homini iusta,* c. 6. §. 45. p. 132
Cap. XXI. v. 28. *Vir obediens loquitur victorias,* c. 14. §. 112. p. 371
Cap. XXV. v. 27. *Sicut qui mel multum comedit.* cap. 6. §. 102. p. 155
Cap. XXVIII. v. 15. *Leo rugiens,* c. 4. §. 7. p. 73.

Ex Ecclesiaste.

Cap. I. v. 7. *Ad locum, vnde exeunt flumina,* c. 6. §. 72. pag. 142.

Ex Canticis Canticorum.

Cap. I. *Trahe me post te curremus.* c. 6. §. 53. p. 135. & c. 14. §. 14. p. 323. & 16. p. 330.
V. 8. *Equitatui meo assimilauite,* c. 5. §. 11. p. 94.
Cap. II. v. 3. *Sicut malus inter ligna syluarum.* cap. 6. §. 72. p. 276.
V. 15. *Capite nobis vulpes parvulas,* cap. 5. §. 45. pag. 103.
Cap. IV. v. 3. *Sicut vitta coccinea.* cap. 3. §. 50. p. 69.
V. 15. *Fons hortorum.* c. 5. §. 10. p. 94.
Cap. V. v. 4. *Venter meus intremuit.* c. 10. §. 27. p. 235.
Cap. VII. v. 13. *Omnia poma noua, & vetera, &c.* c. 6. §. 72. p. 130
Cap. VIII. v. 10. *Ego murus,* c. 11. §. 3. p. 252. § 5. p. 253.

Ex libro Sapientiæ.

Cap. I. v. 16. *Impij autem manibus, & verbis, &c.* c. 14. §. 71. p. 353

Ex Ecclesiastico.

Cap. II. v. 16. *Væ his, qui perdiderunt, &c.* c. 13. §. 42. p. 314.
Cap. III. v. 8. *Qui timet Dominum.* c. 14. §. 116. p. 373.
Cap. XXIV. v. 19. *Quasi platanus.* c. 3. §. 30. p. 61.

Ex Isaia.

Cap. III. v. 7. *Non sum medicus.* c. 10. §. 19. p. 233 & c. 14. §. 81. p. 357.
Cap. VI. v. 2. *Duabus velabant.* c. 4. §. 34. p. 82.
V. 8. *Audiui vocem Domini dicentis,* c. 6. §. 44 p. 131.
Cap. VIII. v. 6. *Vadunt cum silentio.* cap. 14. §. 35 p. 338.
Cap. IX. v. 6. *Factus est principatus super humerum eius.* c. 9. §. 48. p. 123
Cap. X. v. 1. *Væ qui condunt leges iniquas,* c. 12. §. 12. p. 278.
Cap. XXXVIII. v. 14. *Sicut pullus hirundinis, &c.* c. 6. §. 22. p. 122.
Cap. XLII. v. 14. *Quasi parturiens, &c.* c. 12. §. 40. p. 287 & *seq.*
Cap. LXV. v. 11. *Ponitis fortunæ mensam.* c. 4. §. 11. p. 74

Ex Hieremia.

Cap. XIII. v. 23. *Si mutare potest Æthiops,* cap. 13. §. 5. p. 301.

Ex Baruch.

Cap. VI. v. 3. *Videbitis in Babylonia deos.* cap. 11. §. 41. p. 288.

Ex Ezechiele.

Cap. I. v. 6. *Pedes eorum pedes recti,* c. 6. §. 6. p. 116.
Cap. XVII. v. 3. *Aquila grandis,* c. 14. §. 10. p. 327
V. 4. *Tulit medullam cedri,* c. 14. §. 77. p. 355
Cap. XXVIII. v. 14. *Tu Cherub extentus, & protegens* c. 6. §. 80. p. 153

Cap.XXXIII. v.11. *Nolo mortem impij.* c.14.§.44. p.342.

Ex Daniele.

Cap.II. v.1. *Vidit Nabuchodonosor.* c.5.§.17.p.96
V.47. *Verè Deus vester Deus deorum est.* c.6.§.1. p.114.& §.58. p.137
Cap.III.v.1. *Fecit statuam auream.* c.6.§.1.p.114
V.24. *Ambulabant in medio flammæ.* c.14.§.13. p.329.
V.46. *Non cessabant, qui miserant eos.* c.6.§.39. p.129.
V.92. *Ecce ego video.* c.5§.17p.96
Cap. IV.v.11. *Succidite arborem.* c.5.§.29.p.101.& c.14.§.77. p.355
V.20. *Germen radicum eius.* c.14.§.59.p.349
V.22. *Ejicient te ab hominibus,&c.* c.6.§.26.p.124. & c.13. §.51. p.317
V.28. *Regnum tuum transibit à te.* cap. 14. §.45. p.342.
V.30. *Fœnum vt bos comedit.* c.14.§.10.p.327
V.31. *Oculos meos ad cœlum leuaui.* cap.13.§.46. p.326.
Cap.V.v.2. *Præcepit iam temulentus.* c.5.§.7.p.93
V.13. *Introductus est Daniel.* c.13.§.46.p.315
Cap.VII. v.5. *Quasi homo stetit.* c.6.§.75.p.144
Cap.XIII. v.59. *Manet Angelus Domini.* c.3.§.47. p.64
Cap. XIV. v.22. *Erat draco magnus.* cap.13.§.51. p.317.

Ex Osea.

Cap.X. v.1. *Vitis frondosa Israël.* c.14.§.79.p.356
Cap.XII.v.4. *Fleuit,& rogauit eum.* c.6.§.106.p.156. & *seq.*

Ex Jona.

Cap.2.v.10. *Ego autem in voce laudis immolabo.* c.6. §.17. p.120

Ex Zacharia.

Cap.I. v.7. *Ecce mulier vna sedens, &c.* cap. 7. §.10. p.162.

Ex Malachia.

Cap.I.v.8. *Si offeratis secum ad immolandum.*c.6.§.73. p.143.

Ex primo Machabæorum.

Cap.II. v.65. *Ecce Simon frater vester.* cap.14.§.118. p.373.
Cap.IX. v.10. *Absit istam rem facere.* c.4.§.27. p.80

Ex Matthæo.

Cap.I.v.8. *Ioram autem genuit.* c.14.§.115.p.372
Cap.II. v.2. *Vidimus stellam.* c.5.§.10.p.94
V.4. *Congregans omnes Principes.* c.14.§.94.p.363
V.5. *Scisciabatur ab eis.* c.6.§.19.p.121
V.6. *Sic enim scriptum est.* c.3.§.44.p.67
V.8. *Interrogate diligenter de puero.* cap.10. §.46. p.242.
V.9. *Cùm audissent Regem.* c.14.§.92.p.362
V.20. *Defuncti sunt, &c.* c.3.§.44.p.67
Cap.IV. v.3. *Dic vt lapides isti.* c.14.§.41.p.341.& §.64. p.359
V.10. *Dominum Deum tuum adorabis.* cap.12.§.58. p.294.& c.14.§.83. p.358
Cap.V.v.41. *Vos estis lux mundi.* c.12.§.7. p.276
Cap.VIII.v.3. *Confestim mundata est lepra eius.* c.6. §.63. p.139
Cap.XI. v.3. *Mittens duos de discipulis suis.* c.6.§.18. p.121.
Cap. XIII. v.13. *Videntes non vident.* c.14.§.24. p.335.
V.55. *Docebat eos.* c.14.§.116.p.373
Cap.XV.v.22. *Miserere mei, Domine.* cap.14.§.110. p.370. & *seq.*
Cap.XVI. v.23. *Vade post me, Sathana.* cap.14.§.83. p.358.
Cap. XVII. v.5. *Ecce vox de nube.* cap.14.§.36. p.338.
Cap.XX. v.15. *An oculus tuus nequam est.* cap.14. §.104. p.372
Cap. XXI. v.2. *Inuenietis asinam.* c.14.§.78.p.356
Cap. XXIII. v.4. *Alligant onera grauia.* c.6.§.109. p.158.
Cap. 24. v.48. *Si autem dixerit malus seruus.* c.14. §.97. p.364
Cap. XXVIII. v.13. *Dicite quia discipuli eius nocte venerunt.* c.9.§.55.p.225

Ex Marco.

Cap.V.v.2. *Exeunti ei de naui.*c.5.§.40.p.98.& §.23. p.101.& §.29.p.105.& c.14.§.4. p.324
V.40. *Puella non est mortua.* c.14.§.98.p.365
Cap. VIII. v.23. *Apprehensa manu cæci.* c.14. §.57. p.347.
Cap.X. v.20. *Viderunt sicum aridam.* cap.14.§.59. p.348.

Ex Luca.

Cap.I. v.5. *Fuit in diebus Herodis.* c.14.§.3.p.324.& §.94. p.363
Cap. VII. v.44. *Intraui in domum tuam.* c.6.§.100. p.154.& §.22. p.122
Cap. XI. v.19. *In digito Dei.* c.12.§.45.p.289
Cap.XII.v.45. *Cœpit percutere.* c.14.§.102.p.367
Cap.XIII.v.38. *Si venerit in secunda vigilia.*c.14.§.73. p.354.
Cap.XV. v.4. *Vadit ad illam, &c.* c.12.§.65.p.298.& c.14.§.46. p.345
V.12. *Diuisit illis substantiam.* c.6.§.99.p.154
V.15. *Misit illum in villam.* c.14.§.19.p.131
V.16. *Cupiebat implere ventrem.* c.12.§.59.p.295
V.17. *Ego autem hic fame pereo.* c.6.§.29.p.125
V.18. *Ibo ad patrem meum.* c.10.§.39.p.226
V.21. *Pater, peccaui in cœlum,&c.* c.3.§.8.p.54
V.22. *Induite illum.* c.14.§.50.p.344.
V.28. *Indignatus est autem.cap.6.§.3.p.115.& c.10. §.9. p.230*
V.30. *Postquam filius tuus hic.* c.14.§.80.p.357
Cap.XVI.v.24. *Crucior in hac flamma.* cap.14.§.76. p.351.
Cap.XXII.v.49. *Si percutimus in gladio.* cap.14.§.37. p.339.

Ex Joanne.

Cap. VI. v.11. *Cùm gratias egisset.* cap.14.§103 p.367.
V.12. *Colligite, quæ superauerunt.* cap.6.§.33 p.124.
V.15. *Cùm cognouisset, quia venturi essent.* cap.10. §.58. p.246.

Sacræ Scripturæ.

Cap. IX. v.6. *Expuit in terram, &c.* c.3.§.9.p.54
V.7. Vade, & laua. c.14.§.35.p.338
V.39. In iudicium ego in mundum veni. c.11.§.11.p.255
Cap. XII. v.13. *Acceperunt ramos.* cap.14. §.78. p.356.
V.31. Num Princeps huius mundi. cap.11.§.20. p.258.
Cap. XV. v.1. *Pater meus agricola est.* cap.6.§.103. p.155.
Cap. XXI. v.7. *Tunica succinxit se.* cap.14.§.48. p.344.
V.10. Afferte de piscibus. c.6.§.70.p.142

Ex Actibus Apostolorum.

Cap.V.v.2. *Fraudarunt de pretio.* c.13.§.41.p.313
Cap.VII. v.55. *Vidit gloriam Dei.* cap.14.§.63. p.350.
Cap.XVI.v.17. *Hæc subsequuta Paulum, &c.* c.6.§.50. p.134.
Cap. XXVII. v.41. *Cùm incidissemus in locum, &c.* c.6.§.36. p.128

Ex Epistola ad Romanos.

Cap.XIV.v.17. *Non est regnum Dei esca, & potus.* c.6. §.64. p.139

Ex Epistol.2. ad Corinthios.

Cap.I.v.7. *Sicut socij passionum estis.* cap.9.§.47. p.223.
Cap.VI.v.10. *Quasi tristes, &c.* c.6.§.61.p.138
Cap.XI. v.27. *In fame, & siti.* c.14.§.76.p.355
Cap.XII.v.5. *Scio huiusce modi hominem, &c.* c.14.§.76. *ibid.*

Ex Epist. ad Ephesios.

Cap. V. v.8. *Eratis aliquando tenebræ.* cap.6. §.22. p.122.

Ex prima ad Timotheum.

Cap.II. v.1. *Obsecro igitur primum, &c.* c.2.§.22. p.78.
Cap. VI. v.9. *Qui volunt diuites fieri.* cap.6. §.67. p.140.

Ad Hebræos.

Cap. VII. v.2. *Interpretatur Rex iustitiæ.* c.14. §.100. p.366.& §.117. p.373

Ex Apocalypsi.

Cap. I. v.15. *Vox illius tanquam vox aquarum.* c.3. §.17.p.57.& c.13.§.54. p.318
V.15. Pedes eius similes, &c. c.12.§.40.p.288
Cap. II. v.5. *Age pœnitentiam.* c.14.§.45. p.342
Cap. IV. v.6. *In circuitu sedis quatuor animalium.* c.11. §.12. p.255
Cap.V.v.5. *Ecce vicit leo.* c.14.§.82.p.357
V.6. Ecce in medio throni. c.4.§.39.p.84
Cap. XII. v.1. *Mulier amicta sole.* cap.14. §.96. p.364.
Cap.XIX. v.17. *Et vidi vnum Angelum stantem in Sole.* c.6.§.91.p.150

MAXERA
Lib. I.
Regum.
C. IV.
15

INDEX

INDEX
AD SACRAS CONCIONES,
DE TEMPORE, ET SANCTIS.

C. Caput denotat, §. Paragraphum, P. Paginam.

Dominica 1. Adventus.
Lucæ 21.

RVNT *signa in sole, & luna, & stellis.* Ipsa futuri judicij signa, etsi tenebrosis, magnis tamen clamoribus corda admonent, judicis seueriſſimum rigorem, & rigidiſſimam seueritatem. Ipse sol trepidat, & contracta veluti deliquo luce judicio proximus pauitat, & jure quidem: nam diuinum judicium præ cæteris calamitatibus est timendum. c.2.§.35.p.28

Erunt signa in sole, & luna, &c. In ipso seueritatis apparatu Numinis misericordia relucet. Horrisono creaturarum strepitu judicem proximare denuntiat, vt reus sibi consulat, & ad tuta prouidenter confugiat. Ea est diuina misericordia, vt priùs horrisono deterreat tonitruo, ne judex supplicio condemnarit æterno. c.2.§.36. ibid.

Erunt signa in sole, &c. Sol, qui oculos ad se luminosis fulgoribus alliciebat, iam obscuratus ostendit, quàm sint volatica, & fluxa, quæ homines demirabantur, vt solida, & firma. Quid sole splendidius? quid oppresso iam tenebris fœdius? Profectò ad Dominum magnitudo semper est solida, quæ apud homines volatica, & fluxa. c.2.§.67.p.36

Et in terris pressura gentium. Approximante Dei judicio sol tenebrarum spiculis corda referit; mare frementibus fluctuum voluminibus timorem adauget; angor pressura insolita crescit. Hoc tamen totum eo tendit, vt vexatio hominibus det intellectum, & quodammodò ad tutum cogat inuolare pœnitentiæ profugium. Plures namque in aduersa fortuna coluerunt virtutem, qui in prospera secuti sunt prauitatem. c.2.§.92. p.43

Et in terris pressura gentium. Homines ipsi, qui debuissent concordare, vt delinirent calamitatem, se premum adaugentes dolorem. Ab ipsis peccatoribus incrementatur calamitas, & adaugetur calamitatis acerbitas. Profectò à Deo hominis promanat felicitas, ab ipso exoritur sibi calamitas. c.2.§.99.p.45

Erunt signa in sole. Sol veluti imperio iam exauguratus, tenebris decumbit oppressus. Nescias an soli durius vita carere, an dignitatis infulis denudari. Quandoquidem minus dolent aliqui occumbere, quàm dignitatis splendoribus denudari. c.2.§.101.p.46

Erunt signa, &c. Grauissima calamitate premuntur homines cælesti luce priuati, & marinis fluctibus metas transgressis impetiti. Nec stat hîc calamitas, immò est alterius calamitatis & exordium, & indicium. Nam frequenter infortunium alterius est infortunij præsagium. c.2.§.107.p.48

Erunt signa in sole, &c. Dum cælestis retrahitur splendor, vapulat seuerè peccator; caret namque luce optimo consiliario, & cælesti interdicitur auxilio. Et quidem grande supplicium est optimis consiliariis priuari, & cælesti luce interdici. c.3.§.4.p.71

Erunt signa. Sol contractis radiis tenebrescit, qui miris olim fulgoribus resplendebat, & iam homo, qui adspicere cælestia lumina noluit, oculis inuestigans non inuenit. Nam qui pulsanti diù luci oculos clausit, anolasse, cùm oculos aperuit, inuenit. c.3.§.10.p.54

In sole, & luna, &c. Et quid opus erat instantis iam seueritatis argumenta multiplicare, cùm obscurato sole, peccator præcipuè sibi conscius nequiret ambigere? Quia peccator eo stupore tenetur, vt difficulter imminere sibi credat flagella, cùm admissa nequeat dubitare delicta. c.3.§.59.p.22

Et in terris pressura gentium. Sol deficit, pallet luna faciem stellæ abscondunt, pressura vrget, fluctus impetit; quia Deus patienter tolerat, sed supplicij grauitate tarditatem compensat. c.3.§.26.p.60

Respicite, & leuate capita vestra. Cùm ingens rerum perturbatio pro admonitione sit, consulit, ne oculos deprimant ad terrena, sed ad cælestia dirigant vota. Sic namque admonitio afferet commodum, & aliter detrimentum. Nam qui admonitus mores non mutat, Dei contra se indignationem inflammat. c.4.§.33. p.82

Dominica 2. Adventus
Matthæi 11.

Cùm audisset Ioannes in vinculis. Ioannes, qui discipulis plurimis præerat, vt bonæ politices præberet normam, audita voluit à discipulis comprobari, & oculis inspici. Non Christi mira dubitabat, sed Præsules instruebat, scilicet relationibus tantum non gubernari, sed studiosè veritatem inquirere. Vergit ad occasum Respublica, si superior oculis non vtatur, & solùm auribus moderetur. c.4.§.39.p.84

Ioannes in vinculis. Ea sanctitatis Ioannes luce resplenduit, vt nec timuerit Principis beneuolentiam amittere, nec dura vincula pati, si munus quiret implere. Cùm plures non vereantur Deum amittere, si amittendo quiuerint temporalibus commodis prouidere. c.4.§.43.p.85

Ioannes in vinculis. Iam illa Respublica sibi inuidebat, cùm Ioannem vinculis illigabat. Nolebat Herodes veritatem audire, quia discupiebat fœdis libidinibus indulgere. Refugiebant proceres prænuntiato securis ictu admonere, assueti dolosis fraudibus oblectare: ergo Baptistam in carcerem detruserunt, & calamitatem sibi maturarunt. Ingens est Reipublicæ calamitas sapienti priuari consiliario, integerrimóque ministro. c.4.§.56. p.89

Ioannes

Index ad Conciones.

Ioannes in vinculis. Ioanne in carcere detruso, sibi blandiebantur proceres, eius repressisse linguam, & adeptos fuisse victoriam, sibi tamen ipsis imponebant, non attendentes, miserum esse in Deum prævalere, & de virtute triumphare. c.5.§.1. p.90

Mittens duos de discipulis suis, &c. Discipulos misit, non de Christi virtute dubitans, sed ei discipulos reconcilians. Videbantur discipuli in contrarium ire, & aliquali æmulatione inardescere: ergo misit, vt Christo adiungeret, & ab erroribus liberaret. Eximius virtutis cultor non solùm legi obtemperat, sed alios ad obsequelam inuitare adlaborat. c.1.§.18.p.5. & c.2.§.10.p.24

Mittens duos de discipulis suis. Ioannes magistri nomen sortitus non satagit ad solatium carceris discipulos detinere, sed, vt veritate instruat, ad Christum satagit delegare; suis renuntiauit commodis, vt munus expleret, Principis gloriam voluit augeri, suam minui. Cùm nonnulli Reipublicæ ministri studiosiùs curent sibi diuitias acquirere, quàm censum Principis adaugere. c.2.§.47.p.30

Ioannes in vinculis. Ioannes securim ad radices positam veraciter prænuntiauit, cùm delicta sine rubore grassari conspexit. Sanctitas apertè mulctabatur, & pudicitia manifestè proculcabatur. O quàm misera erat Respublica, vbi non solùm errata committebantur, sed perficta, & audaci fronte patrabantur. c.2.§.56.p.32

Ioannes in vinculis. Ab Herode Reipublicæ Principe, qui tenebatur iustitiam tueri, Ioannem contigit contra fas, iusque illigari. Vim namque patitur non semel religio, & iustitia, ab ipsis, quibus iniungitur eius tutela. c.2.§.57.p.33

Ecce ego mitto Angelum. Vbi Ioannes cum Deo per legatos egit, miranda elogia acquisiuit. Angelus audit, qui cum Herode agens obscuro carcere delitescit. Sunt cum Deo vtilia semper commercia, cum hominibus afferre solent ingentissima damna. c.2.§.66. pag.35.

Euntes renuntiate Ioanni, &c. Ne Ioannis discipuli erga Christi Domini opinionem aliqua subirent scandala, miranda ipsis præsentibus est operatus prodigia; & ne opinionem de Ioanne minuerent vincula, eius protulit publicè elogia, edocens satis non esse Dei ministris interna sanctitate fulgere, sed etiam suaui opinionis odore fragrare. c.2.§.88.p.42

Quæ audistis, & vidistis. Ioannis discipuli eius scholæ nimis adhærentes ægrè Christi Domini plausum ferebant, quasi Baptistæ adularentur, si Christum minuerent, eiusque miranda tegerent: ergo iubet sine ambagibus referre, quæ auribus, & aspectibus constabat haurire: *Quæ audistis, & vidistis*; vt qui nouerat ad magnates veritatem immutatam deuenire, & obscuris ambagibus tegi. Veritas magnatibus aliquando dicitur, sed minuta, & ambagibus deturpata. cap.3.§.43. pag.66.

Cæci vident, &c. Cùm Christus Dominus ipso nomine salutem promitteret, & mortis infringendas vires publicaret, id enim saluatoris continebat elogium, & testabatur vocabulum; factis nominis confirmauit elogium, implenit promissum. Est enim indecorum nomine promittere, quod constat actionibus euacuare. c.4.§.3. p.71

Dominica 3. Adventus.

Ioann. 1.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, &c. Iudæi fucata humilitate adeò superbiunt, vt Ioanni, si ipse annuat, diuinitatem offerant, quasi suæ potestatis esset Deum, Messiámque pronuntiare, cultúmque Numini dubium statuere. Ea solent Reipublicæ administri, proceresque inflata turgere superbia, vt iurisdictionem extenderint ad diuina. c.4.§.18.p.76

Quid ergo baptizas? Ioannem eximia veneratione coluerunt, suspicati diuinitatis splendoribus adornari: vbi verò audierunt nec Eliam, neque Prophetam esse, iam quòd baptizauerit, carpunt: *Quid ergo baptizas?* Frequenter apud sæculum, si iam emarcuit dignitas, & potentia, consurgit contra olim plausibus celebratum audacia. c.4.§.28.p.86

Confessus est, & non negauit. Iure Baptista plus quam Propheta habetur, & Angelus prædicatur: respuit namque & plausum, & commodum, vt virtutibus inseruiret, cùm rarus sit, qui plus doleat spiritualibus carere, quàm commodis humanis priuari. cap.4.§.42. pag.85.

Ego vox clamantis in deserto. Eximiis adeò virtutum dotibus resplendebat Baptista, vt habitus sit Messias, & cum suis factis sibi venerationem conciliarit, plausum despexit; docuit virtutum fulgore Dei ministrum prodi, & virtutis plausum respuere. c.5.§.16.p.96

Miserunt Iudæi, &c. Qui videbantur Reipublicæ consulere, inuenti sunt calamitatem Reipublicæ maturare. Cognationis affectu ducti in Deum Ioannem inaugurare tentabant, & eo honore dignum extollentes. Reipublicæ calamitatem texebant. Nam solicitare indigno honorem indebitum, est maturare miserum casum. c.5.§.19.pag.97

Miserunt Iudæi, &c. Ioannem venerandi Sacerdotis filium efferre Sacerdotes tentarunt, quia eis & honor promanare, & aliqua videbatur commoditas affulgere. Ioannes nec eo culmine dignus, nec terrea origine denudatus; nihilominus exambiebant Deum: nam vtilitas adnititur indignum culmine stabilire, & defectus eius abscondere. c.5.§.21.p.98

Quid ergo baptizas? Vbi à spe ceciderunt, plausum iam non soluunt, sed actiones eius reprehendunt. Ni aliqua spes, timórve suadeat, nec penditur cultus, nec plausus. c.5.§.29.p.101

Ego vox. Virtute solida innixus honorem suffulsit, & diuinas laudes promeruit: fugiens euanidam, gloriam acquisiuit firmam: amisisset firmam, si quæsisset euanidam. Est enim calamitosum Dei offensa quærere sibi volaticum splendorem, & carissimam vanitatem. c.5.§.37. p.104

Ipse est, qui post me venturus est. Christi æmuli, vt eius splendorem innubilent, instituunt ad Baptistam legationem. A Ioanne verò Christi audierunt elogia, & argumenta diuinitatis indubia. Dum liuor, æmulatióque alienæ gloriæ adnituntur obsistere, solent imprudenter augere. c.5.§.53.p.110

Ego vox clamantis in deserto. Prudenter elegit Ioannes aspera inhabitare deserta, & dignitatis respuit fastigia. Satius namque tibi erit, si Deum habeas, duris laboribus adurgeri, quàm, si careas, multis commodis exundare. c.6.§.2.p.114

Miserunt. Euidens erat Baptistam Messiæ dignitate non potiri, quando & originis locus repugnabat, & Scriptura manifestè contradicebat. Sacerdotes verò friuolis coniecturis maluerunt credere, quia ex eius inauguratione aliquam sibi vtilitatem videbantur expilcari. Plures, vt cupiditatibus adulentur, vanissimis coniecturis contra euidentiam vtuntur. c.6.§.6.p.116

Miserunt, &c. Veritatem inquirentes ab ipso Baptistæ ore perceperunt, & quem fouebant, errorem de corde amandarunt. Nam qui candido animo veritatem inquirunt, facillimè inueniunt. c.6.§.19.p.121

Ego vox clamantis. Clamabat Ioannes, vt ab hominum corde errores depelleret, & ad virtutis studium prolectaret: ergo prudenter ambitionis periculum à se abegit, sibique consuluit, concionatores factis edocens, & aliorum saluti prouidendum, vt sibi consulant, & periculum abigant. c.6.§.39.p.129

Miserunt. Suspicati sunt Reipublicæ proceres Ioannē esse Messiam: ergo nulli pepercerunt labori, sed instituta legatione inquisierunt veritatem. Quæ ad communem

NAXERA
L. 6. I.
Reg. 10.
C. 17
15

salutem pertinent, non sunt lenta ignauia procuranda, sed prudenti velocitate arripienda. c.6.§.38. p.128

Ego vox clamantis. Vox mentis conceptui promendo deseruit, & euanescens disparet: ergo optimo iure se vocem. Ioannes esse testatus est; quandoquidem vocis adinstar solùm ambiebat Dei Verbo indicando deseruire, & plausum non sibi quærere. Discat à Ioanne Dei minister diuinam solùm gloriam ambire, non suis plausibus studere. c.6.§.63.p.139

Dominica 4. Aduentus. *Lucæ 3.*

Anno quinto decimo, &c. In deserto Dei Verbum Ioannem Zachariæ filium contra vitia in campum producit propheticis oraculis instructum, *sicut scriptum est in libro*, &c. & carnis afflictatione maceratum: *In deserto.* Concionatorum forma requisitas in concionatore virtutes ostendit debere scilicet in eo coniungi & carnis mortificationem, & Scripturæ Sacræ eruditionem. c.6.§.62.p.138

Anno quinto decimo. In deserto prædicare dicitur Ioannes, quia culmina occupantium corda virtutibus prorsus vacua. Florebant dignitatum luminibus, sordescebant intus culparum horroribus. Sæpè à Deo distans felicitate floret, & firma salute viget. c.6.§.76.p.144.

Anno quinto decimo. Quàm luctuosa Rempublicam illam calamitas premeret, Principibus proditur relatis. Pilatus præerat, qui Christi innocentiam, vt sibi consuleret, condemnabat Herodes gubernabat, virtutum contemptor, & illusor. Eo rerum statu Ioannes aspera in vias planas dirigenda testatur, si Dei Verbum anida studiositate suscipitur. Nam si Princeps Deum sequitur, multis Respublica calamitatibus liberatur. c.6.§.84. pag.148.

Venit in omnem regionem, &c. Ioannis aduentus Reipublicæ proceribus fuit ingratus. Non curabant ipsi, vt à Ioanne instruerentur, adire deserta, immò refugiebant Ioannem aduentare ad palatia. Nam peccatores refugiunt Deum quærere, & ægrè ferunt à Deo perquiri. c.6.§.94.p.152

Procurante Pontio Pilato. Reipublicæ infelicitas proditur, dum quibus Præsulibus fuisse subiecta refertur. Opus fuit Ioanne, vt praua transirent in directa: *Erunt praua in directa.* Magna est populi calamitas senum prudentia carere, & æquitate judicum viduari. c.6.§.97. ibid.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Quàm arduum opus aggressus est Ioannes, valles scilicet implere, & montes ad humilitatem reducere, id est, superbos adducere ad humilitatem, & ad denudandum tumorem. Malunt homines virtute carere, quàm diuitiis, & commodis denudari. c.6.§.106.p.156

Zachariæ filium. Ioannes, vtpotè Zachariæ filius, Sacerdos proditur, & extirpandis vitiis dicatus prorsus refertur. Nam Sacerdos Numinis est adiutor, vitiorum terror. c.7.§.10. p.161

In omnem regionem. Curiam aduentauit, vt extirpandis sceleribus deseruiret, non vt plausu, aut dignitate fulgeret. Sacerdos incolebat deserta; fame lutidus, & pelle vestitus oppugnabat scelera. Nam qui Sacerdotali dignitate refulget, tenetur sæculo prorsus renuntiare, & Numini totis viribus inseruire. c.7.§.11.ibid.

Baptismum pœnitentiæ. Hoc suspirabat Ioannes, pœnitentiæ, scilicet fructum, non calamistratis verbis potiri plausum. Quo concionator discat non quærere sibi plausum, sed audientium sitire fructum. c.7.§.16.p.163

Baptismum pœnitentiæ. Nullum Ioannes singulariter feriebat, sed omnes generaliter ad pœnitentiam vocabat; quam si arriperent, in directa componerentur distorta, & in vias planas, quæ erroribus implicata: *Erunt praua in directa.* Vt à Ioanne discat concionator singularem non ferire, sed doctrinam cunctis profuturam spargere. c.7.§.17.p.164

Baptismum pœnitemia. Habitu Ioannes pœnitentiam ostendebat, quia pœnitentiam omnibus prædicabat: ergo montium confragosa transierunt in plana. Nam superior exemplo efficaciter monet, & præeundo subditos ad veritatem adducit. c.7.§.29.p.169

Baptismum pœnitentiæ. Pœnitentiam vocauit baptismum; nam vt baptismus quidquid sordidum abradit, & diluit, sic vera pœnitentia omnes sordes à corde expungit, & detergit: ergo pœnitens pœnitentia quodammodò baptizetur culpæ sordes prorsus detergens, nec anteactæ vitæ aliquam tortuositatem permittens: *Erunt praua in directa.* c.7.§.39.p.170

In Nativitate Domini. *Ioan. 1.*

In principio erat Verbum. Verbum Patris gloria fruitum, vt homines sibi alliceret, carnem assumpsit, & iam non diris fulminibus ferit, sed pulcherrimis lachrymulis corda trahit. Melius sæpè medetur culpis vrbana lenitas, quàm torna rigiditas. c.7.§.46. ibid.

Et Verbum caro factum est. Vbi homo cum Deo concordat, vbi diuinam, humanámque naturam vinculum vnionis ligat, iam in excelsis Deus gloria, & homo pace in terra fruitur; iam acies dæmonum debellantur, & virtutum castra triumphis redimuntur. Nam pax, & concordia est fatalis aduersariorum ruina. c.7.§.47. p.161

Et habitauit in nobis. Pnerulus, & omnium indigens nobiscum voluit habitare, vt facilè homines possent munusculis sibi allicere. Quid opponat, non habet, qui diuino adeò puerulo non succurrit. Stultus est, qui grandi pretio emit luctuosam stragem, cùm exiguo mercari possit salutem. c.7.§.66. p.177

In principio erat Verbum. Poterat Dei Verbum commodis frui, & carnem non assumens tot anxietatibus liberari. Pro eximia verò in homines charitate viles præsepij angustias non exhorruit, & specus tenebras non despexit. Nam generosus amor propriis commodis non attendit, sed rei amatæ honestis lucris studet. c.1.§.31. p.8

Et lux in tenebris lucet. Lucis adinstar in terris apparuit, & in præsepio vel brutis Christus Dominus patuit, cùm regale nomen desumpsit. *Vbi est* (interrogabant Magi) *qui natus est Rex Iudæorum?* Quibus Euangelista respondit: *Et reclinauit eum in præsepio.* Præsulum forma omnibus patuit, vt ad Reipublicæ gubernationem electus omnibus facilè pateat, nec sera accedentes exasperatos excludat. c.1.§.60.p.12

Et tenebræ eam non comprehenderunt. Cælestis lux, vt hominum cæcitati mederetur, carnem induit, & homo tenebris armatus luci inferre bellum studuit, ipsúmque beneficium in sceleris conuertit augmentum. Et quid miserius, quàm ipso laborare remedio, & in ipso portu perire naufragio. c.1.§.71. p.15

Et vidimus gloriam eius. Qui pulcherrimi huius pueri incunabulis adstat, qui præsepi propinquat, eius gloriam intuetur, & fruitur; qui hoc tempore superfluis indulget deliciis, & opiparis incumbit mensis, nec fruitur, nec intuetur. Profectò cor humanum implent gaudia à virtute procreata, non à deliciis vanis exorta. c.2.§.3. p.23

Et vidimus gloriam eius. Dum carne indutus, gloriosus ab hominibus refertur habitus: *Et vidimus gloriam eius*, se effectu prodit, ipsa in humilitate diuinitas, quandoquidem de more homines plus suspiciunt potentiâ præditum, quàm virtutibus exornatum. c.1.§.37.p.9

Et vidimus gloriam eius. Qui oculos in huius pueri eximia pulchritudine pascit, cælitum more iam gloriam videt, eaque vberius fruitur, quo plus ab euanidis deliciis anertitur. Nam vt vera perfruaris gaudiis, opus est oculos amouere à volaticis, & terrenis. c.6.§.65.p.240

Habitauit in nobis. Diuinum Verbum carnem assumpsit, vt homines quæreret factus homo. Si ab hominibus quæri speraret, multa temporum spatia consumeret: ergo è paterno sinu descendit, vt inter homines habitaret.

habitaret. Verùm nescio an hic aduentus his diebus peccatoribus sit jucundus; nam peccatores non solùm refugiunt Deum quærere, sed ægrè ferunt à Deo perquiri. c.6.§.94.p.152

Et Verbum caro factum est. Vt generalitatis saluti consuleret, vtilitatique prouideret, è paterno sinu descendit carnem induit, & vili præsepio iacuit. Non ita plures, qui sic vtilitati communi consulunt, vt onus aliis imponant, & sibi parcant. c.6.§.109.p.158

Et vidimus gloriam eius. Et quæ eius gloria? Præsepe tulisse, frigoris asperitate adurgeri, lachrymulis pulcherrimis irrorari. Hæc omnia Christi transierunt in gloriam. Nam labor, qui pro virtute subitur, honoris in lucrum vertitur. c.7.§.2.p.160

In Circumcisione Domini. *Luc.* 2.

Postquam consummati sunt dies octo. Pulcherrimus puer, quod pendere non tenebatur, legi soluit circumcisus tributum, & ferri sustinet cruciamentum, sed eodem tempore saluatoris sortitur elogium: *Vocatum est nomen eius Iesus.* Nam labor, qui pro virtute subitur, in honoris lucrum conuertitur, c.7.§.2. ibid.

Postquam consummati sunt. Statim ac opportunitas se obtulit, ex promptissimo animo Christus sanguinem effundere ambiuit, & dum dignum præmium (celeberimum scilicèt nomen) accepit expromptus animus, pro comperto voluit haberi, virtutem cumulatum afferre fructum, si expromptо animo culta, non adacto, reluctantique exercita. c.7.§.6.p.161

Postquam consummati sunt dies octo. In exiguo corpusculo sanguinem sitit effundere, & octo dies natus dolores pro hominibus pati. Quàm aliter nobis accidit. Iuventus voluptatibus dicatur, & vel cana senectus virtutibus non impenditur: Virtutum procedunt lentissimè incrementa, properamus ad vitiorum deliria. c.7.§.13.p.163

Postquam consummati sunt. Mortalium immortaliúmque Rex, quâ non tenebatur, legem circumcisionis impleuit, & cæteros obedire legibus suis factis edocuit. Nã superiori exẽplo efficaciter monet, & præeũdo facilè subiectos ad virtutẽ adducit. c.7 §.29.p.169

Vocatum est nomen eius Iesus. Breui dolore, exiguoque, etsi pretiosissimo sanguine Iesu nominis emit elogium, & honorem cunctis sæculis permansurum. Cùm homines adeò desipiant, vt grandi pretio emant luctuosam stragem, cùm potuerint exiguo comparare sibi salutem. c.7.§.66.p.177

Quod vocatum est ab Angelo. Iam Angelus nomen attulerat, iam vulgarat; nihilominus Christus eo honore resplendere noluit nobilitatus, quousque proprio sanguine ruberet perfusus. Cùm plures contrariam adeò viam ingrediantur, vt si dignitatem adepti obligationis otientur obliti. c.10.§.6.p.229

Vocatum est nomen eius. Honesta ambitio immortale sibi nomen facere, & vel effuso sanguine elogium suspiciendum cunctis mereri. O quàm exoculata est amentia non duratura exambire, & magnis laboribus comparare! c.8.§.21.p.194

Vocatum est nomen eius Iesus. Non anteà nominis suscepit honorem, quam circumcisus fuderit sanguinem immò priùs ferri, aut petræ violentiam tulit, & subditos ab eo legis onere liberauit, posteáque venerandum cunctis nomen susceperit. Cùm non semel Præsules priùs satagant pompam superbam, & enamidam sibi adquirere, quam subiectorum vtilitatibus prouidere. c.8.§.45. p.201

Quod vocatum est ab Angelo. Vt hoc cœleste nomen totâ lucis pompâ radiaret, notauit Euangelista de cœlo allatum, nullisque ambitiosis artibus emptum. Aliter, si iniquæ suspicioni præberetur occasio, ad speciem innubilaretur gloria, & nominis excellentia, cùm solum ille, quem suspectæ ambitionis nulla defœdauit nebula, integra dignitatis resplendeat gloria. c.9.§.3.p.208

Postquam consummati sunt. Nomen æternum Christi promulgabat imperium, circumcisio testabatur pensum obedientiæ legi tributum. Priùs Euangelista solutam retulit obedientiam; quàm indito nomine potestatis promeret gloriam. Oportet namque didicerit obedire, qui eligitur imperare. c.9.§.14.p.212

Vocatum est nomen eius Iesus. Vbi omnium animarum effuso sanguine saluti prouidit, & regnum sibi ipsi firmauit, & nomen vel ipsis dæmonibus venerandum accepit. Vt nouerint, qui diuino animarum zelo inardescunt, sibi æternum regnum acquirere, dum inuigilãt à culpis proximos liberare. Profectò qui animarum saluti consulit, æternum sibi regnum, & nominis lucratur elogium. c.9.§.15. ibid.

Vocatum est nomen eius Iesus. In pœnalis circumcisionis officina Iesu nomen voluit sibi procudere, nec nomina, etsi nobilissima, à maioribus trahere. Filius erat Abrahami, Dauidis, & quibat generis nobilitatem nomine promulgare, maluit tamen propriis, digniísque actionibus nobilissimum nomen emere, quia defœcatior est nobilitas propriis virtutibus, ac facinorib. parta quam à laribus imaginibus plenis orta. c.9.§.20.p.214

In Epiphania Domini. *Matthæi* 2.

Ecce Magi ab oriente venerunt. Magi sidereis fulgoribus illustrati Christum Dominum natum promulgãt, aulici prorsus ignorant. A Mago audiuit Hebr. Christũ recens natum, & quia anteà fuerat errotis, magister extitit veritatis; nam citò addiscitur, quod lumine cœlesti docetur. c.10.§.15.p.232

Venerunt Hierosolymam. Curia ambitu occupata, cupiditatibus, voluptatibúsque immersa sidus fulgentissimum non vidit, immò compulsus est Magus interrogare, quia stella, vbi Herodes erat disparuit. Aliqua namque loca virtutibus videntur aduersa, vt vitiis alia inimica. c.10.§.21.p.237

Vbi est? Stella splendenti lingua Magos instruxerat, & docuerat, & nihilominus à sapientibus notitiam solicitant, & vbi natus fuerit, anxia solicitudine rogant: *Vbi est*, &c. Et cur cœlesti sidere ducti in loco requirendo adeò studiosi? Vt nos doceant nihil de humana industria omittendum, sed pro viribus laborandum. Quamuis præsentissimus sit diuinus fauor, nihil debet omittere prudens industria, & solertissima vigilantia. ibid. c.10.§.30.

Turbatus est Herodes. Vbi audiuit recens natum Regem appellari, insolito pauore concussus est. Puerum ipse appellauit non Regem. Nam ambitio queritur, & sibi dolet ablatum, quod alteri, quantumuis digno, concessum. c.9.§.54.p.225

Turbatus est Herodes. Iam Christus sortitur hostem, iam patitur aduersarium, vbi iacebat in præsepio, à pastoribus honorabatur munusculis, Princeps promulgatus impetitur cæcissimis odiis. Vt nouerint felices, opus esse illis alia fortuna ad fortunam conseruandam, & dignitatem tuendam. c.9.§.43.p.223.

Intrantes domum. Quàm ad Regem expeditus ingressus, quam sine custode introitus: in aperto degebat vt ab omnibus nullis possit difficultatibus adiri, & quæri. Omnibus pateat conspicuus dignitatis infulis exornatus. c.9.§.51.p.224

Obtulerunt ei. Non expectarunt, vt quid peterentur, sed adornarunt munera ruboris excusantes tormenta. Est enim ingenuo durum petere, etsi fame contigerit diuexari, & necessitatibus adurgeri. c.10.§.12. p.230

Ecce stella. Vbi curiam reliquerunt, sidus cœleste spectarunt: palatino puluere impediebatur aspectus, & terrenis nebulis obscurabatur obturus. Est enim opus à terrenis expediri, si cœlestem lucem cupis videre, c.10.§.20. p.233

Sic enim scriptum est. Aliter scriptum erat, teste Chrysostomo in Cat. D. Thom. apud Michæum Prophetam

phetam. Verùm Scribæ, Sacerdotésque, vt adularentur Herodi, Textum deprauarunt, & corruperunt. Qui fastigia possidet, audit iæpesæpiùs grata, rarissimè vera. c.10.§.4. p.228

Inuenerunt puerum, &c. Et cur careat satellitio, qui sidus splendidum delegauerat Mago? Matris in gremio inueniunt Regem nulla stipatum pompa, nulla circumseptum familia: habuit lucem, quam Magis impertiret, non stellam ambiuit, cuius luminibus refulgeret. Vt ad dignitatem electus non quærat sibi pompæ splendorem, sed suorum vtilitatem. c.10.§.66. p.247

Obtulerunt ei munera. Cælesti luce reluminati aurum obtulerunt, & diuitias Domino consecrarunt: auro retento non adeò essent felices, oblato, resplenduerunt fortunatiores; nomen suum, quod sonabat sapientiam, oblatis muneribus impleuerunt. Plures inueniuntur adeò stulti, vt præ se ipsis diuitias ament, & vitæ etiam periculo retinere procurent. c.11.§.30.p.262

Inuenerunt puerum. Quàm cælesti sapientia instructi procidentes adorauerunt puerum pompâ nudum, sed miris virtutum dotibus exornatum! Fortassis, ni fidere ducerentur, non adorarent personam, quia despicerent fortunam, nam apud sæculum magis fortuna attenditur, quàm persona. c.11.§.52. p.269

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

Lucæ 2.

Cùm factus esset Iesus annorum duodecim. Ioseph, Mariaque sanctissima, Templum adeuntes Christum deferunt non ampliùs quàm annorum duodecim: puer verò se à parentibus subducens templo remansit, vt cunctis mirandis virtutibus resplenderet, pueritiam voluit ab infamia eximere: quandoquidem pueri, juvenésque plus indulgent vanitatibus, quàm virtutibus. Hoc in comperto est, sæpè præscriptum virtuti tempus differri, voluptati, vanitatique assignatum citissimè solui. c.1.§.17.p.5

Stupebant omnes, qui eum audiebant. Iam justitiæ Sol potestatis suæ notitiam aliquam refundebat, & quia duodecim Apostolis erat imperaturus, à duodecimo anno resplenduit cunctis mirandus Prælatorum, superiorúmque forma, & sapientiæ luminibus, & virtutis resplenduit dotibus, vt Prælati discant vitam nobilitare scientiâ, & scientiam vita. c.1.§.4. p.2

Remansit. Non amiserunt parentes minus soliciti filium, ipse se arcanè subducens cunctis præstitit documentum, scilicet ea vigilanti deuotione, & deuota solicitudine adeunda templa, vt nulla senserit virtus incommoda. Historia nobis fuit pro doctrina Christus in templo amittitur, & in porta naufragium exoritur, quia non semel templum adimus, vt oculis, & oculorum nutibus inseruiamus. c.1.§.19.p.6

Remansit. Eis tribus diebus magna Christus Dominus est expertus incommoda à parentibus distans, & inter ignotos habitans. Verùm quia intererat hominibus, vt iam lux cælestis se effunderet, & mortales oculos sapientiæ suæ fulgoribus illustraret, oblitus est commoda, amplexus aspera. Nam generosus amor propriis commodis non attendit; sed rei amatæ honestis lucris studet. c.1.§.31.p.8

Ascendentibus illis. Sanctissimi conjuges templum ascenderunt, vt religiosis cultibus interessent, & Numen officiis deuotissimis honorarent, non vt aliquod sensibus oblectamentum futile quærerent; cùm plures fœminæ templa adeant, vt florido ornatu oculos sibi alliciant, cùm plures, quæ celebrant votiua sanctorum festa, oblectamenta quærant humana. Sæpè in Sanctorum festis non tam quæritur Dei obsequium, quàm fluxum, & euanidum gaudium. c.1.§.35.p.9. & §.42. p.10

Secundùm consuetudinem diei festi. Secum tulerunt parentes filium, Numen adoraturi, non quia Christus parentum egeret studio, sed vt imitando omnes edocerent exemplo: sunt, qui secum filios deferant ad spectacula, non ad templa, & quidem plenè patris non resplendet elogio, qui filios genuit, ni eos virtutibus expoliuit. c.1.§.47. p.11

Remansit puer. Occasio esse potuit, viros, fœminásque diuersis itineribus ad templum tendere, & ad domum remeare. Hæc honesta, & laudabilis consuetudo, dum prouidam edocebat cautelam, salubrem tradebat etiam doctrinam, scilicet cautelam fœminis nunquam esse superfluam, quia vbiq; insidiatur eis curiositas vana, aut solicitudo inurgilat debita. c.1.§.67.p.14

Remansit puer. Puer à parentum latere se mysterio subduxit, non parentum ignauia, incuriave à latere separauit; vt parentes edoceantur, si discupiunt virtutibus exornari puerulos à suo latere non disiungi. c.1.§.99. p.20

Et erat subditus illis. Repetitis Doctorum, Magistrorúmque plausibus celebratus parentibus erat subditus: non intumuit sapientiæ luminibus, sed humilitatis generosis obtemperat demissionibus. Nam quisquis virtutum fructibus inuenitur vberior, se se dimittit humilior. c.1.§.106.p.21

In his, quæ patris mei sunt, &c. Non ignorabat Christus, si templo remanserit, parentes acri dolore feriendos; plus tamen attendit Deo obedire, quàm parentibus, aut superioribus morem gerere. O vtinam hoc informaremur exemplo! Verùm non semel filij, subjectique non tam Numinis vultum, quàm superiorum, parentumve studiosè attendunt conspectum. c.2.§.40. p.29

Descendit cum eis, & venit Nazareth. Non duxit parentes, quos vti superiores colebat, quò ipse vellet, sed quò ipsi duxerunt, iuit: nam cùm obsequentium esset exemplar, suis factis instruxit, & obedientes edocuit non deligere obsequium, sed expromptu, ac indifferens obsequendi semper gerere studium. c.2.§.41.ib.

Stupebant, &c. Honorabiles legum Doctores, venerandi canitie senes puerum in medio collocarunt, & eius demirati sapientiam, auidis auribus susceperunt. Fas namque est, præ aliis honoribus insigniri, quem liquet eximiis virtutibus anteponi. c.2.§.61.p.54

Dominica 2. post Epiphaniam.

Ioan.2.

Nuptiæ factæ sunt. Inter nuptiarum gaudia, inter saporata fercula quid pungit, & vinum deficit; cumque sum sit lætitiæ symbolum, ipso in gaudio defeciisse videtur gaudium, quia nil humanum consummatè perfectum, aut perfectè consummatum. c.1.§.14. p.4

Vocatus est autem Iesus. Cùm nuptiæ ad honestos fructus procreandos, & promouendos dirigantur, & ordinentur, prudentia fuit Christum, eiusque discipulos vocare ad nuptias felicitandas, & eleemosynas impertiendas. Felix ab eleemosyna nuptiarum exordium, & procreandis filiis auspicium: nam misericordes parentes filiis diuitiarum acquirunt censum, & honestissimum lucrum. c.1.§.13.p.4

Vinum non habent. Tantisper distulit Christus aquam in vinum commutare, petitionique annuere, non quòd donum distulerit auarus; sed vt digna æstimatione haberetur, studiosus; nam magni non habetur, quod sine labore impetratur, c.1.§.16.p.5

Vinum non habent. Prientissima Maria, ne sponsi vini confunderetur inopia, succurrit vigilanti satis prouidentia. Quid tunc Dominus? *Quid mihi, & tibi?* Non refragatur Matris precibus, sed beneficium nubentium meritis ait reddendum, non solùm intercessionibus applicandum: nam etsi apud sæculum plus, quam virtus, fauor obtineat, apud Deum plus, quàm fauo rem obtinere virtutem constat. c.1.§.24.p.7

Vinum non habent. Vt est hominum patrona Maria domina

domina noſtra, occaſionē quærit benefaciēdi, & ſiquid à nobis acceperit, munerandi: ergo ad nuptias vocata, remunerandi, dilargiendique inuenitur ſolicita: amor namque gaudet opportunitate dilargiendi, & mœret, ſi deſit dilargitis munetibus honorandi, cap. 1. v. 26. ibid.

Implete hydrias aquâ. Aquam Dominus eor[illegible] in vinum, & tempus expectat aptum. Rerum ci[illegible] ſtantiæ donum commendarunt, & eximiam grati[illegible]dinem conſulnerunt. Nam in beneficiis non tam quantitas attendenda, quàm opportunitas æſtimanda, p.9 c.1.§.29.

Implete hydrias aquâ. Voluit, vt aliquem laborem impenderent generoſo potandi vino, & miro illo recreandi oblectamento. Maria etiam conſulit Chriſto obſequi, vt fructu poſſint obſequelæ potiri. Inuenias tamen plures, qui excuſato obedientiæ, ac laboris cenſu virtutis exambiant potiri fructu, c.1.§.33.p.9

Nuptiæ factæ ſunt. Felices viro, & vxori nuptiæ Chriſti Domini præſentia, nobilitate: nam ſi Deus deeſſet, & vir ſuſpicionibus vti, & fœmina alterius amori poſſet poſtponi. Et quidem fœminæ nil durius, quàm minus amari, & alteri à viro poſtponi, cap. 1. §.39. pag.10

Haurite nunc, &c. Non ſolùm Chriſtus Dominus beneficium impendit, ſed in vſus debitos expendi mandauit, quo & nuptiæ dignè celebratæ, & acceptis muneribus dignæ. O quot cùm nuptias celebrarint felices, dum ad vanitates, & tumores detorquent ſibi dilargita, elaborauerunt ſibi lamenta. Sunt qui detorqueant ad vanitatis, & tumoris fomenta, quæ dum rubunt, acceperunt à Domino beneficia, cap. 1.§. 43. ibid.

Nuptiæ factæ ſunt. Vel in ipſo gaudij apparatu deficit vinum, & nihilominus non audio ſponſam querulam, aut eo defectu contriſtatam: nam cum ſponſus vti Dei amicus: *Aderat namque Ieſus*, debitum ſponſæ impenderet effectum, dulcorabat quidquid amarum. Nam viri erga vxorem amor inopiam lenit, & plura ſupplet, c.1.§.48.p.11

Facta ſunt nuptiæ. Nuptiæ honeſtæ vbertatis principium, & procreandæ poſteritatis exordium; verùm cùm ſæpè natura fallat, coniux à coniuge non debet deſpici, etſi ſterilitate, aut ægritudine contigerit laborare, c.1.§.49. ibid.

Vinum non habent. Miniſtros edocuit Maria, quomodo aqua conuerteretur in vinum, ſcilicet, ſi Chriſti Domini exequærentur præceptum: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Cúmque ſponſus ſuperioris, Deique vices gerat, in miniſtris vxores edocuit Maria, maritis, ſcilicet obtemperare, ſi vino, hoc eſt gaudio, deſiderant fini. Et quidem fœmina marito obediens facilè aſſequitur, quod precatur, c.1.§.53.p.12

Dominica in Septuageſima.
Matthæi 20.

Exiit primo mane. Pater familias fertili vinea copioſus, vt ei excolendæ operarios deligat lucem antevertit ſolicitus, & poſteà inſtinet audaces linguas modeſtus. Nam Prælatum exornare debet conſtans patientia, & prouidentiſſima vigilantia. c.1.§.6.p.3

Primo mane. Miraculi adinſtar fuit operarios primo mane ad vineæ culturam dicari, & honeſtis laboribus inſeruire, quando præſcriptum virtuti tempus ſæpè differtur, & vanitatibus adſignatum expromptè ſoluitur. c.1.§.17.p.5

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Otioſi foro adſtabant, vnde nullus ipſis fructus poterat promanare, aut vtilitas prouenire: verùm affectus non rarò impenditur, vnde nullus fructus percipitur. c.1.§.30.p.8.

Murmurabant. Iniquis linguis patrem abrodebant, quaſi in impertiendis denariis non tam legis duceretur æquitate, quàm affectione. Egregiè mentiti ſunt; eorum tamen diſſidium eſt ſuperioribus documentum, vt ſe æqualem procuret oſtendere, qui iurgia cupit vitare. pag.10 c.1.§.40.

Murmurabant. Rati accepiſſe offenſam, vt dolorem delinirent, recurrerunt ad linguam. Pater erat iuſtus, operarius ambitioſus: ergo, dum non aſſecutus vota, ob murmurationis quæſiuit ſolatia. Eſt enim pro ſolatio improbis iuſtorum mores carpere, vitámque abrodere. pag.11 c.1.§.45.

Amice, non facio tibi iniuriam. Blandè reſpondit, & iniquorūm ora præcluſit. Melius tibi conſules reſponſione modeſta, quàm excandeſcente iracundia. cap.1. §.76. p.16

Aduerſus Patrem familias. Qui labori reſpondens præmium acceperat, effuſus eſt in querelas; qui plus acceperat, impendiſſe non legitur gratias. Sunt namque pauci grati, plus ſtolidi. Pater de ſuo prout libebat impertiri fas eſſe oſtendit, & querelam prorſus retulit. Nullus namque de Numine iure queritur, ſi quæ ſua ſunt, pro libito dilargiatur. c.2.§.27. p.26

Miſit operarios. Non culturæ inſcios, ſed in colendis vineis exercitos. Nec mirum, cùm pater vineæ conſuleret, non de electione lucrum quæreret. Non ſemel ad munus eleuantur electi, qui muneris inueniuntur ignari. c.2.§.43.p.29

Portauimus pondus diei, &c. Qui ſtipendium accepit pondus portauit, non otio reſolutus dormiuit; muneratus colendæ vineæ inuigilauit, culturam retardare non ſtuduit: cùm aliquando ad munia exercenda muneratus negotia ſollicitet impedire, aut tardare. cap. 2. §. 54. pag.72

Ego bonus ſum. Interiori ſanctitate fulgebat, ſed iniquis linguis arroſus, eſt opinioni conſulere adniſus; quia ſatis non eſt Dei miniſtro interiori ſanctitate fulgere, ſed opus, ſuaui opinionis odore fragrare. cap. 2. §.88. p.42

Vna hora fecerunt. Vna hora fecerunt, ſed non minus ac cæteri laborarunt: ergo denario munerantur, quia præmium non debetur tempori, ſed ſudori. c.2.§.90. ibid.

Voca operarios. Operarij vocantur, vt accipiant præmium; non conſumunt tempus, vt humiliter precentur ſibi ſolui ſtipendium laboribus adſignatum. Optima namque politices benemeritum, quin ipſe exambiat, debitis præmiis exornat. cap. 2. §.112. pag.49.

Dominica in Sexageſima.
Luc. 8.

Exiit, qui ſeminat ſeminare. Qui ſeminat, munere ſuo ſatisfaciat, dum vberes à tellure fructus exambit: nam etſi vomere terram proſcindat, ſpinas reddet, non fœcundas ſegetes germinabit, ni qui ſeminandi ſortitur officium implere debet exactiſſimè miniſterium. Sunt tamen, qui velint alios fructum reddere, cùm ipſi velint otiari. c.1.§.59.p.12

Et volucres cœli comederunt illud. Quàm miſera fuit ea terra, dum acceptum à Domino electum granum obtulit ad volucrum nutrimentum; ipſo namque beneficio, quo erat ditanda, inueniebatur ſupplicio obnoxia. O quàm eſt miſerum ipſo laborare remedio, & in portu diuexari naufragio. c.1.§.61. ibid.

Et volucres cœli. Quæ debuiſſet tellus honeſto cum fœnore accepta ſeminanti reddere grana, in voluerum conuertit oblectamenta: ergo digna fuit, quæ ab hominibus calcaretur, deſpectu, & exinceps nullo nobilitaretur grano. Accepta cœlitus beneficia dignis debent prouentibus reddi, & Numinis oculis præſentari. c.1.§.90.p.18

Inter spinas. Dum granum tellus accepit spinæ non apparebant, verùm accepto iam grano eum ipso inueniuntur exortæ: *Et simul exortæ spinæ.* Sunt namque, qui pro granis spinas referant, non gratias agant. Profectò mirum erit, si qui iam assequutus, inseruiat eo modo, ac cùm erat candidatus, c.1.§.107. pag.22.

Et simul exortæ spinæ. In spinis diuitiæ adumbratæ tellurem non felicitabant, sed repungebant: dum spinæ granum suffocant, gaudium in cruciatum vertunt nam cor non implet gaudium à vanitate, aut diuitiis exortum, sed à virtutibus procreatum. cap.2.§.3. pag.23.

Exiit, qui seminat seminare. Nomen, quod gerebat actione impleuit, & honorem nominis sine rubore ostentauit; vt nouerint, qui grandia, ac magnifica nomina portant, actionibus adimplere, nec factis oppositis dehonestare. Quod nomine constant promitti & factis debet impleri. c.2.§.2.p.22

Fructus afferunt in patientia. Tellus, quæ patienter sustinuit non solùm sarculum, sed aratrum coronata est vberrimis fructibus, & miris spicarum prouentibus Patientia namque vberes fructus affert, & stabile gaudium gignit. c.2.§.5.p.23

Natum aruit. Cùm tellus fructus grato vestiebatur virore, squaluit ariditate, vt ipsa felicitas incrementaret dolorem. Est enim miserabilius semel possessis denudari quam ad possessionem non peruenire, cap.2,§.29. pag.27.

A diuitiis, & voluptatibus, &c. Cæca hominum cupiditas iniquam fert de rebus sententiam; mavult, frui euanido plausu, quàm nobili virtutum fructu. Ecce tellus, vt exundet spinis, cœlestibus priuatur granis, & maioribus priuatur crementis, dum contemnendis studet lucris. c.2.§.58. p33

Simul exortæ spinæ. Quàm esset tellus fortunatior, si spinis hoc est deliciis, diuitiisque non exundasset, quia tunc semina cœlestia fouisset infortunata fortunata existeret, quia cœlestia semina confoueret; at dum spinis plena, & virtutibus infœcunda. Plures namque coluerunt virtutem fortuna aduersa, & vitia sequuntur fortuna prospera. c.2.§.93,p.43

Et natum aruit. Tellus initio celeriter lætum protulit fructum, sed elanguit citò, quia pro alacritate successit tædium. Et quidem parum iuvat ardens virtutis studium si marceat exiguo tempore desiderium. cap.3.§.2. pag.52.

In terram bonam. Dum copiosum profert fructum, & glorioſum sortitur elogium. Bonitatis relucet encomio, quæ copioso spicarum dicatur numero. Virtutem namque comitatur gloria, & nunquam delenda fama. c.3.§.53.p.70

Dominica in Quinquagesima in festo 40. Horarum.

Lucæ 18.

Assumpsit Iesus duodecim, &c. Cùm Christus ascendit, quam dura eum maneant certamina edocet; faustis à turba acclamationibus celebrabatur, eius dignitas vel à dæmonibus prodebatur: ergo Apostolis refert, quod æmulus curia disponit. Nam qui eminet culmine, multiplici cogitur desudare certamine, c.1.§.3.p.2.

Assumpsit duodecim. Duodecim assumpsit, vt eius sequerentur vestigia, & imitarentur exempla. Turba sequebatur pascentem, sibi chariores etiam crucem subeuntem. Paucorum est virtutum ambire summa, & frequens sequi mediocria. c.1.§.8.p.3

Tradetur gentibus. Eo tempore gentibus traditus, & illusus est Christus, quo appetens agni festiuitas suadebat solicitiùs virtutibus studere, & animos expolire. Certè præscriptum virtuti tempus differtur vanitatibus adsignatum expromptè soluitur, c.1.§.17. pag.5.

Cæcus quidam, &c. Cæcus secus viam sedens clamabat, sed turba clamorem confusaneo strepitu præpediebat: locum demutans, & Christo accedens, & feruentius orans, & citiùs visum recepit. Orationi vacans locum deligat à strepitu remotum, & contemplandis cœlestibus opportunum. c.1.§.20.p.6

Ecce ascendimus. Omnes labores subeundos prædicit, & prædictos ardenter exambit; poterat viam aliorsum flectendo sibi consulere, sed maluit dilectis hominibus prouidere. Generosus amor propriis commodis non attendit, sed rei amatæ honestis lucris studet. c.1.§.31.p.8.

Iussit illum adduci ad se. Iericho ob fragrantes rosas celebri cæcum voluit renuntiare, & tempus otij orationi, vt oculos impetraret impendere: quibus facilè quod desiderabat, obtinuit. Nam qui oblectationis tempus orationi dicat, facilè assequitur, quod exoptat, c.1.§.56. p.12

Increpabant eum. Ipsa impedimenta conuersa sunt in auxilia: nam dum cæcus non cedit difficultati, energiam addidit otationi. Optatis fruitur indefessa orandi assiduitas, & infracta difficultatibus studiositas, c.1.§.66.p.14.

Illudetur. Tunc probrosiùs Christus deridebatur, cùm pro hominum salute stipiti dicabatur. Qui virtutibus inseruiunt, sæpè à mundialibus deridentur, & minus prudentes existimantur. c.1.§.69.p.15

Resurget. Ad æterna gaudia luminibus coronatus, qui sentibus fuerat transfossus. Perseueranit inconcussum gaudium, quia à virtutibus fuerat exortum. Quæ his diebus à lusu; epulisque resultat lætitia, corda non implet, quia labilis, & fucata. Cor solùm implet gaudium è virtute procreatum, non ab euanidis deliciis exortum. c.2.§.3.p.23

Tradetur gentibus. A quibus traditur? Ab ipsis profectò ad æquitatem tuendam ministris à Republica designatis, & ad dignitatum culmina euectis. Ad legis, virtutisque tutelam electi aliquando eam subvertunt auctoritate, & potentiâ abusi. c.2.§.50.p.33.& 57 pag.31.

Mendicans. In hoc cæco vult Gregorius Adamum intelligi, qui cæcus & indignus remansit ob exiguum pomi gustum. Quam fuit volaticum gaudium, & quàm diuturnum tormentum! Cæca cupiditas ob volaticam gaudij lætitiam diuturnam subit tormenti pœnam, c.2.§.95. p.44

Ecce ascendimus. Vt se Christus Dominus pro humana salute in crucis altari offerret, celeri adeò gressu viam carpebat, vt discipuli, vt alius notaunt Evangelista, in admirationem raperentur: noluit de ignaua cunctatione grande adeò obsequium aut obscurari, aut imminui. Est enim obsequij decor voluntatis promptitudo; nam qui traxit moras, offudit pulchritudini nebulas. c.3.§.13.p.55

Feria quarta Cinerum.

Matthæi 6.

Cùm jejunatis. Docet carnem ieiunis edomare, & mentem ad cœlestia disponere, præcipuè cùm mors instet: *Memento homo*, & tempus celet. O vtinam hoc tempus ieiunijs, pœnitentiæque adsignatum lucremur! Verum præscriptum virtuti tempus sæpè differtur, vanitatibus malè insumendum, quàm citò soluitur. c.1.§.17. p.5

Sicut hypocritæ. Faciem defœdantes, & capite intonso sordentes affectabant virtutem, sed amabant vanitatem O quàm erat stultum, & impendiosum ea amare, vndè nullus fructus poterat prouenire. c.1.§.30.p.8

Cum

Cùm ieiunatis. Monet ieiuniorum ttibutum virtuti soluendum, si virtutis assequi velumus præmium. Sunt namque, qui excusato laboris censu virtutis ambiant potiri fructu. c.1.§.33.p.9

Hypocritæ, &c. Quidquid à Deo hypocritæ accepe-runt ad fomenta superbiæ, & vanitatis detorquent, & bellum virtutibus virtutum vmbris inferre student. Vtinam tot non essent hypocritæ. Sunt tameu plures, qui detorquent ad tumoris fomenta accepta à Numine beneficia. c.1.§.43.p.10

Cùm ieiunatis. Carnis edocuit macerationem, salubre indixit ieiunium, vt orantes assequamur magna, & vt ipsa reformetur ciborum abstinentiâ natura. Nam carnis maceratio, & ieiunium inuictum orationi robur inspirant, & naturam mirè reformant. cap.1.§.57. pag.12.

Ne videaris hominibus, &c. Non vetat eximiis adeò virtutum fulgoribus resplendere, vt spectantium oculi demirentur, ad virtutemque alliciantur, sed euanidum plausum quærere, & volatilem gloriam ambire. Dei seruus prodi debet fulgore virtuus, non siti defœdari vanitatis. c.5.§.16.p.96

Exterminant facies. Hypocritæ adæque vani, & stulti, magno laboris censu lucere emunt inani plausu. Et quid stultius, quam volatica ambire, & magnis laboribus comparare. c.8.§.21.p.194

Cùm ieiunatis. Ieiunare monet, & angusta mensa vti non in crumenæ augmentum, sed in pauperum subsidium. Fruatur pauper, quo fraudatur venter. Nam impensa alius misericordia effugit lapsum, & imminens eludit periculum. c.2.§.31.p.27

Cùm ieiunatis. Vt patris nobilitentur filij, non ructent indigeriem ingurgitati: nam si deliciis, & palato indulgeant, filiorum amittent elogia, quia violabunt legum edicta. Et quidem sæpè legem infringit, qui deliciis palati inseruit. c.2.§.53.p.32

Vnge caput tuum. Non iubet Dominus ornatus mundicias satagere, faciem comedere, odore capillamentum fragrare, sed virtutum præmium ab hominibus non quærere. Tunc ea præcepta necessaria, sed adeò nostra tempora corrupta, vt videri possint prorsus superflua. Quandoquidem nimium floret ornatus, & capillamenti cultus. Miraculi adinstar est, si ornatus tempore aptetur, nec vanitati blandiatur. cap. 2.§.62.p.34

Pater tuus, qui videt, &c. Hominum docet conspectum fugere, & cum Deo in penetralibus agere. Sic namque dignis fruentur præmiis, aliter vrgebuntur angustiis. Cum Deo lucrosa semper commercia, cum hominibus afferre solent ingentissima damna. c.2.§.66. pag.35.

Receperunt mercedem suam. Quam mercedem? Pro ieiunio supplicium, pro lurido vultu tormentum. Quam est desperatum hypocrisis vitium: ipso remedio ægrotat, ipso medicamine infirmitas crescit. Et quid luctuosius, quàm ipso in portu naufragari, & morbum remediis ipsis augeri. c.2.§.68.p.36

Feria Sexta post Cineres.
Matthæi 5.

Audistis quia dictum est antiquis. Antiqui diligebant amicos non tamen beneficiis demerebatur aduersos. Christus ad perfectionis apicem docuit ascendere, quod insolitum, & rarum. Frequens est sequi mediocria, discipulorum Christi conari ad summa. cap. 1. §. 8. pag.8.

Vt sitis filij. Cœlestis patris in filiorum censu referri, est honorandum elogium, sed exigit patienter tolerare aduersarium. Qui non parcit hosti, à filij degenerat nobilitate. Homines verò nolunt parcere inimico, sed frui filiorum elogio. Sunt, qui excusato laboris censu virtutis exambiant potiri fructu. c.1.§.33.p.9

Diligite inimicos vestros. Sæpè non habemus inimicos sed fingimus, malè fundatis coniecturis adhibemus fidem, inuidiosis sæpè rumoribus præbemus aurem, citò accedimus opinioni, necillam arguimus. Hinc est, quòd sæpesæpius erremus, & non malè affectum, reputemus inimicum. Certum est denigrari sæpè fallacia, qui humana ducitur coniectura. c.1.§.68.p.15

Vt sitis filij patris vestri. Cùm filius sit patris imago, & cœlestis pater lucis suæ florem spargat super bonos, & ingratos, qui filij gloriatur nomine diligere debet amicos, & inimicos; nam quod nomine constat promitti, actione debet compleri. c.2.§.2.p.22

Diligite inimicos vestros. Iustitiæ cultor vindictæ occasionem fugit, immò proritante occasione se abstinet; scit humanitate inimicis impensa florere virtutem: ergo mavult Dei filij potiri gloria, quàm defœdari vindicta. c.2.§.7.p.23

Benefacite, &c. Cælestis pater facilè posset ardentia contorquere fulmina, & nihilominus solis impendit humanæ vitæ fomenta: ergo referat homo patrem perfectione virtutis, & sciat esse virtutis apicem posse vindictam sumere, & abstinere. c.2.§.8. ibid.

Vt sitis filij patris vestri. Vt est eximia virtus vltionis non perquirere solatium; sic eximium sortitur elogium. Ecce qui à vindicta abstinuit, Dei filius resplenduit. Virtutem namque comitatur gloria, & augusta apud omnes fama. c.3.§.53.p.29

Vt sitis filij patris vestri. Cælestis pater lucis suæ florem amicis, & inimicis spargit, vnde, qui eius dicuntur filij, patrem tenentur dignis actionibus æmulari: indecorum namque est nomine promittere, quod actione constat frustrari. c.4.§.3.p.71

Vt sitis filij. Honestissimum potes sitire vltionis solatium, & Dei filij feliciter sortiri elogium: si externis scilicet inimicis parcas, & animæ viuere non permittas. Animæ inimici penitus sunt delendi, & radicitus extirpandi. c.4.§.6.p.72

Diligite inimicos vestros. Qui Dei filius, & masscula virtute præditus, diligit inimicos; qui verò pusillitatis suæ est conscius, prouidenter sibi consulat, occasioneque inimicitiarum anteuertat. Est enim satius imbecilli occasiones fugere, quàm occasionibus cedere. c.4.§.31. p.81

Vt sitis filij. Filij non erunt, si vltionem suspirent, nec inimicis perpercerint; adeò verò desipiunt homines vt malint à filiorum Dei numero excludi, quam aliquo apud homines næuo aspergi. Rarus est, qui plus doleat virtute carere, quàm commodo, aut humano honore priuari. c.4.§.42.p.85

Vt sitis filij. Honorando filiorum titulo priuantur, qui iniuriarum dolorem solari imprudenter adnituntur. Negotiatio est aliquid amittere, vt maiora lucreris; sed stultè adeò negotiatores sunt aliqui, vt amittant maxima, vt lucrentur exigua; non expendunt calamitosum esse amittere solidum splendorem, vt assequantur volaticam vanitatem. c.5.§.37.p.104

Dominica 1. Quadragesimæ.
Matthæi 4.

Ductus est Iesus. Diabolus panes offert, sed offerendo tentationem instruit. Christus verò Dominus suis nos factis edocuit, non vitandum grauiori detrimento incommodum, sed aliquo incommodo grauius effugiendum damnum. Imprudentia est, culpæ ebibere detrimentum, vt temporale vites incommodum. c. 5. §.36. p.103

Et gloriam eorum. Mundialem gloriam offert, sed fallere cupit: fragile promittit vitrum, vt margaritum tollat pretiosum; repulit Dominus fraudulentum, & ostendit calamitosum esse dæmoni inseruiendo volati-

cum

cum quærere splendorem,& charissimam emere vanitatem. c.5.§.37.p.104

Si cadens adoraueris me. Ipse dæmon mendaciorum artifex eius in obsequio casum non negauit,nec quantumvis fraudulentus potuit occulere. Eius adorationi concarnatum casum asseruit : *Si cadens adoraueris me*, & ipso nos dolo edocuit, euanidam, fugitivámque gloriam misera compensari ruina, & indecora miseria. c.5.§.49. p.108

Et accesserunt Angeli. Dum Christus Dominus recusat oblatum panem,& indignam non præstandam edocet adorationem, se Dei filium ostendit. Homines namque frequenter plus curant corporis commodis prouidere,quàm animæ periculis obuiare.cap.5.§.56. pag.111.

Vade Sathana. Diu tentatorem sustinuit, eius semel, & iterum congressum ad nostram eruditionem dissimulauit; sed cùm ipsa Domini patientia incrementaretur procacia, & cresceret insolentia, æternis tentatorem amandauit flammis, & morituris numquam addixit pœnis. Vt nouerint Numinis patientia abusi incrementare sibi miseriam,imminéreque grauissimam mulctam. c.5.§.58. ibid.

Hæc omnia tibi dabo. Quid proderit multis commodis, ac deliciis frui,si Deo careas,& dæmoni inseruias. Temporale gaudium semper volaticum, quod sequitur, supplicium æternum : ergo docuit Christus satius esse fame adurgeri, quàm dæmonis adoratione fœdari, vt prudens Domini exemplum sequutus noverit satius esse duris laboribus adurgeri,quàm sceleribus defœdari. c.6.§.2.p.114

Accesserunt Angeli. Noluit Dominus volaticis ostensis gaudiis,& à dæmone oblatis violare ieiunium, vt eius imitaremur exemplum. Quid tunc : Angeli accedunt delicatam mensam apponentes,& triumphum Domini conclamantes. Disce amouere oculos à volaticis, & terrenis, & perfrueris gaudiis, & solidis, & perfectis. c.6.§.65. p.140

Et illi soli seruies. Soli Deo est inserviendum, & totis nisibus famulandum : sunt tamen, qui ita inserviant virtuti, vt obsequantur etiam vanitati: Videntur Deum obsequiis promereri, sed culpis probantur immixtis exasperare. c.6.§.69.p.141

Hæc omnia tibi dabo. Hæc plures homines tentatione capiuntur. Vident vitiorum vernulas salute florere, prospera fortuna vti, honoribus exundare, & quam debuissent deplorare miseriam, faustam existimauere fortunam. Solida felicitas à virtute solùm nascitur, & sæpè qui dæmoni obsequitur,bracteata felicitate floret, & commodis viget. c.6.§.76.p.144

Et gloriam eorum. Ostendit dæmon, quibus artibus mundiales gloriam fuerint assequuti,& honores nacti; si possit ariete pessimi exempli virtutem euertere,quàm ieiuniis, austeritatéque aspiciebat communiri. Et quidem facilius prauis exemplis corrumpimur, difficulter optimis reformamur. c.6.§.78. p.145

Hæc omnia tibi dabo. Fabri humana opinione filium ambitiosis spebus allicere adnititur,& status sui limites transgredi persuadere conatur; quod ingentissimum plurimis periculum est: nam dum status, conditionísque suæ obliti ad altiora inuolanere ambitiosi, & culpis grauissimis inueniuntur infecti : ingens sibi solicitauere periculum, qui status sui, & conditionis transgredi voluerunt modum. c.6.§.85.p.148

Hæc omnia tibi dabo. Pro tanti muneris gratitudine indigna adorari postulat veneratione, & licet à Domino seuera fuerit repulsa abactus,à plurimis eiusmodi promissis inuenitur excultus. Malunt namque homines virtute carere, quàm diuitiis, & commodis denudari. c.6.§.106. p.156.

Feria 4. post Dominicam primam.

Matthæi 20.

Magister, volumus à te signum videre. Magistri honore inescant, vt eorum votis annuere quodammodò cogant. Si eorum voluntati aduletur,magister erit optimus, si refragetur, asperrimus; quod sæpè Prælatis, superioribusque videas accidere : Optimus deprædicabitur à subiectis superior, si eorum assequatur vota; asper,& rigidus,si compulerit ad honesta.cap.6.§.105. ibid.

Signum non dabitur ei. Offerebant : qui accesserant, plausum, & deprædicabant ad speciem Domini magisterium : *Magister, volumus.* Christus vero concionatorum, ac Prælatorum idea dato Ionæ signo docuit, Prælatum non quærere sibi plausum, sed verum subiectorum, audientiúmque commodum. cap.7. §.16. pag.163.

Et ecce plus quàm Ionas hic. Ad Ionæ prædicationem salubrem Niniuitæ arripuerunt pœnitentiam, & Hebræi Christo Domino prædicante pertinacem fouebant semper malitiam: verùm etsi fructus non responderet, non destitit Dominus salubri eos eruditione admonere, & viam veritatis prænonstrare : docens Prælatos concionatoréque admouendam semper admonitionis medelam, etsi indurari nonerint pertinaciam. c.7.§.15. ibid.

Pœnitentiam egerunt. Niniuitæ salutem consequuti sunt, Deumque sibi conciliarunt, quia dignam pœnitentiam egerunt, Deum namque sibi facilè conciliat pœnitentia integra,& circunstantiis perfecta.c.7.§.32. pag.168.

Magister volumus. Ore videntur Christo inseruire, sed cordibus à Christo inueniuntur discordare : *Generatio mala, & adultera.* Sibi ipsis imponebant exteriùs deuoti, interius cupiditatibus sordidati : ergo à Domino sunt digna seueritate reprehensi, quia parum iuvat exterius virtutibus inseruire, si interius contigerit discordare. c.7.§.40.p.170

Sicut fuit Ionas. Quam Ionas Domino reluctans subierit pœnam, adducit Dominus in memoriam, si fortè alienum supplicium eorum fuerit contumaciæ remedium; & quidem fuisset remedium, si prudentiæ admisissent consilium. Nam strages aliis ob culpam illata prudentibus est contra appetitum medela. cap.7. §.43. ibid.

Et ecce plus quàm Ionas hic. Illaturus supplicia, ostentat se protulisse repetita adhortamenta; vt omnibus constet asciuisse sibi calamitatem, dum salubrem aspernantur admonitionem. Et quidem non semel deperit miserandus, qui delinquit sæpesæpius admonitus. c.7.§.54. p.173

Inuenit eam vacantem. Christus Dominus pro sua pietate truncem dæmonem expulerat, & obsessum à captinitate misera liberarat; verùm grauius incurrit detrimentum obsidione tyrannica liberatus,dum refertur prorsus vacans,& ignauia resolutus. Vt floreat consummata victoria,opus est cœlestis militet prouidentia & ne humana torpescat industria. c.7.§.74.p.179

Cùm exierit. Exierat dæmon, sed homo contentus est ea obsidione liberari, non tamen virtutum induit arma,vt fugientem posset persequi,& quàm longissimè abigere; ergo hostis pugnam instaurauit validior, & homo corruit miserior,quia non est satis hostem fugare sed opottet persequi,& vincere. c.7.§.75. ibid.

Inuenit eam vacantem. Vt vidit dæmon mentem, à qua fuerat expulsus, incuriosè succinctam,immò vigilantiæ armis nudatam in campum rediit,& vicit. Liberatus homo Dei beneficiũ non honorauit,sed incautus obdormiuit. Profectò inimici vires enernat,qui semel liberatus,omne periculũ propulsare adlaborat.c.7.§.80. p.181.

Tunc

Tunc vadit. Qui dæmonem semel vicit felici triumpho coronatus, inuigilare debet studiosè solicitus: nam humani generis hostis plus accenditur, dum extinguitur: Ecce tunc vadit, & vires colligit, cùm abigitur: *Tunc vadit, & assumit*, &c. De more est dæmoni plus accendi, cùm agnoscit solicitiùs virtutibus impugnari. c.7.§ 83.p.182

Volumus à te signum videre. Eò tendebant horum vota, teste D. Thoma in Catena, vt fulgura coruscarent & tonitrua mugirent. Christus verò euanida exhibere noluit prodigia, immò carpsit non duratura exambire & solùm oculos oblectantia desiderare. Amentia est ambire volatica, & solicitare non sine labore nociua. c.8.§.21. p.194

Feria 6. post Dominicam primam.

Ioannis 5.

Erat dies festus Iudæorum, &c. Ad festiuitatem ascendit Christus, non vt sensus oblectaret, sed vt miseris subueniret. Templum petiuit, non sitiens conspici, sed mederi. Non semel templum aditur, vt oculis & voluptati inseruiatur, c.1.§.19.p.6.& §.42.p.10

Triginta & octo annos habens. Constanti patientia tulit morbum, & ipsa patientia Christi allexit oculos ad remedium *Hunc cùm vidisset Iesus.* Constans patientia est doloris delinimentum, immò calamitatis exilium, c.1.§.46.p.11.

Non licet tibi tollere grabatum. Vt obediret Deo grabato humerum subijciebat sed, Sacerdotes, qui debuissent ea in obedientia firmare, instanter conabantur auertere. Occasionem præbet aliquando à Domino recedendi, qui esse causa debuerat approximandi. c.1. §.72.p.15

Qui me sanum fecit. Votis compos benefactorem honorauit, & in obsequendo perstitit: cùm sæpé mirum sit, si pareat, votum assequutus, vt parebat candidatus. c.1.§.107. p.21

Triginta in octo annos. Post longa adeò spatia videbatur salus prorsus desperata, & tamen attulit medelam diuina misericordia, vt à corporis infirmitate ad animæ ægritudinem transferamus documentum. Nullus desperet inueteratis vitiis infectus, nec superbiat virtutibus eximiis floridus. c.2.§.19. p.25

Hunc cùm vidisset Iesus. Cùm plures ibi infirmitatibus illigarentur, & huic soli impertitus fuerat Dominus sanitatem, non video alios exasperatos, aut querulos. Nã cùm res propria Domini sit salus, cui voluit impertiuit. Nullus de Deo iure queritur, si, quæ sua sunt, pro libito dilargiatur. c.2.§.2.p.26

Tolle grabatum. Salutem accepit, sed cum obligatione ferendi grabatum, & diuinum adimplendi præceptum. Sunt qui muneris recusent onera, cùm sitiant lucra. c.2.§.45. p.30

Hominem non habeo. Vtinam homines non habuisset, ab eis namque remotus ad tam diurnum morbum non deuenisset, cum Deo modò agens amissam recuperauit salutem, contraxit cum hominibus conuersatus languorem. Cum Deo agere semper lucrorem affert conuersare cum hominibus sæpé dispendiũ, c.2.§.66.p.25.

Hunc cum vidisset Iesus. Triginta & octo annos infirmitate pressus à Domino meruit videri, qui vegeta salute vtens, fortassis non mereretur spectari. Aduersa fortuna fuit schola virtutis, & extitisset fortè prospera prauitatis. Plures aduersa fortuna pressi virtutibus inseruierunt, vsi prospera, à rectitudine deuiarunt. c.2. §.92.p.43

Quis est ille homo, qui dixit tibi. Duo dixerat Paralyticus, salutem indidisse, & grabatum tollere imperasse verùm æmuli silentio præterierunt prodigium, & ferri sunt calumniati grabatum. Nam inuidus perspicacibus oculis spectat quidquid adnotam, & ignorat quidquid ad famam. c.3.§.8.p.53

Et sustulit. Vt accepit sanitatem, in obsequendo affectauit prõptitudinem. Profectò obsequij decus est animi promptitudo, nam quitraxit moras, offudit nebulas. c.2.§.13.p.55

Inuenit eum Iesus in templo. Iterum Christus Paralytico approximauit, & denuò instruxit. Exprompta paralytici obedientia salutem firmauit, & sibi Deum adesse proximiorem ostendit. Quò expromptiùs obedimus, proximiorem Deus nobis adesse non dubitamus. c.3.§.24. p.60

Dominica 2. Quadragesimæ. *Matthæi* 17.

Assumpsit Iesus Petrum, &c. In montis apici fulgoribus exornatus, eximiisque virtutibus resplenduit excultus corruentes erigens, de passioneque differens plus quam homo probabatur, cùm rarus sit, qui dignitatis, fortunæque culmine elatus eximiis fulgeat virtutibus expolitus. c.1.§.1.p.2

Resplenduit facies eius, &c. Vbi eximiis fulgoribus radiauit, de passione disseruit: inuidia namque optimis telum, in campum producit contra prælucentes odium. Qui resplendet culmine, multiplici cogitur desudare certamine. c.1.§.3.ibid.

In montem excelsum. Vt magni æstimarent visionem mons fuit superandus, & clivus asper vincendus Vt hinc geminum nonis promanauerit documentum. Primum, ad Dei gloriam sine arduis laboribus non peruenirì: secundum, nil ni constet difficultatibus, æstimari. c.1.§.16.p.5

Assumpsit Petrum. Vbi cœlestis vox audienda erat, non solùm Chtistus adsuit, sed & alios secum duxit. Vt doceat virtutum studiosos non solùm colere, sed ad honestatem alios inuitare. c.1.§.18.ibid.

In montem excelsum. Montem delegit editissimum, vt oraret, & orans, solari luce resplenduit. Quò à creaturis remotior, cœlesti luce micantior. Ergo suis factis edocuit, deligendum orationi locum à strepitu remotum, & contemplandis cœlestibus opportunum. c.1.§.20. p.6

Tetigit eos. Radios contraxit, vt lapsos erigeret; maluit, quàm radiare, indigentibus subuenire. Generosus amor propriis cómodis non attendit, sed rei amatæ honestis lucris studet. c.1.§.31.p.8

Faciamus hic tria tabernacula. Ad illam gloriam deueniendum erat per crucem. Petrus verò amabat iucunda, & respuabat laborioſa. Plures sunt, qui exambiant potiri virtutis fructu, excusato laboris censu. c.1. §.33. p.9

Sicut sol. Sol constantiâ præditus, varietatibus, lunæ adinstar; nullatenus inuenitur obnoxius: ergo solaris splendor è virtute promanauit: solida namque fortuna est, quæ constat virtutibus; infirma, quæ sæculis innititur splendoribus. c.2.§.17. p.25

Bonum est nos hic esse. Petrus, qui nauim piscibus exundantem generosè deseruit, hic angusto tabernaculo, & substricto papilione cum Domino permanere exambiuit. Et quæ huius discriminis causa est? Quia ex diuitiarum copia gaudium futile, & volaticum, ex Christi consortio plenum, & firmum. Cor solùm implet gaudium è virtute procreatum, non à deliciis vanissimis ortum. c.2.§.3.p.23

Loquebantur de excessu. Aliquod excogitauit Christi amor, vt pro hominibus plus pateretur, scilicet splendida luminum pompa radiare, & infamem postea crucem subire. Miserum est infortuniis vrgeri, sed miserrimum à florenti fortuna ad sordidam, & obscuram transire. c.2.§.18. p.25

Petrum, & Iacobum, &c. Elegit non terrena affectione ductus, sed suffragiis meritorum suasus culminibus collocandos. Et quidem qui non ducitur meritis, sed affectionibus, vt ad dignitates deligat, sibi inuidet, & electis etiam nocet. c.2.§.96.p.44

Petrum, & Iacobum. Qui ad montis fastigium euecti, ambitiosis solicitudinibus non curarunt elenari, immò Euangelista notanter à Christo exprimit, duci: *Assumpsit*, &c. Dum dignos, benemeritosque, quin ipsi solicitent, deligit, mirè electores instruxit. Optima namque poltices benemeritum, quin ipse exambiat, luminibus dignitatum exornat, c.2.§.112.p.49

Feria 4. post Dominicam secundam.
Matthæi 20.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, &c. Mater, dum anxiis votis filios fortunatos resplendere anhelat, adiungere Christi lateri studiosè adlaborat. Vt hinc noscamus, familiæ, domusque splendorem, anchora virtutum fundari, flatibus vitiorum euerti, c.2.§.111.ibid.

Accepit. Qui ad montis cacumen duxerat, quin ipsi solicitarent, modò ipsis petentibus denegat, quia vltra vires audebant præsumptione inflati, aut ambitione superbi. Qui cæca ad eligendum affectione ducitur, sibi, & electis imprudenter aduersatur, c.2.§.96.p.44

Duo filij mei. Laudanda mater, quæ filios Christo adiungere solicitabat; nec humanis commodis incrementare studebat. Frequenter parentes solicitius curant facultatibus adaugere, quàm filios virtutibus expolire, cap.2.§.97. p.45

Vt sedeant. Christi lateri adhæreant, vt inuariata fortuna effloreant. Nouit mater approximare Christo esse solidum felicitatis fulcrum, distare, felicitatis naufragium. Profectò dignitatis culmen virtutibus suffulcitur, vitiis citissimè euertitur, c.2.§.100.p.46

Nescitis quid petatis. Regnum Christi arbitrabantur temporale, teste D. Thom. in Catena, & nihilominus, vt possiderent dignitatum culmina, sæua subire non auersabantur tormenta. *Possumus.* Ergo imprudentes audiunt, dum cæca cupiditate exiguum mercantur lucrum, & grauissimum adeunt tormentum, cap.2.§.95. p.44

Vt sedeant. Ambiebant dignitatem, vt otio indulgerent, non vt strenuis laboribus desudarent. Frequens est enim omnibus celsa ambire, non tam vt satisfaciant obligationi, quàm vt indulgeant inertiæ, & studuerint cupidini, c.2.§.94.p.43

Vt sedeant. Teste Angelico Doctore in Catena, prima loca anhelabant, quia præferri sibi Petrum extimescebant: ergo subeundum calicem audiunt. Profectò liuor salutis est tinea, & acerbæ sæpè mortis est causa, c.2.§.105. p.47

Duo filij mei. Sedula mater Christum Dominum sequuta, & eius obsequio addicta filiis exigebat præmia. Certè parentum merita in filiis debent remunerari, & in præmio relucere, c.2.§.114.p.90

Duo filij mei. Mater de Christo benemerita filiis procurabat dignitatis fastigium: Christus, vt remuneraret matrem, calicem promisit amarum. Est enim eximium parentis præmium filius virtutibus expolitus, & concinnis moribus exornatus, c.2.§.115.ibid.

Nescitis. Mater indebitum filiis honorem solicitabat, sed muliebri errore ducta nocere filiis ipsa, petitione nesciebat. Quandoquidem solicitare indigno honorem indebitum, est maturare miserum casum, cap.5. §.19. p.97

Accessit adorans. Hæc eadem mater, dum Christus Dominus cruce penderet, à longè spectasse refertur, modo approximat obsequiosa, & venerabunda. Et quæ discriminis ratio: Vtilitatis spes; nam ni spes, timorvè suadeat, nec penditur cultus, nec plausus, cap.5.§.29. p.101

Possumus. Temporale regnum arbitrabantur, & nihilominus splendorem toto calice emere non dedignabantur: ergo inscij, imprudentesque audiunt. *Nescitis.* O quàm nos fallit nostra cupiditas! quandoquidem euanida, fugitiuaque gloria, emi, & compensari solet grauissima angustia, c.5.§.49.p.108

Feria 6. post Dominicam secundam.
Matthæi 21.

Plantauit vineam. Plantata vineâ, agricolisque locatâ, Dominus peregrè profectus est: ergo deliquerunt agricolæ inertiæ indulgentes, aut vineam dispoliantes. Profectò superiores oculi vires inspirant, & calamitates eneruant, c.7.§.55.p.136

Auferetur à vobis, & dabitur genti facienti fructus suos. Vt agnouerunt durum delinquentium supplicium, fructum obtulerunt copiosum aliena calamitate eruditi, & strage miseranda commoniti: nam luctuosa aliorum strages cogit quodammodo respicere, & se ad meliora transferre, c.7.§.12.p.162

Ædificauit turrim. Ea solicitudine vineæ prouidit, vt seps arceret bestiarum ausus, & turris inimicorum adsultus. Cúmque in vinea denotetur anima, edocuit, ea solicitudine custodiendam, vt hostis nil tentet furari immò nec præsumat accedere, c.7.§.8.p.161

Cùm autem tempus fructuum. Instabant tempora, vt tributum Domino solueretur, sed ignauia distulit, immò ingratitudo prorsus denegauit. Si tempus esset oblectamentis designatum, nullatenus differretur tributum, ne amitteretur volaticum gaudium. Certè præscriptum virtuti tempus sæpè differtur, vanitati citissimè soluitur, c.1.§.17.p.22

Locauit agricolis. Vineam acceperunt, vt solicito sudore culturæ insisterent, & debitos Domino fructus penderent. Agricolæ verò ambierunt potiri fructu, & soluere renuerunt censum. Plures inuenias, qui excusato censu, virtutis exambiant potiri fructu, cap.1. §.33. p.9

Cùm autem tempus fructuum. Sibi inuiderunt, qui accepta beneficia ingratitudine defædarunt. Si fructum expromptè soluissent, nouum sibi beneficium comparassent: nam qui gratus, ad accipienda vlteriora beneficia probatur dignus, c.1.§.87.p.18

Cùm autem tempus. Pessimi illi vineæ cultores plus satagebant sibi rapere, quàm censum Principis adaugere. A vitibus euellebant fructum, & Principi non reddebant, sed suis vtilitatibus applicabant. Aliquando inter Reipublicæ administros inuenitur, qui studeat sibi diuitias acquirere, non ærarium Principis adaugere, c.2.§.47.p.30

Locauit Agricolis. Quo maiori eos munificentiâ honorauit, ingratitudinis culpa fuit grauior, & merita pœna acerbior. Ampliſſima, fertiliſſimaque vinea potiti, nec racemum obtulerunt Domino ingrati: Ergo caruerunt vinea, & digna attriti sunt pœna. Nam quantò indulgentior, profusiorque resplenduit beneficientia, tantò grauior ingratitudinis apparet culpa, & tantò acerbior infligitur pœna, c.7.§.95.p.186

Auferetur à vobis. &c. Gens. quæ post punitos durè agricolas vineam accepit, expromptè, & exactè tributum persoluit: esset enim amentia eorum sequi exempla, & horrere supplicia. Prudentibus aliorum scandala sunt ad ruinam euitandam efficaciſſima adhortamenta, c.7.§.4.p.160.& 12.p.162

Locauit agricolis. Videbantur agricolæ, sed erant hostes; aliud nomine promittebant, & aliud actionibus demonstrabant. Ab eis & vinea ablata, & pœna inflicta. Parum iuvat exteriùs virtutibus inseruire, si interiùs cõtigerit discordare, c.7.§.40.p.170

Dabitur genti Non solùm fortunata fuit gens, qui vineam obtinuit, sed quia post detestandos antecessores susceperit. Eorum supplicium fuit successoribus documentum, & de aliorum improbitate aliorum probitas plausibilior. Pars fortunæ est odioso antecessori succedere, si studeas eius actionibus contraire, c.7.§.4.p.160

Hic est hæres. Cùm Deus ad speciem aberat, aliqua agricolis spes salutis affulgebat: ast cum præsente hærede plus exarserunt, durissima supplicia imprudentes adegerarunt. Est enim non ferendum delictum Christi maiestatem contemnere, & in eius oculis audacter delinquere. c.2.§.81.p.40

Dominica 3. Quadragesimæ.
Lucæ 11.

Erat Iesus ejiciens dæmonium. Eo Deus amore erga homines inardescit, vt licèt homo transfuga ab eius castris in aduersarij castra transierit, & quærat, & faueat. Ecce homo Christi inseruit aduersario, & nihilominus misericordiæ succurrit auxilio. Sic Deus hominem amat, vt passus offensam, solicitet amicitiam. c.6.§ 3. p.115

Erat Iesus. Notanter Euangelista apposuit illud Verbum *Erat*, vt dum prodit Christi laboriosam luctam, hominis publicet prauitatem altissimè inuiscerat. Non poterat non esse Christo labori anxio, qui ferè omnia membra tradiderat hosti peruerso. Virtutis alumni, si humana fragilitate contingat delinquere, citò satagunt culpam detergere. c.6.§.1. p.114

Et illud erat mutum. Non solùm iste homo refertur mutus, sed apud alios Euangelistas & cæcus. O quàm tetris tenebrarum voluminibus inuoluebatur, qui inseruiebat dæmoni, à quo non accipiebat gaudia, sed cruciamenta. Extrema necessitas erat inseruire, & pati. Quam excusationem afferet incommodis ob scelera afflictatus, & sceleribus contumaciter addictus? cùm satius sit, si Deum habeas, duris laboribus adurgeri, quàm, si careas, multis commodis exundare. c.6. §.2. ibid.

Locutus est mutus. Qui antea mutus, iam doloris verba profert, & ad confessionis medelam currit. Non potuit dæmon perseuerare, vbi non erubuit homo confiteri. Est namque pœnitentia non solum peccati excidium, sed calamitatis remedium. c.6.§.16 p.120

In Beelzebub. Æmuli miraculum intuiti, vt liuori suo adularentur, incantamentum sunt suspicati. Maluerunt quàm oculis credere, suspicionibus vanissimis fidem præstare. Sunt, qui, vt improbis affectionibus adulentur, contra euidentiam inanibus coniecturis ducantur. c.6.§.6.p.116

Et illud erat mutum. Admisit homo corde vitium, sperans ex vitio prouenturum sibi gaudium, & sustinuit durum tormentum: vt constet inde sæpè procrari tormentum, vnde sperabatur gaudium. c.6.§.25. pag.123.

In Beelzebub. Miris Christus Dominus effulgebat virtutibus, & nihilominus æmuli iniquis denigrare aggressi sunt suspicionibus: fulgurabant miracula, suspicionis nulla apparebant indicia: æmuli verò non ignari, quàm facilè vulgus rumori accedat, miraculum infamarunt incantamentum. Minus aliquando prodest euidens virtus ad famam, quàm suspicio inanis ad notam. c.6.§.42.p.130

Erat Iesus. Ipsam Christus dæmonis possessionem inuadit, & tyrannidem depellit, linguarum contempsit procaciam, vt solueret muti linguam. Eximia namque virtus in ipsa vitiorum ditione ea inuadit, & feliciter vincit. c.7.§.3.p.160

Erat Iesus. Vt nobis existeret in reducendis peccatoribus norma, citò ab incepto opere Christus non destitit, sed diù perseuerauit; quod adnotasse videtur Euangelista illo verbo, *Erat*, quasi fuerit pugna prolixa, latisque laboriosa, vt nullus desistat salubriter admonere, etsi videatur diù sine fructu laborare. c.7.§.15. pag.163.

Locutus est mutus. Statim ac soluta lingua, Christo egit gratias, quod rapuit in admirationem turbas: *Et admiratæ sunt turbæ.* Non tam videntur obstupuisse ob miraculum, quàm ob expromptum gratitudinis officium. Sanè lentissimè procedunt virtutes, augentur citissimè prauitates, cap.7.§.13.ibid.

Loquutus est mutus. Diabolus ab hominis taciturnitate procurabat subsidium, & miseriæ complementum. Peccator, dum improbo silentio, ne fateatur culpam, sigillat ora, luctuosissima adaggerat sibi damna, quia sæpè adsciscit mortem citius taciturnitate. quàm crimine, c.7.§.36.p.169

Loquutus est mutus. Adeò expeditè, & promptè, vt nullus tanto impedimento fuisse linguam illigatam agnosceret, aut ex loquendi modò coniiceret, in quo imitandum peccatoribus exhibuit exemplum. Culpæ sordes sic pœnitentia detergat, vt nec indicium anteactæ vitæ relinquat, c.7.§.39.p.170

Feria 4. post Dominicam tertiam.
Matthæi 15.

Accesserunt ad Iesum, &c. Apostoli, quia virtutum radiabant lumine, multiplici insidiarum impetuntur certamine. Liuor, quin impediuerit interuallum, cæca perspicacia, & perspicaci cæcitate vidit manus non lauare, & est criminatus sordere. Nouerit, qui dignitatis aut virtutis resplendet culmine, multiplici impetendum certamine, c.1.§.3.p.2

Non lauant manus. Apostolos insimulant sordidis manibus traditiones infringere, & aliis licentiam delinquendi præbere. Falsissima fuit calumnia, sed ex calumnia erui potest veritas certa, scilicet superioris cupiditatem nutrire audaciam, & esse delinquendi licentiam. c.1.§.5.ibid.& seq.

Non lauant manus. Opponebant corrigendis culpis designatos non posse carpere, quia manibus constabat sordescere. Hoc Apostolis crimen obiectum, fuit æmulorum delirium, esse tamen potest vtilissimum documentum. Labia scilicet superiorum ad corrigendum claudi, si contigerit cupiditatibus pollui. c.1.§.22 p.6

Quare discipuli tui. Vbi Christi fatebantur discipulos & publicis obtrectationibus aggressi sunt infamare, se magno crimine ostenderunt infici. Quandoquidem Sacerdos ob dignitatem debet suspici, etsi contigerit aliquibus maculis denigrari. c.1.§.21. ibid.

Quare discipuli tui. Certè discipuli dignitatem suam obscurassent, si infecti eis maculis sordiissent. Æmulatio, Scribarúmque improbitas eam in Apostolis criminata est culpam, quæ popularem conciliare posset inuidiam. Minister namque Reipublicæ, si manibus appareat pollutus, redditur cunctis odiosus, & non semel luget dignitatis infulis denudatus. Expendebat Reipublicæ minister sibi inuidere, si rapinæ, aut intemperantiæ diuulgetur inseruire. c.1.§.23.ibid.

Quare discipuli tui. Videbant Pharisæi Christi discipulos miris virtutibus refulgere, & aggressi sunt iniquis linguis abrodere. Iniquis pro solatio est iustorum mores infamare, & nebulas luci offundere. c.1.§.45.p.11

Non lauant manus. Christi ministros infamabant, & pollutis manibus sordere asserebant. Non conquesti sunt de Christo, sed de eius ministris conquesti sunt. Confixerunt æmuli quid criminarentur, docuerunt tamen ita aliquando ministros manibus sordere, vt opus sit plus ipsis, quàm superiori largiri. c.1.§.100.p.20

Non lauant manus. Christum Dominum, Apostolosq; cùm antea plausibus celebrarint, & Dominum magistri elogio honoratum sæpiùs protulerint, modò iam abrodunt, & celebri opinione denudare contendunt. Et quæ huius discriminis causa est? Quia in obseruandis traditionibus ab eorum sententia discordabat, & dissentiebat. Anteà plausibus extollebant, modò quia ab eorum sententia discrepabat, liuido dente infamari apud populum satagebant. Nam qui à sententia nostra discordat, liuor sæpesæpius infamat. c.9.§.56.p.245

Quare & vos transgredimini ? Cùm intendere debuissent legum obseruationi, studebant cupiditati. Nil mirum si populares suis commodis indulgerent; cùm autem hi essent de Scribis, & Pharisæis, grauiori reprehensione erant digni, vt qui lucris inhiarent: quod eo Verbo Christus expressit: *Quare & vos.* Nec enim adeò indecorum est, cæcos, popularesque vitio inseruire, quàm Deo dicatos, & perspicacia præditos cupiditatibus famulari, c.11.§.13.p.255

Non lauant manus. Parùm reapse nocebat, quod candicarent manus, aut sordescerent; verùm si esset culpa traditionibus contraire, citò fortasse auderent præcepta violare. Per partes venitur ad totum, & quæ priùs scintilla, transit aliquando in incendia. Sæpè inimicus, vt grauia attulerit detrimenta, satagit impetrare à nobis exigua, c.11.§.16.p.257

Quare & vos. Acri Christus eos supercilio ferit, & diuino zelo carpit, vtpote qui, vt de victimis manducarent, sumptuosius legem interpretabantur iniquius: ergo imitanda est Christi ira magnates carpens, & communi vtilitati prospiciens, c.11.§.28.p.261

Quare & vos. Arcano silentio ora Christus Dominus signarat, nec, quod modò carpit, illis obiecerat: iam cupidos prodit, & diuinas leges cupiditate proculcasse acriùs reprehendit. Profectò qui Dei tolerantia, & patientia abutitur, grauius carpitur, & punitur, c.11..§.20. p259

Feria 6. post Dominicam tertiam.

Ioan.4.

Fatigatus ex itinere. Fatigatus mulierem spectat, quæ tradita voluptati æstum solis sustinebat, & de profundo puteo, vt aquam hauriret, laborabat. Multa opus fuit mulieri sæculo tributa pendere, quia inceperat voluptatibus inseruire, c.11.§.3.p.252

Haurire aquam. Candente sole ad puteum tendebat mulier, vt hauriret aquam, qua sitim extingueret; sed quæ aquæ ambitiosa, salutis animæ prorsus oblita. Vt audiuit posse à Domino aquam, qua non sitiret, accipere, statim petit: *Da mihi hanc aquam.* Cùm audiuit de religione differentem, in futura tempora misit. *Scio quia Messias venit.* Profectò temporalibus incommodis solerter prouidemus, vitia expungere negligimus, c.11.§.72.p.53

Venit mulier. Quæ voluptati inseruiebat, hydriæ humeris sublatæ labore premitur, & nomine honoris, titulo denudatur: nec sine causa nomen tacetur, & itineris candente sole labor explicatur: nam hæ libidinum victimæ acri premuntur dolore & obscurantur etiam dedecore, c.11.§.8.p.254

Venit haurire aquam. Voluptatis, vt placet Augustino in Catena, siti adusta, & quia Samaritana (negabant enim aliam vitam) æternitatis prorsus oblita. Ab eadem radice oriebatur futura non meditati, & temporalia sitire. Nil studiosius dæmon exambit, quàm vt obliuiscaris cælestia, & suspires tẽporalia, c.11.§.9.ibid.

Venit mulier. Aliqualem babebat excusationem, dum vera fide carens inseruiebat vitiis, nullam habet, qui veram fidem edoctus mancipatur peccatis. Non adeò reprehensibile est, cæcos vitia sectari, ac perspicacia præditos cupiditatibus inseruire, c.11.§.13.p.255

Venit mulier. Christus Dominus sedebat, etsi fatigatus: mulier non sedit laboribus semper attrita, & laboriosis itineribus dilassata. Et quomodò posset quiescere, quæ voluptatis dedititia aquam festinabat haurire? Quos dedititios sibi suscepit voluptas, nunquam permittit otiari, quia opus est continuis anxietatibus distorqueri, c.11.§.15.p.256

Sedebat sic. Fatigatus sedebat, sed felici labore, & laudanda solicitudine. Pastor erroneam quærebat oniculam: ergo erat ipsa fatigatione beatus. Est namque felix labor, quo pietati inseruis, & munus impleas, c.11. §.29. p.261

Fatigatus ex itinere. Christus Dominus itineris pulueren non recusat, & solis æstum candentis tolerat; vt mulierculam à voluptatibus auellat, & salutem ad virtutem translatæ afferat. Vt Christi discipuli eius exemplum secuti nullum detrectent laborem subire, si quinerint saluti hominum prouidere. Christi discipulus exambit laborem, vt afferat animabus salutem, c.11.§.44. p.266

Domine, da mihi hanc aquam. Cùm vidit indignum, egentem, aiebat: *Quomodò tu*, &c. cùm crystallinis laticibus præsumpsit copiosum, iam Dominum vocat: *Domine*, &c. Morem hæc mulier sæculi expressit: nam apud sæculum plus fortuna attenditur, quàm persona, cap.11.§.52. p.269

Discipuli autem abierant, &c. Christus superiorum norma discipulos abesse voluit, cùm mulier aduentauit, exprobraturus erat ei delicta, vt traheret ad virtutem, sed exprobrare voluit sine testibus, ne innubilaret honorem. Vitia correxit, & honori consuluit, edocens superiores, vt non solùm curam agant reducendi animas ad virtutem, sed etiam seruandi honorem, cap.11. §.56. p.271

Quinque viros. Diù voluptatem sine fastidio sitiuit, virtutem horruit. Quàm citò si virtutis viam ingressi sumus, deflectimus, quàm pertinaciter vitiis insistimus. Post quinque viros adhuc perseuerabat; nam virtutes citissimè fastidimus, vitia prolixis temporibus conseruamus, c.13.§.3.p.300

Petiisses ab eo. Allexit promissis, traxit verbis humanitate defluentibus, fallentibus quodammodò medicinis ægrotanti subuenit: paruit mulier, quia morigera. Vt nouerint superiores non terrore morigeros percellere, nec blandis contumaces curare, c.13.§.19. p.306

Dominica 4. Quadragesimæ.

Ioannis 6.

Abiit Iesus trans mare Galileæ. Turbæ Christum Dominum sequebantur, quia videbant ægrotos morbis liberari, & cælesti sequentes doctrinâ eruditi. Vbi spes allexit, nec maris fluctus, nec deserti horror impediuit, aut ab incepto itinere retardauit. Virtutem sequimur, dum spes arridet læta, deficimus, si appetat calamitas dura, c.13.§.29.p.309

Quia videbant signa. Non sequebantur, quia miris radiabat virtutibus, sed quia depulsis restituebat salutem infirmitatibus. Non tam attendebant qualis esset, sed quantùm posset. Nam de sæculi more non tam personam sequimur, quàm fortunam, c.13.§.30.p.310

Sequebatur eum multitudo magna. Multitudo Christum sequuta fame laborabat, nec ab eius latere discedebat. Prudentiæ fuit post superatum montis iugum, post mare enauigatum tot labores lucrari, & patienti expectatione perficere. Stultus profectò est, qui diuturnos in virtute excolenda labores positos frustratur, vt fami, aut cupiditati aduletur, c.13.§.32.p.311

Colligite. Apostoli, quos ad alendam vitam panes habebant, Christo obtulerunt, vt egentibus impertiret subsidia: sed ex quinque panibus magna demessuerunt sibi incrementa; sibi acquisierunt panis copiam, dum pauperum subleuarunt miseriam. Mihi crede. Eisdem, quibus afflictis subueneris, tibi consules, c.13.§.9. p.302

Cùm subleuasset oculos, &c. Ad se aduentantem multitudinem ex temporaria mensa panit, & morbidos saluti restituit: si aliam viam sequerentur erroribus, & vitiis scatentem, carerent pane, & vrgerentur dolore. Qui Christum ducem sequitur, salute integra, libertateque fruitur, c.13.§.16.p.315

Distribuit discumbentibus. Apud alium Evangelistam inuenies Apostolorum solicitudine panes distributos, & tamen Christo adscripsit Ioannes. Quidquid discipulus, Christique minister honestè exercebat, ad laudem Christi Domini redundabat. Proficit regentis ad laudem, quam subiecti pulchrè exercuere virtutem c.31.§.22. p.307

Distribuit. Apostoli turbis impertiti sunt alimenta, sed per eorum manus integra deuenerunt ad populos beneficia, & dum nulla cupiditate corrupti; cophinis pleniſſimis exundarunt munerati. *Colligite, quæ superauerunt.* Quia inter ministrorum manus nil hæsit, panis superauit, & quia superauit, minister cophinum in præmium tulit. Sibi Reipublicæ minister inuidit, si rapinæ, aut intemperantiæ inseruit. c.1.§.23.p.6

Distribuit discumbentibus. Hic panis, non vt olim manna, mensura taxabatur, sed iuxta accipientis dispositionem, & famem exhibebatur. Ex virtute, perfectioneque desumitur, si Eucharistia plus, aut minus sit frequentanda. c.1.§.25.p.7

Quinque panes hordeaceos. Delicatioribus cibis poterat turbam alere, sed edocuit hoc facto pro status qualitate vtendum mensa. Quid enim Reipublicæ nocentiùs, quàm si priuati nutriantur, vt Principes? Cibatio pane aluit in deserto, vt qui deserta habitant, non vtantur siligineo. Hordeaceo pane aluit, sed non precibus inuitatus, aut repetitis instantiis compulsus, sed à se ipso incitatus. Ergo ad regnum volebant efferre quia prærogatiuis Principe dignis agnouerant exornari simulque ostenderunt, beneficia non tam æstimanda ex pretio, quàm ex animo, & modo. c.1.§.28.p.8

Iam triduo sustinent me. Dum citò non discedunt, epulis cœlesti odore conditis satiantur; ni perseuerassent & patienter famis morsus tulissent, non satiarentur. Perseuerantia virtutem coronat, quæ si deficiat labores exantlatos amittit, & labefactat. c.13.§.42.p.314

Panes hordeaceos. Quid nocebat panem esse hordeaceum, si dulcescebat palato, & cœlesti sapore salubrem saturitatem afferebat stomacho? Et quid profuit Absalonis mensa delicatissimis cibis resplendens, si dolosa fraudem occuluit? Mihi crede: Dei beneficia plus valent, quàm sonant, hominum plus sonant, quàm valent. c.14.§.51.p.344

Erat autem fœnum multum, &c. In fœno brutorum pabulo quidquid ad sensuum delicias pertinet, designati Nabucho. edocuit, à ratione transmigrans, & fœno victitans. Ergo Christi conuiuæ super fœnum recumbunt, aut quia cœlestis panis cupiditates edocet proculcare, aut quia nullus, nisi proculcatis, ad cœlestem debet mensam accedere. Super fœnum recubuerũt; esset enim dolendum enauigatis fluctibus, superatis desertorum asperitatibus exiguis reculis illigari, & cupiditatibus inseruire. O miserum! Post magnas difficultates denictas inuenitur, qui reculis impediatur & inanibus affectionibus retardetur. cap.14.§.61. pag.349.

Feria 4. post Dominicam quartam.

Ioannis 9.

Vidit hominem cæcum. Homo iste patienter cæcitatem ferebat, nec naturam in vtero nouercam incusabat: ergo ipsa tolerantia Christi ad se traxit adspectum, & aspectu cæcitatis colirium. Nam constans patientia est calamitatis exilium, aut saltim delinimentum. c.1.§.46. pag.11.

Quis peccauit? Candido animo Apostoli interrogarunt, & cæcitatem culpæ stipendium asseruerunt. Et quidem in moralibus cæcitas culpæ solet esse stipendium. Cæca est cupiditas, quandoquidem vt fruatur exiguo gaudio, grauissimo exponitur detrimento. c.2.§.95. p.44

Quis peccauit? Cæcitatem arbitrabantur peccati fructum, Christus Dominus restituit visum; vt constaret, à Deo felicitatem prouenire, & ab ipso sæpè peccatore calamitatem manare. c.2.§.99.p.45

Non est hic homo à Deo. Miraculum sæculis inauditum intuiti, de fictione luti in Sabbatho adnitebantur obscurare, & ad culpam detorquere: nam liuor in peius semper interpretatur, & inuidiosum insequitur. c.1.§.41. p.10

Quis peccauit? Apostoli dum nimis curiosi errarunt & à bona politica defecerunt: non attinebat ad illos cæcitatis causam scrutari, nec auctorem inquirere: ergo prudentiam suam innubilarunt: nam prudens, quæ ad se non pertinent, vana curiositate non inquirit nec coniectoris munus exercet. c.1.§.82.p.17

Non est hic homo à Deo. Toti erant æmuli in culpæ suspicionem Christo conciliandam, & miraculi gloriam minuendam. Peruerso animo, inuidâque criminatione ostenderunt superiori satis non esse crimine carere, si suspicionibus contigerit denigrari. c.14.§.103.p.367

Cæcum à natiuitate. Desperata videbatur ærumna ab ipsa origine inolita, sed Christus Dominus sputo lutum efficiens, & blanda manu oculos inungens, edocuit difficultatibus ignavè non cedendum, sed dignâ constantiâ contra eas elaborandum. Discite, quò viuidius contra virtutem emergunt difficultates, exerere validius vires. c.14.§.108. p.369

Alij autem: Nequaquam. Sic cæcus infusò oculis lumine vultum mutauit, vt alius prorsus videretur. Nullum antiquæ apparebat cæcitatis vestigium, nullum erat antiquæ noctis argumentum. Corporeæ cæcitatis medela pro interna curanda cæcitate fuit doctrina: sic namque pœnitentia culpæ cæcitatem debet detergere, vt anteactæ vitæ vestigium nullum permiserit remanere c.7.§.39. p.170

Lutum fecit. A Iudæis lapidibus impetitus detinetur in via, & cæco conficit medicamina. Parentes, vt sibi periculum appetere sunt suspicati, ætatem filij apposuerunt discrimini; Christus discrimen postposuit amori. Nam generosus amor propriis commodis non attendit, sed honestis rei amatæ lucris, & incrementis studet. c.1.§.31.p.8

Vade ad natatoriam. Postquàm Christus benignis oculis aspexit cæcum, postquàm finxit lutum, postquàm cœlesti manu appositum medicamentum, iussit vt cæcus sua; etiam operas afferret, & præceptis Dominicis obediret. Est enim obedientia fons luminis, officinâ sanitatis: inuenies tamen plures, qui excusato laboris, & virtutis censu exambiant potiri fructu. c.1.§.33.p.9

Et vidit. Grauissima cæcitate oppressus obediendo oculos sibi restituit, & pro virtute accerrimus propugnator stetit. Vt nullus peccator desperet, quantumuis sceleribus oppressus, & piaculis denigratus: vt etiam nullus debet superbire, quantumuis virtutibus exornatus, & floridus. c.2.§.19.p.25

Non est hic homo à Deo. Qui externis vtebantur oculis interno denudabantur aspectu; liuore inflammati cæcissimas sibi tenebras procreabant, & dignam luoris pœnam subibant. Scelerum pœna est interior surditas, & contumax cordis cæcitas. c.2.§.84.p.25

Feria 6. post Dominicam quartam.

Ioan. 11.

Erat quidam languens, &c. Lazarus & nobilis proditur, & ardoribus adustus refertur. Languebat, peccatoris vmbram gerens superbia, & inani gloria. Inanis gloria corrumpit mores, & superbia eneruat virtutes. c.13.§.51. p.317

Erat quidam languens. Incepit langueſcere, non grauissimo morbo vexari, & nihilominus vires languore debilitatæ paulatim defecerunt, & mortem ægrotanti

conciliarunt. Nam diabolus priùs tentat debilitare, vt virtutes valeat prorsus euertere. c.13.§.48.p.316

Ecce quem amas. Etsi grauissimus adurgeret langnor, sorores non desperarunt, immò quò fortior infirmitas & maior medelæ fuit studiositas. Suo nos exemplo edocuerunt, peccatori nullatenus desperandum, sed contra vitia valida certamen fortiter ineundum. c.13. §.47. p.315

Ecce quem amas. Dum pro se habuit Lazarus Sanctorum preces, mortem depulit, & salutem obtinuit. Nam Deus, quos Sanctorum patrocinio non priuat, ad salutem venire parat. c.13.§.46. ibid.

Iam fœtet. Peccata sæpè tenebris occeluntur, & artificiosè celantur: fœtor prodit, & prouidentia latere non finit. Nequeunt peccata tenebris sepeliri, quia constat prouidentiæ lumine detegi. cap.13.§.37. pag.312.

Lazarus amicus noster. Lazarus Dei merebatur opem dum studebat virtutibus, non deturpabatur criminibus, & Maria Deum officiis obstrinxerat, dum petebat. Sunt qui Numen culpis offendunt eo ipso tempore, quo salutem, & misericordiam exambiunt. c.13.§.34. pag.311.

Amicus noster dormit. Quàm alius erat Dominus à sæculi moribus: amico adest, etsi aspera fortuna vexato, & antiquo splendore nudo cùm de more hominibus sit non personam colere, sed fortunam respicere. c.13. §.30. p.310

Sed pro gloria Dei. Mors accidit ad Dei gloriam, & ad incrementandam Lazaro famam. Nam sæpè quæ putantur infausta, esse probantur ingentissima commoda. c.13.§.18. p.306

Lazarus mortuus est. Ecce vbi humana defecerant media aduentat Christus afferens opportunissima anxilia. Sæpè namque Deus vbi humana spes deficit, opportunus assistit. c.14.§.4. p.324

Nunc volebant te lapidare, &c. Aduentat Dominus vt calamitati subueniat Lazari, proprio despecto periculo. Nam bonus superior ea charitate inardescit, vt vitam aliquando exponat discrimini, si suorum possit subuenire calamitati. c.14.§.1.p323

Erat quidam languens Lazarus. Licet ætate floridus, & diuitiis circumfulus, elanguit, vt sua infirmitate, quod adolescentibus fortunatis, ac nobilibus accidere solet depingeret: vires sibi luxuria præcidunt, & ætate florida pereunt. Nam libido omnia depascit, & vires prorsus consumit. c.13.§.52. p.317

Amicus noster dormit. Lazarus mortuus erat; verùm Dominus, cum posset honestiori voce appellare somnum, noluit ad nostram eruditionem vulgare interitum. Reuera iusti mors potius somnus, quàm interitus, dicenda est; quandoquidem etiam cadente corpore meliori sui parte viuit. Si alius esset Dominus, nil mirum magnatis casum appellaret somnum. Nam apud sæculum magnatum casus honorantur, apud Deum vt popularium puniuntur. c.12.§.67.p.298

Dominica in Passione.

Ioan. 8.

Quis ex vobis. Christus Dominus, vt hominum cæcitatem depulerit, argumenta iniquorum non excusauit: dum se examini offert, non ignorat periculum, sed promit affectum. Bonus namque superior, vt suorum subueniat calamitati, vitam aliquando exponit discrimini. c.14.§.1. p.323

Quis ex vobis. E vita discessurus nil, quod inquinare posset, admisisse se ostendit, talémque egisse vitam, vt nec æmulorum calumniis obscurari possit demonstrauit. Nos miseri, quæ ad breuem vitam curamus quæ ad mortis certamen, aut examen vitæ negligimus. c.13 §.60. p.320

Est, qui quærat, & iudicet. Contra Christum Dominum sanctitatis ideam, virtutum normam, lapides prensant, & dicteriis inhonorant, nec timent humana tribunalia, quia dignitatum refulgebant excellentia. Christus verò cœlestis iudicij meminit, vt timorem eis incusserit, nam licet apud sæculum magnatum delicta dissimulentur, apud Deum vt popularium puniuntur. c.12.§.67. p.298

Est, qui quærat, & iudicet. Dei timore studuit audaciam æmulorum reprimere, eorúmque cæcitatem depellere, quem si arriperent, contra Christum lapides non prensarent. Dei namque timor est sceleris exilium, & salutis tutamentum. c.12.§.52.p.292

Quis ex vobis arguet me. Ab hominibus confictis de industria calumnijs arguebatur, sed à Deo honotabatur: *Est, qui quærat,* &c. Vt discas cœlestia innocentiæ magni testimonia habenda, vt elogia humana parui æstimanda. c.12.§.49. p.291

Abscondit se. Ministrorum ad nostram eruditionem declinauit audaciam, qui subire præsulum non detrectauit præsentiam. Ab Scribis, Pharisæisque fugit ante Pilatum stetit; ac si durius sit in ministrorum manus incidere, quam iram iudicis sustinere. cap.12.§.27. pag.283

Est qui quærat, & iudicet. Contumeliis, iniuriisque impetitus adhuc Dominus nequit se ipsum negare, & vel offendentibus prouidere; Dei iudicium in memoriam reuocauit, si audaces reprimat, & reddendæ rationis memoria adurgeat: nam licet hic pro libito sibi aduletur potentia, ibi adurgebit iustitia. c.12.§.19. pag.280.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Non erat astutia, quantumuis argumentatrix, timenda, dum culpis prodebatur denigrata: *Inhonorastis me;* nec poterant Hebræi non timere, quem de nullo admisso crimine verè poterant sugillare. Arguentium languebant verba quia infectos se dubitare nequibant culpa. c.12.§.16. pag.279.

Samaritanus es. Qui anteà miris Dominum elogiis extulerant veracé, & magistrũ appellitantes: *Magister, scimus quia verax es,* &c. modò vti dæmoniacum infamant, & Samaritanum appellant: *Samaritanus es tu.* Ecqua huius discriminis ratio? Quia hic eos arguebat: *Non auditis, quia ex Deo non estis.* Ergo qui antè dilaudabant, modò inuehuntur, quia dignis correctionibus castigantur: nam qui anteà dilaudabant, si de aliquo defectu arguantur, contra arguentem linguis maledicis inuehuntur. c.12.§.15.p.278

Est qui quærat, & iudicet. Ad cœleste tribunal remisit dignitatibus splendescentes, & diuitiis exundantes: *Est qui quærat, & iudicet:* nam apud sæculum innocentiæ opus fuit fugere. *Abscondit se,* quia potentiæ impune permittebatur audere: *Tulerunt lapides.* Crimine non verebantur fœdari, quia potentia, & fauore videbantur absolui. c.12.§.8.p.276

Dæmonium habes. Vt acrem Christi Domini reprehensionem vitarent, dæmoniacum appellarunt; & quidem de malignitatis ingenio in has calumnias audacissimi proruperunt, nec melius poterant correctionis debilitare acrimoniam, quàm si ostenderent admisisse, qui eos corripiebat culpam; nec enim aliorum corrigere potest culpam, qui accuratè non coluerit innocentiam. c.12.§.6. ibid.

Arguet me de peccato. Illud, *arguet,* apud Interpretes non est calumnias objicere, sed probare; non est objectis criminibus impetere, sed conuincere: ergo Christus, dum conuinci non potuit, suis factis homines eruditi, ostenditque sic viuendum, vt quantumuis malitia æmuli desudauerit explorare, de admisso crimine nequeat conuincere. c.12.§.1.p.273

Index ad Conciones.

Feria 4. post Dominicam in Passione.
Ioann. 10.

Facta sunt encænia. Etsi rigeret tempus, & hyems canis algoribus diuexaret, nihilominus celebrantur encænia: mirum fuit in tempus commodius festum illud non mitti, differríque, cùm præscriptum virtuti tempus frequenter tardetur, vt vanitati applicandum statim solvitur. c.1.§.17. p.5

In porticu Salomonis. Templum frequentabatur, & Christus excludebatur. In porticu ambulabat à templo quodammodò exclusus, quia in templo non tam exercebatur religiosus cultus, quàm euanidus, & inutilis curabatur fastus. Non semel templum aditur, vt oculis, & voluptati inseruiatur. c.1.§.19. p.6

Circumdederunt ergo eum Iudæi. Eum circumdederunt non discipuli, sed aduersarij, non animo auscultandi, sed desiderio capiendi. Dolebant Christum frui plausibus, resplendere virtutibus: ergo descenderunt in certamen, impetitur namque multiplici certamine, qui dignitatis, potestatisve supereminet culmine. c.1.§.3. pag.2.

Facta sunt encænia. Ea festa, si ritè colerentur, Christus præsentia nobilitaret, non obambulares extra templum despicere: ergo quod in porticu obambulat, restum intus ritè non geri fugillat. In sanctorum celebritatibus sæpè plus exambitur humanum oblectamentum, quàm debitum religiosi cultus officium. c.1. §.35. p.7

Facta sunt encænia. Longa tempora terebant, qui Christum æmuli circuncidabant: festiuitas vocabat ad illum tempus orationi, agendisque gratiis dicandum, sed æmulatio, & prauitas solùm adibat templum ad tempus inutiliter insumendum. Non est idem orare, & longa spatia templis insumere. c.1.§.61. p.13

Facta sunt encænia. Templum ab hostili manu ereptum mirè exornarunt, & ad antiquum nitorem reduxerunt. Hæc ergo innouatio, vtpotè Numini grata Hierosolymis faustis, iteratisque acclamationibus celebratur. Vt discamus accepta à Deo beneficia dignis incrementis decoranda, & auctori referenda. c.1.§.90. pag.18.

Die nobis palam. Quia nolebant scire, affectabant ignorare, sed malitiæ suæ adulabantur, & odio blandiebantur. Inuenias plures, qui quod refugiunt exercere, affectauerint ignorare. c.2.§.46. p.30

Circumdederunt. Ecce adeundi templi finis, Christum scilicet circumdare, & si possint, premere. Quem debuissent colere, lapidibus conabuntur obruere. Sunt, qui templa adeant, non vt Deum colant, sed vt affectionibus prauis inseruiant. c.2.§.42. p.29

Ambulabat in porticu. Omnium superior, Princepsque non delitescebat ab oculis remotus, sed deambulabat omnibus patens, & conspicuus. Suis factis edocens ad Reipublicæ gubernationem electos facilè cunctis patere, nec accedentes arcente sera, aut janitore exasperatos excludere. c.1.§.60.p.12

Sustulerunt lapides. Veritatis lumine repercussi plus obcæcabantur, & vbi debuissent pendere venerationis tributum, in Deum lapides prensantes incrementauere peccatum. Et quod illis manebat remedium, quando templum vertebatur in præcipitium. O quàm est miserum ipso laborare remedio, & ipso in portu perire naufragio. c.1.§.71. p.15

Loquor vobis, & non creditis. Templo adstans adstantes erudiuit, & orationis lydium, inuidam patientiam ostendit. Asperis verbis impetitus, malignis interrogationibus proritatus mansuetissimis verbis respondit, & iniurias patienter tulit. Profectò orationis est index constans patientia, & ad iniurias responsio humillima. c.1.§.75.p.16

Dic nobis palam. Circumdederunt cognoscendi veritatem mentito desiderio, impugnandi ardentissimo studio. Circumdederunt adinstar discipulorum magistrum, sed interius oderant vt aduersarium. Discordabant exterior cultus, & interior affectus: & quidem parum interest externis officiis colere, si intestinis constet odiis ferire. c.2.§.14.p.24

Feria 6. post Dominicam in Passione.
Ioan. 11.

Collegerunt Pontifices, &c. Pontifices, Phariseíque Concilium cogunt, & mentito zeli colore liuori proprio, & vtilitati improuidè attendunt. Non semel religionis velamine inardescunt odia, & virtutis fuco contra virtutem tenduntur retia. c.2.§.70.p.36

Quid facimus? Cùm Reipublicæ administratio, potestásque apud eos esset; se veluti ignauos reprehendebant, & quod Christum de medio non tulerint, incusabant. Liuore teterrimo furentes, & dominari anhelantes non agnoscebant potestatis abusum efficacissimum esse contra eos ipsos venenum. Certè contra se ipsum imprudens castrametatur, qui potestate, vt cupiditatibus aduletur, abutitur. c.2.§.71.p.37

Pontifices, & Pharisæi. Quas ab ipso Deo acceperant, dignitates contra eum conuertebant, & obarmabant. Satis frequens est accepta à Numine beneficia detorqueri ad prauitatis fomenta. c.1.§.43.p.10

Venient Romani. Quo auertere molliebantur, ruinam suffulciebant, & calamitatem incrementabant, & cùm Reipublicæ superiores adhæserunt euanidis coniecturis, tardè se ingemuerunt delusos veris fallaciis. Vereatur superior coniecturis duci, si non vult falli. p.15 c.1.§.68.

Expedit vobis. Qui eos ignorantiæ insimulabat, stultissimus appatebat: quandoquidem ad dignitatem conseruandam elegit, vt efficacissimum medium, quod erat dignitatis manifestum excidium. Dignitas perseueraret virtutibus suffulta, & corruit sine dubio vitiis quassata, c.2.§.100.p.46

Tollent locum nostrum. Verebantur potestatis insulis denudari, & vana ob dignitatem adoratione carere: ergo maluerunt animæ detrimento prouidere dignitatis fastigio, & diuitiarum augmento. Minus dolent aliqui vita carere, quàm dignitatis splendoribus viduari. c.2.§.101 p.46

Omnes credent in Deum. Christum Dominum ferali odio prosequebantur, ardentissima æmulatione vrebantur. Ergo non tam dolebant plausus, dignitatúmque splendoribus interdici, quàm æmulum celebrari. Non tam acerbum est aliquibus dignitate mulctari, quàm ad æmulum transire. c.2.§.103.p.47

Venient Romani. Christum damnantes arbitrabantur temporalibus consulere, ni morti traderent; temporalibus commodis verebantur carere: ergo maluerunt culpis infici, quàm pompa, & splendore nudari: Non verentur plures Deum offendere, si quiuerint temporalibus exundare. c.1.§.42.p.10.& 43.ibid.

Vt vnus homo moriatur. Eis ambitiosis, & vanitulis potuit ad speciem expedire, sed sapienti adeò consiliario, integerrimóque ministro priuari, calamitatem nequibat Reipublicæ non afferre. Calamitosum Reipublicæ est sapienti carere consiliario, integerrimóque ministro. c.4.§.56.p.89

Expedit vobis. Mors Christi ad delenda peccata plurimum expediebat, non tamen eo sensu, quo Sacerdotum Princeps existimabat: fors plausit sapientiæ, potestatique suæ, quòd Christum morte damnarat, & prætextatorum beneuolentiam meruerat: verum nihil eis infelicius, quàm in Deum prævalere, & de æquitate triumphare. Tibi ne blandiaris, si in virtutem præ-

valeas;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

valeas: nil enim adeò miserum, vt in Deum prævalere, & de virtute triumphare. c.5.§.1.p.90

Collegerunt Concilium, &c. Quàm erat Hebræorum Respublica misera, dum in concilium asciti cupiditate, vt sibi prouiderent, æstuabant, & peculiaribus vtilitatibus attendebant: *Expedit vobis*. Non considerabant quid liceret, sed quid eis expediret. Iam ea Respublica casui proximabat, cùm ab eis consiliariis pendebat. Grande supplicium est optimis consiliariis priuari, & rationis luce interdici. c.3.§.4.p.52

Venient Romani. Romanos timebant trepidi, & adeò magna scelera perpetrare non verebantur stulti: Quandoquidem satius erat sine crimine premi, quam Deo carentes deliciis frui. Non videbant contra vitam, felicitatémque plus posse scelera, quàm aduersariorum arma. Mihi crede: Contra nos ministrant arma perpetrata à nobis delicta. c.4.§.1. p.72

Dominica in Palmis.

Matth. 21.

Cùm appropinquasset, &c. Ad apicem fortunæ euectus, & popularibus acclamationibus celebratus venit virtutibus eximiis ornatus, & mansuetus: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*. Plus quàm homo potuit agnosci, cùm dubium non erat miris virtutibus exornari, quandoquidem rarus est, qui dignitatis, fortunæq; culmine elatus eximiis fulgeat virtutibus insignitus. c.1. §.1. p. 2

Venit tibi. Id est, venit, vt effuso sanguine aboleat culpam, & depellat prorsus miseriam. Et in quo mors præuidetur? In ipso plausu, regióque triumpho. Nam qui eminet regio dignitatis culmine, multiplici cogitur desudare certamine. c.1.§.3.ibid.

Venit tibi. Id est, venit, vt proprio sanguine Reipublicæ adaugeat commoda, non vt sugat sanguinem ad augenda sibi incrementa. Venit virtutibus excolendis, non auaris cupiditatibus adipandis. Profectò si superior cupidus, delinquendi facit licentiam, & legibus infert iniuriam. c.1.§.5.p.2.& seq.

Mansuetus. Non alio vultu ac cùm habebatur priuatus. Aspectus non est mutatus pro varietate fortunæ. Rex venit, sed, vt antea, mansuetus, & placidus. Cùm frequenter pro fortunæ varietate varietur vultus, & assumatur aspectus. c.1.§. 9.p.3

Hosanna filio, &c. Regia proditur origine exortus, & omni virtute excultus: *Benedictus*, &c. Nec enim nobilitas virtutibus est contraria, nec virtus decantandis stemmatibus inuenitur aduersa. Etsi de more, qui nobilitatis luce exornatus, inueniri soleat virtutibus nudus. c.1.§.15.p.5

Cædebant ramos de arboribus. Ecce faustis acclamationibus celebratus, & triumphali pompa redimitus, inuenitur iam morti proximus. Eo tempore aliquando succedunt prospera, vt non tam afferant gaudium possessa, quàm dolorem ingeminent derelicta. c.4.§.5 3. pag.88.

Dominus his opus habet. Dominus vocatur, dum soluit; Rex conclamatur, dum omnibus salutaris aduenit. Certè qui dignitatum ascendunt fastigia, ea solùm dignè possident, dum obligationibus expletis nitent. Id solùm tempus est dignitati applicandum, quod constat actionibus honestis plenum, & sine muneribus querela transactum: eo solo tempore noueris dignitatem possideri, quo dignis factis constiterit honorari. c.12.§.59.p.295

Hosanna. Christus mirandis virtutibus se Regem, & Dominum prodidit, plausum euanidum non ambiuit: ipso in plausu apparuit humilis, ipsa humilitate resplenduit celebris. Vt discant Christi discipuli plausum non sitire, & virtutum linguis se prodere. c.5.§.16. pag. 96.

Turbæ autem. Plaudebant turbæ triumphis redimito, facillimè iactarunt probra in doloribus afflictatum. Ni aliqua spes, timórve suadeat, non penditur cultus, nec plausus. c.5.§.19.p.101

Ramos de arboribus. Reculas Deo offerebant, qui fortè pretiosa sumptui, & vanitatibus consecrabant. Satis illis videbatur citò marcescenda folia Christo Domino offerre, qui fortasse fructus vberes ex arboribus decerptos conati sunt sæculo seruare. De more est sæculo dicare pretiosa, Numini exigua. c.6.§.73. pag.143.

In nomine Domini. Christi maiestas, etsi aliquando æmulationis artibus delituerit obscurata, resplenduit tandem nunquam morituris fulgoribus redimita. Nec mirum, cùm eius gloria fundaretur virtute, non fluxa sæculi vanitate. Quæ apud Dominum magnitudo, semper est solida, quæ apud homines, volatica, & fluxa. c.2.§.66. p.35

Filio Dauid. Prosapiæ claritate ornabatur, & eximiis virtutibus eius sanctitas prodebatur. Patum esset prosapia, ni virtutum ornaretur excellentia. Nec dignitas resplenderet perfecta pompa, si originis denigraretur infamia. Oportet non euehere ad dignitatum excelsa, quem denigret prosapiæ iniuria, & virtutum inopia. c.9.§.1. p. 203

De Christi Domini vnctione.

Ioann. 12.

Ante sex dies Paschæ. Maria pretiosissimo vnguento Christum Dominum vnxit, *nardi pistici*, &c. Et quidem celebrari meruit, quæ pretiosa Domino consecrauit. Cùm de more sit pretiosa sæculo, & exigua dicari Christo. c.6.§.73.p.143

Vnxit pedes Iesu. Maria, vt notauit D. Thomas in Catena, non faciebat communem famulatum; Martha mensis ministrans creaturis, & Christo exhibebat officium, & præstare satagebat obsequium. O quàm laudanda singularitate resplenduit Maria, cùm ratum, & insolitum sit ambire virtutum summa, vt frequens sequi mediocria. c.1.§.8.p.3

Accepit libram. Pretiosum fuit obsequium, sed pretiosius; quia exprompto animo, & congruo modo. Noueris officia non tam censeri ex pretio, quàm ex animo, & modo. c.1.§.28. p.8

In diem sepulturæ meæ. Vnguenti refertur quantitas, sed quantitatem vicit opportunitas. Præuenit Christum ad mortem vngere, & anteuertit inimicorum odium, religiosum obsequentis officium. In obsequiis non tam quantitas attendenda, quàm opportunitas, & qualitas æstimanda. c.1.§.29.ibid.

Domus est impleta, &c. Quàm erubuit Maria pretiosis olim vnguentis nullum aliam fructum sibi comparasse, nisi famæ nubilum, & depretiationis præmium. Quàm est gausa Christi vestigia vngere, & fragrantia domum implere. Anteactas actiones inculabat, & affectum euanidis rebus impendisse dolebat. O quot acri possent dolore percelli! quandoquidem eis rebus impendunt affectum, ex quibus certum est percipere nullum fructum. c.1.§.30. ibid.

Quare hoc vnguentum, &c. Iudas, quod Christo Domino dedicabatur, infructuosam asserebat iacturam, & ad fouendam cupiditatem detorquebat eleemosynam. Mariæ factum interpretabatur dispendium, qui furabatur applicandum pauperibus aurum. Pro solatio est improbis justorum mores carpere, vitámque abrodere. c.1.§.45.p.11

Quare hoc vnguentum. Vbi Maria pretioso vnguento pedes Domini vngere decreuit, à Iuda deridetur, & vnguenti pretium perdidisse inutili iactura putatur. Non carpsit mensam opiparis ferculis refertam, nec dixit posse vendi, & pauperibus distribui: Et quare? Quia

Quia ex mensa aliquod illi commodum, ex vnctione nullum lucrum. Quia mensæ sumptus non solùm Deo, sed creaturis dicabatur, vnguentum verò in honorem Christi impendebatur. Martha, quæ ministrabat creaturis, non carpitur, Maria, quæ soli Deo inseruit, deridetur. Sæpè, qui Deo dicantur, à mundialibus deridentur, & minus prudentes existimantur. cap.1. §.69. pag.15.

Quare vnguentum hoc. Vnguentum honori Principis deseruiebat effusum, & Iudas, qui Principis sui sollicitare debuisset obsequia, detestanda sibi quærebat lucra. In Iuda aliquos Reipublicæ ministros depingi videntur, & adumbrari; minus curant, quæ Reipublicæ, & Principis; plurimum sollicitant, quæ propriæ cupiditatis. c.2.§.47.p.30

Et datum est egenis. Fur virtutis specie tegebat rapinam, & eleemosynæ obtentu euertebat eleemosynam. Videas non semel latere sub colore virtutis vitia, & contra virtutem obtendi specie virtutis retia. c. 2. §.70. p.36.& seq.

Ex odore vnguenti. Non solùm Mariæ refertur obsequium Christo exhibitum, sed odoramentum sparsum. Maria solùm intendebat vngere, sed ex ipsa vnctione nequibat odor non exhalari. Maria eo vnguento Domini pedes deliniuit, vt inseruiret, sed suauem virtutis etiam odorem vnctione sparsit, vt noscas, oportere Dei seruos non solùm interiori sanctitate fulgere, sed suaui etiam opinionis odore fragrare. c.2. §.88. p.42

Accepit libram vnguenti. Initio vnxerat, & modo etiam vngere perseuerat. Primum vnguentum non refertur adeò pretiosum, pretiosius refertur secundum. Nonnulli initio studioso conatu virtutes arripiunt, sed quàm citò refrigescunt. Maria non solùm perseuerauit vngendo, sed vnctionis pretium incrementando. Parum juvat floreat initio virtutis studium, si marceat exiguo tempore desiderium. c.3.§.2. p.52

Sinite illam. Etsi Iudas singularis Mariæ actionem arroserit, medicinam Christus sub generalitate exhibuit: & quia videbat Iudam fœdissimam corde cupiditatis fouere flammam, blandam adhibuit medelam; edocens superiores, oportere aliquando, vt quò ægritudo est pertinacior, sit medicina benignior. c.3.§.9. pag.54.

De Christi Oratione in Horto.

Luc. 22.

Cùm peruenisset ad locum, &c. Patrem oraturus locum delegit à strepitu remotum, & cælestium meditationi opportunum. Orationis studiosos edocens strepitum fugere, & latebras contemplandis cælestibus aptas quærere, c.1.§.20.p.6

Orate. Non solùm studuit orare, sed alios ad orandum salubribus monitis excitare, secumque ducere. Nam eximius virtutis cultor non solum virtuti obtemperat, sed alios ad obtemperandum secum trahere adlaborat. c.1§.18.p.5

Apparuit Angelus, &c. Dum prolixius orat, de cœlo confortari dicitur, non quia Christus Angelico indigeret auxilio, sed quia indigemus nos hoc salubri documento. Calix (quod petebatur) non transiit, sed oratio vires ascito de cœlo auxilio ad reportandum triumphum adhibuit: vt sciremus orationem calamitates depellere, aut saltem vires ad patienter perferendas ministrare, c.1.§.52.p.12

Factus in agonia. Vt calicis fructus ad plurimos redundaret, Christus Patrem exorauit, & obtinuit. Oratio namque amaris lachrymis obarmata, & desiderio anhelo munita facilè obtinet, quia vim Numini gratam infert. c.1.§.55.ibid.

Pater, si vis, &c. Orationem ad Patrem misit non comptis verbis exculptam, sed desideriis ardentibus obarmatam, vt ab eius orandi modo edisceremus efficacem orationem non comptis verborum ambagibus, sed veris prævalere, & doloroſis gemitibus. c.1.§.54. ibid.

Prolixius orabat. Id est, longa temporis spatia consumpsit, sed orationi dicauit, & soluit. Plures prolixas horas orationi videntur impendere, sed contingit per maria, terrasque diuagari. Nouerit non esse idem orare, & spatia longa consumere. c.1.§.61.p.13

Prolixius orabat. Oratio in recessu ad cœlum missa dignis fructibus est ditata. Christus dormientes excitat, periculum imminere denuntiat, proditorem amicum appellat, furentium audaciam patienter tolerat. Reluxit oratio in inconcussa constantia, in constanti patientia, in responsione humillima. Est enim bonæ orationis fructus constans patientia, & patientissima tolerantia, c.1.§.75.p.14

Pater, si vis. Orans edocuit desiderium patri repræsentare, & ab eius voluntate non resilire. Aliqui, dum orant, imperant, nolunt Deo obedire, sed Deum ipsis morem gerere. Edocuit Christus Deo calamitatem repræsentare, & quod decreuerit, æquanimiter ferre. c.1.§.81. p.17

Quid dormitis? Omnium culpas deleturus, suorum somnum depulit, & ignauiam seuerè carpsit. Vt noueris corrigere non posse aliorum delicta, qui domesticorum dissimularit errata. c.2.§.79.p.39

Quid dormiris? Initio Petrus inuictos animos ostentarat, mortémque animosè contempserat, sed iam ignauè dormit, & ab oratione desistit: ergo à Christo iure carpitur: nam parum juvat ostentare initio virtutis studium, si marceat exiguo tempore desiderium. c.3.§.2. p.52

Quid dormitis? Olim dicebat: *Pueri mèi mecum sunt in cubili*; modò Petrum indulsisse somno reprehendit: dormiebat Petrus senectute longævus, & periculis satis proximus: ergo seuera reprehensione fuit dignus. Excusatius dormit puerulus, sine excusatione tempus terit senectute grauatus. c.3.§.12.p.55

Pater, si vis. Qui Petro à cruce auertenti dixerat: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum*; modò arcanè horret, & à se transferri petit: *Transfer calicem istum à me.* Et quid in hoc calice extimescendum? Explicuit in Catena Hieronymus, scilicet in calice à Patre oblato non apparere culpam; in calice à Iudæis dispositio apparere Patris offensam. Ergo Christus plus dolebat diuini honoris iacturam, quam propriæ mortis ignominiosissimam ægrimoniam. c.3.§.49. pag.68.

De Petri negatione, & lachrymis.

Lucæ 22.

Cùm vidisset ancilla quadam. Petrus Christum sequutus Principis aulam ingreditur: ergo culpis iteratis inficitur; declinasset tentamina, si confugisset ad templa. Sacerdotes templis debent assidere, non curias, aut domos Principum frequentare. c.1.§.58.p.12

Cùm vidisset ancilla. Sequebatur, vt Domino proximaret, sed ab ancilla ludibrio habitus non tulit ludibrium, qui despexerat mortis tormentum. Profectò apud sæculum vitium viget, & malè virtus despecta audit. Qui virtutibus inserviunt, à mundialibus deridentur, & minus prudentes existimantur. c.1. §.69. p.15

Non noui. Sæculo renuntiarat, & sæculum repetens vanis est timoribus irretitus, & repetitis culpis defœdatus. Vt timeat, qui sæculum renuntianit, sæculum repetere, & tentationibus imprudenter exponi. c.1.§.91. p.18

Cùm vidisset. Vidit Petrum ancilla, & iam qui

NAXERA
L. 6. I.
REGUM.
C. 17.
15

petra, ad eius vocem emolleſcit, & proprio nomini contradicit. Negatio de nominis inſigni apparebat obſcurior, & imbecillitas grauior. Cùm actione debeat impleri, quod nomine conſtat promitti. c.2.§.2. pag.22.

Non noui. Vbi Petrus negauit, iam procacia maiori audacia in Chriſtum deliquit. Eſt enim laïcis quodammodo ad delinquendum licentia, perpetrata ab Eccleſiaſticis, præcipuè, ſi Præſules fuerint, culpa. c.2.§.78. p.39

Fleuit amarè. Amarè fleuit ſe criminibus defœdaſſe, vt periculum, quod verebatur, depelleret, & timori conſuleret. Redemit timorem, ſed adauxit ſibi calamitatem. Sunt qui, vt calamitati conſulant, grauiorem incurrant, & admiſſis criminibus augeant. c.6. §.11. p.118

Fleuit amarè. Piaculis defœdari eſt commune. Amarè deflere culpam oſtendit virtutis Petri excellentiam. Plures amarius deflent, quàm Numinis offenſam, ſalutis, dignitatis, aut diuitiarum jacturam. cap.5.§.48. p.108.

Fleuit amarè. A Domino benigno aſpectu pulſatus in lachrymas amariſſimas eſt effuſus: pars magna ſalutis fuit pœnitentiam non differre, & innocentiæ colorem quodammodò retinuit feſtinanter corripi, & reſipiſcere. Feſtinata correctio videtur quodammodò innocentia, vt ècontra reprehenſibilis eſt pertinacia Scelerum duriſſima pœna eſt interioris ſurditas auris, & obſtinata durities cordis. c.2.§.84.p.17

Fleuit amarè. A Domino electus, & ad dignitatis culmen elatus à ſe ipſo deliquit, & calamitatem ſibi conciliauit. Calamitas, & criminis fœditas promanauit à Petro; honor & felicitas promanarat à Domino. Vt notum omnibus ſit ab ipſo homine gemituum quæri materiam, à Domino felicem promanare fortunam. c.2.§.99. p.45

Fleuit amarè. Semel, & iterum deliquerat Petrus, Chriſtus, qui ſomno indulgentem antea carpſit, ſemel, & iterum negantem oculis modo benignis aſpexit, & benignitate non ſolùm peccantem in lachrymas effundi ſuaſit, ſed animarum futurum paſtorem medendi modum edocuit. Sciat animarum medicus vtendum aliquando benigniori medicina, dum grauior culpæ ægrimonia. c.3.§.9.p.54

Egreſſus, &c. Etſi tardè, occaſionem iterum negandi fugit, & eſſe veram pœnitentiam oſtendit. Qui occaſioni remanet proximus, non apparet graui dolore compunctus. Suo lapſu edocuit Petrus imbecillos, ſatius eſſe occaſionem fugere, quàm miſerabiliter cadere. c.4.§.31.p.81

Fleuit amarè. Petrus poſt culpæ naufragium arrepta pœnitentiæ tabula animæ ſaluti prouidit, & iterum ad occaſionem non rediit. Copioſas, amaráſque effudit lachrymas, quibus Deum ad miſericordiam flecteret, & à quibus antea vulneratus dæmones vltione laudabili referiret. Lachrymæ vera pœnitudine fuſæ, & criminis occaſione vitata Deum placant, & dæmonum vires enervant. c.7.§.37.ibid.& §.38.p.167.

De Cœna Domini.

Ioann. 13.

Sciens Ieſus. Quàm patiens Dominus proditoris tolerat inſolentiam, quàm vigilans adnititur lauacro delere culpam. Prælatorum norma edocuit. Præſulem conſtanti exornandum patientiâ, & prouidentiſſimâ vigilantiâ. c.1.§.6. p.3

Cœpit lauare. Vt paſceret, vel defectus leues expunxit, & qualiter cæleſti epulo ſit accedendum edocuit. Qui ſcire deſiderat quoties ad Euchariſtiam accedat, nouerit ex candore conſcientiæ taxandam frequentiam, & ex virtutum nitore frequentandam Euchariſtiam. c.1.§.25. p.7

Sciens quia omnia, &c. Amore incandeſcens gauſus eſt diteſcere, quo dilectos poſſet muneribus dilargitis nobilitare. Triſtaretur, ſi ei dilargiendi occaſio præcideretur. Triſtatur namque amor, ni habeat occaſionem dilargiendi, & dilectum muneribus honorandi. c.1. §.26. ibid.

Quia omnia dedit ei Pater, &c. Quæ à Patre acceperat, Patri retulit, & ad animam ſalutem ſolicitè conſecrauit. Appoſuit menſam, vt Euchariſtia innutriret virtutes, & virtutum edoceret perfectiones. Quàm aliter accidit: Magnates non rarò accepta à Numine beneficia deflectunt ad tumoris, & vanitatis fomenta. c.1.§.43. p.10

Surgit à cœna. Vt paci non conueniunt arma; ſic amori non congruunt otia. Amore flagrans veſtimentis ſe exuit, & commodis ſuorum ſtudet. Nam generoſus amor non ſuſpirat propria commoda, ſed honeſta alterius lucra. c.1.§.31.p.8

Cœpit lauare. Ipſe laborioſum exercuit lauacrum, & ſuis conditum Euchariſtiæ præſtitit epulum. Vt ſuperiores diſcant arrogare ſibi laborioſa, & ſubditis impertiri jucunda. c.1.§.34.p.9

Cœpit lauare. Nec leuem puluerem pedibus voluit remanere, ſed miris ſplendoribus ſuos candicare, quia altaribus debebant accedere. Qui diuinis conſtat dicari, nullis defectibus debet pollui. c.1. §.63.p.14.

Tunica ſuccinxit ſe. Vt ab aliis maculas abſtergeret, ſtricto ſe cingulo perſtrinxit; quia cùm in ſe ſuperiorum formam exprimeret, quid illis faciendum docuit. Inuenies, qui ſatagant ad virtutes cæteros reformare, cùm ſtudeant ſibi indulgere. c.1.§.59.p.13

Cœpit lauare. Quia Magiſter, & Dominus, poteſtati, honoríque ſoluit laboris tributum, vigilantiæque penſum. Exemplum Præſulibus ſe dediſſe teſtatus eſt, & tamen ſunt plures, qui dignitatum potiantur fructu, excuſato laboris cenſu. c.1.§.33.p.9

Cœpit lauare pedes. Mundos diſcipulos protulit, & nihilominus vel leues maculas abradere ſtuduit: vt nil vel liuidus hoſtis oculus, quod carperet, deprehenderet. Talis ſit Dei miniſter, vt intuenti inſpiret virtutes, & ad Dei prouocet laudes. c.2.§.89.p.42

Cœpit lauare. O quàm tacitis certaminibus ad Iudam deueniens conatus eſt Dominus malitiam expungere, & eloquenti aſpectu ad mentem trahere. Deſpexit Iudas opportuniſſimam occaſionem, quam iterum non inuenit. Timeant, qui pulſantur luce, oculos clandere. Nam qui ſtudioſè renuit inſpirationibus parere, cùm oculos aperit, inuenit aliquando auolare. c.3.§.10. pag.54.

Cœpit lauare. Iudas lauacro inuitatus, & flagranti amore dilectus abuſus eſt Dei patientia, & quia abuſus Dei tolerantia, periit mortemiſeranda, ac turpiſſima. Vt ſibi cauſant pertinaces, & ſciant, Dei tolerantiâ, & benignitate abuſos oppetere mortem miſerrimos. c.5. §.58. p.111

Feria 2. in Reſurrectione Domini.

Luc. 24.

Duo ex illis ibant. Quàm nouam politiam Reſurrectio Domini edocuit. Qui tota maieſtatis gloria fulgebat; peregrinis approximat, nec vultum demutat. Eorum oculi tenebantur, ſed Domini oculi non mutabantur. Cùm apud ſæculum pro fortunæ varietate induatur vultus, & aſſumatur aſpectus. c.1.§.9. p.3

O ſtulti. Liberè carpſit, diffidentiámque reprehendit; non ſic carperet, ſi aliquo reatu teneretur; nam ſi reatibus polluantur, ad corrigendum ſuperiorum labia clauduntur. c.1.§.22. p.6

Appropinquans ibat. Peregrini habitum assumpsit, & lucis radios contraxit ; nam cùm generoso amore flagraret, maiestati suæ quodammodò detraxit, & & commodis suorum studuit. Generosus amor plus aliorum suspirat lucra, quàm propria commoda, c.1. §.31. p.8

Nonne apertuit, &c. Quia dolores, & crucem tulerat, amisisse putabant regnum, & eos docet æternasse sibi regnum, quia labores, & crucem patienter tulerat. Nam constans patientia est felicitatis præsagium, & calamitatis exilium, c.1.§.46.p.11

Nos autem sperabamus. Ac si dicant. Iam desperamus. Et quæ desperationis occasio ? Humanis duci coniecturis : *Tertia dies est hodie.* Demortuum credebant, quem alloquebantur redituum : ergo denigrabantur fallacia, quia ducebantur fallibili, & humana coniectura, c.1.§.68.p.15

Quæ, &c. Non rogauit crucis oblitus, sed optima iam fortuna exornatus ea interrogatione, quod apud sæculum contingere solet, expressit. Affectant plures antiqui humilis status obliterare prorsus memoriam, si splendidam nanciscantur fortunam, cap.1.§.104. p.20

Qui sunt hi sermones. De Deo secum colloquebantur, & spiritualia verba, vt illis Christus adesset, extiterunt illicia : vt è contra verba vana, & tumore plena afferunt frequenter peccatum, & audientibus etiam tædium, c.2.§.12. p.24.& §.13.ibid.

Et estis tristes. Felix tristitia, quæ de Christi passione promanabat, & laudabilem compassionem nutriebat, infelix esset lætitia, si de calamitate aliena lætarentur. Hæc namque propriæ felicitatis est tinea, illa est calamitatis medela. Certè de aliena calamitate lætari est propriæ felicitati inuidere, c.2.§.22.p.26

Mane nobiscum. Dum misericordiam peregrino impendunt, cælesti luce reluminantur, & ad viam veritatis reducuntur. Misericordia est oculorum collirium, exilium tenebrarum, veritatis magisterium, tutum profugium. Aliis misericordiam impende, sic enim effugies erroris lapsum, & imminens frustrabis periculum, c.2.§.31.p.27

Quomodò eum tradiderunt. Christum mitis virtutibus resplendentem curiales despexerunt, & condemnarunt. Cùm vitiis scatentes suspiciant, venerenturque, si mundiali resplendeant pompâ, & fulgeant copiosa, & expolita familia. Nam homines plus suspiciunt potentia præditum, quàm virtutibus exornatum, cap.2.§ 37. p.28

Apud Deum, & homines. Verba à corde dissidebant, testabantur fuisse Christum apud Deum magnum, & existimabant honore ; & felicitate nudum: ast apertis oculis viderunt Domini gloriam, & suam agnouerunt stultitiam : nam etsi quæ apud homines volatica, & fluxa, quæ à virtute gloria, semper est solida, & firma, c.2.§.67.p.36

Nonne cor nostrum, &c. Ex peregrini consortio calor cælestis resultabat, qui cordis depelleret rigorem, ex eius facie lux, quæ reluminaret mentem, vt Dei ministri, seruique consortium ambias, si virtutibus florere desideras ; iuuat enim plurimum ad virtutem insti conuersatio, & sapientis eruditio, c.3.§.3.p.52

Dominica in Albis.

Ioannis 20.

Cum serò esset die illa. Serò Christus Dominus congregatis discipulis gloriam suam ostendit, & quod serò ostendit, Apostolorum aliqualem culpam arguit. Quandoquidem Deus pœnam infetre tardat, impertiri misericordiam accelerat, c.1.§.109.p.49

Et fores essent clausæ. Quæ obiiciebantur impedimenta, Dei vicit misericordia. Apostoli hominum fugiebant aspectum, & Christus Dominus eis impertiri solicitat gaudium ; quia fores sæculo clausæ, intus gloria fruebantur oculi. Commodis renuntiet humanis, qui cupit conspectibus frui diuinis, cap.1.§.101. p.20

Ostendit eis manus, & latus. Ipsa vulnerum ostensione diuinitas prodebatur, dum humilitas ostentabatur. Cumulatissima resplendens fortuna, humilitatis antiquæ non deleuit testimonia : ergo plus homine erat, nam apud sæculum humilis status adnititur delere prorsus memoriam, qui sortitus est cumulatam fortunam, c.1.§.34.p.9

Vbi erant discipuli congregati : Quisque discipulorum de alterius consortio muniebatur, & contra hostiles incursus obarmatur. Quandoquidem iuuat plurimum ad virtutem cum sanctis degere, & conuersari, cap.3.§.3. p.52

Et fores essent clausæ. Clausæ erant fores, sed non adeò, vt aliquæ rimulæ luci aditum non relinquerent, & fulgoribus viam concederent. Misera est cæcitas, quæ sic cordis ianuam claudit, vt nullum luci relinquat aditum, nec permittat ingressum, cap.3.§.7. p.53

Ostendit ei manus, &c. Superior patienter errantes sustinuit, studiosè quæsiuit, & hilari vultu admonuit, vt suis factis superiores informaret, ostenderetque errantes patienter sustinendos, & blandis verbis ad virtutem prolectandos, c.3.§.14.p.56

Cùm fores essent clausæ. Collectis Apostolis, clausis foribus, dicatis virtutibus Deus adest, pacem offert, & gloriam ostendit, vt qui pace frui, & cælesti cupit admonitione edoceri, nouerit sensuum fores claudere, & collectis animi viribus cælestium meditationi studere, c.3.§.25. p.60

Ostendit ei manus, & latus. Fulgebat eximia gloria, sed ne suspicarentur oculorum fallaciam, aut laruam splendoris inductam, manus confossas ostendit, & vulnus pectoris ostentauit. Vulnera eximia erant virtutum testimonia : ergo erat & gloria indubia, nequit enim non comitari virtutem gloria, & æternanda apud sæculum fama, c.3.§.53.p.70

Propter metum, &c. Apostoli virtutum summates non adeò sibi fidebant, vt fores non clauderent, & se contra periculum communirent : ergo meruerunt interna pace frui, gloriaque oblectari. Qui sensuum fores non claudunt, nec se periculi timore communiunt; dum plus suis viribus fidunt, facilè vincuntur. & detriumphantur. c.4.§.4.p.72

Vbi erant discipuli congregati. Discipuli æmulationis turbine ; & inuidiæ tempestate obturbati ab statione defecerant, & ignauum timorem fuga prodiderant: verùm meliora sapientes iam redierunt ad castra, & congregati disponebant dæmonibus bella : ergo Dominica pace armantur, & cælesti luce frunntur, vt qui ignavè ab statione defecit, animum non despondeat, sed ad castra animosus redeat, c.4.§.13.p.75

Et fores essent clausæ propter metum. Laudabilis metus, qui non credebat hosti, sed obuiabat foribus clausis discrimini. Timor consuluit à sæculo recedere, & fores industriè claudere. Est enim cordatus timor optimus consiliarius, & contra imminentia mala animi vigor prævalidus, c.4.§.25.p.79

Ostendit ei manus, &c. Vbi Christus adfuit, pax reddita, concordia stabilita, nox trepidationis depulsa, iam pax serenauit corda : *Pax vobis.* Absente Domino timore vrgebant pericula ; Domino præsente gaudiis discipuli delibuntur, absente timoribus quatiebantur. Dei, Principisque præsentia vires inspirat, absentia sæpissimè eneruat, c.5.§.6.p.92

Index ad Concione$,

In Litanijs maioribus.
Lucæ 11.

Quis vestrum habebit amicum; Ibit ad illum media nocte. Res satis insolita, & more sæculi attento, peregrina. Vt famelicum pascat, somnum intermittit, & oraturus accedit, cùm frequenter homines virtutis occasionem differant, & vanitatis, voluptatisque auidissimè rapiant, c.1.§.17.p.5.

Ibit ad illum. Vt oraret, ab omnibus se expediuit, & amici domum adiit: orandi. impetrandique norma extitit, edocens quærendum orationi tempus, & locum à strepitu remotum & meditandis cælestibus opportunũ, c.1.§.20. p.6.

Amicus meus venit ad me. Adueniente dilecto hospite doluit non habere, quo amori possit adulari. Nil non tentauit, vt charitati inseruiret, quando sæculi amatores nil non tentant, vt blandiantur cupidini. Tristatur sanè amor, ni possit munera dilargiri, & dilectum muneribus honorare, c.1.§.26.p.7

Accommoda mihi tres panes. Et cur delicatiora non quærat fercula, aut edulia sapidiora? Fortè, vt ostenderet, in beneficiis non tam qualitatem æstimari, quàm tempus, & opportunitatem attendi, c.1.§29.p.8

Accommoda mihi tres panes. Bonus amicus, qui non pepercit labori, ne deficeret charitati. Opipara mensa, quæ, etsi solùm constaret pane, relucebat affectuosa animi promptitudine. Non adeò sumptuosum esset beneficium, quantumuis grandi constaret pretio, si exprompto adeò non resplenderet animo. Nam beneficia non tam censentur pretio, quàm modo, & animo, c.1§. 28. ibid.

Media nocte. Non timuit noctis horrorem, petendi ruborem non excusauit, lecti quietem deseruit. Nam generosus amor propriis commodis non attendit, sed alterius commodis honestis studet, c.1.§.31. ibid.

Surget. Qui dixerat pueros secum habere in cubili, eorum non turbauit quietem, sed surgendi, & panes dandi subiuit laborem. Superiores edocens arrogare sibi laboriosa, & subditis impertiri iucunda, c.1.§.34. p.9.

Accommoda mihi tres panes. Non potest amicus non surgere, & panes exhibere, cùm amici preces & charitate obarmarentur, & ipso temporis suffragio munirentur. Qui somni, oblectationisque tempus orationi dicat, facilè assequitur, quod exoptat c.1. §.56.p.12.

Accommoda mihi tres panes. Panes accepit, & famelico, hospitique apposuit; honestis vsibus, quæ largiter amicus exhibuerat, impendit. Si alius esset, quæ acceperat à Numine beneficia, applicaret ad vanitatis fomenta. c.1.§.43.p.10

Si perseuerauerit pulsans. Repulsam ferens constans perstitit, & perseueranter pulsauit: ergo perseueranti constantia, & indefessa patientia plus, quàm desiderarat, obtinuit: *Dabit ei quotquot habet*, &c. Hinc claret, constantem perseuerantiam, & perseuerantem patientiam non solùm esse calamitatis delinimentum, sed calamitatibus etiam exilium, c.1.§.46.p.11

Accommoda mihi. Ad orationem recurrit, vt inopiæ quæreret leuamentum, & Deo proximauit, vt haberet, vnde hospiti exhiberet conuiuium, & dum perseuerauit deuotis precibus, repulsam patienter tulit, & perferendo impetrauit. Oratio namque aut calamitatẽ leuat, aut vires ad perferendã ministrat, c.1.§.52.p.12.

Accommoda mihi tres panes. Quàm simplicibus verbis panes petiuit, sed fortassis armabatur oratio lachrymis, quæ verbis non resplendebat expolitis; fortassis vim non inferret eloquenti rhetorica instructa, & gratam intulit vim affectuosa perseuerantia. Eiusmodi namque oratio gratam vim infert, & feliciter prævalet, c.1.§.54.& 55.ibid.

In die Ascensionis.
Marci 16.

Recumbentibus vndecim discipulis. Discipulis recumbentibus Christus apparuit, & propria eleuatus virtute cælos ascendit, gloria redimitus, & faustis acclamationibus celebratus. Nam virtutem nequit non comitari gloria, & æternanda apud omnes fama, c.3.§.52.p.69

Assumptus est in cœlum. Virtutis iter consummauit, & ad Patris dexteram sedit. Nonnulli virtutis iter alacriter arripiunt, sed ad terminum ignauia impediti tardè perueniunt. Parum iuvat virtus initio pluchrè florida, si exiguo tempore marcida, c.3.§.2.p.52

Assumptus est in cœlum. Thronum adeptus est virtutum meritis, non humani fauoris adminiculis. Apud sæculum dignitas fauore sæpè obtinetur, & suffulcitur, apud Deum ille solùm eminet culmine dignitatis, qui eam propriis adeptus est meritis, c.1.§.24.p.10.

Apparuit illis. Qui cœlum potuisset anteà inscendere, tantisper distulit, & expoliendis suorum animis amore flagrans attendit. Non solùm eximia eius hodiè resplenduit gloria, sed & amoris nobilis generosissima flamma. Quandoquidem, vt suis posset consulere, tantisper distulit regali throno insidere. Amor plus attendit alterius commoda, quàm propria lucra, cap.1. §.31. p. 8.

Exprobrauit, &c. Quos decreuerat mittere ad hominum tenebras depellendas, & animas virtutibus informandas, ab omni culparum sorde expurgauit, & virtutibus expoliuit. Nam qui omni expuncta macula purus, & virtutibus exornatus, plurimis inuenitur proficuus, c.1.§.36. p. 9

Exprobrauit. Passus non est, vt qui alios virtutem erant docturi; diu mensis incumberent, aut culpis forderent. Admonet, vt priùs se ipsos virtutibus expolient, vt sic ad virtutem cæteros trahant. Ab hac lege plures discrepant; nam cæteros satagunt reformare, cum ipsos otio constet, & cupiditatibus indulgere c.1.§.59.p.13

Sedet à dextris, &c. Quiescit ad Patris dexteram summis gaudiis fruitus, & faustis Angelorum acclamationibus celebratus. Implenit cor gaudium è virtutibus procreatum, non implet animum; etsi frontem remittat, ab euanidis deliciis exortum, c.2.§.3.p.23

Et sedet. Apud Dominum sedet nullis casibus perturbandus, aut concutiendus. Solida erat illa felicitas, quia Deo proxima, & virtutibus suffulta; felicitas humana nequit permanere, quia fluxa, c.2.§.67.p.36

Exprobrauit. Suorum errata correxit, vt corrigeret mundi delicta, suis factis ostendens facilè non esse carpere aliorum errata, si amicorum, domesticorumque dissimulentur delicta, c.2.§.79.p.39

In nomine meo dæmonia eijcient. Quàm Christus dignus fuit throno, & quàm Apostoli, qui ad dignitatem eligerentur! Prius Christus studuit magistri munus implere, quam sede frui, & Apostoli studuerunt ad Christi gloriam dæmones abigere, ægritudines pellere, ad virtutem homines erudire. Aliquando minister ad Principis, & Reipublicæ vtilitatem electus indulgetin ertibus otiis, aut detestãdis studet lucris, c.2.§.94.p.44

Assumptus est in cœlum. Assumptus est discipulis eius gloriam oppansis oculis spectantibus, & fausta acclamatione plaudentibus. Quam erant à liuore alieni, & ab inuidia remoti. Plures perspicacibus oculis vident, si quid obscurum, nec videre possunt, si quid splendidum, c.3.§.8.p.53

Prædicate. Viso virtutum præmio, laborem iniunxit, vt labor ambitiosè adiretur tanto præmio muneradus, & honoribus tantis afficiendus. Verùm sic plures desipiunt, vt splendorem ambiant, & laborem virtutis fugiant, c.4.§.35.p.60

Index ad Conciones.

In die Pentecostes.

Ioan. 14.

Si quis diligit me, &c. Christus Dominus ab hominibus dilectus Spiritum Sanctum dilectionis largitur præmium: *Ad eum veniemus.* Quàm lætus eum donis cælestibus Paraclytus mundis se cordibus inserit; quàm tristaretur, si impeditus pectus non inhabitaret! Tristatur namque amor, ni occasionem habeat dilargiendi, & dilectum muneribus honorandi. c.1.§.26. p.7

Si quis diligiet me. Quàm ampla merces benè collocati affectus. *Ad eum* (inquit) *veniemus.* Venit Paraclytus fons luminis, vt mentem reluminet; diuinus ignis, quo feliciter cor exæstuet. O si homines Deum amarent! verùm sic cæcutiunt, vt eis frequenter rebus impendant affectum, ex quibus nullum aut detestandum demetunt fructum. c.1.§.30. p.8

Mansionem apud eum faciemus. Et quid velit apud homines manere, qui potest apud cælites dignis plausibus celebrari? Si hominis pectus inhabitet, descendit, si non inhabitet, cœlis lucet: ergo eligit in dilectorum corde habitare, etsi sit opus descendere. Nam cælestis amor docet non tam propria commoda, quàm amati fruire lucra. c.1.§.31.ibid.

Et mansionem apud eum faciemus. Manet, vt floreat felicitas, & rutilet sanctitas. Parum juvaret aduentus, si citò auolaret expulsus. Si exigua tempore transacto marceat, parum interest efflorere virtus incipiat. c.3. §.2. p.52

Ad eum veniemus. Et quomodò venit? Igniti linguarum umbris adinstat: venit ignis, vt acciperent: lingua venit, vt debitas grates referrent: nam qui honestum assequutus est desiderium, debet impendere decorum laudis tributum. c.2.§.9. p.23

Veniemus. Amor se gestit communicare, & alios participes bonorum habere. Nihil adeò oppositum, vt tenax auaritia, & cælestis hæc flamma. Parum amat Deum, qui sua egentibus non communicat, cùm Dei spiritus se aliis communicet, & virtutibus expolire anhelet. c.2.§.10.p.24

Veniemus. Vbi Spiritus Sanctus in corda est effusus, lingua lucem loquebatur, & diuinis laudibus dicabatur. Latens corde spiritus apparebat in lingua, vt etiam frequenter à contrario vaniloqua, superbaque lingua affert secum peccatum, & generat audientibus tædium. c.2.§.12. ibid.

Ad eum veniemus. Interius spiritus residet, sed exterius flammescentibus linguis apparet. Satis non erat Apostolis, Deique ministris interna flamma feliciter vri, etiam opus erat ipso se igne prodente externis luminibus nobilitari. Satis non est Dei ministris interna fulgere sanctitate, sed opus etiam externa nobilitari opinione. c.2.§.88. p.42

Spiritus sanctus, &c. Docet Spiritus sanctus legi parere, & hominum saluti consulere blanda luce, & efficaci sermone: apparuit lingua tanquam ignis. In igne actiuitas, in splendore denotabatur suauitas. Est enim deprædicanda prudentia sic Deo seruire, vt homines attrahas, sic hominibus placere, vt Numini inservias. c.2.§.87.p.41

Veniemus. Et quomodò venit? Cælesti impetu, celerrimo flammarum volatu: *Factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis Spiritus*, &c. Puniturus non sic maturaret pœnam, benefacturus accelerat munificentiam. Discant à Deo homines misericordiam maturare pœnam differre. c.2.§.109. p.49

Suggeret vobis omnia. Dum omnes orationi dicantur, dum concordi pace in cœnaculo vniuntur, cælesti splendore replentur. Cuique profuit alterius societas; alterum alterius juvabat sanctitas. Quisque Spiritus sancti quodammodò lingua edocebat, & memoriam cælestium præceptorum refricabat. Iuvat plurimùm ad virtutem bonorum conuersatio, & sapientum eruditio. c.3.§.3. p.52

In festo Sanctissimæ Trinitatis.

Matth. 25.

Data est mihi omnis potestas. Summa donatus potestate ea vtitur ad vitia depellenda, & animarum lucra sectanda. O quàm cælestis probabatur illa potestas, quæ deseruiebat virtutibus, non addicebatur fouendis cupiditatibus. Profectò qui potestate abutitur, contra se castrametatur. c.2.§.71.p.37

Data est mihi omnis potestas. Et cur potestatem ostentet, qui solebat tegere, & ab hominum notitia abscondere? Quia modò homines ad se trahere discupiebat, & homines plus suspiciunt potentiâ præditum, quàm virtutibus excultum. c.2.§.37. p.28

In nomine Patris, &c. Pater potentiam filio communicat, filius ad honorem Patris ostentat. Filius totus est Patris, & Pater totum se reciprocauit in Filium. Vera namque sanctitas se aliis communicat, & sui participes habere anhelat. c.1.§.10. p.3

Et Filij. Filius à Patre genitus eius est imago, & speculum bonitatis: quod à Patre accepit, ad honorem exprimit Patris. Vt nouerit homo acceptas à Deo dotes, prærogatiuásque eius liberalitati adscribendas, non fastui proprio applicandas. c.2.§.7. p.23

Docete omnes gentes. Apostoli magnis elogiis celebrandi, quia rudibus erudiendis intenti; dum omnes docent, luminum Patrem imitantur, qui lucem ex se genuit, tenebrarum, ignorantiæque exilium. Filium referent, qui proprio labore animas acquirere studuit. Spiritum Sanctum æmulantur, qui totus lingua resplendens homines erudiuit, & ignis totus corda ad virtutem inflammauit. Profectò qui erudiendis hominibus dicantur, Reipublicæ toti prouidere inueniuntur. c.1.§.102.p.20

Docentes eos. Docet Apostolos, vt à peccatorum maculis Trinitatis fide imbutos, & baptismi lymphis lotos veritati, & saluti restituant. Quo præmio? Certè in futuro sæculo æterno, in hoc grandi, & honestè exambiendo elogio. Nam quem à periculis eripuisti, adscribitur tibi ad gloriam, & laudabilem deseruit ad famam. c.2.§.24. p.26

In nomine Patris, & Filij. Eximius Filio honor tanto Patre nobilitari; eximius Patri honor tantis dotibus filium lucere. Sibi, è filio inuidet, quisquis virtutibus non exornat, & non bona patientia dissimulat. Qui filium laudandis moribus non informat, famam innubilat, & fortunam discrimini objectat. cap. 2. §.72. pag.37.

Docentes eos seruare, &c. Vt in cœlo resplendeant, purissimis baptismatis vndis oblati renideant: vt calamitates in sæculo depellant, exactè cælestibus mandatis inseruiant. In empyreo, & in sæculo felicitas à virtute exoritur, calamitas à vitiis nascitur, & nutritur. c.2.§.111. p.49

Baptizantes eos, &c. Per Apostolos Deus homines instruit, & docet: qui eius voci obedit, expromptè lucratur animæ salutem, immò in sæculo splendorem. Deo obedire, & eius præcepta colere, est sibi salutem, & honorem verum acquirere. c.3.§.18.p.57

Baptizantes eos. O quàm eximium est beneficium à culpis liberare, errorésque expungere. Si homines fœditatem agnoscant culpæ, non solùm adibunt ambitiosè baptismum, sed etiam vel acerbum quodvis tormentum. Non adeò est miserum acerbissimis tormentis adurgeri, quàm sceleribus denigrari. c.3.§.33.p.63

Docete omnes gentes. Iubet veritatem omnibus sincerè deprædicare, & quid expediat ad salutem, edocere: Degenerarent à Dei ministris, si adularẽtur auribus, aut

blandirentur Principibus. Hac in parte magnates plebe sunt infeliciores, quia ferè omnes timent eos admonere, & veritatem sine ambagibus aperire. c.3. §.38. pag.64.

In nomine Patris, &c. Deus vult se credi, non vanis argumentis, & curiositatibus discuti; sapiens sibi videtur humana stultitia, si aggrediatur scrutari, quod humanum captum constat supergredi. Trinitas est docta fide credenda, non audaci insipientia examinanda Maiestatis est reus nimis curiosus, & maiori tenetur reatu, qui insipienter discutit, quàm qui minorem, ac fas esset reuerentiam impendit. c.5.§.4.p.91

In Festo Corporis Christi.

Ioannis 6.

Caro mea verè est cibus. Christi Domini carne sagitus robur induit, quo tentationes debellet, triumphosque reportet; immò quo pro ipso triumpho dignas reddiderit gratias. Affert namque secum Eucharistia, quo homo & fortunatus resplendeat, & gratus etiam appareat. c.6.§.74.p.143

Non sicut manducauerunt Qui manducauerunt manna, non moriebantur, etsi non repurgatis animis eo vescerentur. Hic tamen, qui sic Christi carnem comederet, animæ mortem incurreret: non viuit, sed maturat sibi mortem, qui ad hanc mensam non expunctis, & repurgatis culpis propinquat. cap.6. §.91. pag.150.

Sicut misit me viuens. Viuebat Verbum omni sanctitatis candore ornatum, cùm humanam carnem assumpsit: ergo si homini esset possibile. Verbi debuisset sanctitatem, candorémque imitari, cùm hanc carnem Eucharisticam induit. Profectò qui altari inconcinnis moribus audet accedere, videtur Dei maiestatem despicere. c.6.§.93.p.151

Sicut misit me viuens Pater. Missum Verbum Patris erat perfectissima imago, cùm carnem induit: ergo Filij induat imaginem, qui altari accedens Christo se induit: *Ipse viuet propter me*, id est vt carnem meam induat, viuat mei imago, immò mei totus. Qui Dei esse totus desiderat, saporatis virtutum fructibus floreat c.1.§.2. p.2

Non sicut manducauerunt. Manna manducabant certa in mensura, *Gomor per singula capita.* Hic non præscribitur mensura, quia de virtutum, puritatisque candore desumitur taxa. Accedendi frequentia desumenda est à virtutum copia, & candoris, vitæque elegantia. c.1.§.25.p.7

Sicut misit me. Missus est Dei filius carni vniendus, tota diuinitatis luce exornatus: ergo qui in altari hanc carnem induit, studiosè curet nullis defectibus pollui, sed eximia virtutum luce radiare. Huic mensæ accedens, & consecratus nullis maculis polluatur obscurus c.1.§.63. p.14

Et mortui sunt. Qui manna alebantur, mortem subierunt, quia carnes desiderando peccarunt: ergo qui carne Christi alitur vitam vereatur ad mortem detorquere, & mortem ipsa vita maturare. Est namque miserum laborare remedio. & perire in portu naufragio. c.18.71.p.15

In me manet. Qui hac carne vescitur, à se ipso feliciter transmigrat, & meliorem induit fortunam: ergo imitetur honestè, quod superbia exequitur satis fastosè. Nam si ad cumulatiorem transeat fortunam, antiquæ vilitatis adnititur abolere prorsus memoriam. c.1.§.104. pag.20.

Et ego viuo propter patrem. Id est, propter Patris honorem, gloriamque. *Et ipse viuet propter me*, id est, nihil sibi adscribet, sed ad mei gloriam omnia diriget, & consecrabit, & se dimittet tantò humilior, quantò virtutum culmine celsior. c.1.§.106.p.22

Viuet propter me. Hoc sacro epulo innutritus viuit, & fulget, & solida felicitate vtitur, nam ex Deo nascitur; qui ex Deo non viuit, vitæ solùm vmbram gerit. Solida fortuna est, quæ de virtutibus oritur; infirma, & inconstans, quæ caducis splendoribus nititur. c.2. §.17. p.25

In me manet. Qui Deo accedit, eiusque mensa fruitur, diuinus quodammodo iam habetur: qui sæculo adhæret, & fallas eius delicias sitit, ab homine degenerasse probatur. c.2.§.66.p.35

In me manet. Manet iam, qui anteà inconstans, & vagus. Manet Deo vnitus, & verè magnus; anteà quantumuis ad speciem magnus, sine Deo erat exiguus. Quæ venit de hoc epulo magnitudo, semper est solida, quæ de humana fortuna, volatica, & fluxa. c.2.§.67. pag.36.

Pro festis Virginis Mariæ Dominæ nostræ.

Pro festo Conceptionis.

Matthæi 1.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid. Vt Dauid generali assensu acclamatus, & à Domino resplendit electus, etsi à Saüle confictis criminibus impetitus, quia per eum cœlestia sceptra, & Christi Domini mundo humanitas profluxura; ita Maria, quia Mater, omnium ore conclamatur ab originali labe prorsus exempta, & regalibus diadematis coronata: cumulata felicitas est non solùm dignitatem possidere, sed generalitatis plausibus celebrari. c.12.§.57.p.294

Filij Dauid. A regia stirpe proditur Christus exortus sed angustius eius elogium est, fuisse à Maria sine labe concepta procreatum: nam etsi eximia sit filiorum gloria nobili vena exoriri, augustior est à sanctis parentibus procreari. c.1.§.11.p.4

De qua natus est Iesus. Cur filius tenero erga matrem amore sancius naturæ legem non derogaret, & honestè limites humani iuris excederet? quando humanus amor erit mirum, si se contineat, nec limites iuris excedat. c.1.§.32. p.9

De qua natus est Iesus. Delictum habebatur, si quid pollutum altaribus offerretur: ergo, qui honorem curauit altaris induendo carnis accuratius solicitaret honorem. Non debuit vlla peccati macula pollui, quæ Verbo constabat caro dicari. c.1.§.63.p.14

De qua natus. Honor matris originis legem expungit maculæ abigit suspicionem Euangelista, cùm materna testatur, singularique inter omnes fœminas lucere prærogatiuæ excellentia. Certè quæ constat maternitate efflorere, fas est suspicione non denigrari. cap.7. §.98. p.187

De qua natus est Iesus. Quis explicare possit, quies virtutibus fuerit exculta, quæ à mundi exordio in matrem Domini fuit electa? Non debuit communi lege constringi, sed singulari priuilegio gaudere, quandoquidem speciali priuilegio sæpè virtute eximij donantur, nec communi lege tenentur. c.7.§.99. ibid.

De qua natus. Quia in Matrem Christi deligebatur non solùm in primo naturali instanti originali culpâ non sorduit infectâ, sed resplenduit lauris triumphalibus coronata. c.5.§.11.p.94

De qua natus est. Non solùm Maria ab omni labe in primo instanti immunis resplenduit, sed si diabolus captiuitatem tentauit grauissimas pœnas dedit. Quandoquidem qui Dei Arcæ captiuitatem tentarunt confusi pœnas dederunt. c.5.§.58.p.104

De qua natus est Iesus. Maria, cùm Dei Verbum carne induerit, cùm virgam regiam portarit, triumphis semper sæculo celebrandis resplenduit. Quis æstimet aliquo instanti exemplar egisse captiuum, quando compulsi sunt ad publicè fatendum Arcæ imaginis eius

eius victoriam, qui captiuitatis impingere conati sunt ignominiam. c.6.§.23.p.123.

De qua natus est Iesus. Dum Euangelista Matrem testatur, cæteras fœminas excessisse meritis proditur, & ex meritorum excellentia non dubiè colligitur Conceptionis prærogatiua: Nam qui meritis antecellit, à Deo primileg.is nobilitatus refulget. c.6.§.98.p.141

De qua natus est Iesus. Quàm prudenter confitemur nil in Maria aliqnando licuisse dæmoni; quandoquidem existimasse Bethsamitam licuisse aliquid in Arca virginis imagine hosti diuinam contra eum indignationem accendit, & pœnas tulit. c.6.§.101.p.154

De qua natus est Iesus. Vt parentum merita in filiis remunerantur; sic filiorum merita in parentibus præmium assecuntur: ergo si Bercelai filius singulari honore est donatus, quia parens Dauid opem tulit, & munera obtulit; quis dubitet, cùm Christus ob Dei honorem crucem tulerit eius Matrem singulari honore resplenduisse nobilitatam, & ab omni labe exemptam. Parentum merita remunerantur in filiis, & agnoscuntur in præmiis. c.2.§.114.p.47

Maria nata. *Matthæi* 1.

Liber generationis. Vbi Maria Domina nascitur antiquissima, nobilissimáque eius origo refertur. Est enim magni habendum à defœcata nobilitatis vena traxisse exordium. c.1.§.1.p.2

Filij Dauid. Grande elogium est clara ex origine orti, sed grandius à sanctis parentibus procreari: ergo hic ortus ex omni parte beatus, quia Maria regia stirpe procreata, quia à sanctis parentibus genita, & quia filio omnium pulcherrimo fructu ditanda. c.1.§.11.p.4

De qua natus est Iesus. Huius pulcherrimæ puellæ eximiam Euangelista fore testatur fortunam, dum asserit incarnãdo Verbo carnis exhibituram materiam. Certè materiam quisque offert qua felix fulgeat, aut infelix fordeat. c.10.§.1.p.227

De qua natus est Iesus. Nascitur summis honoribus nobilitata, plurimis priuilegiis in lucem edita, vt Verbo virginalem carnem ministrarit, & humanam salutem fouerit: ergo Euangelista nobis matrem proponit, & ab humana consuetudine degenerasse nobiliter asserit. Cùm plures, si dignitatis culmen adepti, degenerarint legis, & obligationis obliti. c.10.§.6.p.229

De qua natus est Iesus. Mundo nascitur gaudium, parentibus decantandum elogium, non quia prosapia nobilis adaugetur, sed quia filia, quæ Dei matrem decebant, virtutibus expolitur. Parentes accuratè educarunt: ergo vberrimum fructum demessuerunt. Sæpè filij ad parentum dedecus sunt exorti, quia nulla cura educati. Miraculi adinstar erit, si filius studiosè non educatus, virtutibus euaserit expolitus. c.10.§.40.p.240

De qua natus est Iesus. Ad Matris dignitatem eligenda regali origine constat exorta: dedeceret ad tantam dignitatem eleuari, & prosapia ignobili oriri: quando fas est non denigrari prosapia, qui ascendit ad dignitatum excelsa. c.9.§.1.p.208

De qua natus. Vt recens natæ puellæ eximiam venustatem, & miram corporis habitudinem nobis Euangelista referret, Dei asseruit matrem. Dauid, quia in patrem assumendus decora facie, & pulchra corporis habitudine proditur decoratus: ergo Maria denuntietur ab Euangelista Mater, vt compertum fuerit eximia ornatam pulchritudine, & corporis venustate. Decet decora corporis habitudine exornari, qui ad dignitatem eligendus, & præ cæteris dignitatibus decorandus. c.9.§.4. p.209

De qua natus. Maria edita clarissimam à parentibus nobilitatem traxit, sed ab eius fructibus, Christo scilicet filio, augustiorem nobilitatem quæsiuit: nec enim illustrior adeò est nobilitas à natalibus orta, quàm propriis virtutibus, & facinoribus parta. cap.9.§.20. pag.214.

De qua natus est Iesus. A Deo in matrem describitur electa, vt virtutibus constet cumulatè insignita. Si mundiales electores nulla vtilitas persuaderet, & nulla affectio obscuraret, ipsa electione electi proderent merita, & pro laudibus essent suffragia. Quandoquidem si elector nullis affectionibus denigratus, ad dignitatem ascitus, electione ipsa probatur dignus. c.9.§.35.p.219

De qua natus est Iesus. Vt recens natæ puellæ mirandas Euangelista dotes explicaret, Christi Domini matrem dixit. Nec enim quæ ad tantam dignitatem electa, aliqua eximia dote inueniri potuit nuda: quandoquidem eximiis Deus solet dotibus nobilitare, quos ad culmina decreuit euehere. c.9.§.45.p.222

De qua natus est Iesus. Puella gratiarum manibus facta nascitur, vt Christum hominum salutem edat: Virgo tamen maternitatem quodammodo produxit, & ad homines ampliauit; nascitur, vt mater sit peccatorum; nascitur, vt sit virtutum fomentum, nascitur, vt Angelorum sit gaudium. Vt discant Dei serui non solùm muneris obligationem implere, sed etiam auctarium addere. c.6.§.70.p.142

De qua natus est Iesus. Eua mater viuentium in mundum intulit lamentum: Maria, quæ mater viuentium nascitur, hominibus restituit gaudium: ergo de Euæ erroribus nescio quis lepor accrescit Mariæ virtutibus. Pars fortunæ est odioso prædecessori succedere, & actionibus contraire. c.7.§.45.p.171

Maria nominata. *Lucæ* 1.

Et nomen Virginis Maria. Nomen stellam sonat, Dominam prodit, matrem promittit, & omnia inuenies à Virgine cumulate perfecta, non vt alij, qui vacua portant nomina, & excusato laboris censu nominis ambiunt potiri elogio. c.1.§.33.p.6.

Et nomen Virginis Maria. Maria stella, & Domina interpretatur: ergo nobis edidit Christum veram lucem, cùm stella laboriosis itineribus Ægyptum petierit, & variis circuitionibus mundum illustrarit. Domina, & stella sibi arrogauit laboriosa, vt impertiret nobis salubria. Vt superior discat procurare subditis commoda & assumere sibi aspera. c.1.§.34.p.9

Et nomen Virginis Maria. Maria stella interpretatur: ergo stella lucem non possedit ad vanitatis fomentum, sed nobis effudit Christum veram lucem ad omnium gaudium. Non omnes imitantur Mariam, cùm sint plures, qui accepta à Domino dona detorqueant ad vanitatis fomenta. c.1.§.43.p.10

Et nomen Virginis Maria. Nomen eximias prodebat dotes, & mirandas publicabat virtutes. Sic meruit vocari, quam parentum eleemosynæ, & preces meruerunt obtinere. Filij orationibus, & eleemosynis impetrati, vt plurimum virtutibus refulserunt conspicui. c.1.§.86. p.18

Et nomen Virginis Maria. Nomen plurima promisit sed omnia Maria cumulatissimè impleuit. Vt discant Rex, Episcopus, Prælatus actione implere, quod nomine videntur promittere. c.2.§.2.p.22

Et nomen Virginis Maria. Maria interpretatur, *Domina*, & ab exordio Regina resplenduit, quia ab exordio nomen, dignitatémque dignis actionibus honorauit. Non omnes etsi Reges nascantur, semper Reges resplenduerunt, quia solùm illud tempus debet censeri, quo dignitas constat dignis actionibus commendari. c.12.§.59.p.291

Et nomen Virginis Maria. Maria interpretatur Domina marisque stella: ergo hic dies probatur omnibus faustus, & felicissimus. Nec enim diuina hodie effulgere nequit misericordia, cùm ad regium thronum puella euehitur gratiarũ manibus facta. c.11.§.54.p.266

Et nomen Virginis Maria. Hoc nomen vt hominibus inuenitur salubre; sic dæmonibus exitiale. Dæmon aliquando abigitur, sed per Mariam prorsus extinguitur & conteritur. Est namque sanctissima Virgo impuritatis excidium,

excidiũ,& diabolicæ fraudis tormentum.c.5.§.10.p.94

Et nomen Virginis Maria. Interpretatur ſtella, & quidem congruit nomen ; nam vt ſtellæ cœlo inſertæ ab exordio reſplenduerunt luce clariſſima circumfuſæ; ſic Maria à primo naturali Conceptionis inſtanti reſulſit ſtella,& gratiæ luce clariſſima circumfuſa. c.5.§.11. ibid.

Et nomen Virginis Maria. Domina interpretatur : nec dubito fuiſſe ab Angelis hoc nomen dignis plauſibus celebratum, & dæmonem ad illud ſuſpiciendum compulſum. Quàm fuit dæmoni miſerum à cœlo deturbari , quàm fuit acerbum ad hanc puellam ſuſpiciendam compelli. Neſcias an illi amarius ad excellentiam huius puellæ coſitendam compelli, aut à culmine deturbari. c.5.§.23.p.98

Et nomen Virginis Maria. Dominam , ſtellámque nobis proponit Sacer Textus hanc puellam , vt dum ab ea illuſtrari , & confoueri ſperamus , ei officioſa obſequia præſtemus. Et quidem apud ſæculum , ſi ſpem ſuſtuleris,nec pendetur cultus , nec plauſus. c.5. §.29. p.101

Et nomen Virginis Maria. Ipſum ab exordio nomen prodidit Dominam,& Reginam.Hinc eſt,quod dæmon eius pedes conteritur,cùm inſidias primis greſſibus obtendere adnititur. c.5.§.38.p.104

Maria Præſentata. *Lucæ* II.

Beatus venter qui te portauit. Maria templum adit trima cœleſtibus oculis præſentanda , & ad maternitatem Chriſti miris virtutibus diſponenda. Parum iuvat Deo dicari , ni ſtudeas mandatis cœleſtibus obedire. c.14.§.42.p.307

Qui te portauit. Ad hoc templorum abdita petit, vt eximia humilitate Verbum de cœlis attrahat , candidiſſimis viſceribus concipiat,& lacte virgineo alat. Virginem deberent imitari, qui renuntiant ſæculo,& feliciſſimo ſe abdunt clauſtrorum latibulo : verùm aliquando Deo ſacrati quidquid honoris exambiunt , quidquid laboris refugiunt. c.10.§.70.p.250

Beatus venter,qui te portauit. Dum humanos oculos fugit , dum apud ſæculum magni habita generoſitate lucroſa ſpernit , inuenta eſt digna, quæ Dominum ventre portaret , & vberi lacte nutriret. Nihilominus in templo inuigilabat, & parta victoria , otio nullatenus indulgebat. Edocens ſuis factis poſt de ſæculo reportatam victoriam oportere ſolicitis excubiis inuigilate,nec ſecuritatem ſibi promittere.c.11.§.6.p.253

Beatus venter. Templo dicata Dei facta eſt templum quo Verbum iucundè inhabitaret , & placidiſſimè degeret. Quæ ad monaſteria confugiunt virgines omnem ſæculi affinitatem effugiant , vt Domini templa fiant : nam ſi in ſæculi remaneant confinio, duro forte vrgebuntur bello. c.11.§.4.p.252

Beatus venter, qui te portauit. Templo dicata fugit hominum conſpectum , ſed ibi cœleſtibus meditationibus innutrita , eſt diuini Verbi Mater effecta. Quæ Dei domum inhabitant , meditationi cœleſtium incumbant , vt auertant pericula , & reportarint trophæa. Nam oratio dæmonis vires frangit, & eius techinas eludit. c.11.§.20.p.259

Beatus venter, qui te portauit. Templorum abditis abſcondi , deliciis ſæculi renuntiare , ad ſpeciem & durum , & rigidum , reapſe iucundum , placidum. Ecce Maria totum gaudium pectore gerit.*Beatus venter* dum mundum fugit. Apud ſæculum remanentibus accidere ſolet contrarium : nam mundus fallacibus initio deliciis allicit,ſed duriſſimè poſteà premit. c.12. §.23. p.281

Beatus venter,qui te portauit. Maria templum inhabitans ea morum concinnitate efflorui , ea virginei candoris luce reſplenduit , vt Verbum Dei allexerit,& corde fouerit. Nonnullæ virgines cum ſæculo delicias volaticas ſpreuerunt generosè,ſed recularum affectione inueniuntur aliquando impeditæ.Et quidem reprehenſibilis eſt,quæ magna vicit,& in exiguis defecit. c.12. §. 34. p.287

Beatus venter,qui te portauit. Trima cœleſti inſpiratione illuminata non diſtulit ſæculum derelinquere , & penetralibus templi recondi ; vt prudentium virginum eſſet norma : eſt enim prudentia inuitè non trahi ſed inſpirationem expromptè ſequi. c.12.§.43.p.288

Beatus venter,qui te portauit. Vt huius Præſentationis agnoſcatur plena felicitas , non ſolùm refertur Maria exterius oculos fugiens,ſed Dei Verbum internè fouens Parum namque eſſet exterius viam virtutis ingredi , ſi interius contingeret vanis appetitionibus lordidari. c.12.§.60. p.295

Beatus venter, qui te portauit. Quanta ex hac Præſentatione Ioachimo, Annæque gloria reſultarit , explicari haud facile eſt. Catuerunt eius præſentia , ſed inenarrabili potiti ſunt gloria. Quidquid à filiis decorosè efficitur , parentum laudi applicatur. c.13.§.23. pag.307.

Et vbera,quæ ſuxiſti. Maria latere ambit , ſed quid templi receſſibus egerit , Chriſtus ab eius vberibus pendens oſtendit. Dei Verbum internis viſceribus abditum , exterius apparuit cœleſti lacte innutritum. Nam licet ſancti latere exambiant , ſuis ſe virtutibus manifeſtant. c.14.§.35.p.338

Et vbera,quæ ſuxiſti. Vt nouerunt parentes cœleſti filiam , etſi adeò parvulam , impulſu agitari , non obiecerunt ætatem, vt retardarent , immò eius vota fouerunt , temploque dicarunt. Nam prudens pater filiorum adnititur pia deſideria fouere , & timet obſi ſtere,aut retardare. c.1.§.95.p.18

Maria ab Angelo Annuntiata. *Lucæ* I.

Miſſus eſt Angelus Gabriël. Maria ſanctiſſima gratia refulget plena , & nihilominus ſe imparem putat , ancillamque vocat. Nam ſe dignitatibus impares arbitrantur , qui virtutum ſuffragiis cæteris præponuntur. c.10.§.57. p.246

Quomodo fiet iſtud. Non rapitur deſiderio dignitatis inconſultè , ſed quid difficultatis poſſit occurrere,prudenter expendit. Noluit humilitati detrahere , ſed ab Angelo ſemel , & iterum perſuaſa obedire. Nam qui dignitatem ſitiuit , aliquid humilitati detraxit.cap. 10. §.58. ibid.

Superueniet in te. Iam Angelus ſanctitatis Virginis clariſſima argumenta prodit , cùm exundaturam gratia quam aliis impertiret aſſeruit. Vera , heroïcáque ſanctitas ſe aliis communicat , & ſui participes habere anhelat. c.2.§.10.p.24

Hic erit magnus. Magnus erit,non vanè,ſed ſolidè , & verè. Eſſe magnum apud Dominum eſt ſolidum , eſſe apud homines magnum,& volaticum,& fluxum. c.2.§.67. p.36

Miſſus eſt Angelus ad Virginem. Ad tota virtutum pompâ reſplendentem Angelus mittitur,& ipſe Angelus gratia plenam teſtatur, vt electa meritorum ſuffragiis nullatenus dubitetur. Ex dignitate expende merita & ab hac electione, eligendi deſumatur norma. Qui affectione , non meritis ad eligendum ducitur ſibi , & electis imprudenter aduerſatur. c.2.§.96.p.44

Miſſus eſt Angelus. Ocyſſimis alis inuolauit , & nihilominus cùm Maria iam Deum inuenit: *Dominus tecum.* Angeli nullatenus anteuertiſſet volatum , ſi inflicturus fuiſſet ſupplicium. Nam impertiri beneficia accelerat;ſupplicia inferre procraſtinat. cap.2.§.109. p.49

Ad Virginem. Non ambiuit Virgo,quam merebat , dignitatem , meritum pro Maria locutum eſt. Vt hinc inſtruatur bona politices, & benemeritum , quin ipſe ſolicicitet , ad culmina dignitatum euexerit. c.2.§.112. ibid.

Quomodo fiet iſtud. Dum Maria in examen vocat, quæ

quæ sibi Angelus reuelat, docuit cuique spiritui non facilè credere, sed reuelationem prudentiæ, & maturitatis lance fidelissima examinare. c.3.§.23. p.59

Turbata est. Non est turbata cæcâ anxietate, sed prudenti timore. Edocuit timor prudentis examinationis judicium, & consilij magisterium. Nam cordatus timor est consilij pater, erroris obex. c.4.§.25. p.79

Ad Virginem. Floruit Maria virginitatis candore, honore maternitatis. Virgo resplenduit, vt esset impuritatis excidium: Mater emicuit, vt esset diabolicæ frandis tormentum. c.5.§.10. p.94

Ad Virginem. Quæsita est Maria non solùm vt Mater vniuerso mundo pareret gaudium, sed vt diuinæ iræ esset etiam delinimentum. Nam Maria iram Dei temperat, & peccatores cum Numine reconciliat. c.5.§.40. p.105

Ecce ancilla Domini. In ancillarum censum se humiliter dejecit, quæ in Dei Matrem electa, & Angelorum Regina meritorum iure inaugurata. Quò plus antecedebat virtute, profundiori excelluit etiam humilitate. Nam qui virtutibus ditior, humilitate depressior. c.2.§.106. p.48

Elisabeth Visitata. *Luc.* 1.

Exultauit infans. Quis dubitet Zachariæ domum, Maria aduentante omni ex parte fortunatam extitisse; Ioannes ad eius præsentiam nunquam violandam init cum Christo amicitiam; Elisabeth prophetiæ recipit gratiam; nam Maria sanctissima, & sanctitatem promouet, & peccatores cum Numine reconciliat. c.5.§.40. pag.105.

Vnde hoc mihi. Elisabeth plena cælesti proditur spiritu, cùm Mariæ dignitatem cordiali celebrat gaudio. Cùm apud sæculum aliena felicitas odium pariat, & malint plures calamitatem pati, quàm æqualem, aut consimilem resplendere. c.5.§.55.p.110

Cum festinatione. Baptistæ lucem infundere properabat, & lucernæ splendidissimæ Salvatoris aduentu rationis anticipationem gressu citissimo satagebat. Nam quæ ad communem salutem pertinent, non sunt lenta ignauia procuranda, sed prudenti velocitate arripienda. c.6.§.38. p.128

Cum festinatione. A culpa Ioannem properabat educere, & licèt puritatis esset Mariæ candor, publicum & fugiebat, & vt effugeret, properabat. Te edocens sic alienæ prouidere saluti, vt tibi consulas, & periculum fugias. c.6.§.39.p.74

Exultauit infans. Iam Baptista præsentia Salvatoris illuminatus, gratiæque restitutus, leges naturæ transgreditur, saltibus loquitur. Ante tempus gestit prodire, quia salvatorem desiderat cunctis ostendere. Dum non attendit naturæ, blanditur gratiæ. Nã si honestè natura vincatur, interna gratia cognoscitur. c.6.§.43.p.130

In gaudio. In gaudio exultat puer Deo plenus, & à peccati vinculis exolutus. Nam Deus cordis tristitiam depellit, & verum secum gaudium adducit. c.6.§.64. pag.131.

Vt veniat Mater Domini mei. Ad montana perrexit Maria, vt Baptistam à vinculis peccatorum absolueret, & digna Elisabeth eius refert elogia, & publicat dignitatis fastigia. Nam labor, qui pro virtute subitur, honoris in lucrum vertitur. c.7.§.2.p.160

In domum Zachariæ. Apud Zachariam Sacerdotem manet sanctissima Virgo. Nam Sacerdos ea puritate, morúmque elegantia debet nitere, vt eius domus sit dignum Dei hospitium, immò gratum habitaculum. c.7.§.7.p.161.& 9.10. & 11.ibid.

Beata, quæ credidisti. Elisabeth Mariæ dotes publicat, & se indignam tanto honore fatetur, & normam laudandi præbet. Nonnulli aliorum dotes silentio tegunt, & suas occasiones quavis extollũt. c.10.§.46.p.243

In domum Zachariæ. Vbi Zacharias Virginem hospitio recipit, vbi humanis officiis colit, filio prouidit. Iam culpa exoluitur, iam gratia repletur. Qui Deum in pauperibus suscipit, qui misericordiam impendit, filiis acquirit commoda, & honestissima percipit lucra. c.1.§.13. p.4

Vt facta est vox. O quanta vox Virginis, quæ hominum, Angelorúmque erat superior, energia viguit ad culpam expungendam, & naturam reformandam. Si à corde culpa polluto vox proditet, Ioannes expuncta culpa non saltaret. Profectò labia superiorum ad corrigendum clauduntur, si culpis, & cupiditatibus defœdentur. c.1.§.22. p.6

Et visitauit Elisabeth. Maria superior venit ad Elisabeth inferiorem; Christus ad Ioannem. Sese demittit depressior, quisquis virtutibus ditior, vt habes. cap.2. §.106.50. Et ad aduentũ Christi infans exultat in gaudio. Et quidem cor implet gaudium à Dei gratia, virtutéque emanans, non à deliciis, aut vanitate resultans. c.2. §.3. p.23

Maria Partum expectans. *Luc.* 1.

Fiat mihi secundùm verbum tuum. Maria sanctissima flagranti desideriorum æstu incarnatum Verbum diuina iam suggere vbera anhelat, & desideriorũ fructus fuit Christi citiùs frui aspectu, & omnium celebrari plausu. Nos stulti eis rebus desideria nostra dicamus, vnde nullum fructum colligimus. Quisque sua examinet desideria, & inueniet non rarò affectum impendere, & nullum fructum percipere. c.1.§.30. p.8

Fiat mihi. Ardenter desiderat filium, vt ei obsequatur, vt eius obsequiis mancipetur: ergo optatis feliciter fruitur. Est enim impetrandi artificium, si desiderata consecraueris ad largitoris obsequium. c.1.§.62.p.14

Fiat mihi secundùm verbum tuum. Indefessis desideriis, anhelis votis natum filium vberibus infigentem labia videre desiderat: ergo obtinuit, quod diù, & ardenter desiderauit. Optatis namque fruitur indefessa orandi assiduitas, & infracta difficultatibus studiositas. c.1.§.66. ibid.

Fiat mihi. Oratione ardentissima peperit, & partum desideriis ardentibus maturauit: ergo filius nascitur matris honor, & mundi salus. Profectò filij sanctis precibus, & desideriis ardentibus maturauit: ergo filius nascitur matris honor, & mundi salus. Profectò filij sanctis precibus, & desideriis ardentibus impetrati, ferè semper virtutibus refulxere conspicui. c.1.§.86. p.18

Fiat mihi. Acceperat virgineis pectoribus Verbum, vtero fouerat incarnatum: ergo anhelat purissimo lacte innutrire: suis nos edocens desideriis accepta à Deo beneficia dignis incrementis augere, & augmentis semper perficere. c.1.§.90.p.18

Ecce ancilla Domini. In ancillarum censu se retulit in matrem electa, & dum Deo plenior, apparuit humilior. Profectò sese demittit humilior. quisquis virtutum fructibus inuenitur vberior. c.1.§.106. p.21

Fiat mihi. Acceperat singularissimum beneficium, & ad aliud prometendum se se excitat ardentissimo desiderio. Vt noueris acceptis à Deo beneficiis ignauè non quiescere, sed ad vlteriora conari. Nam à Deo collata esse debent ad vlteriora incentiua. c.2.§.4.p.23

Fiat mihi. Deum præcordiis gestabat, in lucémque edere ad omnium vtilitatem ardebat. Contenta non est Deum sibi habere, sed aliis suspirat communicare. Nam eximia sanctitas ardet virtutem aliis communicare, & satagit consortes habere. c.2.§.10.p.24

Fiat mihi. Deo plena nil aliud, nisi Deum nouit sitire, & noua incrementa ardere. Nos cæci nostra indignis appetitionibus desideria sacramus, & ambiendis incrementis resistimus. c.2.§.58.p.33

Fiat mihi secundùm verbum tuum. Interius erat Deo plena, sed exterius etiam Deo plena apparere suspirat; vt nouerint virtutis alumni satis non esse interna sanctitate fulgere, sed oportere etiam externa actione radiare. c.2.§.88.p.42

Fiat mihi. Desideriorum merces fuit filius, gratiæ origo, fons virtutum. Magnum profectò meritorum parentis est filius virtutibus expolitus, & morum luminibus exornatus. c.2.§.115.p.50

Fiat mihi secundùm verbum tuum. Eadem verba modò repetit, vt in lucem edat, quæ protulerat, vt conciperet. Ea desideria nouis incrementis prosequitur, & perficere studiosissimè adnititur. Vt discas non tepere, sed honesta desideria noua semper solicitudine incrementare. Parum juvat floreat initio virtutis studium, si marcescat exiguo tempore desiderium. c.3.§.2.p.52

Maria Purificata. *Luc.* 2.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, &c. Maria puritatis candore micabat, & à lege exempta singulari priuilegio gaudebat; maluit tamen legem implere, & omnem suspicionem vitare: edocens virtutis studiosos, opus esse interna sanctitate, & externa etiam opinione. c.2.§.88. p.42

Expectabat redemptionem Israël. Bonus minister Simeon ad publicam Reipublicæ vtilitatem electus, & Dei Sacerdos satagebat Principis honorem, & Reipublicæ vtilitatem. Cùm non semel ad publicam vtilitatem electus suæ indulgeat cupidini anarus. cap.2. §.94. p.44

Vt sisterent eum Domino. Virginis Dominæ nostræ facta omnibus sunt pro doctrina: puerum Iesum tulit diuinis conspectibus præsentandum. Inuenias parentes, qui non curent filios virtutibus expolire, & solicitè satagant facultatibus adaugere. c.2.§.97. p.45

Lumen ad reuelationem gentium. Simeon, qui corde Spiritum Sanctum gerebat, puerum miris encomiis extulit, & omnium esse salutem prodidit. Qui non bono spiritu ducuntur, in aliis solum vident tenebras, & nunquam aspiciunt glorias. c.3.§.8. p.53

Et gloriam plebis tuæ. Christi nomen promittebat & gentibus lucem, & suis gloriam: ergo testatur Simeon non portare nomen vacuum, sed plenum. Esset enim indecorum, si nomen aliud promitteret, & contrarium actio ostenderet. c.4.§.3. p.71

Accepit eum in vlnas suas. Lætus, securúsque, vbi Deum accepit, exolui carnis vinculis exambinit. Nam, vt impuris acceptus manibus affert perniciem; sic puris manibus contrectatus maturat, felicitatem. c.4.§.19. pag.77.

Par turturum. Placuerunt munera, quia commendabantur conscientia. Nam si contradiceret conscientia, non multum prodessent munera. c.4.§.20. ibid.

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum. Prænuntiauit gentilium salutem, vt qui Christum Deum crederent; Israëlitarum plurium prædixit ruinam, quia despicerent, mortíque traderent. Ecce Christus apud suos despicitur, apud exteros æstimatur. Sæpè namque excellens à propriis despicitur, ab exteris dilaudatur. c.4.§.24 p.78

Nunc dimittis. Inseruierat templo, consecratus fuerat altaribus, & mori voluit, cum manibus Deum habebat; timeret, & iure, si Deus abesset, vitam finire. Est enim miserum Dei domum diù inhabitare, & Deo absente mortem oppetere. c.4.§.49. p.87

In ruinam. Cruci affigentes sibi gratulabantur, quòd reportassent triumphum, & suam arbitrabantur stabilisse fortunam, cùm reuera præmaturassent miseriam. Reuera est sæpè casus, qui ad speciem videtur triumphus. c.5.§.12.p.95

Lumen ad reuelationem gentium. Legem adimplens non videbatur ab aliis differre: adeò tamen eius lux erat magna, vt nequiuerit non micare; ipsa se virtus prodebat, Christus ad speciem celabat. O si virtus auctorem fulgore proderet, & auctor plausum effugeret! c.5.§.16. p.96

Tuam ipsius animam. Mariæ prædixit acerrimo fore percellendam dolore ob immeritam filij mortem. Doloris gladio transverberata ingemuit, sed Deo subiecta se cum voluntate Numinis conformauit. Non vult Deus suos sensus expertes, sed in dolore, & calamitate diuinæ voluntati conformes. c.6.§.51.p.134

Maria ad cœlos Assumpta. *Luc.* 10.

Intrauit Iesus in quoddam castellum. Martha Deum suscipit, & in parandis laborat ferculis, sed defuncto Lazaro impetrauit vitam, & sibi æternauit gloriam. Nam labor, qui pro virtute subitur, in honoris, felicitatísque lucrum vertitur. c.7.§.2.p.161

Solicita es. Non attendebat Martha otio, sed amori; laborabat, vt dilecto suo opiparam disponeret mensam, & exiguam reputabat omnem laboris angustiam. Nam generosus amor propriis commodis non attendit, sed exhibere amato officium studet. c.7.§.31.p.167

Sedens secus pedes Domini. Maria duratura exambit; Martha caducis intendit: ergo altera laudatur, & soror altera reprehenditur. Vt noscas non duratura magnis laboribus non procurare, nec anxia solicitudine ambire. c.8.§.21.p.194

Turbaris. Christus, vt Marthæ excuset laboriosam solicitudinem, vnico vult ferculo recreari: *Vnum est necessarium.* Et vtinam Christum imitarentur magnates: verùm aliquando potiùs curant sibi acquirere, quàm subiectorum commodis prouidere. c.8.§.45.p.201

Sedens secus pedes Domini. Accepit Christus à Maria religiosum officium, quia dilargiti poterat dignum præmium. Nam ingenuus recusat beneficium accipere, ni digna quiuerit gratitudine compensare. c.9.§.22. pag.214.

Suscepit eum. Laborabat Martha, vt domum expolíret, & mensam saporatis ferculis Christo offerret. Nam pro hospitis dignitate, & exornari debet officium, & disponi prouidenter obsequium. cap.9.§.30. pag.217.

Solicita es. Et cur Martha famularum opera non vtitur, sed propria industria, & labore disponere conuiuium conatur? Quia non debet seruulis demandari, quod citò desideratur absolui. c.9.§.36. p.219

Suscepit eum. Marthæ domum Deus sua præsentia nobilitat: nam cùm Martha ob Christum subiret solicitudinem: *Solicita es*, eximium potiri debuit honorem. Nam præ aliis lucere debet honoratus, qui honestè præ aliis inuenitur officiosus. c.9.§.46.p.223

Non est tibi curæ. Videbatur Marthæ sororem maiori honore affectam, & placida quiete fruitam: & queritur non de ambitionis ingenio, sed de digno, & honesto inseruiendi Domino voto. Apud sæculum plures inuenies querulos non inseruiendi cupidos, sed eminendi ambitiosos. Ambitio sibi queritur ablatum, quod alteri, quantumvis digno, concessum. c.9.§.54. pag.225.

Sedebat. Dum plus Domino adhæret, dilaudatur à Domino, & dum diuinis verbis offert patulas aures, adquirit sibi virtutes. Quisque materiam offert, qua felix fulgeat, aut infelix sordeat. c.10.§.1.p.227

Turbaris erga plurima. Marthæ domus felicitate fulgebat, quia optimum consiliarium sortiebatur, qui agenda consuleret, & anxietatem depelleret Christus, teste Theophilactos ad hunc locum, consiliarium se gessit: ergo felix illa domus: est enim magna felicitas consiliariis optimis vti, detrimentum grande carere. c.10.§.33. p.238

Stetit. Priùs describitur solicita, & iam vestigia sistendo querula. Maria eundem tenorem seruauit, & Christo adhæsit. Parum juvat spiritu ebulliens ferueſcas, si quàm citò tepeſias. c.10.§.38. p.239

In festo omnium Sanctorum. *Matth.* 5.

Beati pauperes. Pauperes deprædicantur felices, quia fallacis fortunæ, & diuitiarum expertes. Rarus est, qui ad dignitatis, & fortunæ culmen elatus, egregiis fulgeat virtutibus expolitus. c.1.§.1. p.2

Beati

Beati pacifici. Qui diuitiarum,& dignitatum exortes tranquilla pace fruuntur, & multis angoribus liberantur. Nam qui splendet fortunæ culmine multiplici cogitur deludare certamine. c.1.§.3.p.2

Qui esuriunt, &c. Non magnus erit numerus hoc modo sitientium,cùm rarum sit virtutum sitire summa, vt frequens sequi mediocria. c.1.§.8.p.3

Qui sitiunt. Beati sunt, qui desiderant solida, vt infelices, qui sitiunt humana. Sed proh dolor! frequenter desiderantur, vndè nulli fructus nascuntur. p.8 c.1.§.30.

Beati,qui lugent. Qui lachrymis obarmantur,felicitatem veram assequuntur.Nam oratio dignis lachrymis obarmata gratam Numini vim infert, & feliciter prævalet. c.1.§.55.p.12

Beati pauperes. Spiritu pauperes vocantur humiles, nam nimio spiritu inflantur superbi:ergo dum humiles deprædicantur,beati virtutibus efflorere dicuntur.Nam virtutum fructibus inuenitur vberior, quisquis se demittit humilior. c.1.§.106.p.21

Qui persecutionem,&c. Satis non est persecutionem sustinere,sed patienter ob iustitiam tolerare: putares diuexatos persecutionibus miseros, & audis esse beatos. Patientia vberes fructus affert, & itab le gaud ium gignit. c.2.§.5.p.23

Consolabuntur. Solidè consolabuntur, quia virtutibus sibi promeruerunt solatia. Gaudium à virtute non exortum, & fucatum, & mentitum, & vanum, cor non implet gaudium à deliciis ortum, & implet à virtutibus procreatam. c.2.§.3.ibid.

Beati misericordes. Qui aliis misericordiam impendunt, beatitudinem sibi procudunt, & insuper humana acquirunt commoda, & frequentia eludunt pericula. c.2.§.31. p.27

Beati pauperes spiritu. Qui Christi ingrediuntur scholam, debent paupertatis incommodis se attemperare,non delicias inquirere: contingit tamen aliquando vt qui in sæculo augustè viuerent, Christi scholam ingressi obmurmurent, si lauta non contigerit mensa vu. c.2.§.52.p.31

Propter iustitiam. Qui ob virtutem patiuntur, deprædicantur beati; liceat tamen iustitiam interpretari, intelligique pro ipsis, qui ad virtutum designantur tutelam, cùm non semel persequutionẽ patiatur iustitia ab ipsis, quibus iniungitur eius tutela. c.2.§.57.p.33

Beati mites. Mites non solùm possidebunt gloriam, sed & possident etiam terram:eximia fulgent prudentia dum sic Deo seruiunt, vt sibi homines concilient, sic homines sibi conciliant, vt Numini seruiant. c.2.§.87. pag.42.

Pro S. Andrea Apostolo. *Matthæi* 4.

Ambulans Iesus. Andream vidit Christus retia fluctibus committentem, & vocauit spebus illectum, & lucris humanis occupatum. Paruit statim Andreas, & piscationis spes abiecit,quod eximiam eius virtutem declarauit. Cùm solicitiùs curent frequenter homines corporis vtilitati prouidere, quam animæ periculis obviare. c.5.§.56.p.111

Venite post me. Ad crucem, & laborem vocauit, & à temporalibus lucris abduxit,sed satius erat commodis carere, & Christo adiungi, quàm à Christo distare,& humanis commodis frui. c.6.§.2.p.114

Sequuti sunt eum. Sic Andreas Domini vestigiis adhæsit, sic virtutum cumulo resplenduit, vt cruci etiam iniqua sententia addictus,sanctissimus fuerit ab omnibus conclamatus. Heroïca namque virtus inter hostes etiam reuerentiam sibi conciliat, & æstimationem conseruat. c.6.§.5.p.115

Venite post me. Vocatus celeriter paruit, nec moras de industria nexuit. Plures, quid sequendum, non ignorant,sed ignavia inerti protelant.c.6.§.26.p.124

Sequuti sunt eum. Sequutus est Andreas Dominum vsque ad crucem, à qua totis nisibus renuit auelli, vt qui nouerat ab ea veram felicitatem hominibus promanare. c.6.§.32.p.126

Sequuti sunt eum. Alacriter Christi Domini crucem arripuit, qui aliorum laborem patratis miris emollire curauit: cùm de more cæteris sit crucem aliorum humeris imponere, vt inerti possint otio indulgere. c.6. §.33. ibid.

Sequuti sunt eum. Qua pependit diuexatus,cruce coronatur Christi vestigia sequutus. Crux tantisper discruciauit, sed æternam Andreæ gloriam partutiuit. Nam Domini crux tantisper atterit,sed plausibus æternandis deseruit. c.6.§.34.p.127

Sequuti sunt eum. Andreas ad omnium salutem vocatus, propriis renuntiauit commodis expeditus: piscationis abiecit lucra, vt Domini sequeretur exempla: Vt electus ad publicæ vtilitatis commodum æquitatis solùm amplectatur honestum.c.6.§.37.p.128

Sequuti sunt eum. A cruce adnitebantur populus Andream auellere, sed passus non est disiungi,edocens sic aliis prouidendum vt tibi consulas,& virtuti prouideas. c.6.§.39.p.129

Sequuti sunt eum. Lucrum vocabat,mare spebus detinebat, Andreas tamen vicit naturæ affectum, & sequutus est Dominum. Ab exordio virtus eius eximia enituit, quia omnes naturæ affectus viriliter subinganit c.6.§.43. p.130

Sequuti sunt eum. Dei beneficium honorauit, cum piscationi repudium dixit, & amplexus virtutem, immortalem sibi acquisiuit laudem.Nam sibi æternauerũt elogium,qui sæculo indixerunt repudium. c.6.§.46. pag 132

Sequuti sunt eum. Quàm rectis gressibus ad felicitatem peruenit, qui vocanti Numini paruit. Scitò Deum sequi aliquem laborem afferre, sed gressum inoffensum dirigere. c.6.§.49.p.132

Pro S. Francisco Xauerio Indiarum Apostolo. *Lucæ* 12.

Sint lumbi vestri præcincti. Discipulos ab exordio instruit cinguli dolori non cedere, lucernæ splendoribus non superbire.Opus est ad Dei domum tendenti vt Xauerio contigit, nec aduersis frangi, nec secundis ventis efferri. c.6.§.58.p.147

Et lucernæ ardentes. In lucerna lucis splendor charitatis est ardor,quo sic flammescere solent viri perfecti, vt maria,ventosque despiciant, nullis periculis deterrentur, nullis terroribus retardantur, vt contigit sanctissimo Xauerio pro animabus laboranti,& pericula despicienti. Laudabilis est proximorum commiseratio à virtute exorta, non imprudentia,aut culpis immixta. c.6.§.59. ibid.

Sint lumbi vestri præcincti. In cingulo angustia, in lucernæ splendore designatur lætitia,& quamuis ab ingenio videãtur hæc duo discordare,in Dei seruis probantur concorditer inueniri, exterius videntur tristari, sed interius constat gaudere. c.6.§.61.p.138

Sint lumbi vestri præcincti. Cingulum carnis edomat appetitum,lucerna illuminat intellectum, & vtrumque necessarium est ad optimum Dei effingendum ministrũ debent namque coniungi, & carnis mortificatio, & Scripturæ Sacræ eruditio. c.6.§.62.ibid.

Et vos similes hominibus. Servus fidelis à lucerna mutuatur ardorem,quo inflammatus inseruiat: *Lucernæ ardentes*: non sibi vsurpat splendorem, quo luceat. Xauerius solùm Dei gloriam ambiuit, non propriis plausibus insudauit. c.6.§.63.p.130

Similes hominibus. Nil aliud expectant, aut discupiunt serui fideles nisi Dominum, vndè assequuntur plenissimum gaudium. Xauerius cœlestibus flammis exæstuat,& amor gaudiúmque eius cordis capacitatem exuperat.Si vis perfrui gaudiis,oculos amove à terrenis c.6.§.65. p.140

NAXERA LIB. I. Reg. in. C. IV. 15

Faciet illos discumbere. Serui solùm student solicitè obsequi, curat Dominus pro meritorum qualitate præmia dilargiri. Apud sæculum qui plus meretur, solet postponi, apud Deum est certum efferri. Et quidem qui meritis antecellit, fas est præmiis debitis nobilitari, & nobilitatum fulgere. c.6.§.63. p.141

Expectantibus. Servus est, & quidem fidelis, qui muneri satisfacit, & solicito studio inseruit: verùm inter seruos, qui ardentiori flamma vtitur, vltra obligationem honestè Christo adulari conatur. Xauerius, quæ sui erant muneris, adimpleuit, & auctarium addidit. c.6. §.70. p.142

Faciet illos discumbere. Obsequiorum finis mors est, & in gloriam iam deponit cingulum, qui viuens inhiauerat ad tormentum; ab eius tamen adhuc in ipsa gloria peregrini assumit habitum, vt ad Indos delegarit Marcellum. Nonnulli Deum decernunt sequi, sed & terminum sibi præfigere. c.6.§.80 p.146

Sint lumbi vestri præcincti. Militari habitu seruos induit, & cum hostibus iubet congredi, nec periculis deterreri. Xauerius non exhorruit cum dæmonibus, & veritatis aduersariis certamina, immò hiauit, ad quæ propinanda illi affirmabant plures, venena. Cùm frequenter alij à virtute reuocent gressum, si vitæ immineat periculum. c.6.§.82.p.147

Lucernæ ardentes. Nullum vult Dominus in tenebris commorari, & ob id lucernis accensis seruos suos vel vltima terrarũ vult adire. Et quidẽ eximia virtus eorũ in ditione errores impetit, & deuincit. c.7.§.3.p.160

Faciet illos discumbere. Iam labor in gaudium vertitur, & qui laboriosas vigilias egerat, imperturbabili requie fruitur. Nam labor, qui pro virtute subitur, ad commodum spectare dignoscitur. c.7.§.2. ibid.

Pro S. Nicolao. *Matth.* 25.

Homo quidam. Homo iste, quantumvis nomen celet, Deus esse dignoscitur, dum bona sua egentibus generosè largitur. Et Nicolaus, quantumvis noctis vmbris tegatur, dum sua dilargitur, eximiè sanctus dignoscitur. Eximius virtutis cultor puellarum periculum depulit, & ad Deo obsequendum generositate traxit. Nam eximus virtutis cultor non tolùm legi obtemperat, sed alios trahere, vt obtemperent, adlaborat. c.1. §.18. p.5

Tradidit illis bona sua. Suis exemplis informauit, quos propositos aliis reliquit; ne quid discuperent auari, sed sua impertirent pauperibus generosi: aliter namque non tam corrigerent aliorum culpam, quàm peccandi exhiberent licentiam: nam si Prælatus cupidus, dum legibus infert iniuriam, delinquendi facit licentiam. c.1.§.5.p.2 & seq.

Et vni dedit quinque, &c. Non minus generosus apparuit, quàm dum quinque, dum duo talenta largitus est. Et Nicolaus Dominum imitatus beneficium puellis impensum de modo, & opportunitate commendauit, quia in beneficiis aliquando non tam quantitas attendenda, quàm opportunitas æstimanda. c.1.§.29.p.8

Secundùm propriam virtutem. Plura Domino lucratus est, qui ampliori virtute ornatus: *Ecce alia quinque*, &c. Nam qui legibus, & virtuti conformatus, plurimis inuenitur proficuus. c.1.§.36.p.9

Ecce alia quinque. Laudandus Nicolaus, dum quæ à Domino acceperat, in animabus lucrandis impendit, non euanido fastu insumpsit. Cùm plures detorqueant ad vanitatis fomenta, quæ acceperunt à Numine beneficia. c.1.§.43.p.10

Vocauit seruos suos. Non solùm cùm acceperunt, sed ante erant, quàm acciperent serui. Nonnulli ab hac seruitute desciscunt, si calamitate pressi, vt puellarum pater, qui earum pudicitiæ parabat insidias: & quidem nec solùm non erat servus, sed nec pater. Nec enim pater censendus est, qui filios genuit, ni eos virtutibus expoliuit. c.1.§.47.p.11

Lucratus sum. Muneri suo satisfecit, qui acceperat talenta ad honesta lucra, dum lucra attulit Domino digna. Sed proh dolor! Occasionem præbere solet à Domino recedendi, qui causa esse debuit approximandi. c.1.§.72.p.15

Et vni quidem, &c. Vt talenta traderet ascisuit; non expetierat, qui accepit ambitiosus, sed accepit vocatus. Ex horum censu erat Nicolaus, qui Episcopatum non ambiuit, sed compulsus accepit. Se se demittit humilior fructibus virtutum vberior. c.1.§.106.p.21

Secundùm propriam virtutem. Plus accepit, quia pluribus virtutibus floruit. Et Nicolaus præ aliis à Domino ad Episcopatum electus, quia præ cæteris dignus. Fas est præ aliis honore insigniri, quem eximia constat virtute anteponi. c.2.§.61.p.34

Lucratus sum. Bonus Nicolaus, qui Domino quærebat lucra, non sitiebat sibi commoda; aurum impertiebatur egentibus, non insumebat pompis futilibus. Sunt, qui curent superbam, & euanidam pompam, & obliuiscantur depellere subiectorum miseriam. cap.8. §.45. p.201

Vocauit seruos suos. Expressit fuisse vocatos, ne putares ad accipiendum intrusos. Profectò integra dignitatis non resplenderent pompa, si suspectæ ambitionis sorderent nebula. c.9.§.3.p.208

Secundùm propriam virtutem. Nicolai virtus in Episcopum deligi meruit, vt qui generali munificentia, & ardenti charitate flagraret. Eligendus est ad Ecclesiasticam dignitatem, qui patientiâ præditus, & eximia charitate adornatus. c.9.§.6.p.209

Pro S. Thoma Apostolo. *Ioan.* 20.

Venit Iesus ianuis clausis. Apostoli, dum materialem januam claudunt, vt pericula amoueant, quid nobis ad animæ propulsanda pericula facere oporteat, ostendunt. Ni sensus solicito studio asseruentur, inimici grassantur, ea est adhibenda custodia, vt hostis non tentet lædere, immò vereatur appropinquare. c.7.§.8 p.161

Infer digitum tuum. Quàm comiter Christus Dominus Thomam allexit, quam vrbanè tractauit; vt resipisceret, vulnera ostendit. Iam antiqua retractata sententia, etsi satis comiter, carpsit: *Quia vidisti me, Thoma*, &c. Factis edocuit Dominus vtiliorem corrigendis culpis esse lenitatem blandam, quam rigiditatem toruam. c.7.§.46.p.171

Congregati. Apostoli aduersus hostium congressus, & aduersariorum adsultus concordia se, & pace munierant. Pax namque & concordia est animæ aduersariorum ruina. c.7.§.47.p.172

Infer digitum. Speciali Thomas præ cæteris priuilegio hic relucet nobilitatus, quia miris virtutibus erat excultus. Et quidem virtute eximij, dum speciali priuilegio donantur, grandi meritorum censu nobilitari noscuntur. c.7.§.99.p.187

Affer manum tuam. Lateris vulnus offert Christus, quod ad diuinitatis indicium desiderarat Apostolus. Et quidem vestigia in tanta gloria antiquæ conditionis seruata indubia erant diuinitatis argumenta. Nam hominibus, si cumulata arrideat fortuna, antiqui status nulla solet remanere memoria. c.1.§.104.p.21

Affer manum tuam. Christus Dominus tepidi tunc discipuli dexteram corde refouet, & per manum cælestem eius viscera calorem infundit. In diuini cordis schola erudita est manus remotos Indos ad lucem trahere, & prodigia ad eorum salutem efficere. Vera sanctitas se aliis communicat, & sui participes habere anhelat. c.2.§.10.p.24

Affer manum tuam. Manum Christi pectori infert Thomas ab omni sorde mundam, & Christi gloriam evulgandi solùm anhelam. Cùm nonnulli Reipublicæ ministri manum, hoc est, gratiam apud Principem habere

habere desiderent, non vt plus Reipublicæ prosint, sed vt sibi commoda, & dignitates adaugeant, cap.2. §.47. p.30

Affer manum tuam. Speciali fauore Thomas nobilitatur, quia præ aliis vitam contempsit, vt magistri adhæreret lateri: *Eamus & nos* (aiebat) *vt moriamur cum eo.* Ioan.11. ergo qui tunc præ aliis vitam contempsit, speciali modo dignatione nobilitatus refulget. Est enim fas speciali dignatione honorare, quem pericula ob Principem constat omnibus sustinere, c.2. §.61. p.34

Affer manum tuam. Quàm erat Christi Domini gloria solida, quàm erat felicitas vera, quando contrectans manus plus inuenit, quàm externa species promisit. Alij dixerant: *Vidimus Dominum.* Thomas clamat: *Dominus meus, & Deus meus*, quia dum propiùs accedit, plus agnoscit. Quæ apud Dominum magnitudo, solida, quæ apud homines volatica, & fluxa, c.2.§.66.p.35

Affer manum tuam. Cordis sui Dominus fecit copiam, vt Thomæ dubitationem depelleret, suæque opinioni consuleret; docens suis factis, Dei ministris satis non esse interna sanctitate fulgere, sed opus suaui opinionis odore fragrare, c.2.§.88.p.42

Affer manum tuam. Ipse Christus, qui passus fuerat dubitationis iniuriam, latus offert Thomam benignitate prolectans, & amicitiam solicitans. Sic namque Deus homines diligit, vt ipse solicitet amicitiam, cùm passus fuerit offensam. c.6.§.3. p.115

Dominus meus, & Deus meus. Thomas tantisper dubitauit, sed præ cæteris diuinitati tunc testimonium reddidit, Christi fidem vsque ad extrema terrarum intulit, & eius gloriam prolatare exambiuit. Vti Dei bonus minister eius solùm gloriam immensis denoratis laboribus studuit producere, non sibi plausum lucrari, c.6.§.63. p.139

In festo SS. Fabiani, & Sebastiani. *Luc.6.*

Descendens Iesus de monte. Eximia Christi charitas proditur, dum vt languores sanaret, altitudinem deseruit. Et Sebastianus eius sequutus exemplum, vt fidei fratribus inderet firmitudinem, non timuit amittere dignitatem. Eximius namque virtutis cultor solùm Dei gloriam exambit, suis humanis commodis non attendit, c.6.§.63. ibid.

Stetit in loco campestri. Multitudo ad campestria, vt Dominum honoraret, tetendit; nec mirum, cùm Christus in campo clauis transfossus vitam omnibus inspirauit. De monte descendit Dominus: quia generosus amor honestis aliorum attendit lucris, non propriis commodis, c.1.§.31. p.8

Descendens de monte. Quàm miris virtutibus resplenduit deserto cacumine montis, vt ardorem ostenderet charitatis. Altus, & nobilis Sebastianus Christum imitatus est; cùm frequenter nobilitas sæpè inueniatur virtutibus infœcunda, legique aduersa. c.1.§.15.p.5

Descendens de monte. Vt infirmis subueniret descendit, sed fortunam non minorauit. Apud sæculi amatores solus qui excelsus, habetur fortunatus Sebastianus tamen cumulatius fuit felix; cùm descendit, quàm cùm sæcularium dignitatum luminibus micuit. Vera felicitas constat virtutibus fucata est, quæ sæculi innititur splendoribus, c.2.§.17. p.25

Descendens de monte. Christus post orationem descendit, & languores varios curauit factis suis declarans Sanctorum orationes prodesse populis, & pestilentes depellere infirmitates. Dum multitudo in campestria contendit, vt Christo exhiberet obsequia, lucrata est languoribus medicamina. Ob iustorum orationes salus adquiritur, & mortis periculum propulsatur. c.2. §.21. p.26

Qui venerant, vt audirent, &c. Christus Dominus verbo languores depulit, dæmones effugauit, & iam eius gloriæ adscribuntur, qui à morbis, & dæmonibus liberantur, & Sebastiano etiam adscribuntur ad gloriam fratres illi, qui eum audientes vitarunt culpam. Quem à periculo eripuisti, vendicasti tibi ad gloriam, & ad æternandam famam. c.2.§.24.ibid.

Vt audirent eum. Quàm lucrosa fuerunt cum Domino commercia, quandoquidem depellebantur dæmonia, & quàm cum hominibus extiterant exitiosa, cum salutis subiissent plurimi detrimenta. Qui cum Deo agit, elueratur salutis, & animæ commoda qui cum hominibus damna. Ergo Sebastianus humanam videtur exuisse naturam, dum cum eo conuersati fratres, lucrati sunt gratiam, & martyrij ob Christum gloriam, c.2.§.66. p.35

Vt audirent. Plures ætate immatura Christum audientes, virtute resplenduerunt perfecta, è quorum censu est Sebastianus, qui in Imperatoris aula, & in iuventute florida virtutem coluit, & ad virtutem alios erudiuit: ergo mirandus fuit, dum ætate immatura virtute resplenduit cana, & perfecta. c.2.§.86.p.41

Stetit. Ipse Dei aspectus ad virtutem prouocabat, & salutem hominibus infundebat; & Sebastiani aspectus sagittis transfossi ad Dei prouocat laudes, & impertitur salutes, c.2.§.89.p.42

Descendens de monte. In monte, & in planitie coluit virtutem. Et Sebastianus in dignitatis culmine celsus, & in stipite sagittis transverberatus: non est in aduersa fortuna virtutem colere insolitum, sed in prospera ratum, c.2.§.92. p.43

Beati, &c. Beatos Apostolos declarat, dum sæculo renuntiantes æternam acquisierunt sibi gloriam. Sed adeò cæca est hominum cupiditas, vt, ni adesset Sebastianus, persuaderent parentes fratribus exiguum vitæ mercari lucrum fidei grauissimo detrimento. Humana cæcitas amplectitur grauissimum detrimentum ob exiguum, contemnendumque lucrum. c.2.§.95. p.44

Stetit in loco campestri. Culminibus docuit renuntiare, & proximus subuenire. Quod & Sebastianus fecit. Nescias an maior, dum se obtulit vulneribus, an, dum se denudauit dignitatibus splendoribus. Nam minus dolent aliqui vita carere, quàm dignitatibus denudari, c.2.§.101.p.46

In festo S. Mathiæ Apostoli. *Matth.11.*

Confiteor tibi Pater. Gratias agit Christus Patri, quia parvulis ea reuelauerit, quæ superbia turgidis, & se ipsis non agnouerunt inflati; refugiunt Christum imitari qui humana satagunt exambire. Ast Mathias Dei amore inflammatus, quidquid humanum, contempsit, vitámque exposuit. Nam verus amor difficultates emollit, & ipsam vitam contemnit, c.14.§.14. p.329

Tollite iugum meum. Et cur non subjiciat Christi jugo expromptè cervicem Mathias vtroque in mundo adepturus gloriam, cùm Iudas vitam finierit infeliciter suspensus ad æternam pœnam, & infamiam. Superbire non debet, qui magna aggreditur amore diuino impulsus, cùm durissima subeat, qui terrenis affectibus obscuratus, c.14.§.13.p.329

Iugum meum, &c. Mathias Christi vestigia imitatus est, contempsit aurum, & exambiendum tulit Christi Domini jugum. Iudas, vt excuteret jugum, æternauit sibi tormentum. Mathias feliciter parvulus, Iudas imprudenter superbus. Prudentia est, vt assequaris magna, contemnere exigua; imprudentia, vt assequaris exigua, amittere magna. cap. 14. §. 52. pag. 245.

Inuenietis requiem, &c. Exiguo tempore jugum grauat, requies æternum delectat: ergo Mathias alacriter breuem subinit laborem, vt potiretur æternam requiem, è contra Iudas ob exiguam requiem non finiendú tulit laborem: breui spatio virtutis labor finitur,

& laboris præmium nullo tempore taxatur. c. 14. §. 73. pag. 354.

Et ego reficiam vos. Mathias, vt putat Clemens Alexandrinus, idem est ac Zachæus: ergo refectus in Mathiæ domo Christus eum reficit, & ad gloriam Apostolatus extollit. Nam quidquid Deo grata deuotione impenditur, impendentis commodis applicatur. c. 14. §. 85. pag. 359.

Et reuelasti. Apostolis, qui ob humilitatem parvuli, Deus reuelauit locum Iudæ tantis sceleribus obscuratum, Mathiæ conspicuis virtutibus nobilitare, & infamiam illam expungere. Deo consulto expedita fuit electio; quæ Deo inconsulto decernuntur, sæpè difficultatibus implicantur. c. 14. §. 93. p. 362

Confiteor tibi. Ob Mathiæ electionem in locum Iudæ; nam Iudas minister cupidus, & ambitiosus & Christum vendit, & detestando commercio Reipublicæ ingentem attulit calamitatem. Mathias minister humilitatem secutus, & diuitias aspernatus attulit Christo honorem, & hominibus salutem. Est enim generale commodum virtutibus expolitus, & prudentiæ luminibus exornatus. c. 14. §. 94. p. 363

Reuelasti ea. Lux cælestis Mathiam elegit, gloriam ipse dignitatis non exambiuit; laudabili tamen ambitione, vt munus impleret, sanguinem fundere procurauit. Laudabilis est ambitus honesta morte pietatem implere, & salutem plurimis impertiri. c. 14. §. 106. p. 369

Reuelasti, &c. Reuelauit jugum tollere, & muneris obligationem implere, vt fecit Mathias Apostolis annumeratus, & lucis, aut sortis suffragio electus. Plures, si dignitates adepti, otiantur obligationis obliti. c. 10. §. 6. p. 229

Reuelasti. Ipse reuelauit Apostolis, vt in Iudæ locum Mathiam sufficerent, & quam dignitas contraxerat, notam depellerent. Mathias non ambiuit fastigia, nec sollicitauit suffragia. Ad culmen euectus nullam debuit gratiam homini, sed soli Numini. c. 10. §. 5. ibid.

Reuelasti ea. Reuelauit Apostolis Mathiæ electionem, quæ plausu excepta, & dignis acclamationibus celebrata. Miraculis opus est, vt à Deo intelligatur electus, si quis præter omnium opinionem ad dignitatem probetur elatus. c. 10. §. 22. p. 234

Et ego reficiam. Vbi jugum imposuit: *Tollite iugum,* & opem etiam promisit: *Reficiam.* Nam cùm Deus onus imponit, & vires præbet. c. 10. §. 36. p. 238. & seq.

In festo S. Iosephi Deiparæ Sponsi. *Matth.* 1.

Cùm esset desponsata. In patrem Deus apud homines elegit sanctissimum Iosephum, & originis stemmatis clarum, & virtutibus eximium, vt nulla non prærogatiua in hominum æstimatione fulgeret. Est enim eximium filiorum præconium nobili vena exoriri, & à sanctis parentibus procreari. c. 1. §. 11. p. 4

Cùm esset iustus. Amabat tenerè Mariam, quam ad speciem lex obligabat traducere. Ergo Iosephi modum cogitauit, quo nec legi contrairet, nec amori dolorem inferret. Amor namque adeò est ingeniosus, vt legi pareat, & affectioni etiam seruiat. c. 1. §. 27. p. 7

Hæc autem eo cogitante. Amore honestissimo flagrans, quod oculis opponeret, cogitabat, & virginalem Mariæ pudicitiam, eximiámque modestiam objiciebat. Quàm contrariam viam tenet humana malitia, & suspicax semper audacia; in peius interpretatur dubia, & non semel abrodit honesta. c. 1. §. 41. pag. 10.

Voluit occultè, &c. Quæ lex posset inferre, quodammodò inferret absentia; nam cùm sanctissima Virgo ardenti, honestissimóque amore sponsum prosequeretur, discruciaretur eius distantia, vt eximiè oblectabatur præsentia. Et quidem viri erga vxorem amor incommoda lenit, & dura emollit. c. 1. §. 48. p. 11

Inuenta est in vtero, &c. Arcano, remotóque ab omni humano conspectu mysterio Maria effecta est grauida; & tamen Ioseph aduertit, & fœcundam nouit. Vt hinc mulieres discant dolosa industria non fidere, nec posse arbitrentur latere. Nunquam fœminæ superflua erit honestatis cura, quia omnia deprehendit debita, curiositas, aut insidiosa peruersitas. cap. 1. §. 67. pag. 14.

Voluit occultè. Humanis Ioseph noluit coniecturis duci, præcipuè cum de virgineo Mariæ pudore non posset vllatenus ab experientia dissentire. Et certè si contra pudicitiam sententiam proferret, manifestissimè erraret. Ergo si errat aliquando ipse oculus, putas veritatem attingere infirmis coniecturis suasus? Certe qui humana solùm ducitur coniectura, à veritate distat fallacia. c. 1. §. 68. p. 15

Ecce Angelus Domini. Quis dubitet Mariam sponsi angores præsentientem ad orationem confugisse, & indubia fiducia Deum exorasse. Ergo mittitur Angelus, qui depellat tristitudinem, & aperiat veritatem. Vt noueris oratione, constantique fiducia calamitatum volumina eludi, & feliciter portum appelli. c. 1. §. 70. ibid.

Inuenta est. Non ab alio, quàm à Ioseph est inuenta, qui maritali licentia omnia sponsæ nouerat, & curabat. Si ad eum non pertineret, curiosis oculis non inspiceret. Nam prudens, quæ ad eum non expectant, curiosus non inquirit, nec munus coniectoris exercet. c. 1. §. 82. p. 17

Inuenta est. Etiam granidam intuitus cælestè suspicabatur mysterium, quia in Maria nunquam deprehenderat vel leue verbum, aut leuitatis indicium. Certè aliquando fœmina verbis leuibus contra se ingenerat suspicionem, & innubilat honestatem. Non dubites; suspicionem ingenerant leuia verba, quia sunt contra proferentem indicia. c. 2. §. 13. p. 24

Hæc autem eo cogitante. De felicitate possessionis dolor crescebat, & erat graue tormentum amittere, quod gratulabatur sibi Iosephus possidere. Miserabilius enim est feliciter possessa perdere, quàm perdenda non possedisse. c. 2. §. 29. p. 27

Ioseph fili Dauid. Dauidis mores filius legitimus exprimebat. Vinebat Deo, non palato: ergo curabat domesticam pudicitiam, & vel dormiens quodammodo vigilabat. Econtra aliquando accidit vt maritus vigilãs quodammodo dormiat: & quidem qui palato insernit munus non implet. c. 2. §. 53. p. 32

Hæc autem eo cogitante. Maria Domina nostra puritatis interno candore vel ipsos Angelos euincebat, & tamen Angelus Iosepho apparet, vt niteat sicut interna puritate, externa puritatis etiam fragrantia. Maria non admisit culpam, & tamen traduci potuit ob externam apparentiam. Vt discant fœminæ satis non esse interna culpa carere, sed opus esse bonæ famæ odore fragrare. c. 2. §. 88. p. 42

In Festo Inuentionis S. Crucis. *Ioan.* 6.

Venit ad eum nocte. Nullum laborem excusauit Nicodemus, vt Crucis mysterium sciret, & crucis fructus demeteret. Solus venit, quia ferè omnes crucem Domini rejiciunt, & solùm virtutum proceres sitienter exambiunt. c. 7. §. 1. p. 159

Venit ad eum. Nicodemus aliquos gressus posuit, sed sancta Helena plurimos, anxiosque labores subiit: verùm dum honorauit crucem, adauxit sibi splendorem. Nam qui pro virtute subiuit, honoris in lucrum labor conuertitur. c. 7. §. 2. p. 160

Venio ad eum nocte. Nicodemus impeditus non est noctis caliginibus, & caliginis difficultatibus, quin Christum quæreret, & feliciter inueniret: verùm plus Helenæ resplenduit pietas, dum tot difficultatibus nullatenus impedita, nec idolorum figmentis retardata.

Vbi

Vbi eminebat idolum, sacrosanctum quæsiuit lignum, vt eius geminaretur gloria, dum ignotum inuenit lignum, & euertit protùs idolum. Deuotissimæ fœminæ virtus resplenduit, dum in ipsa dolorum ditione ea inuasit, & euertit. c.7.§.3.ibid.

Venit ad eum nocte. Helena, dum nullis difficultatibus cessit, inuenit crucem, & cruce inuenta filio triumphos adauxit, & limites Imperij protendit. Et quidem sub Principe, Præsulevè sanctitate, & æquitate exornato Respublica floret, & virtus nitet. c.7.§.19.p.164

Venit ad eum nocte. Non lento, sed festino gressu venit, nec in lucem sequentem distulit; arripuit occasionem, vt melius inseruiret virtuti. Et quidem potiori iure ad Christum debet inuolare festinus, qui ignorantiæ inseruiuit cæcus. c.7.§.21.p.165

Sicut Moyses exultauit serpentem. Serpens erat aspicientibus salus, & horror, externa species incutiebat timorem, sed veram infundebat salutem. Et quidem qui Dei cruci adhærent, exterius videntur tristari, sed interius gaudio, & saluti inueniuntur frui. c.6.§.61.p.138

Sicut Moyses. Qui ad serpentem dirigebant aspectum, receptæ inueniebant salutis gaudium, & vt ad salutis peruenirent commodum, ad serpentem dirigebant aspectum, nobis historia fuit pro doctrina: Opus est oculos à terrenis, & volaticis amouere, si perfecta cupis salute frui. c.6.§.65.p.140

Sicut Moyses. In ligno inueniebant antidotum, quos adulit serpentinum venenum, & ni compelleret venenum, fors ad lignum non dirigerent visum. A vitiis ægrè recedimus, adurgente etiam incommodo, resilimus à virtute, si aliquali diuexamur periculo. c.6.§.82. pag.147.

Sicut Moyses. Cùm vitalis ligni aspectu Deus salutem coniunxit, vt homines, dum student virtuti, suæ etiam prouiderent vtilitati: nam si virtus temporali vtilitate careat, non solùm non quæritur, sed despicitur. Malunt namque homines virtute carere, quàm commodis denudari. c.6.§.106.p.156.& seq.

Sicut Moyses. In cruce inuenerunt antidotum, suis in cupiditatibus exitiale venenum: nam cupiditas est venenum, crux antidotus, & gaudium. c.8.§.51.p.203

Nemo potest hæc signa. Nicodemus extollit signa, & iam Christus Dominus futuræ mortis profert indicia. Crux cum miraculis coniuncta, immò miraculorum plausibus orta. Certè qui eminet, plurimum certamen subit. c.1.§.3.p.2

Ad eam nocte. Venit, cùm silentium tenerent omnia, cùm tempus tranquillius, & doctrinæ accipiendæ aptius. Vt qui diuina sitit audire, locum deligat à strepitibus remotum, & tempus contemplandis cælestibus opportunius. c.1.§.20. p.6

Pro festo S. Ioannis ante Portam Latinam, & pro eius etiam die. *Matth.* 20.

Accessit ad Iesum, &c. Mater desiderabat filios Deo coniungere, & dignitatum culminibus eminere: ergo nesciebant quid peterent. Est enim rarus, qui dignitatis, fortunæque culmine elatus Deo inueniatur nimis coniunctus. c.1.§.1. p.2

Calicem quidem, &c. Vbi Ioannes egregiis resplenduit virtutibus, & feruens oleo patitur dolium, & exilium. Nec enim qui eminet aliqua excellenti dote, potest carere certamine. c.1.§.3.ibid.

Calicem quidem. Calicem Ioannes viuit, & de Christi pectore sapientiam hausit: vt quem virtus adornabat eximia, eximia etiam expoliret sapientia. Certè Ioannis vitam exornauit sapientia, & sapientiam vita. c.1.§.4. ibid.

Vt sedeant. Ipsum Ioannis votum heroïcæ virtutis manifestum erat indicium. Præ aliis iam, vt videtur eminebat, qui vt Christo adstaret, eminere desiderabat. Nos exiguæ virtutis homines non suspiramus virtutum celsa, sed contenti sumus sequi mediocria. c.1.§.8.p.3

Calicem. Non negauit, quod expetebant, sed voluit, vt calice emerent, & victis magnis difficultatibus ad optata, peruenirent: quia magni non habetur, quod sine vlla difficultate impetratur. c.1.§.16.p.5

Accessit. Non concessit Christus, quod expetebant, ne Ioannes videretur obtinuisse fauore, quod obtenturus erat eximia sanctitate, & virtute. Et, vt omnes nouerint apud Deum dignitatem adiri virtutibus, etsi apud sæculum sæpiùs obtineatur fauoribus. c.1.§.24. pag.7.

Possumus. Eo amore in Christum ferebatur Ioannes, vt calicem non horreret, sed auido ardore sitiret: ergo promisit Dominus calicem, vt Ioannis blandiretur amori. Tristatur amor, ni habeat occasionem dilectum honorandi, & quod potest dilargiendi. c.1.§.26.ibid.

Nescitis. Christi regnum temporale putabant, & dignitatibus eminere cupiebant. Christus edocuit sitire calicem, vt amplissimam consequerentur mercedem. O quàm erramus, dum desideria eis rebus impendimus, vnde nullum, aut exiguum fructum percipimus? c.1.§.30. p.8

Calicem quidem meum, &c. Non negauit dignitatem, sed docuit ordinem: priùs erat Ioannes in dolio vrendus, & in Pathmos relegandus, vt eximiis virtutibus exornatus, & triumphis plurimis redimitus digno titulo placido vteretur otio: hunc tamen ordinem plures inuertunt, & excusato laboris censu potiri volunt virtutis fructu. c.1.§.33. p.9

Nescitis. Iure consanguinitatis primas deposcebant sedes; verùm Christus Dominus superiorum norma eos docuit animarum sitire salutem, vt ipse exhausto calice bellum intulit culpis expulsis, & attritis dæmoniis. Qui ob munus tenetur alios reformare, non debet suis commodis indulgere. Et vtinam hanc omnes tenerent formam; inueniuntur tamen, qui adnitantur cæteros reformare, cùm constet sibi indulgere. c.1.§.59.p.13

Nescitis. Lege cognationis sibi propitiorem Christum fore existimabant; verùm Christus Præsulum exemplar se omnibus æqualem præbuit, & jurgia inter subiectos vitauit. Vt superior, si jurgia velit vitare, satagat, se æqualem ostendere. c.1.§.40.p.10

Nescitis. Si Ioannes sederet, nomen sibi à Deo inditum, scilicet *Boanerges* actionibus non impleret, & oportebat Christum hoc tonitruo vti, quo homines ad veritatis agnitionem posset afferre: ergo voluit, vt Ioannes pro veritate laboraret, & feliciter labores subiret. Nam actione debet impleri, quod nomine constat promitti. c.2.§.2. p.22

In festo S. Ioannis Baptistæ. *Luc.* 1.

Peperit filium. Mitis corporis, & animæ dotibus splendentem. Parentum filius in se eximias ostendebat virtutes: nam sæpè parentes filios generant, vt corporis habitudine similes, sic moribus etiam conformes. c.9. §.2. p.208

Ioannes est nomen eius. Nouo nomine insignitur, & cælestibus prærogatiuis ornatur, vtque dignitatis anteibat cæteros excellentia; sic virtutum supergressus est copia: fas quidem erat, vt præiret miranda virtute, qui supergrediebatur cæteros Præcursoris dignitate: nam qui antecedit dignitate, & præire debet virtute. c.9.§.5. p.209

Ioannes est nomen eius. Nomen induit, non à progenie, etsi nobilissima deriuatum, sed propriis, heroïcis virtutibus excussum. Defœcatissimam à parentibus nobilitatem accepit, sed generosè, si dicere fas, obscurauit, omnesque edocuit, illustriorem esse nobilitatem virtutibus acquisitam, quàm à natalibus deriuatam. c.9. §.20. p.204

Ioannes est nomen eius. Qui Ioannes, & Præcursor noscebatur,

noſcebatur, ipſo in matris ſinu Prophetam ſaltibus agebat, & ſe vel ab ipſis naturæ vinculis expedire totis niſibus procurabat, edocens ſuis factis, vt à Domino ad magna electus nullis humanis rebus detineatur implicitus. c.9.§.39.p.220

Ioannes eſt nomen eius. Plurima nomen promiſit, quæ mirandis Baptiſta actionibus adimpleuit. Vt diſcas factis debere perfici, quod nomine conſtat promitti. c.2.§.2. p.22

Ioannes eſt nomen eius. Non debuit Baptiſta vel nomine naturam ſapere, vel naturæ vllo modo adſcribi, cùm in eo efformando & reluceret omnipotentia, & micaret gratia. Prudens Eliſabetha oſtendit eximias dotes Domini liberalitati adſcribendas, non humanis viribus adſignandas. c.2.§.6.p.23

Et congratulabantur. Monticolæ de Eliſabethæ felicitate gaudebãt, & dum celebrabant Baptiſtã dignis elogiis ſuam ipſorum fortunam augebant gaudiis, econtra ſibi inuiderent, ſi Eliſabethæ felicitatem amaris oculis inſpectarent. De eius ſterilitate lætari, propriæ eſſet felicitati inuidere. c.2.§.22.p.25

Et peperit filium. Vt nihil ad felicitatis cumulum deeſſet, Ioannes nobiliſſima vena refertur exortus, à ſanctiſſimis parentibus procreatus, & ipſo atteſtante nomine, gratia tunc præ cæteris inſignitus. Eſt enim ſingulare præconium nobili vena exoriri, ſed auguſtius à ſanctis parentibus procreari. c.1.§.11.p.4

Et audierunt vicini. Omnes felicem adeò partum celebrarunt, & gauiſi, naſci filium ad omnium vtilitatem nouerunt: & quidem omnibus naſcebatur proficuus, quia ſanctitate mira exornatus. c.1.§.36.p.9

Filium peperit. Qui profundiſſima humilitate dignum ſe non eſſe, qui corrigiam ſolueret, teſtatus eſt; ſed ipſa generoſa deiectio vberrimis virtutum fructibus exornatum prodidit, & manuum dignam, quæ baptizaret Chriſtum oſtendit. Profectò de humilitatis menſura, virtutis deſumitur excellentia. c.1.§.106.p.21

Ioannes eſt nomen eius. Ipſo in nomine iam præuibatur profuſa miſericordia, & Dei manus ad Ioannem nobilitandum extenſa: *Manus Domini erat cum illo*: & tamen Ioannes indignum exiſtimabat, vt ad eum Chriſtus aduentaret: *Tu venis ad me*, nec calceamenti audebat corrigiam ſoluere. Nam quò quis excellentioribus virtutibus reſplendet excultus, & profundiori humilitate agnoſcitur exornatus. c.9.§.42.p.221

Manus Domini erat cum illo. Quia Deus Baptiſtam ad Præcurſoris dignitatem elegit, magno ab exordio virtutum cenſu exornauit. Nam Deus eximiis ſolet dotibus nobilitare, quos decreuit ad culmina dignitatum euehere. c.9.§.45.p.222

In Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Matthæi 16.

Venit Jeſus. Chriſtus ſuos à turba abducit, vt cœleſtibus notitiis informet. Inter populares ſtrepitus ad cœleſtia dignoſcenda neſcias quibus nebulis oculus præpediatur, & animus illigetur. Qui Deum cupit noſcere, locum deligat à mundiali ſtrepitu remotum, & contemplandis cœleſtibus opportunum. c.1.§.20.p.6

Alij Ioannem, &c. Inter tot de Chriſto opiniones Petrus eius dignitatem confeſſus eſt. *Tu es Chriſtus.* Retulit Euangeliſta quid alij ſentirent, vt Petri confeſſionem extolleret: nam ſi ſemel animo non adeò digna ſuſpicio adhæſit, nec miraculum facilè expunget. c.9.§.55 p.225

Tu es Chriſtus filius Dei viui. Agnouit Petrus Chriſti excellentiam, & prodidit, quod naturam humanam quodammodo fuit exuere. Si quis in alio agnoſcat, quid indecorum, erit etiam miraculi adinſtar retinere. Nam quiſquis ſecretum agnouerit, quod alteri poſſit officere neſcias quo pruritu conetur effundere, & auribus inſtillare. c.9.§.53.ibid.

Tu es Petrus. Dum ad tantam dignitatem euexit, quàm eximiis præluceret virtutibus declarauit. Iam columbæ filius, qui cæteris antelatus. Eſt enim de more Deo eximiis dotibus nobilitare, quos ad dignitatum culmina decreuit euehere. c.9.§.45.p.222

Tu es Petrus. Si apud ſæculum Petrus dignitatem inſcenderet, non eſſet meritorum eius indicium, quia humani fauoris eſſe poterat argumentum: verùm dum à Chriſto cæteris antefertur, præite virtutibus declaratur. Dignitas apud ſæculum aditur ſæpè fauore, apud Deum conſtat virtute. c.1.§.24.p.7

Tu es Petrus, &c. dum ad dignitatem eligitur, validis eſſe opus humeris declaratur; nam contra eum & tyrannorum erat armandus furor, & dæmonum liuor. Crucem patitur, quia mirandis virtutibus expolitur. Qui eminet celſo dignitatis culmine, multiplici cogitur deſudare certamine. c.1.§.3.p.2

Reuelauit tibi. Qui cœleſti notitia, qui ſalubri ſcientia cæteros eſt ſupergreſſus, qui relictis omnibus Chriſtum ante cæteros eſt ſequutus, ad dignitatem eligitur. Nam Prælatum Eccleſiaſticum debet exornare ſcientia, & commendare ſapientiam vita. c.1.§.4.ibid.

Tu es Petrus. Electus eſt in Principem, qui aures carni, & ſanguini non præbebat: *Quia caro, & ſanguis*, &c. Et qui relictis omnibus cupiditatem prorſus nudarat. Certè ſi cupidus, petra Eccleſiam non ſuffulciret ſed potiùs labefactaret. Nam Prælatus cupidus facit delictis licentiam, & legibus infert iniuriam. c.1.§.5. ibid. & ſeq.

Quia caro, & ſanguis. Explicuit Chriſtus dignitatem non obtinuiſſe naturæ viribus, ſed gratiæ cœleſtis afflatibus. Vt intelligant ad dignitates euecti gratos ſe exhibendos non tam homini, quàm Numini. c.10.§.5. pag.229

Super hanc petram. Cùm dignitatem contulit, & dignitatis penſum explicuit. Et Petrus ſcriptis voce, ſanguine, cruce electionem Chriſti Domini comprobauit, & debitum dignitati fructum cumulatè perſoluit. Cùm plures, ſi dignitatem adepti, otientur obligationis obliti. c.10.§.6. ibid.

Sed Pater meus. Citò agnouit Petrus, quod alij variis opinionibus præpediti ignorabant. Nec mirum, cùm à Deo veritatem didicerit, nam ab hominibus difficulter diſceret veritatem. Citò addiſcitur, quod Numine magiſtro edocetur. c.10.§.15.p.232

In Feſto S. Mariæ Magdalenæ. *Lucæ 7.*

Ecce mulier. Maria honeſta imprudentia Phariſæi domum ingreditur, & ad Domini veſtigia prouoluitur. Phariſæus rigida cenſura Chriſti, & Mariæ ſugillauit pietatem, ſed quantis tunc defectibus ſcateret, audiuit; nam intactam cuſtodiſſe debet innocentiam, qui alienam ſuggillat culpam. c.12.§.6.p.276

Vade in pace. Iam pace fruitur, quia vera pœnitentia quidquid inquinauerat, abraſerat, & expunxerat. Pœnitentiæ appendix tranquillitas fuit. Nam vera pœnitentia, dum abradit culpam, eius appendicem depellit etiam miſeriam. c.12.§.28.p.283

Ecce mulier. Laudabili impatientia Phariſæi domum intrat, & peccatorum onera excutere prorſus anhelat. Quàm alia fuit Maria ab aliis peccatoribus, qui deteſtabili patientia ſuſtinent incommoda, ne deierarint ſcelera. c.12.§.29.p.284

Oſculum mihi non dediſti. Dignus fuit Phariſæus, qui acriter carperetur, dum lautiſſimum conuiuium inſtruit, & debitis circunſtantiis non exornauit. Eſt enim reprehenſibilis, qui magna vicit, & in exiguis defecit. c.12.§.34.p.285

Lachrymis cœpit rigare. Heroïca ſanè conſtantia Maria reſplenduit, dum à Domini veſtigiis non diſceſſit, quouſque pacem, quam exambiebat, obtinuit. Eo ſe erga Dei gratiam geſſit vt peccator ſe gerere erga mundialem fallaciam ſolet. Si noxia expetimus, quouſque infeliciter aſſequamur, ratò deſiſtimus, c.12.§.38. p.287

Index ad Conciones.

Ecce mulier. Maria inuolauit, non calamitatibus dilexata cucurrit, non expectauit calamitatibus impelli, sed amore consulente accelerauit venire. Est enim prudentis sponte sequi, non trahi. c.12.§.43.p.288

Dilexit multum. Eximium Mariæ virtutis testimonium est à Domino commendari, infirmum esset plausibus humanis pulchra, & nobilis efferri Pharisæus carpit, sed Christus extollit. Cælestia testimonia plurimi habenda, humana elogia parui inueniuntur æstimanda, c.12.§.49.p.291

Lachrymis cœpit rigare, &c. Prima fuit Maria, quæ peccati fœditatem detestata ad Christum Dominum inuolauit, & corde salubribus amoris flammis in lachrymas eliquato ad vestigia Domini se prouolvit. Nos miseri inuerso ordine, si aliqua immineat calamitas acri timore pulsamur, si defœdet culpa, nihil, aut parum affligimur, c.12.§.54.p.293

Ecce mulier. Ostendit Maria celebris peccatrix, posse culpis infectum ad virtutem restitui, & perfectione micare, vt nullus desperet, etsi culpis plurimis sit infectus, quia, si velit, gratiæ queit splendescere restitutus, c.12.§.57.p.294.

Lachrymis cœpit rigare. Labra, oculos, capillos Christo Domino prorsus dicauit, nec sibi aliquid remanere permisit; vnde meruit à Domino commendari. Plures sic virtutem sequuntur, vt etiam vanitati adulentur; cùm Deus totum sibi cor exigat, nec consortium vanitatis admittat, c.12.§.58.ibid.

Cœpit rigare. Rigare cœpit, modum lachrymis non imponens, nec finem flendi faciens: quam semel arripuit, nouis prouentibus sanctitatem exornauit, cùm frequenter homines citò fastidiamus virtutem, & prosequamur pertinaciter prauitatem, c.13.v.5.p.301

Vade in pace. Pace, libertatéque iam fruitur, Domini vestigio adhærescens, nec hominibus placere discupiens: pace tranquilla nequibat frui, dum constabat ornatu, & placendi studio vexari. Profecto qui Christum sequitur, pace integra fruitur, & ab indecoris soluendis vectigalibus liberatur, c.13.§.16.p.305

In Festo S. Iacobi Apostoli. *Matth.* 20.

Accessit ad eum. Discupiebat mater Iacobum dignitate culminis effulgere, & virtutibus etiam radiare; sed vota votis aduersabantur. Est enim ratus, qui dignitatis culmine elatus fulgeat omnibus virtutibus expolitus, c.1.§.1.p.2.

Nescitis. Iam Dei regnum Iacobus præsentiebat, & sedere desiderabat, nesciebat tamen tunc, Christo opus esse inuicta eius fortitudine, quia coronabatur regia maiestate. Profectò qui eminet regio dignitatis culmine, multiplici impetitur æmulorum certamine, c.1.§.3.ibid.

Ad dexteram. Ipsum Iacobi votum nobis ostendit eximio virtutum splendore exornatum; ambiuit virtutum summa, reliquis de more esse solet sectari mediocria, c.1.§.8.p.3

Calicem quidem meum bibetis. Dum ambiunt, calicem bibunt, quia ambitio dubium suspirat splendorem, & amarum bibit calicem. Nesciebat quid peteret: nam quod obtinendum erat virtute, adipisci adnitebatur fauore. Apud sæculum non rarò dignitas obtinetur fauore, apud Deum constat virtute, c.1.§.24.p.7

Vt sedeant. Sedere volebat, & dignitatibus æmicare, sed calicem bibens vertit stilum, ignorauit otium, & pro Christo prodiuit in campum. Iam eius amor generosus propria oblitus est commoda, & magistri sitiuit lucra, c.1.§.31.p.8.

Nescitis. Temporale regnum arbitrati dignitatem ambiebant, vt placida fruerentur quiete, & dignitatis potirentur honore. Apud sæculum sæpè reperies, qui excusato laboris censu dignitatis potiantur fructu. c.1.§.33.p.9.

Calicem quidem, &c. Iacobus fidei Hispanorum magister futurus, & dux pro defendenda fide strenuus desiderabat quiescere: Deus tamen mirandis eum virtutibus exornauit, vt quiret fidei, Christianisque auxilium ferre, & ardentem gladium contra Dei hostes vibrare. Nam Christo assimilatus, omnibus inuenitur proficuus, c.1.§.36. ibid.

Quibus paratum est. Id est, si quis vos virtute excelluerit, excellet etiam dignitate: ergo Calicem bibite, vt reportantes victoriam, factiosam contra me non permittatis querelam. Si enim alij vestra merita supergressi, acri dolore quererentur exulcerati, esset enim eis dolendum meritis antecedere, & ob affectum postponi, c.1.§.38.p.10.

Filij mei. Se matrem sine rubore ostentauit, quia filios ad Christum duxit: *Cum filiis suis.* Matris amisisset laudem, si filios duceret ad perniciem. Non est censenda mater, quæ filios, aut filias genuit, ni eos virtutibus expoliuerit, c.1.§.47.p.11

Adorans, & petens. Non obtinuerunt desiderata, sed impetrarunt ad Calicem ebibendum subsidia. Nam feruens oratio aut desiderata impetrat, aut vires ad labores perficiendos corroborat, c.1.§.52.p.12

Cum filiis suis. Grauis, deuotáque fœmina non obstitit filiorum desideriis, immò eos ad Christum ducens opem tulit honestis votis. Vt parentes discant, si filij Christo velint coniungi, non resistere, sed vota religiosa fouere, c.1.§.95.p.19

Calicem quidem. Christus calice exhausto homines eripuit de diaboli potestate: ergo dum Iacobo propinat, erepturum plures de idololatriæ erroribus denotat. Hispania Christi fidem laudabili tenacitate conseruans adauget Iacobi gloriam, & perseuerat ad famam, c.2.§.24.p.26

In Festo S. Parentis nostri Ignatij. *Luc.* 10.

Sint lumbi vestri præcincti. Iam Ignatius mirandum de dæmone reportauerat triumphum, iam hostis aufugerat ad sanctissimæ Virginis Ignatio patrocinantis conspectum, & nihilominus arctissimo se cingulo obarmat, & durissimis, repetitisque flagellis cruentat; ab ieiuniis prolixis, & austeris discruciat; edocens, obarmandum cauta solicitudine ad nouam pugnam, quisquis de hoste celebrem reportauit victoriam, c.13.§.17. p.305

Expectantibus Dominum suum. Mirandis facinoribus, eximiis virtutibus Deum solùm Ignatius spectabat, & eius solummodò gloriam exambiebat: cùm de more vanitulis sit gloriosa aliorum facta sibi applicare, & de alieno labore plausum conquirere, c.13.p.21. p.307

Et lucernæ ardentes. Lucerna depellit caliginem, cingulum arcet somnolentiam, vt animarum salutis zelotypus nouerit, solicitis in excubiis degere, si animabus velit proficere, vel tantisper inerti somno indulgere probaretur magnis profectibus obuiare. Hinc est quod Ignatius nullum in se permittebat reatum, quia animarum inhiabat ad lucrum. Est namque opus desideranti proximorum saluti prouidere, in se nullum defectum permittere, c.13.§.12.p.303

Lucernæ ardentes. Stricto cingulo quidquid lacinio-sum collegit Ignatius, vt ardenti lucerna hominum depelleret tenebras, & dæmonis propulsaret fallacias. Vt discat, qui aliorum saluti desiderat prouidere, vel vitiorum vicinitatem non pati, c.13.§.12. ibid.

Si in secunda vigilia venerit. Ignatius plurimam de dæmone reportarat victoriam, sed nihilominus arcto cingulo depellebat somnolentiam. Nam qui inter hostes degit, reportata etiam victoria, obarmari debet sollertissima vigilantia, c.13.§.7.p.302

Lucernæ ardentes. Non solùm per se ipsum, sed per discipulos Dominus durissima bella vitiis intulit, & acceptis

acceptis per discipulos trophæis diuitatus resplenduit. Nam quidquid à discipulis egregiè efficitur, magistri laudibus applicatur, c.13.§.22.& 23.p.307

Lucernæ ardentes. Ea charitate, animarúmque zelo Ignatius flagrabat, vt aliquando dixerit, malle se periculo obnoxium Deo animam elucrari,quàm si daretur optio ipsa beatitudine frui. Verùm securus se objiciebat discrimini; nam charitas, dum pericula propulsat aliena, vitat & propria, c.12.§.35.p.282

Faciet illos discumbere. Non solùm fecit Ignatium discumbere,sed Iesu nomine veluti speciali insigni nobilitauit: vt ex tanto præmio Ignatij conjicias virtutes,& cælestes eximias dotes. Speciali honore resplendet ornatus, quia mirandis resplenduit virtutibus expolitus, c.11.§.41.p.265

Sint lumbi vestri præcincti. Ad labores ânxios sustinendos cingulo imperat præparari,immò militari baltheo ad incundum cum dæmonibus bellum insigniri: ergo Ignatius tot labores tulit,tot cruciatus deuorauit, vt Christi Domini perfectissima fuerit imagō. Christi laudabiliter æmulus nullum laborem recusauit, vt salutem animabus afferret, c.12.§.44.p.289

Et lucernæ ardentes. Quos Deus ad proximorum salutem deligebat,cælesti luce exornauit,& cingulo munitos in campum produxit. Nam quos Deus ad proximorum salutem deligit, speciali, ac cælesti fauore munit.Ignatius ab exordio à Sancto Petro salutem à Virgine castitatem, à Deo ad exercitiorum librum componendum specialem accepit lucem. Nam cùm ad tot animarum salutem deligeretur, dotibus admirationem euincentibus ornabatur, c.12.§.33.p.285

Lucernæ ardentes. Ignatius eo zelo ardebat,vt ab animabus elucrandis nullis terroribus potuerit flecti, nullis affectus verberibus retardari: vt haberet virtus discipulum laudabiliter pertinacem, quando habet aliquando vitium asseclam contumaciter protervum, & nullis laboribus retardatum. Peccatores damnabili patientia plurima solect incommoda, & pericula deuorare,quin velint ab sceleribus resilire, c.12.§.29.p.284

Lucernæ ardentes. Ignatius ardere anhelabar,& animitus resplendere fugiebat: verũ Deo curæ fuit,vt suscitatis mortuis, vt dæmonibus depulsis,vt redintegratis infirmorum membris eximiam in orbe toto sortiretur sanctitatis famam,& laudis gloriam, Deus ad sanctorum preces, vt eorum sanctitatem ostenderit, mutat tempora,& stata temporum variat iura, c.12.§.51. p. 291.

In Festo S.Bartholomæi Apostoli. *Luc.6.*

Exiit Iesus in montem orare. Orare exiuit, non orationis auxilio egens,sed nos erudiens. Post orationem delegit Apostolos,veluti orationis vberrimos fructus: ergo cùm Bartholomæus Christum imitatus centies in die noctúque orauerit,hinc colliges,quot fructus Deo attulerit, quot dæmonibus animas eripuerit. Oratio gratam Numini vim infert, & feliciter in dæmonem prævalet, c.1.§.55.p.12

Et erat pernoctans. Orabat, sub dio degebat, & aridus,& ieiunus,quod imitatus Bartholomæus,quidquid exoptauit,obtinuit; nam carnis maceratio,& ieiunium orationem armant, & naturam mirè reformant, c. 1. §.57.p.13

Et erat pernoctans in oratione Dei. Pernoctabat, sed tempus Patrem orando insumebat. Plures tempora insumunt ad speciem orantes,sed reuerà exiguum tempus orationi consecrarunt,& plurimum euanidis in cogitationibus insumpserunt. Non est idem orare,& spatia longa templi, insumere, c.1.§.61.ibid.

Quos & Apostolos nominauit. Quàm cumulatè Bartholomæus nomen impleuit, & se Christi ministrum exhibuit, cùm à Rege Armeniorum, quem ad fidem traxerat, pretiosa ei munera offerrentur,nil accepit, & admirationem eis gentibus exhibuit, fortè quia experiebantur opus esse aliquando plura, quàm Domino, dilargiri ministro, c.1.§.100.p.20

Quos & Apostolos,&c. Bartholomæus, cùm electus fuerit ad animarum salutem,munus nobilitauit,& dæmonem Raphaelis adinstar vinculis duris constrinxit. Vt nouerint, qui magnis gaudent nominibus insigniri, debere actionibus adimplere, c.2.§.2.p.22

Bartholomæum, &c. Bartholomæi nomen sic à dæmone timebatur, vt oracula nollet prodere, sed mallet, vt lateret,ora silentio signare.Plus dæmon,quàm homines Apostolum verebatur, quia ille non poterat non reuereri virtutibus exornatum. Homines solùm suspiciunt potentia præditum, c.2.§.37.p.28

Bartholomæum. Electus in Apostolum, dignitatem virtutibus suffulsit,& miraculis honorauit. Vt discant etiam ambitiosi culmina virtutibus stare firma & corruere vitiis euersa, c.2.§.100.p.46

Bartholomæum, Ipse dignitatem non exambiuit, sed Christus contulit. Vt nouerit politices benemeritum, quin ipse cogatur ambire, luminibus dignitatum ornare, c.2.§.112.p 49

Quos & Apostolos,&c.Bartholomæus,vt Apostolatum impleret, apertè Principibus veritatem deprædicauit,& bellum vitiis indixit;sed merces prædicationis fuit pelle immaniter denudari,& multimodè affligi.Ob id magnates veritatem non audiunt,quia omnes timent eos admonere,& si dicenda sit, veritatem adnituntur ambagibus deformare, c.3.§.38.p.64

Quos, & Apostolos. Electus Bartholomæus non induxit otio,sed ferè immensos deuorauit labores ardenti animarum zelo. Cùm plures iam dignitatem adepti, otientur obligationis obliti, c.10.§.6.p.230

Bartholomæum. Ipsa ad Apostolatum electio publicabat mirandis dotibus Bartholomæum exornari, & sanctitatis arce eminere. Maior namque in eo virtutis census, requiritur, qui aliis gubernandis præponitur, c.10.§.17.p.232

Elegit,&c.Christus Bartholomæum elegit, ipse deligi non præsumpsit, immò se electum demirabatur, quia indignum, qui eligeretur,arbitrabatur.Frequenter se dignitatibus impares arbitrantur, qui virtutum suffragiis cæteris præponuntur, c.10.§.57.p.246

Pro S. Augustino, & præclaris Ecclesiæ Doctoribus. *Matth.5.*

Vos estis sal terræ,&c. Vt micanti luce errorum posset tenebras depopulari, curauit Augustinus profunda humilitate in sale adumbrata communiri. Prælatum namque exornare debet scientia, & commendare sapientiam vita, c.1.§.4.p.2

Vos estis sal terræ. Dum extinguendis peccatorum autoribus destinat, omnium in sale designato exercitu virtutum obarmat. Et quidem Prælatus indiget constanti patientia,& prouidentissima vigilantia, c.1.§.6. p. 5

Lux mundi. Lucet Augustinus nobili vena exortus, sed micantius, quia à matre sanctissima procreatus. Eximium præconium est honesta vena exoriri,sed augustius à sanctis parentibus procreari, c.1.§.11.p.4

Lux mundi. Lux non solùm fulget, sed tenebras aliorum depellit. Lucis Augustinus cumulatè impleuit munus, dum heroicis virtutibus excultus resplenduit, & hæreses cælesti sapientiæ lumine propulsauit: Eximius virtutis cultor non solùm legi obtemperat, sed trahere plures ad virtutem adlaborat, c.1.p.18.p.5

Lux mundi. Augustinus à Domino deligitur,& pastoris infulis ob eximias virtutes nobilitatur.Episcopatum non ambiuit, sed inuitus suscepit. A Deo constat electum,dum nullis procuratis suffragiis dignitatis tenuit fastigium. Dignitas apud sæculum fauore, apud

Deum

Deum aditur virtute, c.1.§.24. p. 7

Lux mundi. Augustinus laudes meruit eximiè muneri satisfaciens, non otio indulgens: Cùm inueniantur plures, qui excusato laboris censu exambiant dignitatum potiri fructu, c.1.§.33.p.9

Vos estis lux mundi. Lux splendet, vt alijs benefaciat, & scandala impediat, quàm Augustinus lucis munus exploerit eius opera testantur, & quos pertulit, labores in fide asserenda loquuntur. Eximia namque virtus se alijs communicat, & sui similes habere anhelat. c.2. §.10. p.24

Ciuitas supra montem posita. Ciuitas, quos amplectitur, defendit muris, & sibi adauget frequentiam, dum protectionis extendit vmbram: ad sui plausum adquirit, quos ab adsultibus aduersariorum defendit: tibi adscribitur ad gloriam, quem eripuisti à periculorum ruina. c.2.§.24.p.26

Vos estis lux mundi. Lux mundi fuit Augustinus, quia veram Religionem propagauit, & ad iustitiam plurimos erudiuit. Inueniuntur tamen non plures Augustini imitatores, cum vim patiatur non rarò religio, & iustitia ab eis ipsis, quibus demandatur tutela. c.2. §.57. p.33

Vos estis lux mundi. Augustinus non solùm sidus refulget, sed inter alios Doctores sanctitate, & sapientia eminet, & solis adinstar claret: vt Ioannes inter Euangelistas, sic Augustinus inter Doctores est Aquila, fas namque erat præcipuis honoribus insigniri, dum plures constat sapientiæ luminibus antecedere. c.2. §.61.p.34

Vos estis lux mundi. Lux non solùm ardet, sed fulget. Vt discant Dei ministri opus sibi esse virtutis ardor, & famæ fulgor. Vndè Augustinus domo nec sorores admittebat, vt ab omni suspicione castitatis fulgor splenderet illæsus, nec vllis susurris fordesceret obscuratus. Satis namque non est Dei ministro interna sanctitate radiare, sed opus est etiam bona opinione florere. c.2.§.88. p.42

Vos estis lux mundi. Cœlestis lux indefesso tenore cursum peragit, & munus obit; vt discant Dei ministri lucem æmulari, nec in munere, aut virtute tepescere: nam parum iuvat virtutis arripere studium, si marcescat exiguo tempore desiderium. c.3.v.2.p.52

Pro S. Matthæo Apostolo.
Matthæi 9.

Vidit hominem. Vidit Christus Matthæum, sed Matthæus sequutus est Christum forsitan non inueniret, sequi si differret: nam qui pulsanti luci oculos claudit, auolasse aliquando luget. c.3.§.10.p.54

Et surgens, &c. Didicit Matthæus audire, qui alios iam cupiebat edocere; nec posset alios vtiliter edocere si ipse detrectasset audire. c.3.§.20.p.58

Surgens sequutus est eum. Exprompta Matthæi obedientia apparuit quàm præsens adesset gratia; nam quò expromptiùs obedimus, Deum nobis proximiorem declaramus. c.3.§.24.p.60

Et surgens sequutus est eum. Dum vocationem obtemperando honorauit, elegi in Apostolum, & Euangelistam promeruit. Vt noueris ad potiora beneficia disponi, quem constat priora dignis actionibus honorare. c.3.§.52.p.69

Sequutus est eum. Si Matthæus prosequeretur telonium, angeret lucrum, sed dum spreuit lucrum, vt sequeretur Christum, immortale sibi acquisiuit elogiũ: nam virtutem solida comitatur gloria, & augusta apud omnes fama. c.3.§.53.p.70

Sequutus est, &c. Apostoli, & Euangelistæ honorem Matthæus obtinuit; sed Christum imitatus, nec labores subire, nec sanguinem fundere detrectauit: cùm plures dignitatis ambiant lucem, & refugere soleant laborem. c.4.§.35. p.82

Sequutus est eum. Non timuit Matthæus lucris carere, vt quiret virtutibus inseruire, cùm frequenter plus apud homines æstimetur lucrum, quàm Christi Domini exemplum. Non verentur plures Deum amittere si amittendo quiuerint temporalia lucra adaugere. c.4.§.43. p.86

Videntes Pharisæi. Pharisæi legum pestes Christum, & Matthæum liuido dente carpebant; nec mirum exercerent linguam, cùm morum non custodirent mensuram. Pro solatio est improbis iustos abrodere, & eorum virtutes carpere. c.1.§.45.p.11

Dicebant, &c. Cum publicanis, peccatoribúsque conuiuia celebrare, Christi poterat benignitati adscribi & ad iniquam suspicionem deflecti: ergo Pharisæi liuore adusti in deteriorem partem sunt Christi Domini benignitatem interpretati: Nam liuor dubia in peius interpretatur, & inuidiosum insequitur. c.1§.41.p.10

Secutus est eum. Adeò est secutus, vt Apostolicum munus sanguine effuso honoraret, & Euangelium conscribens omnes homines erudiret. Ex Apostolis quilibet in hanc, vel illam Prouinciam intulit veritatem. Matthæus Euangelium conscribens lucem vniuerso orbi impertiit. Qui erudiendis hominibus incumbunt, quia toti Reipublicæ commodi, magnis præmiis probantur digni. c.1.§.102.p.20

Matthæum nomine. Alij Euangelistæ nomen hoc supresserunt, cùm historiam literis demandarunt. Matthæus ipse se publicanum expressit, & humilitatem ambiuit, quia iam magno virtutum censu resplenduit. Quisquis virtutum fructibus inuenitur vberior, se se demittit humilior. c.1.§.106.p.21

Sedentem, &c. Cum Domino agens, Apostolus resplenduit, & Euangelistæ nomen obtinuit. In telonio periculis obnoxius, & sceleribus non alienus. Cùm Deo semper lucrosa commercia, cum hominibus discriminibus semper plena. c.2.§.66.p.35

In Festo S. Michaëlis, & Angeli Custodis.
Matth. 18.

Quis maior est. Angeli virtutum censu replendentes homines satagunt habere felicitatis consortes. Apostoli decertabant, vt præ aliis lucerent. Eximus virtutis cultor non solùm mores concinnat, sed alios consortes habere totis viribus adlaborat. c.1.§.18.p.5

Semper vident faciem. Apostoli dignitatem suspirabant, & ambitioni inseruiebant; Christus Angelorum proposuit exemplum, vt nossent præexcellentiam apud Deum sortiri non fauore, sed sanctitate. c.§.24.p.7

Angeli eorum. Angelus quia omni virtute excultus hominibus custodiendis probatur aptus: plurimis inuenitur proficuus, qui virtutibus exornatus. cap.1. §.36. p.9

Angeli eorum. Quia custodiendis hominibus deputati, quo ad Deum traxerint, semper Angeli vigilanerunt soliciti. Esset enim miserandum, si præberent occasionem recedendi, qui eliguntur, vt causa extiterint Domino proximandi. c.1.§.72.p.15

Angeli eorum. Angelus Dei probatur esse minister, dũ studet alienis commodis, non propriis attendit lucris. Reipublicæ ministri non rarò cupiditate sordescunt, & opus est plura, quàm Domino, dilargiri ministro, c. 1.§.100. p.17

Angeli eorum. Mira Angelorum dignatio diuino aspectu fruuntur, & paruulos custodire non auersantur. Certè se se demittit humilior, quisquis virtutum fructibus inuenitur vberior, c.1.§.106.p.21

Angeli eorum. Qui custodum sortiti elogia, dignis semper solicitudinibus implere conantur officia. Vt noueris actione complere, quod nomine videris promittere. c.2.§.2.p.22

Semper

Semper vident faciem. Nullis Angeli perturbationibus ſolicitantur, nullis periculis deterrentur, ſemper vident faciem, quia eorum felicitas ſolida, vtpotè à virtute profecta. Diſcipuli, quia tunc non perfecti, variis contentionibus litigabant, & ſplendorem fluxum ambiebant. Illa felicitas eſt ſolida, quæ conſtat virtutibus, vt infirma, quæ ſæculi innititur ſplendoribus. c.2.§.17.p.25

Angeli eorum. Non ſolùm Angeli ſatagunt munus perficere, ſed orationibus nos ſatagunt adiuvare, & ſæpè ob eorum preces ſalus acquiritur, & mortis periculum propulſatur. c.2.§.21.p.26

Angeli eorum. Potentes oſtendit, vt homines eos venerentur non ſolùm ob virtutem, ſed etiam ob poteſtatem, cùm homines plus venerentur potentiâ præditum, quàm virtutibus excultum. c.2.§.37.p.28

Angeli eorum. Adeſſe monuit Angelos, vt eius vereatis præſentiam, & fugias perpetrare in eius oculis culpam. Eſt enim periculoſum Angelorum præſentiam contemnere, & in eorum oculis irreuerenter delinquere. c.2.§.81.p.40

Angeli eorum. Toti ſunt Angeli in noſtris propulſandis periculis, internè ſæpiùs, & externè aliquando futura denuntiant nobis pericula, vt opportuna adhibeamus remedia. c.2.§.91.p.43

Pro S. Catharina, & virginibus.
Matth. 25.

Simile eſt Regnum Cœlorum. Satis erat, vt Catharina ſimilis eſſet cœlo, & nihilominus ait Chriſtus, cœlum eſſe ſimile Catharinæ: nec mirum, quando tanto oleo ad æternandam lucem exundabat, vt ex eius corpore emanet oleum, vel prudentes dormitarunt, quia traxit moras ſponſus. Ad Catharinam maturauit celeriter greſſum, quia non ſolùm luxit, ſed plurimos ad fidem traxit. c.1.§.18.p.5

Exite obuiam. Non ſolùm obuiam exiit, vt Chriſtum reciperet, ſed tyranno obuiauit, vt carperet, vitámque deſpexit. Generoſus amor propriis commodis non attendit, ſed amati lucris, honoríque ſtudet. c.1. §.31. p.8

Lampades noſtræ extinguuntur. Aliæ virgines auolantem lucem non valuerunt retinere, Catharina eo fulgore reſplenduit, vt infidelitatis tenebris extinctas prorſus iam lãpades valuerit illuminare, & fecerit inardeſcere. Plurimis inuenta eſt proficua, quia præclaris virtutibus exornata. c.1.§.36.p.9

Dormitauerunt. Quia nox ſomni tempus, dormitarunt; Catharina verò noctes orationi impendebat, & acquirendis ſupernis luminibus dedicabat: ergo vicit tyrannum, & decantandum ſæculis tulit triumphum. Qui oblectationis tempus orationi dicat, facilè aſſequitur, quod exoptat. c.1.§.56.p.13

Quinque prudentes. Qui virtutibus inſeruiunt, à mundialibus ſolent deridèri, & ſtulti haberi: ſed Catharina iniquitati ora præcluſit, quia ſapientiâ cæleſti reſplenduit. c.1.§.69.p.15

Exite obuiam. Exiuit Catharina de ſæculi commodis, contempſit diuitias, oris deſpexit venuſtatem, rotam exacutis gladiis armatam non timuit. Vt diſcant humanis commodis renuntiare, quæ diſcupiunt diuinis conſpectibus apparere. c.1.§.101.p.20

Exite obuiam. Arctiſſimo erat iam vinculo cum Chriſto ſponſo coniuncta, exiuit tamen, vt ardenti lampade Imperatricis fidem illuminaret, Deoque coniungeret. Nam egregia ſanctitas ſe aliis communicat, & conſortes habere anhelat. c.2.§.10.p.24

Clamor factus eſt. Ab Angelis factus eſt hic clamor, vt dum dormientes excitant, excitationis ſibi gloriam acquirant. Catharinæ clamor plures excitauit, & innumeros triumphos tulit; vt ei adſcriberentur ad gloriam, quorum depulerat luce culpam. c.2.§.24.p.26

Date nobis de oleo veſtro. Satius erat ſtultis virginibus de exiguo oleo ſuo dare, quàm ab aliis oleum petere. Nam impenſa aliis miſericordia effugit lapſum, & imminens eludit periculum. c.2.§.31.p.27

Et Sponſæ. Præ aliis virginibus ſponſæ titulo gaudet Catharina, & in carcere non à corvo, ſed à columba innutritur: vt conſtaret præ aliis virginibus honore inſigniri, quando ſemper vigilando liquebat mirandis virtutibus anteponi. c.2.§.61.p.34

Dum autem irent emere. Ad adulatores inuolabant, vt euanidum ſplendorem ſibi emerent; & iure fugillantur ſtultæ, dum ignorant ſplendorem virtutibus conſeruari, non vanis plauſibus innutriri. c.2.§.100.p.46

Date nobis. Habuit Catharina, qua plures perfunderet, lucem, idque in florida juventute, vt mirabilior exiſteret. Eſt enim mirandum, in ætate florida virtute reſplenduiſſe cana, & perfecta. c.2.§.86.p.41

LIBER

LIBER PRIMVS REGVM.

CAPVT PRIMVM.

1. ERAT vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Ieroham, filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, Ephrathæus. 2. Et habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fuerúntque Phenennæ filij, Annæ autem non erant liberi. 3. Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni, & Phinees, Sacerdotes Domini. 4. Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes. 5. Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam eius. 6. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret, quod Dominus conclusisset vulvam eius. 7. Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini: & sic prouocabat eam; porrò illa flebat, & non capiebat cibum. 8. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij. 9. Surrexit autem Anna, postquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli Sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini. 10. Cùm esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter. 11. Et votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederísque seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius. 12. Factum est autem, cùm illa multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obseruaret os eius. 13. Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantúmque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam. 14. Dixítque ei: Vsquequò ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades. 15. Respondens Anna: Nequaquam, inquit, Domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinúmque, & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. 16. Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta sum vsque in præsens. 17. Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. 18. Et illa dixit: Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, & comedit, vultúsque illius non sunt amplius in diuersa mutati. 19. Et surrexerunt manè, & adorauerunt coram Domino: reuersíque sunt, & venerunt in domum suam Ramatha. Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam: & recordatus est eius Dominus. 20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocauítque nomen eius Samuël, eo quòd à Domino postulasset eum. 21. Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hostiam solemnem, & votum suum. 22. Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter. 23. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane, donec ablactes eum. Precórque, vt impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte. 24. Et adduxit eum secum, postquam ablactauerat, in vitulis tribus & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum, ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus. 25. Et immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. 26. Et ait Anna: Obsecro mi Domine, viuit anima tua Domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum. 27. Pro puero isto orani, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum. 28. Idcirco & ego commodaui eum Domino, cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adorauerunt ibi Dominum. Et orauit Anna, & ait:

NAXERA
Lib. I.
Regum.
Cap. I.
15

TEXTVS.

VERS. I. Fuit vir vnus de Ramathain Sophin de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Ieroan, filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, Ephrathæus.

§. I.

Rarus est, qui dignitatis, fortunæque culmine elatus, eximiis fulgeat virtutibus expolitus.

VIRTVS animo nascitur, & nutritur: Loco nullatenus illigatur, alto culmine nouit immota consistere, humili valle florere. Verùm negari non potest, excelsa tenentes acrioribus ventis concuti, & facilius referiri. Non solùm magni animi, sed prudentissimi est, mediocrem fortunam malle, quam nimiam; in illa vtilia, & honesta placent; in hac splendida inflant, & superflua nocent. Nimia vbertas sternit segetem: nimia fœcunditas peruenit rarò ad maturitatem. Quàm benè Seneca *epist.39. Idem animis quoque euenit* (ait) *quos immoderata felicitas rumpit, qua non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vtuntur.* Lucifer ipso felicitatis pondere ruit, & cæteris altior, inuentus est ambitiosior. Nullus in Luciferum funestus, adeò esset hostis, quàm ipse fuit. Ergo vt Elcana eximiam, & singularem Textus virtutem exprimeret, de monte Ephrain retulit exortum, & virtutibus consecratum: *Fuit vir vnus de Ramathain Sophin, & nomen eius Elcana.* Vnus fuit, id est, singularis, & primus. Coniunxit namque Dei possessionem esse, & frugiferi montis culmina inhabitare. *Elcana* (inquit Interlinearis) *possessio Dei.* Malè adeò sibi conueniunt fortunæ culminibus eminere, & virtutibus emicare, vt Elcana referatur vnicus): *Fuit vir vnus*: Adest Origenes: *In monte Ephrain, & in Ramathain Sophin habitasse dicitur, in alta scilicet contemplatione virtutum, vt à nullis subiacentibus, & circumlatrantibus vitiorum cogitationibus mentis eius sublimitas deiiceretur, vel vnitas scinderetur.* Non eum strauit vbertas, non deiecit felicitas: culmine Dei possessio resplenduit, & nullis denigratus cupiditatibus floruit.

§. II.

Qui Dei possessionem esse desiderat, saporatis virtutum fructibus floreat.

EPicureorum delicata, & vmbratica turba virtutem voluptatum constituit ministram; vt illis pareret, & inseruiret: verum delirabat cæca, & blaterabat delira. Virtus non est voluptatis serua, sed aduersaria; non adulatur cupiditatibus, sed indicit bellum deprauatis affectionibus. O quàm à veritate exerrabant Epicurei, Deum se habere existimantes, & cupiditatibus inseruientes! Ille solus Deum possidet, ab eóque possidetur, qui eximiis virtutibus exornatur. Elcana interpretatur Dei possessio, & de monte Ephrain, id est, frugifero procreatur: *De monte Ephrain, & nomen eius Elcana.* Priùs retulit montem, ut Dei possessionem referret, neque enim esse poterat Dei possessio, ni virtutum eum nobilitaret fructificatio. Adest Origenes: *Ideo non de vallibus, vel de campis, sed de monte Ephrain, id est, frugifero, esse dicitur, in quo nobilitas omnium virtutum fructificare dignoscitur.* Vacuum Elcana portaret vocabulum, ni virtutum omnium proferret fructum. Est namque opus, vt possessionis Dei exorneris elogio, inuigilare virtutum omnium augmento.

§. III.

Qui eminet celso dignitatis culmine, multiplici cogitur, desudare certamine.

CVlmen speciosum est, multiplices tamen secum labores affert, & solicitas excubias requirit. Martialis inuenitur Campus, qui splendens placebat thronus. Si dignitatem sortitus æquitati consulat, in se contumaces armauit; si remissiùs agat zelotypos sustinebit. Disertè Cassiodorus 6. *var.* 13. *Si segnius agat, petitor queritur: si districtè, pulsatus vociferatur. Sic inter vtrumque diuersum rara laus est inuenisse præconium.* Adnectit: *Post omnia periculis subduntur, si constricti aliquid verisimile conquerantur. Frequenter nocuit alijs ipsa quoque integritas actionis.* Prælatis opus est patientiæ clypeum arripere, séque contra factiosas querelas, & multiplices insidias tueri. Ob id Elcana, qui culmine eminens adumbrauit dignitatibus exornatos, in Ramathain habitasse refertur, id est, in specula, de qua aduersariorum præuideret adsultus, & subditorum attendere posset conatus: *Fuit vir vnus de Ramathain Sophin, de monte Ephrain.* Vt Interlinearis placet, Ramathain interpretatur *specula*, vel *scopulus*: vt noueris monte eminentes inter scopulos artificiosè sæpè contectos versari, deberéque in excubijs degere. *Ramathain* (verba sunt Interlinearis) *specula, vel scopulus.* Consonat Hugo Cardinalis: *Elcana est Prælatus, qui debet esse vir animi virtute, id est, fortis, & strennus.* Adnectit: *Oportet enim eum pugnare pro pluribus, id est, pro se, & subditis, & contra plures callidos, & fortes, id est, malignos spiritus, & contra mundum & contra carnem.* Vt qui aurigat inter frequentes scopulos nauigium assidere debet studiosissimè gubernaculo; ita prælatus vigilantissimo insudare debet studio, cùm sæpè sæpiùs, & aduersariorũ impetatur insidiis, & subditorum denigretur æstimatione querelis. Ergo Elcana montem, speculámque coniunxit, vt scopulos dignitatis vitaret.

§. IV.

Prælatum exornet scientia, & scientiam commendet vita.

QVi fulget luminibus dignitatis, geminis nobilitari oportet elogijs, inculpabili scilicet vita, & honorabili scientia. Indoctus parui æstimatur, vitijs defœdatus despicitur. *Fiat via* (aiebat Seneca *epist.37.*) *& hanc tibi viam dabit Philosophia: ad hanc te confer, si vis salvus esse, si securus, si beatus: denique si vis esse, quod est maximum, liber. Hoc contingere aliter non potest. Humilis res est stultitia, abiecta, sordida, seruilis, multis affectibus, & sæuissimis subiecta. Hos tam graues dominos interdum altermis imperantes, interdum pariter, dimittit à te sapientia, quæ sola libertas est.* Perfecta sapientia constat scientiæ lumine, & morum candore: qui se rationi non subiecit, subiectis fecit delinquendi licentiam: qui scientiæ expers, fallentium innutriuit audaciam. Elcana celsitudinis culmina inhabitans, de Ramathain fuisse dicitur: *Fuit vir vnus de Ramathain Sophin, de monte Ephrain.* Vtrumque coniunxit, virtutis fructibus exundare, & sapientia prælucere. Notauit Hugo: *Ramathain interpretatur* excelsa duo; *& duplex ei situdo requiritur in Prælato, scilicet vitæ, & scientiæ.* Indoctus depretiatur, moribus inconcinnus contemnitur. Ergo opus est dignitatem possidenti geminis vitæ, & scientiæ nobilitari præconiis, & exornari excellentijs.

§. V.

Prælati cupiditas delinquendi facit licentiam, & legibus infert iniuriam.

OPus est temporalia non ambire, vt æquitatis iura illæsa possint seruari. Quisquis aliquid exambit, indulget: expers cupiditatis agit constanter virtutis causam,

causam, nec subiectis remittit habenam. *Si vis tibi omnia subiicere* (aiebat Seneca *epist.*37.) *te subiice rationi: multos reges, si ratio te rexerit. Ab illa disces, quid, & quemadmodum aggredi debeas.* Quid debeat aggredi, non dispicit, qui acquirendo solùm attendit. Elcana vnus dicitur, dum montis culmine eminere refertur: *Fuit vir vnus de monte Ephrain.* Vnus fuit, quia vnum tantùm suspirauit, Deo scilicet placere, non temporalibus exundare. Ita Hugo de Prælatis loquens: *Debet esse vnus, vt vnum tantùm appetat, & non plura, id est, spiritualia, non temporalia.* Temporalium appetitor, vt marsupium impleat, subditorum mores expolire detrectat: solùm ille bellum criminibus indicit, qui cupiditatibus exutus nulla temporalium siti vstulatur.

§. VI.

Prælatum exornet constans patientia, & prouidentissima vigilantia.

VT plures à ratione exorbitant, & errori adulari adfectant; ita impatienter ferunt reprimi, & delinquendi occasiones præcidi. Hinc est, quòd Superiores, Prælatique factiosas sustineant sæpè querelas, si puniuerint, aut impediuerint culpas. *Frequenter nocuit aliis* (aiebat Cassiod. 6.*var.*13.) *ipsa quoque integritas actionis.* Dum prouida solicitudo auertit pericula, dum subditorum obuiat prauis affectionibus inuigilans prouidentia, contra se procellam solet excitare, & repetitis fluctibus impeti: Oportet tamen inuicti adinstar scopuli fluctus patienter sustinere, & vigilantissimi speculatoris munus perficere. Elcana iudicum, ac superiorum idea Ramathain Sophin coniunxit, & ibi inhabitare delegit: *Fuit vir vnus de Ramathain Sophin.* His nominibus speculam, & scopulum denotari testatur Hugo, qui à speculæ, & scopuli proprietates referre debet, qui dignitatis culmine fulget. Audi Hugonem: *Sophin interpretatur* specula, *vel* scopulus, *per qua intelliguntur duo, quæ similiter in Prælato requiruntur. Per scopulum constans patientia in aduersis, vt sicut scopulus non mouetur ad ictus, nec repercutit; ita nec Prælatus.* Adnectit etsi allegoricus, moralissimus tamen: *In specula notatur vigilantia circunspectionis, quia Prælatus vigilanter, & circunspectè debet sibi, & subditis prouidere necessaria, & præcauere nocina*: Speculatoris vicem gerens periculis occurrit, scopulum imitatus vndarum despumantia volumina frangit, non tamen repercutit. Optimus ille pastor à lupinis rictibus oues inuigilans defendit, & defatigatas humeris patiens imposuit. Ergo superior scopulus patiatur immotus, & speculator oculos expandat solicitus.

§. VII.

Rarò est Dei totus, qui culmine refulget excelsus.

CVlmina, diuitiæque debent virtutibus famulari, sed bellum inueniuntur inferre. Rarus est ex diuitibus, & præcelsis, qui relinqui sibi debeat: voluptatibus se mergunt, vanitatis delirio furunt. Magnates plus adfectionum impetu, quàm rationis ducuntur consilio. Benè de his Seneca *epist.*37. *Non minus sæpè fortuna in nos incurrit, quàm nos in illam. Turpe est non ire, sed ferri.* Quò voluptas vocat, tendunt fortunati; quò aurum, cupidi: palato inseruiunt delicati. Mirum est, si à virtute non desciuerit diuitiis circumfusus, si non pulsetur superbia, dignitate cæteris antelatus. Ob id in Elcana Christum adumbratum agnoscit Glossa Moralis; nam cùm monte præexcelso eminuerit Elcana, id est, *possessio Dei*, & viguit, & claruit: *Fuit vir vnus de monte Ephrain, & nomen eius Elcana.* Culmine elatus, diuitiis circumfusus Dei fuit possessio: ergo Christum retulit, & diuinum se quodammodo prodidit. *Per istum virum* (inquit Glossa Moralis) *fuit significatus Christus.* Vt Christus plusquam homo fuit, ita plusquam homo ad speciem fuit Elcana, dum Christum retulit, nec fortunatus ab æquitate desciuit.

§. VIII.

Insolitum est virtutum ambire summa, vt frequens sequi mediocria.

NEminem (aiebat Seneca *epist.*39.) *excelsi ingenij virum humilia delectant; & sordida.* Verùm dixit; adiicere tamen potuisset, raros magnarum virtutum species ad se vocat, & prolectat. Quemadmodum flamma in rectum surgit, nec iacere, aut deprimi potest; ita animus in motu est, quo nobilior, & actuosior altiora laudabiliter exambit, & extra fortunæ ditionem viuit. Horum tamen numerus exiguus est; plures mediocria sequuntur; vtilia, vitaliáque cupiunt; non tamen inducunt animum, vt ad perfectionis apicem euolent: contenti sunt vitiis non infici, mediocribus virtutibus exornari: ea tamen perfectionis culmina cælitibus proximiora non aggrediuntur conscendere, aut difficultatibus deterriti, aut ignauia præpediti. Vnicus, singularisque Elcana refertur, dum in montis culmine demoratur: *Fuit vir vnus de monte Ephrain*: non incoluit vallem, non planitiem, culmen tenuit, & omnium virtutum splendoribus enituit. Notauit Origenes: *Non de vallibus, vel de campis, sed de monte Ephrain, id est, frugifero, esse dicitur, in quo nobilitas omnium virtutum fructificare dignoscitur.* Vnus Elcana non vallem, non collem delegit, sed celsiora virtutum culmina laudabiliter exambiuit.

§. IX.

Frequenter pro fortunæ varietate induitur vultus, & assumitur adspectus.

MAgni animi est fortunam contemnere, felicis extra eius ius, ditionémque viuere. *Felix* (aiebat Seneca *epist.*39.) *qui ad meliora hunc impetum dedit. Ponet se extra ius, ditionémque fortunæ. Secunda temperabit, aduersa comminuet, & aliis admiranda despiciet.* Sapiens nec calamitatis turbinibus deiicitur, nec aura prosperitatis inflatur; sui semper similis perstat, & laudabili constantia perdurat: verùm cùm sit stultorum infinitus numerus, frequenter pro fortunæ diuersitate varios induunt vultus, & alternare solent aspectus. Si prosperitas arrideat, alios superciliosi despiciunt, si diuexet calamitas, ad vestigia aliorum incuruantur prouoluti. Non erat ex horum numero Elcana, qui semper fuit vnus & valle, & culmine. Ita Hugo Cardinalis: *Omnis sapiens vnus, & omnis vnus sapiens; stultus verò non est vnus, sed multiplex, & variabilis.* Inconstantia aliquando multiplicat, quod natura taxat. plures inueniuntur Protei, qui diuersos induant vultus. Vnicus Elcana: *Fuit vir vnus*, quia eundem semper ostentauit aspectum. Præmiserat Hugo: *Vnus non vnitate personæ tantùm, sed religionis singularitate, & mentis constantia.* Quid plura?

§. X.

Magni est habendum à defæcata nobilitatis vena traxisse exordium.

A Cespite suo (aiebat Cassiodorus 2.*varior.*14.) *virgulta non discrepant: propago vitis propriæ seruit origini.* Incunabula solent esse non dubia futurorum auspicia,

ficia. Hinc qui nobili sanguine procreatus est, virtutibus, etiam creditur expolitus. Elcana de Ramathain originem traxit, & origini virtute respondit: *De Ramatha in Sophin.* Ita Rupertus: *Ramathain interpretatur excelsa duo, vt duæ intelligantur tribus, Regalis scilicet, & Sacerdotalis, ex quibus extitit pater eius, & mater.* Regia, Sacerdotalique stirpe refertur exortus, vt virtus nobilitate fota emicaret, & nobilitas virtutibus condecorata fulgeret.

§. XI.

Eximium filiorum præconium est, nobili vena exoriri, sed augustius à Sanctis parentibus procreari.

VIrtus cuique propria; verùm non semel videtur hæreditaria, & à Sanctis parentibus, si fas est dicere, filiis transfusa. Radicis qualitas relucet in fructu, inde trahit quò ad saporem condiatur, & ad venustatem ornetur. Latens, & subterraneus meatus vndis præstat saporem, aut obscurat claritatem. *Currit aqua virgo* (aiebat Cassiodorus 7. *var.* 6.) *sub delectatione purissima, quæ ideò sic appellata creditur, quia nullis sordibus polluatur. Nam cùm aliæ pluuiarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aërem perpetuò serenum purissimè labens vnda mentitur.* Virginei latices fontem commendant, & defæcatissimus fons vndas ad saporem condit, & nulla admixtione defœdatas producit. Hinc Sacer Textus Elcana Ephrathæum fuisse, & culmina retulit habitasse. *De monte Ephrain, & nomen eius Elcana, Ephrathæus,* id est, teste Glossa, *frugifer, quia donis Spiritus Sancti abundat.* Vt Samuelis sanctitatem commendaret, à parentibus eximiis virtutibus exornatis retulit procreatum, vt vel ab origine sanctitas videretur quodammodo hæreditaria, & transfusa. Adest Hugo Cardinalis: *Ad commendationem Samuelis præmittit auctor commendationem patris eius, dicens: Fuit vir vnus; vir non solùm sexu tantùm, sed religionis singularitate, & mentis constantia.* Idem, Ambrosius *lib.* 1. *in Lucam: Vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas, in iis, quos volumus laudare, præcellat.* Samuël non solùm nobilitatur moribus, sed parentum etiam virtutibus. Felix, quia nobilissimo sanguine exortus; felicior tamen, quia à Sanctis parentibus procreatus.

§. XII.

In diuitiarum officina, nobilitatis procudi solent stemmata.

EX quo aurum in honore esse cœpit, virtutis & nobilitatis splendor quodammodò elanguit. Parietem terreum marmora vestiunt, & nobilissimam originem mentita fallunt. Ligna auro perfusa in sui commendationem oculos alliciunt, & cùm non ignores quid lateat, bractea illa superinducta honorem sibi conciliat. Quàm benè Seneca *epist.* 115. *Miramur parietes tenui marmore inductos: cùm sciamus quale sit, quod absconditur, oculis nostris imponimus. Et cùm auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? Scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantùm parietibus, aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est.* Aliquorum origo auro resplendet bracteata, & porticu resplendent stemmata diuitiarum in officina procusa. Elcana Ephrathæi nobilitatur elogio: *Filij Suph, Ephrathæus.* Ephrathæus appellatus est, vt placet pluribus, quia antiquissimo, ac regio sanguine exortus: verùm si Caietani accedamus opinioni, inueniemus præconium diuitiis elaboratum, non verò origine transfusum. Caietanum audi: *Sunt nonnulli putantes non esse patrium nomen Ephrathæus, sed esse nomen appellativum, significaréque Hebraicè, quod Latinè diceremus, augustus, nam ab augmento derivatur.* Itaque augusti nomen, non origine accepit, sed auro sibi acquisiuit. Adnectit Caietanus: *Ita quod describitur Elcana vir non communis, sed augustus, ab augmento, vt creditur, opum, & honoris.* Ephrathæi elogium erat regalis sanguinis, vt Interpretibus placet; argumentum, si aliquorum tamen opinioni accedas, in officina auri videtur elaboratum, quasi pecunia fuerit nobilitatis antiquissimæ vena.

§. XIII.

Misericordes parentes ingentem diuitiarum filiis, acquirunt censum, & honestissimum lucrum.

AD mare, vnde exeunt, flumina reuertuntur, & quidem frequenter copiosis incrementis, & lucris; nec aliter in pauperes liberalitas, & pietas, ad largitorem redit, & posteros miris prouentibus auget. *Suo quodam priuilegio* (de liberalitate aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 39.) *velut debita, quæ donantur, exposcit.* Addiderim non solùm exposcere donata, vt honestè debita, sed laudabiliter exigere etiam lucra. Inculpabile fœnus est misericordi manu profundere, quia constat profusa ad largitorem magnis prouentibus remeare. Vbi Elcana refertur Ieroan filius, deprædicatur etiam Ephrathæus: *Filius Ieroan, Ephrathæus.* Ieroan, vt Interlineari placet, idem est, quod pius, & beneficus: *Ieroan misericors.* Ergo misericordis filius Ephrathæus resplenduit, quod sonat *diuitiis exundare, & honoribus præcellere.* Adest Caietanus: *Describitur Elcana vir non communis, sed augustus, ab augmento, vt creditur, opum, & honoris.* Inuenit Ieroan honestissimam artem, qua filio diuitias, honoréque congereret, videlicet miserorum subleuare ærumnas, & pauperum depulisse miserias: est namque eleemosyna, misericordiáque fœnus securum, lucrum honestum.

TEXTVS.

VERS. II. Et habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij; Annæ autem non erant liberi.

§. XIV.

Nullus ex omni parte beatus.

VEl in rerum opulentia, & felicitatum cumulo aliquis aculeus pungit, & animum referit. De Nilo aiebat Cassiodorus *var.* 6. *Ægyptius Nilus certis temporibus crescens per campos iacentes, superducto diluuio aëre sereno turbulentus exæstuat.* Adnectit: *Incolas suos, aut veniendo terret, aut recedendo destituit.* Itaque, si recedat Nilus, tellus aresci; si exundauerit, insperato diluuio pressa ingemiscit. Vt videas quouis in statu quid iacentes campos sustinere, nec plena fortuna frui: Audis Annam familiæ dominam, & vxorem primam filiis carere: *Anna autem non erant liberi.* Phenennam vides filiis exundare, sed Annæ postponi, & æmulatione tangi. *Affligebat eam æmula eius*, inquit Textus. Phenennam adurgebat inuidia; Annam sterilitatis vrebat nota. Opportunè Caietanus: *Videt describi Phenennam tactam inuidia maioris amoris, quem vir ostendebat Annæ.* Anna plus amata mœret, quia infœcunda; Phenenna fœcunda inuidet, quia postposita; vtraque doloris stimulo adurgetur, & vritur: Vt noueris nullo in statu deesse doloris causam, & anxietatis materiam.

§. XV.

§. XV.

Nobilitas non rarò fructibus viduata, & virtutibus infœcunda.

NObilitas non rarò originis gloriâ tumet, & diuitiis exundans appetitibus inseruit. Origo laudabilis ad virtutes calcar est; sua tamen fortuna, splendoréque sic nobilis frequenter desipit obcæcatus, sic obcæcatur cupiditatibus deditus, vt filiis careat, & virtuti bellum inferat. Augustis natalibus splendidi, diuitiis circumfusi, voluptatibus frequentiùs famulantur & delitiis irretiuntur. Quàm benè Seneca: Nobilem, felicémque hortatus *epist.* 24. *Nunc admoneo, vt animum tuum non mergas in istam solicitudinem; hebetabitur enim, & minus habebit vigoris.* Causam subiicit: *Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur. Epulæ eruditatem afferunt; ebrietates neruorum torporem, tremorémque libidines pedum, manuum, articulorum omnium depranationes.* Vt plures diuitibus, nobilibúsque suppetunt occasiones, effœnati voluptatibus merguntur, & naufragantur. Nimia libido fœcunditati est opposita, differta mensa saluti, & temperantiæ contraria. Hanc nobis veritatem fortè in Anna nobilissima expressit Textus (nec enim infrequens est Scripturæ iustorum in casibus prauorum mores depingere, & adumbrare) ergo in Anna, etsi honestissima, nobilium depinxit infœcunditatem, & sortem: *Annæ autem non erant liberi.* Notauit Origenes: *Hic* (Elcana) *habuit duas vxores, quarum nobilior, id est, Anna, sterilis erat, sicut Sara nobilior vxor Abrahæ. Secunda verò, id est, Phenenna, fuit fœcunda, sicut Agar Ægyptia.* Historiæ penicillo sacra depinxit Scriptura in suscipienda fœmina, nobiles fortunatos, originisque claritate conspicuos dignis sæpè fructibus orbos, & viduatos.

§. XVI.

Non magni habetur, quod sine difficultate, impetratur.

RAtionales petitiones supplicum libenter amplectimur (aiebat Theodericus 4. *var.* 6.) *qui etiam non rogati iusta cogitamus.* Vel non rogatus ingentissima Deus beneficia impertitur: vnde rationales supplicum petitiones gratis auribus excipere euidenter agnoscitur; differt tamen aliquando, vt ipsa arduitas, & anxia ad impetrandum laboriositas pretium beneficiis imponat; pluris namque æstimatur, quod anxiis votis perquiritur. *Lenocinium est muneri* (aiebat Seneca 1. *de Ben. cap.* 11.) *antecedens metus.* Dum assequenda desideratáque timentur, assecuta gaudium ingeminant, & lenocinatur possessori præcedens timor. Anna liberis orba: *Annæ non erant liberi*, in orationis officina naturam redintegrauit, & copiosis lachrymis fœcundam reddidit. Si quæras, cur Deus distulerit sobolem nobilissimam, qua Annam nobilitare decreuerat, respondebit Hugo, & Interlinearis, beneficio pretium, & commendationem addere voluisse: nam quantò difficilius erat assequi votum, tantò gratius placuit impetratum. *Ita voluit Dominus* (inquit Hugo) *quia quantò partus magis fuit desideratus, tantò gratior habitus fuit.* Consonat Interlinearis: *Vt quantò desideratior, tantò acceptior partus.* Ne ipsa in obtinendo facilitas dignam accipientis gratitudinem minueret, beneficium tantisper dilatum est, ipsáque mora dilargientis deprædicauit munificentiam: nec enim auarus distulit, sed, vt ardentiora desideria pulchrius, digniúsque beneficium mererentur, protraxit.

TEXTVS.

VERS. III. Ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni, & Phinees, Sacerdotes Domini.

§. XVII.

Præscriptum virtuti tempus sæpè differtur; vanitati, voluptatique adsignatum citissimè soluitur.

ALij (aiebat Seneca de tempore loquens, *lib. de tranquillitat. animi cap.* 3.) *parcè illo vtimur; alij prodigè, alij sic impendimus, vt possimus rationem reddere: alij, vt nullas habeamus reliquias.* Non solùm aliqui tempus prodigè, sed celerrimè impendunt delitiis, & vanitati; alij non solùm parcè, sed lentè, honestati tamen, & virtuti. Ad spectacula iturus antelucanus somno inuitè recedenti assurgit; adstiturus sacris somnolentus differt, & otiosis morulis perdit: fessas senectutis reliquias sibi aliquando virtus vendicat; voluptas, vanitásque prima florentis ætatis spatia occupant: ad voluptuosa gradu itur citissimo, ad salubria lento. Hinc dilaudandus Elcana, qui adoraturus præscriptis à lege temporibus templum adibat, nec aliquam intercedere moram permittebat: *Ascendebat statutis diebus, vt adoraret.* Non plures inuenies, qui varia sibi impedimenta adoraturi non confingant; rupturi, vt spectaculis oculos pascerent, aut inficerent. *Ascendebat ad domum Dei* (inquit Caietanus) *omnibus temporibus decretis à lege.* Non protrahebat fastidiosus, non differebat tepidus, cùm de more sit plurimis tempus virtuti præscriptum morulis defœdare, aut quid saltim ab eo præcidere.

§. XVIII.

Eximius virtutis cultor, non solùm legi obtemperat, sed alios ad obsequelam inuitare adlaborat.

EXimius honestatis amator eius pulchritudinem non absconditi, sed aliis etiam ostendit; non refugit huius felicitatis consortes, sed habere exambit participes. *Trahe me*: (aiebat quædam anima amoris ardore feliciter exæstuans) *post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Cant.* 1. *v.* 3. Nolebat solam currere, sed alias, vt currerent, nitebatur attrahere. *Non curram ego sola* (aiebat Bernardus *serm.* 21. *in Cant.*) *etsi solam me trahi petierim: current & adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore vnguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo, atque hortatu.* Parum erat impensè amanti currere, opus fuit aliàs, vt adularetur amori, & hortatu suadere, & exemplo allicere. Ex horum numero erat Elcana, qui non solus templum obibat, sed vt alios etiam traheret, variis itineribus oberrabat. *Ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus.* Eadem via non semper ascendisse tradunt Hebræi, sed diuersis, vt oscitantes, & adire templum negligentes, & hortatu excitaret, & exemplo compelleret. Ita Abulensis *quæst.* 7. *Dicunt quidam Iudæi, quod Elcana non ascendebat in sanctuarium semper eadem via, sed nunc vna via, & alio tempore alia, vt annuntiaret omnibus Israëlitis, quòd irent ad adorandum Dominum, quia ipsi nimis desides erant.* Eo adurgebatur religionis zelo, & studio, vt parum illi fuerit celeri gressu inuolare, ni alios suo hortatu, & exemplo niteretur adferre.

§. XIX.

Non semel templum aditur, vt oculis, & voluptati inseruiatur.

TEmpla expiandis animis, purificandis mentibus, virtutibus excolendis constructa sunt. Omnia Numen implet, sed in templo singularitate resplendet: sed proh dolor! Ipso in portu impingimus, & remedio laboramus. *Non puto nos* (aiebat Tertullianus *lib. de idololatria cap. 8.*) *à contagio idololatriæ vacare, quorum manus non ignorantium in officio, vel in honore, & vsu dæmonum deprehenduntur.* Nonne tibi videtur idololatriæ quodammodo famulari cuius libidinosus oculus nutibus seruit, cuius digitus mutè loquitur, cuius os fœtorem impuritatis exhalat? idolum fide negat, sed dæmoni operibus obsecundat. Templum adierant mulieres, vt Adonidem plangerent, viri, vt faciem à Deo auerterent, & oculos ad splendorem solis oppanderent: *Ecce in ostio templi Domini inter vestibulũ, & altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem.* Ezechiel. 8. *v.* 16. Templum inscenderant non vt debitum religioni tributum soluerent, sed vt bellum Numini inferrent. Huic vetitati adapto, quod aiebat Tertullianus iam datus *cap.* 13. *Retractari oportet de festis diebus, & aliis extraordinariis Solemnitatibus, quas inter dum lasciuiæ, interdum timiditati nostræ subscribimus aduersus fidei disciplinam, communicantes nationibus in idolicis rebus.* Non tibi videtur idolicis moribus aspergi, qui dorsum altari vertit, vt comptas, aut pulchellas adspiciat. Non erat ex horum numero Elcana, qui solùm petebat templum, *vt adoraret, & sacrificaret Domino.* Notauit Caietanus: *Ascendebat ad duo officia exhibenda Deo, videlicet adorare, & sacrificare.* In templo non euanidis studebat colloquiis, oculis non exertabat venaticis, orationi, sacrificióque totus dicabatur, vt adaugeret virtutem, & testaretur omnibus religionem.

§. XX.

Oratio locum deligat à strepitu remotum & contemplandis cælestibus opportunum.

VT mare irruentium ventorum adsultibus repercussum elatè fertur; ita cor hominis variis cogitationum, solicitudinúmque vorticibus inquietatur. Ergo orationi locus seligendus est, vbi venti non reflent, nec specierum oculis se ingerentium volumina turbent. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. Cant. 3. v. 6.* Per desertum ascendit flagrans odore suauissimo, quæ fortè inter populares tumultus, aut minus ascenderet, aût fragrantem minus odorem emitteret. Notauit moralissimè Gregorius hic: *Ob hoc semper laborat, vt ascendat, vt quem valdè diligit magis ac magis sentiat, quatenus quoniam perfectè eum in deserto non tenet, vel ipso eius desiderio se reficiat.* Vt desiderio se reficeret, desertũ elegit, ne strepitu perturbata mentẽ auerteret aut variis phantasmatibus illusa ab intẽtione cessaret. In Silo Deus præcipuè colebatur, vt nomen ipsum orantem instrueret, & ad ritè orandum pararet. *Ascendebat vir ille* (Elcana) *de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo.* Erat Silo locus remotus à strepitu; ibi ergo orationis locus erat & opportunior, & aptior. *Silo* (inquit Hugo) *interpretatur auulsus, diuisus, translatus.* Elcana in loco remoto orabat, ne quid orationi perstreperet, aut obsisteret. Hugo, cum in Elcana prælatum agnouerit, has in eo qualitates requirit: *Prælatus debet esse auulsus à carne, diuisus à mundo, translatus ad cælestia.* Qui orationi desiderat se tradere, nouerit pro eo tempore se ab omni solicitudine auellere, silentium passionibus imponere, & cælestibus solùm attendere.

§. XXI.

Sacerdos debet ob dignitatem suspici, etsi contigerit aliquibus maculis denigrari.

NOn debet persona, & dignitas in Sacerdote confundi, sed solerti perspicacia separari. Sacerdotij dignitas quantò diuinitati initiatum coniungit, tantò ad venerationem compellit: & quamvis homo maculis sordeat deturpatus, Sacerdos tamen debet religiosa reuerentia coli suspectus: dum Numinis vices gerit, quidquid terrenum, splendore dignitatis abscondit. *Sacerdotibus etiam ignotis* (aiebat Vitigis Rex, *variar. 10. 34.*) *honorem debemus.* Religiosa veneratione debemus obligare, quos volumus apud Numẽ intercessores habere. Ophni, & Phinees Sacerdotes Domini nuncupantur, etiam dum fœdis infecti maculis describũtur: *Erãt ibi duo filij Heli, Ophni, & Phinees Sacerdotes Domini.* Honorandos docuit Textus ob munera, quantumvis fuerint despicabiles ob errata. Adest Abulensis *q. 10, Vocantur isti Sacerdotes Domini, quia licèt nequissimi essent, tamen Domini ministeria faciebant.* Honorabili resplendebant titulo, etsi grauissimo denigrarentur piaculo; docuit namque Textus dignitatem suspicere, munúsque venerari.

§. XXII.

Labia superiorum ad corrigendum clauduntur, si culpis, & rapinis polluantur.

QVantumvis dignitas coarguendi errantes tribuat facultatis, admissa culpa aufert loquelam, & acceptum munus occludit linguam. *Facilis recti persuasor est innocens iudex:* (scribit Cassiodorus *1. variar. 4.*) *sub cuius prædicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere. Quis enim vereatur scelus, cuius in suggestu gremij complicem videt?* Fruſtra nititur corrigere, qui factis contrarium agnoscitur persuadere. Ophni, & Phinees ob dignitatem carpendi delinquentes iura sortiebantur; verùm ipso nomine labia occlusa penitus proferebant, dum propriis excessibus, & conscientia teste, corrigendi se facultate priuabant: *Erant ibi duo filij, Heli, Ophni, & Phinees Sacerdotes Domini.* Vt placet Origeni, *Phinees* interpretatur *os mutum*, & iure, nec enim habebant facultatem loquendi labia propriis reatibus polluta, & cupiditate clausa. Accipe Origenem: *Ad insaniam infidelitatis conuersi os mutum meruerunt habere.* Nequibat alios reprehendere lingua, quia occludebat linguam conscientia. *Incassum.* Adnectit datis Cassiodorus, *personam fictæ seueritatis induit, cùm auarus pecuniæ ambitum dissuadet, cum legibus parendum censet iniustus. Non habet districtionis ingenium, cui auctoritatem libera conscientia non ministrat. Quoniam excessus tunc sunt in formidine, cùm creduntur iudicibus displicere.* Quid verius?

§. XXIII.

Sibi, Reipublicæ minister inuidet, si rapinæ, aut intemperantiæ inseruit.

QVi sibi iuncta laudabiliter peragit, habet ad potiora dignum suffragium, & honestissimum patrocinium. *Maiora sibi facit credi* (aiebat Theodericus *5. var. 9.*) *quisquis efficaciter iniuncta peregit, quia indubitater illi aliquid committitur, qui optimè comprobatur: & honestum suffragium est secundi iudicij documentum prioris:* Laudabilibus factis approbatus prudenter deligitur, & ad fastigium dignitatis effertur: verùm si ad publicam vtilitatem electus libidinis, aut rapinæ deliquerit scelestibus sordidatus, sibi inuidebit, & fortunæ cursum tardabit. Ophni, & Phinees Sacerdotes Domini tribunalibus præerant iudices, & sacris altaribus ministrabant inferiorum præsides: *Erant ibi duo filij Heli Ophni, & Phinees Sacerdotes Domini.* Ibi erant, sed insanis appetitionibus

tionibus inseruientes,& rapinis inhiantes. Ergo ipsa vocabula futuræ exaugurationis exiterunt vaticinia. Ophni namque idem est, quod *discalceatus*: dignitati calceis detractis renuntiauit inuitus, dum prauis inseruiuit affectibus obscuratus. Accipe Origenem: *Quia conati sunt nomen sponsi sibi non Christo vendicare, Ecclesiam vsurpando, nudi remanserunt ab omni dignitate.* Dum offerenda Domino sibi suffurantur, dum silentio polluuntur, dignitati interdicti lugent, & fama polluta sordent. Itaque amiserunt dignitatis fastigium rapacitate, quod stabilirent, & adaugerent virtute.

§. XXIV.

Dignitas apud sæculum aditur, aut suffulcitur fauore, apud Deum constat virtute.

Omnis prouectus ad diuinitatis est munera referendus (aiebat Vitigis 10.*var.*31.) *nec aliquid constat bonum, nisi quod ab ipsa dignoscitur esse collatum.* Quod à Numine collatum agnoscitur, congruere æquitati censetur: ab hominibus namque fauor solitat obtinere, quod videtur æquitas propulsare. Ophni, & Phinees, dum referuntur dignitatibus decorati, non sine causa Heli etiam referuntur filij: *Erant ibi duo filij Heli, Ophni, & Phinees Sacerdotes Domini.* Expende non dixisse Sacerdotes Domini esse Heli filios, sed Heli filios fuisse Sacerdotalibus insulis decoratos: aliis prælucebant antelati, non sanctitatis merito, sed cognationis titulo, & fauoris suffragio. Innuit Abulensis *q.* 10. *Vocantur isti Sacerdotes Domini, quia licèt nequissimi essent, tamen Domini ministeria faciebant.* Iure sanguinis, cognationisque resplendebant cæteris antelati, & lege, successionis titulo præesse debuisset vnicus patris tamen fauore vterque frater agnoscebatur præpositus. Fauor, & consanguinitas extulit, quos iniquitas reprobabat, & repellebat. Vt historiæ penicillo delineauerit Scriptura, quod sæpissimè non sine dolore edocet experientia, videlicet dignitatem aditi cognationis titulo, non scientiæ, aut probitatis suffragio.

TEXTVS.

Vers. IV. & V. Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes: Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat, Dominus autem concluserat vulvam eius.

§. XXV.

Ex fructuum, ac virtutum copia, Eucharistiæ est taxanda, aut dimetienda frequentia.

Plures, & præcipuè fœminæ inueniuntur sacram Synaxim frequentare exambientes, & ardenter solicitantes. Non est confessori facile denegare, sed nec tutum sine delectu concedere. Sit frequentia virtutum præmium, sanctitatis sit testimonium: Ad huius excellentiæ fastigium virtutum gradibus ascendatur, non imprudenti cupiditate cuoletur. *Cassiodoro* (aiebat Theodericus 1.*var.*4.) *illustri, & magnifico viro præcipuè in Republica claritate not ssimo, Patritiatus dedimus pro remuneratione suggestum, vt per honorem magni nominis declarentur merita seruitutis.* Adnectit paulò post: *Abstinentiæ firmato vestigio, imitando vixit exemplo.* Ad maiora cuolet, quem & conuersatio prædicabilis extulit, & innocens vita promouit. Ergo, vt ad forensem dignitatem, vita examinetur ad frequentem communionem: qui eximiis adornatur virtutibus, qui subactis lucet passionibus, qui de die in diem laudandis crescit accessibus, frequentiùs iteret, & se cælesti pane innutriat, & pascat. Non frequenter adeò præsumat accedere, qui dignis fructibus non agnoscitur exundare. Ecce Elcana prudens sacrificiorum diuisor, Phenennæ fertili, & eximiis fructibus prædiuiti plures partes dilargitur; Annæ verò sterili, quantumvis adamatæ, partem dedit vnicam: *Annæ dedit partem vnam.* Plus de sacrificio comedit, quæ dignis fructibus exundauit. Notauit Abulensis *q.* 12. *Elcana, cùm dedisset partes multas Phenennæ, & filiis suis de sacrificio, vnicam dedit Annæ.* Accedendi ad altaria regulam edocuit, & taxam ex fructibus desumendam ostendit. Apud Abrahamum tres viri absterso vestigiorum puluere Sacramentis aluntur: *Apparuerunt ei tres viri. Gen.*18.*v.*2. Nec multò post apud Lothum iterum ad mensam sederunt: *Coxit azyma, & comederunt. Genes.*19.*v.*4. Iam si inquiras, cur panem Sacramenti vmbram exiguo adeò interuallo comedere, repetiuerint, respondebit ipse Textus, ipsos qui apud Abrahamum humanam ostentarant formam, post vitulum esum pulchritudinem iam oculis obiecisse Angelicam: *Venerunt duo Angeli.* Repetere fas erat mensam eis, qui cùm priùs ad speciem viderentur viri, sumpto iam pane, apparuerunt Angeli. Ergo mensam repete, si sumpto pane induisti mores Angelicos, & defectus exuisti prorsus humanos.

§. XXVI.

Tristatur amor, ni habeat occasionem dilargiendi, & dilectum muneribus honorandi.

Amor diffusivus est, nescit retinere, sed nouis beneficiis gestit beneficia feliciter obscurare. Vt auarus suspirat lucra, sic amans profundere exambit dona. Luget Iacob, Rachelem intuitus: *Elenata voce fleuit. Gen.* 29.*v.*22. quia, vt Interpretibus placet, quod amatæ dilargiretur, non habuit. Testatur Lira. *Cùm vidit consobrinam suam, & non habuit aurum, & argentum, seu iocalia ad dandum sibi, sicut seruus Abrahæ dederat Rebeccæ, memor huius rei cæpit lachrymari.* Amore sauciatus doluit auro carere, quo dilectam posset honorare. Nec aliter accidit Elcana Annam impensè diligenti, dum vnam tantummodo sacrificij partem largitur, & dare plurimas prohibetur: *Annæ dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat.* Exiguum donum erat amoris tormentum, & dum manus prohibetur, angore cruciatur: *Dicunt, quòd dedit tristis partem vnam* (inquit Caietanus) *eò quod voluisset ei dare partes multas.* Durè amor aduritur, si dilargiendi occasione priuatur.

§. XXVII.

Sic ingeniosus est amor, vt legi pareat, & affectioni etiam seruiat.

Amor, ni cæcutiat, gratiam, liberalitatémque amatis collatam non reddet odiosam, nec legem sustinebit aduersam. Prudens affectus legi paret, & quomodo sine legis iniuria sibi adulari possit, discurrit; non transgreditur legis præscripta, & tamen assequitur vota. *Stulta est dilectio* (aiebat Cassiodorus *lib. de amicitiâ*) *quæ pro vtilitate aliena, sua patitur animæ detrimentum.* Non est amor legitimus, qui legi non paret, sed nec ingeniosus est, si inculpatæ affectioni non seruit: ecce Elcana Annam diligens partem vnam iuxta legis edicta dedit: *Annæ dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat*: sed eam dedit partem, quæ plures non quantitate, sed qualitate vinceret, ac excederet. Notauit Hugo: *In Hebræo habetur partem duplicem, id est, vnam æquipollentem duabus.* Duplicem largiri, esset legem violare: præbere vnicam, affectus teneritudinem non ostendere: Ergo cogitauit, quo dissidia componeret, & adfectionem legibus concordaret. Vnicam dedit partem, sed multis præstantiorem, vt præstantia testaretur affectum, & numerus legis non transgrederetur edictum: pollet namque amor ingenij acumine, & architectatur, quomodo aduletur affectionibus, quin violentiam inferat legibus. Quod si honestis Elcana factis adumbratas velis dolosas

artes

artes & solum fictas virtutes à veritate non multum, aberrabis, cum legibus mentiantur inseruire qui reuera discupiunt animitus refragari. Ecce Elcana vnicam ad speciem partem dedit præscriptis obtemperans, sed reuera æquialenter dedit duplicem affectionibus obsecundans.

§. XXVIII.

Beneficia plus animo, & modo constant, quàm pretio.

SÆpe donantis facilitas, modúsque beneficium incrementat, & beneficiatum honorat. Plus obligat, qui dedit parva magnificè, quàm qui plurima coactè. Multum dedit, qui non solum voluntatem dandi habuit, sed cupiditatem etiam, qui occasionem arripuit, imò quæsiuit, & præoccupauit: exasperat, qui dedit renitentis aspectu, nolentis vultu; gratius venit, quod facili, quam quod plena manu datur. Benè Seneca *lib. 2. de benefic. capit. 1. Cùm in beneficio iucundissima sit tribuentis voluntas, qui nolentem se tribuisse ipsa cunctatione testatus est, non dedit, sed aduersus ducentem malè retinuit.* Adnectit. *capit. 2. Quemadmodum in ægris opportunitas cibi salutaris est, & aqua tempestiuè data remedij locum obtinuit; ita quamvis leue, & vulgare beneficium sit, si præsto fuerit, si proximam quamque horam non perdidit, multum sibi adiicit, gratiámque pretiosi, sed lenti, & diu cogitati muneris vincit.* Vincit modus pretium vt pretium aliquando imminuit vultus. Ecce Elcana plus Phenennæ dedit, sed Annæ beneficium grandius contulit, dum plura dilargiendi ostendit desiderium, dum, quia minus dabat tristem induit vultum: *Annæ dedit partem vnam tristis*, non tristis, quia dabat, sed quia vnam solummodò partem conferebat. Ita Caietanus: *Elcana dedit partem vnam, sed facie benigna, quia Annam diligebat: ita quòd defectum multarum partium suppleuit iucunditate vultus.* Quæ verè magna ingrata sunt, si extorqueátur, aut excidant; exigua accipientem deuinciunt, si ore iucundo præstita, imò in accipientis sinum coactione vrbanissima illata: ergo Elcana vnicam, quam dabat partem, placiditate vultus adauxit, & accipientem deuinxit.

§. XXIX.

In beneficijs non tam quantitas attendenda, quàm opportunitas, & qualitas æstimanda.

ANimus in angusta etiam materia liberalitatis elogium meretur; magnum est, quod quis dedit, sed gratitudine non adeò dignum, si distulit, si dubitauit, si ingemuit. Sine gratia veniunt beneficia manibus largitoris hærentia. *Gratissima sunt beneficia* (aiebat Seneca *lib. 2. de benefic. cap. 1.*) *parata facilè occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia.* Adnectit: *Vota homines parcius facerent, si palam facienda essent: adeò etiam deos, quibus honestissimè supplicamus, tacitè malumus & intra nos ipsos precari.* Onerosum est hominibus indigentiam suam manifestare, & se alijs rogando subiicere. Ergo qui hoc tormentum remisit, beneficium commendauit. Elcana vnicam tantùm sacrificij partem Annæ largiturus, eam delegit, quæ esset amoris testis, & liberalitatis index: *Annæ dedit partem vnam.* Chaldæus legit: *Electam.* Rabbi Leui: *Partem præstantissimam*: itaque quantitas erat exigua, sed qualitas magna. Ita Abulensis *quæst. 12. Dedit Elcana Annæ vnam partem pulchrã, id est, quanquam esset vnica, erat de melioribus, in quo honorabat aliquomodo Annam, & hoc, quia diligebat eam.* Inuenit amor, quò gratian augeret, ostenditque beneficium plus consistere in qualitate, quàm mole.

§. XXX.

Affectus non rarò impenditur, vnde nullus fructus percipitur.

NOn est amor auarus, nec commodi est ambitiosus; esse tamen debet diserus. Digniùs amantur, quæ honestos afferunt fructus, verùm amor humanus sæpius ibi impenditur, vnde nullum lucrum percipitur. *In rebus humanis* (aiebat Cassiodorus *lib. de amicit.*) *nihil amicitia dulcius inuenitur, nihil sanctius appetitur, nihil fructuosius custoditur: habet enim fructum vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Fructum præsenti vitæ honestum & futura vita dignum parit benè collocatus affectus, inuenitur tamen sæpissimè rebus infœcundis, imò inutilibus dedicatus. Hanc veritatem, (vt moris est Scripturæ) in amore laudabiliter Annæ impēso nobis facer Textus depinxit. Sortiebatur Elcana duas vxores, Phenennam fructibus diuitem, Annam prorsus sterilem; & tamen hanc præ alia diligebat: *Annam diligebat*: Laudabilis erat Elcana erga Annam amor; sed dum sterilem prætulit, quod cæcis affectionibus accidere solet, depinxit: Virtuti, honestatique, vnde dulcissimi promanant fructus, amor non impenditur; voluptati, intemperantiæque, vndè detrimenta, dedecoraque solent promanare constat affectionem impendi. Non diligunt homines fructuosa, sed grata. Innuit Abulensis *quæst. 5. Annæ non erant liberi, id est, Anna non poterat habere filios, quanquam magno tempore cohabitasset viro suo.* Rationem subdit: *Erat namque Anna sterilis, ideò superuacua solicitudo erat.* In supervacuis collocabatur affectus, vndè nullus sperari poterat fructus.

§. XXXI.

Generosus amor proprijs commodis non attendit, sed rei amatæ honestis lucris studet.

NIhil amicitia dulcius, nil honestius; dum tamen amicitia non sit laruata, & mentitis fucis lita. Quærunt homines habere amicum, sed à quo percipiãt commodum. *Sapiens* (inquit Seneca *epist. 9.*) *etiamsi contentus est se, tamen habere amicum vult: si ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ob hoc, quod Epicurus dicebat in hac ipsa epistola, vt habeat, qui sibi ægro assideat, succurrat in vincula conjecto, vel inopi: sed vt habeat aliquem, cui ipse ægro assideat, quem ipsum circumventum hostili custodia liberet.* Fictus amor venalis est, se quærit, & sua semper exambit: verus non quærit, quæ sua sunt, ipse sui fructus est. *Vera amicitia* (aiebat Cassiodorus *lib. de amicitiâ*) *in se solida est, & in omnibus amici necessitatibus adest. compassionem, & tolerantiam quadrans. Gratior ex compassione amicus.* Amicitia compatientis est gloria; patientis est census: exul habet in amico patriam, imbecillus virtutem, æger medicinam, defunctus memoriam. Ecce Annæ, à qua, vtpotè sterili nullum Elcana percipiebat fructum, compatitur, anxiéque medetur: *Annam diligebat.* Vera dilectio temperabat lachrymas, compatiebatur tristitiæ, & medelam adhibebat dolori. Notauit Hugo: *Elcana Annam diligebat, & ideo compatiebatur ei tristi*, immo sterili. Non erat sterilitas amoris obstaculum, sed illicium. Amabat Elcana, vt amaret, non vt humanum lucrum percipere, nam generosus, & verus amor non vtilitate gignitur, sed virtute.

§.

§. XXXII.

Mirum est, si amor se contineat, nec limites iuris excedat.

AMor & acie perspicacissima vtitur, & densis tenebris obcæcatur: contrariis qualitatibus chimeræ adinstar componitur, & constituitur. Si quid rei amatæ prosit, perspicacibus oculis intuetur: si quid refragetur, benignissimè interpretatur. Nil, quod retardet, videt cæcus; nil non videt, quod prouocet, acutissimus. Elcana tarus, singularisque commendatur: *Fuit vir vnus*, quia eximio amore erga Annam delinitus, legem nec interpretatus est, nec transgressus: *Dedit Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes: Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat.* Amoris conflictus restitit, & in impertiendo legibus paruit, ob idque tardè, & singularis resplenduit. *Distribuebat enim* (inquit Caietanus) *proportionaliter, & propterea Peninnæ, & filiis, ac filiabus dedit partes multas; Annæ autem carenti prole dedit vnam.* Statutas in distribuendo leges impleuit, etiam dum amauit: ergo singularis eluxit: *Fuit vir vnus.*

§. XXXIII.

Sunt, qui excusato laboris censu, virtutis exambiant potiri fructu.

VIrtus suis resplendet coniuncta cum fructibus; verùm non omnes cum palmite botrum auellunt. Exambiunt potiri virtutis fructibus, se tamen subtrahunt laboribus. Elcana solus immolationis subiit laborem: *Immolauit Elcana*, sed immolationis fructus inter plures diuisus est: *Dedit vxori suæ, & cunctis filiis, & filiabus partes.* Sumptus Elcana impendebat, laborem subibat: & cùm alij exortes essent laboris, consortes erant vtilitatis. Notauit Abulensis *quæst. 12. Solus Elcana obtulerat, sed non solus ipse comedebat.* Historiæ coloribus adumbratur, quod frequenter euenire comperitur: plures sunt virtutis sitientes vtilitates, & auersantes labores.

§. XXXIV.

Superior sibi arroget laboriosa, & subditis impertiatur iucunda.

PRælatus vt dignitatis splendore, ita debet antecessisse virtute. Sunt verò plures, qui dignitatem ad sua commoda detorqueant, nec munus impleant. Ob id fortè Elcana de singularitate laudatur: *Fuit vir vnus*, cùm nec immolationis laborem recusarit, nec solus fructum perceperit: *Immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes.* Laborem sibi arrogauit, laboris vtilitates subiectis distribuit. Notauit Abulensis *q. 12. Solus Elcana obtulerat, sed non ipse solus comedebat.* O quot soli comedunt, & labores aliis iniungunt.

§. XXXV.

Nonnunquam in religiosis celebritatibus non tam attenditur Dei obsequium, quàm celebrantium festivum gaudium.

IN ipso Dei cultu inuenit, quid sibi cupiditas arrogaret. Ad maiorem solemnitatum pompam ampla solent instrui conuiuia, & distribuuntur assistentibus stipendia. Hinc fit, vt concurrant plures, non tam vt debitum Numini impendant cultum, quam vt ex illo cultu percipiant gaudium. *Venit dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, &c.* In hac immolatione, vtpotè pacifica ferè tota victima concurrentibus obueniebat ad gaudium, exigua satis pars in Dei consecrabatur obsequium. Notauit Abulensis *quæst. 12. In hostia pacifica maior pars prouenichat eis imò ipsum sacrificium non fiebat principaliter propter Deum, aut Sacerdotes, sed propter gaudium, & exultationem, & epulas offerentium.* Cùm videris ad alicuius sancti celebrationem tauros agitari, conuiuia instrui, crede plus exambiri gaudium, quam obsequium.

§. XXXVI.

Qui legibus, & virtuti conformatus, plurimùs inuenitur proficuus.

VIrtus non solùm exercenti est commoda, sed aliis etiam inuenitur proficua. Nil speres à legum violatore, à corruptore virtutum. Vitiis indulgens, multorum pernicies est. Commoda affert virtuti inseruiens. Elcana familiæ princeps præscriptis à lege diebus immolat. *Venit ergo dies, & immolauit Elcana*: dum legem implet, commoda subiectis affert: *Dedit Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes.* Hugo nomine partium non solùm intelligit edulia, sed ornamenta. *Partes, id est, nouas vestes, quas Leuitæ distribuebant vxoribus, & liberis in diebus festis. Sic exponit Glossa Hieronymi: Vel possunt dici partes sacrificiorum.* Vbi pater, superiorque paret legum præscriptis, vxor, & filij debitis decorantur ornamentis, & competentibus aluntur cibis: proficuus fuit legibus conformatus: forderent filij nudi; lugeret vxor ieiuna, si cupiditatibus fuisset addictus.

TEXTVS.

VERS. VI. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret, quòd Dominus conclusisset vulvam eius.

§. XXXVII.

Durissimum est cum zelotypo degere, & cum inuido tractare.

PLures breue vitæ nostræ spatium calamitates implent, & amarum faciunt. Verum nil durius, quàm zelotypam sustinere, & inuidentem non posse effugere. Hic amissis liberis mœret, ille facultatibus dispoliatus luget. Qui verò zelotypum sustinet, discruciatur. & qui degit cum inuido, distorquetur. Zelotypia, inuidiáque, si facta manu inuadant, procellæ more, quæ in ipsa serenitate emergit, omnia subruunt, aut durissimè concutiunt. Anna se nimis infelicem deplorat. *Mulier infelix nimis, ego sum.* Infelix erat, quia infœcunda; sed infelicissima, quia cum Phenenna zelotypa, & inuida viuere, & inhabitare coacta: *Affligebat eam æmula eius, & vehementer angebat.* Notauit Caietanus: *Vides describi Phenennam tactam inuidia maioris amoris, quem vir ostendebat Annæ, tendentem ad addendum afflictionem afflictæ: ita quod etiam excandescebat aduersus eam, vt maiorem ei tristitiam inferret.* Quàm amaris tribulationis fluctibus iactabatur Anna, dum sterilitatis vrgebatur nota, & cæca, ac zelotypa mordebatur inuidentia.

§. XXXVIII.

Ingens dolor est dignis factis antecedere, & ob affectum postponi.

PHenenna filiis exundans dolore aduritur, & quia secunda habita, lamentatur: *Affligebat eam æmula eius*: doloris indignum quærebat solatium, quia affligebatur grandi tormento. Erat ob Elcanæ affectionem erga sterilem Annam secunda: *Et nomen secundæ Phenenna;*

Phœnenna; quæ antecedebat fructibus,& meritis, primi. Ergo non potuit corde anxietatem celare, nec dolorem silentio premere.est namque durissimum ob affectionem postponi, si constet meritis, & fructibus anteferri. Prodest Hugo : *Per hoc, quod dicit secundæ, innuit, quod licet Anna, & Phenenna essent pares nomine vxorum, tamen Phenenna secunda erat in amore viri.*Phenenna forma fortè non impar, fœcunditate nobilior, æstimatione habebatur secunda, & Anna sterilis amore viri prælata. Patienter ferre debuisset postponi, & honestè ambire micantibus meritorum dotibus anteferri.Est verò adeo durum reclamantibus meritis postponi cæcutientibus amoris,& affectionis suffragiis, vt Phenenna exulcerati doloris indignum quæsierit solatium, & inuida excogitarit tormentum.

§. XXXIX.

Nihil fœminæ durius, quàm minus à viro amari, & defectibus denigratæ postponi.

FOemina gloriæ animal est,placere exambiens,& cæteris anteponi discupiens. Quod si aliter accidat, desæuiet,ac furet.Vt vidit Phenenna Annam sterilitate denigratam sibi fœcundæ anteponi & à viro plus amari, sui impotens irrugiit,& continuis cum Anna litibus decertauit : *Affligebat eam æmula eius.*Adest Abulensis *q.*12. *Anna,& Phenenna competebant respectu viri,& mutuò repugnabant sibi, ideò æmulæ vocabantur : Phenenna autem affligebat Annam, scilicet prouocando eam ad magnas amaritudines, proferendo verba durissima in illam.*Anna tristabatur infœcunda, sed Phenenna discruciabatur postposita.

§. XL.

Superior curabit se æqualem ostendere, si iurgia velit vitare.

QVisquis postponitur iniuriam sibi factam conqueritur. Rarus est, qui sibi non imponat & aliis excellentiorem se,aut fingat, aut credat. Ergo superior funambuli adinstar actiones debet librare, & æqualem se erga omnes, si res patiatur,ostendere ; alioquin fouebit iurgia, & inter sibi subiectos ciet durissima bella. Elcana,dum teneriorem erga Annam affectum ostendit;domestica iurgia fouit : *Affligebat eam æmula eius,& vehementer angebat.* Tota perstrepebat litibus domus, quia tenerior erga Annam superioris, agnoscebatur affectus. Ita Caietanus. *Vides describi Phenennam tactam inuidia maioris amoris, quem vir ostendebat Annæ.* Iurgia Elcana vitasset, si æqualem prudenti cautela, erga vtramque se ostendisset.

§. XLI.

Liuor dubia in peius semper interpretatur, & inuidiosum insequitur.

CItò omnes degeneri opinioni accedimus, sed faciliùs inuidi, vt liuori, blandiantur, peiora præsumunt,& credunt. Phenenna Annæ sterilitatem non tam à natura, quàm ab eius culpis credebat, & quod peius, publicabat : *Affligebat eam æmula eius, &c. in tantum,vt exprobraret,quòd Dominus concluſisset vulvam eius.*Dum refertur inuida,inuenitur suspicax,& interpres pessima. Adest Abulensis *q.*12. *Quasi dicat : Deus voluit te facere infelicissimam mulierum,quia eras pessima inter omnes,& sic te reputauit, ideo inflixit tibi pœnarum maximam, scilicet sterilitatem.* Naturæ defectum adscribebat crimini, vt adularetur liuori ; liuor namque peiora semper præsumit, & præsumptionem vti indubiam veritatem sibi suadet.

TEXTVS.

VERS. VII. Sic faciebat per singulos annos cùm redeunte tempore ascenderet ad templum Domini, & sic prouocabat eam.

§. XLII.

Plures templa adeunt, non vt Deum colant, sed vt affectionibus prauis inseruiant.

TEmplum est cæleste emporium, hominum,& Angelorum commercium ; verùm sic delirant homines prauis cupiditatibus obcæcati, vt templum adeant, quo opportunius cogitationibus prauis inseruiant : ibi carnis negotia tractant, ibi occasiones delinquendi concinnant, ibi nutibus desideria impura denuntiant. Phenenna Annæ æmula adibat templum, festiuitatibus aderat,sed quò maiorem opportunitatem sortiretur Annam affligendi, & tenerrimo liuori adulandi : Ita Abulensis *q.*12. *Isto tempore habebat maiorem occasionem ad hoc, quàm aliis temporibus : Nam Elcana distribuebat partes sacrificiorum, dabátque Phenennæ, partes plurimas, quia habebat multos filios : Annæ autem vnicam, quia non habebat filium : tunc autem Phenenna exprobrabat, quòd sterilis esset.* Diuersa partium distributio opportunitatem offerebat exprobrationis : ergo Phenenna templum, vt faciliùs exprobraret, adibat.

§. XLIII.

Sunt, qui detorqueant ad vanitatis, & tumoris, fomenta, quæ acceperunt à Numine beneficia.

QVos cælestis dignatio extulit, & ridenti fortuna adauxit,opportunam exercendæ virtutis materiam dedit. Errant tamen plures dignitatum, diuitiarúmque speciosa splendore repercussi, aut,vt verius dixerim,cæcitument,inflantur, superbiunt, & opportunitatem virtutis sic adulterant, vt ad fouendam insaniam flectant. Cùm Alexandro ciuitatem offerrent Corinthi, eámque illi soli,& Herculi testarentur donatam, intumuit, & se Herculi, si non antelatum, parem iam credidit. Audi Senec.1.*de benefic.cap.*13. *Ad socium honoris sui respexit à damibus : tanquam cœlum, quod mente vanissima complectebatur, teneret, quia Herculi æquabatur.* Quàm Deus illi gloriam impertitus est, in delirium vertit,& se Herculis parem putauit : nec dissimilis, etsi contraria via, Phenenna, dum filiorum copia nobilitata intumuit, quia parem non haberet,& vt sterilem Annam non solùm despexit, sed afflixit : *Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, &c.* Quæ gratitudinis esse debuissent fomenta, detorta sunt ad tumoris incentiua. Ita Abulensis *q.*12. *Phenenna superbiebat, supponens se Annæ, credens se excellentiorem, quia fœcunda erat.* Quia fœcunda esse debuit modestior, & quia fœcunda,superbiuit elatior.

§. XLIV.

Eximia Dei gratia ornatur, qui iniurium, ac prouocantem patienter sustinere cognoscitur.

ACutissimus impatientiæ stimulus iniuria est ; aliquando tamen patientia coquit, & digerit : verùm si irritator non destitit, si semel, & iterum lacessitum prouocauit, tolerantia defatigatur, & ita difficillimè continetur.Christi Domini inuicta patientia,dum æmulos conuiciis, & irrisionibus illudentes sustinuit, latere

ibi

ibi diuinitatem manifestauit, quandoquidem nemo hominum eiusmodi tolerantia fulgeret, & ora miranda taciturnitate signaret. *Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuissetis* (aiebat Tertullianus *lib. de patient. cap. 3.*) *patientiam huiusmodi nemo hominum perpetrasset.* Inter alia diuinitatis argumenta non exiguum fuit repetitis conuiciis vri, nec iracundiæ vel indicium exhibere. Annæ nomen gratiam sonat: *Anna* (inquit Interlinearis) *gratia.* Et quidem eximiis gratiæ dotibus resplenduit, dum Phenennam irritantem, & prouocantem patienter tulit. *Prouocabat eam. Porrò illa flebat, & non capiebat cibum.* Ignominiam ab æmula, & irritatrice sæpiùs iteratam patienter sustinere, & ora miranda taciturnitate signare, erat gratiæ, & quidem copiosissimæ effectus, & deprædicandus fructus.

§. XLV.

Pro solatio est improbis iustorum mores carpere, vitámque abrodere.

CErtè ni intra se felix esset, qui omne bonum honesto circunscripsit, variis tempestatibus iactaretur, cùm improbitas pro solatio habeat iustorum vitam abrodere, & iniquissimis suspicionibus obscurare. Anna liuido Phenennæ dente mordetur: *Prouocabat eam. Porrò illa flebat, & non capiebat cibum.* Gaudebat Phenenna mœrore Annæ, & tristes lachrymæ iniquissimum gaudium fouebant, & improbam oblectabant. Adest Interlinearis, & Hugo: *Malorum est solatium vitam bonorum carpere.* Quas virtutes improbi auersantur, obscurant, & dum impingunt iustis notam, sibi adauxere lætitiam.

§. XLVI.

Constans patientia est calamitatis delinimentum, imò, & calamitatis exilium.

RArus est, qui in aduersæ fortunæ potestatem non veniat. Hic mœret, quia liberos amisit; ille, quia non suscepit; hunc paupertas diuexat; illum ægritudo discruciat. Quæ si iniquo animo ferantur, augentur. Animus patienter sustinens ipsa patientia medicinam calamitatis impetrat, & dolorem leuat. Audi Tertullianum *lib. de Patientiâ, cap. 8. Si parum æquanimiter audiam dictum aliquod in me proteruum, aut nequam, reddam & ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientia muta.* Muta impatientia præcordia discruciat, procax detrimentum non semel creat; ast tolerantia defatigat improbum, & retorquet in ipsum telum. *Tunc tu* (adiicit Tertullianus) *non modò illæsus ibis, quod etiam solum tibi sufficit; sed insuper aduersarij tui, & frustratione oblectatus, & dolore defensus.* Quod obtinere culpabili vindictæ quires tolerantia commendabili certiùs obtinebis, & conuiciatorem fatigabis. Anna iniuriis prouocata, sterilitate confusa tacuit; sed æmula ingemuit: *Sic prouocabat eam. Porrò illa flebat, & non capiebat cibum.* Dum dolorem deglutit, & patienter sustinet, mater efficitur, & calamitatis medelam adinuenisse probatur. Ita Glossa: *Redemptor flenti, & non capienti cibum Annæ consolationem adhibuit.* Constans tolerantia matricem fœcundauit, calamitatem depulit, & æmulam vehementer afflixit.

§. XLVII.

Pater non censendus est, qui filios genuit, ni eos virtutibus expoliuit.

NOn impleuit nomen, aut certè obscurauit, qui filios non erudiuit. Instruenda est tenera ætas, imò cogenda, vt optimorum imitetur vestigia; alioqui sera *Eman. de Naxera in Reg.* parentes pœnitentia dolebunt, & ignauiæ, ac oscitantiæ suæ, non leuandas facile pœnas dabunt. Ad rem Plutarchus *de institit. liberor. Postquam adulti sanam, & frugalem viuendi rationem abiecerunt, in voluptates autem præcipitauerunt se effrænes, & seruiles: tunc iam frustra neglexisse liberorum disciplinam se, ducuntur pœnitentia, cùm illorum sceleribus anguntur.* Si fieri possit, ipse pater pædagogus sit, & lateri adhærentes filios optimis consiliis instruat, & vtbanè ad veritatem exemplis cogat. Elcana, qui Dei interpretatur possessio, opportuno tempore omnem secum familiam ad templum ducebat, & exemplis optimis informabat: *Sic faciebat per singulos annos, cùm redeunte tempore ascenderent ad templum Domini.* Filios nec pædagogi arbitrio commisit, sed secum ipse adducens exemplis optimis informauit. *Patet* (inquit Abulensis *quæst. 10.*) *quòd quando ibat Elcana ad sacrificandum Domino in festiuitatibus, duceret secum vxores suas.* Consonat Caietanus: *Cum familia sua ascendebat semel in anno.* Multoties ipse templum adibat, secum verò familiam tempore opportuno deferebat, vt filij eius adspicerent sacrificia, & sequerentur exempla.

TEXTVS.

VERS. VIII. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?

§. XLVIII.

Viri erga vxorem beneuolentia plura supplet, & tristia lenit.

PRemit non semel inopia, diuexat infirmitas, & multiplex inuenitur doloris causa. Caret sponsa filiis, caret splendenti ornatu, caret salute: quæ omnia dolori seruiunt, & insidiari solent pudori. Verum prudens vir, dũ blanditur, dum erga sponsam, vt potest, dilectionẽ factis testatur, dolorẽ lenit, & virtutem leniendo suadet. Elcana tristem Annam solatur, & sterilitatis dolorem medetur: *Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?* Quid tunc? Quæ flebat, & non capiebat cibum, dolorem temperat, & mensæ adstat: *Surrexit Anna, postquam comederat, & biberat in Silo.* Prodest Caietanus: *Communi modo loquendi vtitur consolando eam; proponendo enim magnitudinem amoris proprij erga illam, optimè reuocat ab amore filiorum, quibus caret.* Pluribus aliquando vxores carent, quorum appetitionibus impotenter solent indulgere, ni beneuolo sponsi amore, & vrbanis officiis contigerit reuocari. Adde; sibi maritos consulere, dum sponsas officiis obligant, & vel mentitis lenociniis oblectant. Notauit Tertullianus *lib. de patient. cap. 16.* non semel maritos ab vxoribus obsequio, quantumvis ficto, delinitis hæredes constitutos vrbanitatis ingentem mercedem tulisse, & diuitias artificio sibi parasse: *Aucupandis orbitatibus omnem obsequij laborem mentitis affectionibus tolerat.* Itaque maritus vxorem officiis alliciens, non solùm honestatis, vtilitatísque causam agit, sed amaritudinem mellit.

§. XLIX.

Sponsa non debet despici, si sterilitate, aut ægritudine contigerit laborare.

FIliorum amor à natura inditus est, eis procreandis celebrantur connubia: aliquando tamen vxor, aut ægritudine laborans non parit, aut sterilitate impedita non concipit; quod cùm eius crimini non possit verti, non est fas eam supercilio ferire, & vultus asperitate

adurgere. Non est afflictio afflictioni addenda ; imò anxietas officiis beneuolis temperanda. Elcana Annam infœcundam blando alloquio, solatur, nec angorem despectu adaugere molitur. *Cur fles? & quare non comedis? &c.* Opportunè Chrysostomus: *viri hinc discant placido, mitique erga vxores esse animo, etiam si sterilitatis vitio laborent, quemadmodum Elcana erga Annam fuit affectus.* Cùm Annæ sterilitas non esset culpa, ingens erat Annæ pœna. Ergo Elcana non adauxit asper calamitatem, sed placidus temperauit laborem.

§. L.

Prudens, ne aliorum gaudia interturbet, dolorem corde non raro premit.

CONtigit aliquando inter celebritates, & epulas verbum imprudenter prolatum exasperare, aut curam aliquam adurgere, & quidem tunc prudens, ne aliorum gaudia perturbet, dolorem premet, & verba dissimulabit. Docuit hoc Anna, quæ, etsi dum tota familia indulgeret epulis, durè vrgeretur ab æmula prouocata, & despecta; prudens dissimulauit, & finito prandio luxit: *Surrexit Anna, postquam comederat, & biberat in Silo, &c.* Dolorem pressit, ne rumperet gaudia, & perturbaret conuiuia. Notauit Caietanus: *Non surrexit è medio prandio, sed post finitum prandium.* Prudentissima vrbanitate tristitiam pressit, & verborum asperitatem decoxit. Vt discas iram aliquando continere, & dolorem deglutire, ne aliorum interrumpas gaudia, vt perturbaris conuiuia.

§. LI.

In fœminis sæpè dissident affectus, & lamentationis singultus.

IN fœminis non raro lachrymæ mendaces sunt, & facilitatis, non doloris filiæ. Putabis intimo lachrymantem adurgeri dolore, cùm tamen aut nullo, aut exiguo sensu pulsetur. Elcana Annæ compassus est, non quia lachrymis exundantem vidit, sed quia intimo dolore premi cognouit: *Cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum?* Cordis afflictionem protulit, ne lachrymæ putarentur mendaces, & quidem earum luctibus non credere, ipsæ docuerunt fœminæ; dum calente funere, & fletu aures percellenti noua connubia disponunt, aut vtilitati nimis attendunt. Audi Abulensem quæst. 12. *Videbat, quòd lachrymæ Annæ non erant mendaces, sicut interdum lachrymæ fœmineæ sunt cum nullo dolore. Promptissimum est enim fœminæ cuique plorare.* Mentiuntur fœminæ sæpè dolorem, & lachrymas anxietatis indicibus contegunt internam cordis serenitatem.

TEXTVS.

VERS. IX. & X. Surrexit autem Anna, postquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli Sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, cùm esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter.

§. LII.

Oratio aut calamitatem leuat, aut vires ad perferendum ministrat.

VT nauis fundatur anchora procellarum turbinibus impetita; ita oratio pro anchora est ad tempestatũ adsultus repellendos, aut insanientes calamitatum fluctus temperandos. Anna amaro animo pressa ad orationem recurrit, & fusis lachrymis firma aduersus procellosas vndas stetit. *Orauit ad Dominum flens largiter.* Fusæ largiter lachrymæ calamitatem tradiderunt naufragio, & Anna, quod natura denegauit, in orationis officina resculpsit. *Afflicta nimis* (inquit Abulensis *quæst.* 12.) *gustato paululum de cibo surrexit, vt iret ad orandum Dominum.* Accinit Chrysostomus: *Orbæ hinc poterunt discere, quomodo valeant fieri matres.* Ad orationis portum confugit, & orando remedium calamitatis inuenit.

§. LIII.

Fœmina marito obediens, facilè à Domino assequitur, quod precatur.

MVlier de costa formata ipsa sui mollitione est obediendiam edocta, quam si exactè adimpleat, vitat iurgia, & assequitur vota. Anna præ dolore nõ comedebat: *Non capiebat cibum.* Elcana, dum abstinentiæ causam interrogat: *Quare non comedis?* vesci beneuolè imperat: ergo comedit, vt obediret: *Surrexit, postquam comederat, & biberat in Silo.* Doloris ictibus oppressa paruit, & vt obsequeretur, comedit. Priùs adimpleuit mandatum, quàm oratura peteret templum, & obediens assequuta est in templo feliciter votum. *Afflicta nimis* (inquit Abulensis *quæst.* 12.) *gustato paululum de cibo surrexit, vt iret ad orandum Dominum.* Non priùs surrexit, quàm obediret, & obedientia preces adiuuit, & desiderata impetrauit.

§. LIV.

Oratio non compositis verborum constat ambagibus, sed veris, & dolorosis gemitibus.

NVminis auribus non sonant verba artificiosè composita, sed lamenta. Anna verba profert dolore interrupta, & tamen diuinis sonant auribus grata: *Orauit ad Dominum flens largiter.* Flens obtinuit, & Numen gemitibus inclinauit. *Hæc efficax oratio* (inquit Hugo) *quæ cum amaritudine animi fit.* Adnectit ex Gregorio: *Veraciter orare, est amaros in compunctione gemitus, non verba composita resonare.* Parum prodessent sine lamentis verba exornata; profuerunt sine verbis comptis lamenta dolorosa. Oratione obtinuit, quod natura denegarat nouerca, aut detinebat auara.

§. LV.

Oratio amaris lachrymis obarmata gratam Numini vim infert, & feliciter præualet.

ORatio Numen sibi conciliat, ei gratam vim infert, vtque votis annuat, quodammodo cogit. *Coimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes* (aiebat Tertullianus in Apologet. *cap.* 39.) *Hæc vis grata Deo est.* Et quidem si lachrymis obarmetur, oratio gratissimam infert violentiam, veluti facta manu præualet, & assequitur, quod prudenter exambit. Anna Deum exorans auxiliares assumpsit, lachrymas: *Orauit ad Dominum flens largiter,* & oratio singultibus obarmata assequuta est felicissimè vota: *Orauit Dominum flens* (inquit Hugo) *Hæc sunt duo brachia, scilicèt oratio, & lachryma, quibus Iacob luctatus est cum Domino. Vnde Oseæ* 12. *directus est Iacob cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum.* Ad speciem Angelus resistebat, sed lachrymosæ orationi paruit, & Iacob, vt etiam Anna, quod experebat, obtinuit.

§. LVI.

Qui oblectationis tempus orationi dicat, facile assequitur, quod exoptat.

NON semel temporis circunstantia commendat obsequium: ad impetrandum vires speciales oratio sortitur si somno, aut placidæ quieti impendendum tempus subtraxisse cognoscitur. Honestæ animi, & curarum relaxationis tempus orationi dicare, est precibus venustatem, & efficaciam augere. Nocte Iacob decertans prævaluit; *Invaluit ad Angelum*, Oseæ 12. vers. 4. quia tempus ipsum adiuuit, dum recreandis artubus designatum orationi consecrabatur impensum. Ecce Anna finito prandio templum adiuit: *Surrexit Anna, postquam comederat, & biberat in Silo*; & cùm de more post epulas placido otio, aut somno indulgendum esset, tempus illud lachrymis fundendis, deprecationibusque dicauit; ergo ipsum tempus adiuit. Notauit Chrysostomus: *Quod omnes faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus deprecationis.* Temporis circunstantia orationem armauit, & faciliùs, quod desiderabat, obtinuit.

§. VII.

Carnis maceratio, & ieiunium inuictum orationi robur inspirant, & naturam mirè reformant.

EXilis, ac marcida est oratio pingui ventre exorta, vt vegeta, ac pinguis ore arido, & præcordijs siccis prognata. Sponsæ labia vittæ coccineæ adinstar non solùm grato rubore vernant, sed ligant: *Labia tua sicut vitta coccinea*, Cant. 4. v. 3. Quod si inquiras, vndè tanta vis fuerit verbis, reperies manus myrrha exundasse, & carnis macerationi studuisse. Ecquidem ipsa ait: *Manus meæ stillauerunt Myrrham*, Can. 5. v. 5. nequibat Deum non ligare oratio, quã myrrha obarmabat, & pœnitentia fulciebat. *Ea labia* (aiebat Gilibertus in Alleg. Tilman.) *ligant, & rutilant.* Ob id Anna, vt oraret, exiguo satis cibo refecta est, & dum ieiunio orationem suffulsit, impetrauit. Adest Tertullianus: *Ieiunium reuerentia in Deum opus est, per quod Anna retrò sterilis impetrauit facilè à Deo ventrem cibo inanem filio adimplere, & quidem Propheta.* Anna aut non capiebat cibum, aut exiguum satis, vt marito obsequeretur, accepit. Ergo dum ventrem cibis non replet, prophetæ susciendo disponit. Adstipulatur Basilius: *Samuelem nonne deprecatio cum ieiunio coniuncta donauit matri?* Dum plures fœminæ cibis se ingurgitant, dum humoribus noxiis madent, se procreandis filijs inutiles reddiderunt, & effetarunt. Anna quia abstinuisse refertur, & concepisse describitur.

§. LVIII.

Sacerdotes templis debent assidere, non fora, aut compita circuire.

SAcerdos ipso nomine deprædicatur Numini consecratus, & à sæcularibus negotiis abductus: ergo templo tenentur assidere, & à compitis, forisque laudabiliter segregari. In Silo degebat Heli, vt ipse locus dignitati suffragium ferret, Sacerdotemque commendaret: *Heli Sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini.* Vt astra cœlo inserta fulgorem emittunt, quo mundialibus prosunt; ita Sacerdos mortales iuvat, si templis assideat, & muneri vigilanter inseruiat. Adest Hugo: *Silo interpretatur avulsus, diuisus, translatus. Prælatus enim debet esse avulsus à carne, diuisus à mundo, translatus ad cælestia.* Heli non diuagabatur per fora, sed vt Sacerdotem impleret, Silo inhabitabat à tumultu prorsus avulsus, & sæculo mortuus.

§. LIX.

Cùm constet sibi, suisque nimis aliquos indulgere, satagunt ad virtutem cæteros reformare.

HEli filiis suis nimis indulgens templi assidebat aditu, vt alios iudex componeret, & Sacerdos alios instrueret. *Heli sedente super sellam, &c.* Insedisse veluti in tribunali, vt ingredientes reformaret: & ad virtutes instrueret, tradit Interlinearis: *Vt ingredientibus, & egredientibus templum verbum Dei ministraret; Sacerdotes enim scientiæ claues habent.* Zelotypus satagebat alios reformare, qui suos negligebat corrigere. Inueniuntur namque aliquando, qui alios velint virtutibus inseruire, cùm suos patiantur criminibus defœdari.

§. LX.

Ad Reipublicæ gubernationem electus omnibus facilè pateat, nec sera accedentes exasperatos excludat.

SVi non est, qui Reipublicæ est: verum nonnulli ministri Numinis adinstar oppansis velis sibi venerationem satagunt conciliare, & delubris delitescentes vetant litigantes, aliavè negotia gerentes accedere: quo fit, vt vnus sit plurimorum tormẽtum. Heli, quia Sacerdos, & iudex in templi sedebat aditu, nec aduentantibus denegabat aspectum. Adest Abulensis *quæst.* 12. *Sedebat Heli, qui erat Summus Sacerdos, super sellam positam circa fores templi. Dicunt autem Iudæi quidam, quòd illa die fuerat factus Pontifex, & iudex ipse Heli, & ob hoc sedebat, tanquam ad iudicandum causas.* Quàm defatigarentur, qui afferebant causas, si facilis non esset accessus, & iudex aduentantes excluderet fastidiosus!

§. LXI.

Non est idem orare, & spatia longa templis insumere.

SVnt qui diu templis assistant, sed non semel adstantes ibi corpore, exerrant mente: videntur immoti, sed obuersantibus cogitationum fluctibus inueniuntur diuagari? Anna, vt orandi nobis præberet exemplum, ita orauit, ut se in numinis conspectu veniisse, attenderet. *Orauit ad Dominum.* Chrysostomus legit: *In conspectu Domini.* Ita orauit, vt mereretur deuota; ita orauit, vt coram Domino adstare se, non ignoraret oblita. *Omnes quidem oramus* (verba sunt Chrysostomi,) *sed non omnes in conspectu Domini. Etenim cum corpore in terra prostrato, & ore frustra delirante mens per domum, ac forum circumagitur.* Adnectit.: *In conspectu Dei orat, qui colligens mentem nihil habet eum terra commercij, sed ad Deum totus commigrat.* Quàm pauci Annam ad Deum commigrantem sequuntur: preces non semel fundimus, & fudisse dubitamus: prolixas horas templo insumimus, sed orationi paucas impendimus.

TEXTVS.

VERS. XI. Et votum vouit dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionē famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.

§. LXII.

Impetrandi est artificium, si desiderata ad largitoris consecraris obsequium.

ORationem commendat, qui ad elargientis obsequium impetrare discupit votum, & suam agit decenter causam qui beneficium ad benefactoris desiderat gloriam. Prudens Anna, vt magnum precibus pondus adderet, si filium acciperet, reddendum Numini vouit: *Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius.* Vt acciperet masculum, altaribus consecrauit, & templi ministeriis addixit, nec desideratis fraudata est. *Petiuit masculū*, (inquit Abulensis *quæst.* 14.) *quia vouit eum dare Domino ad ministrandum coram eo.* Honesto ambitu meliorem sexum expetiuit, & grande petitioni robur addidit, cùm Domini obsequiis applicuit, quia sine rubore petitur, quod largitoris commodis applicatur.

§. LXIII.

Nullis defectibus debet pollui, quod constat altaribus consecrari.

ANna præbet nobis petendi formam, dat normam vouendi; vt potiorem sexum accipiat, filium templo deuouit, & nouacula non attingendum sacrandum addit: *Nouacula non ascendet super caput eius.* Nouacula quid semper deterit, abscindit, & radit. Ergo nec capillum voluit ab hostia imminui, ne displiceret diminutum, quod sacris constabat altaribus consecratum. *Votum Annæ erat hic duplex* (inquit Abulensis *quæst.* 14.) *Primum erat, quòd filius ex ea gignendus ministraret, semper coram Domino omnibus diebus vitæ suæ. Secundum erat, quod obseruaret ritum Nazaræorum*, Nazaræi nec pilum nouacula radebant: ergo vt munus placeret gratius, diuinis voluit oculis offerri integrius: quo discas defectibus non obscurare, quod diuino conspectui cupis offerre.

§. LXIV.

Plures, quod sacrant, vanitate, aut adulatione defœdant.

VT diuinis oculis placeat oblatum, non sordeat vanitate, aut adulatione pollutum. Nil debet sibi arrogare, qui oblatis Domini discupit gratiam mereri: alioquin si sibi de liberalitate aduletur, si vanitati blandiatur, munus adulterat, & accipientem exasperat. Anna filium deuouet, sed nouaculæ inscium, & ferro intactum: *Nouacula non ascendet super caput eius.* Nil sibi arrogauit, nec de voto intumuit, & dum illibatum obtulit, placuit. Adest Hugo Cardinalis: *Nouacula adulatio; caput intentio. Nouacula caput ascendit, quando quis adulatione seductus in opere suo humanam laudem intendit.* Sunt, qui operentur virtutes, sed humanas expetunt laudes. Ergo adulationis nouacula opus fœdat, & non tam Domini agnoscitur gloriam quærere, quam plausum sibi venari.

§. LXV.

Qui consecratur Religioni, noverit commodis renuntiandum, & vigilijs, ac laboribus fore viuendum.

SVnt, qui religionem ingressi, sæcularium velint commoditatibus vti: otiari, lautè viuere cupiunt, cùm vitæ institutum afferat labores, & respuat commoditates. *Vocati sumus ad militiam Dei viui iam tunc cùm Sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum delicijs venit*, scribit ad Martyras Tertullianus *cap.* 3. *Et adnectit. Nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis, & substrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit.* Ergo Samuel militiæ sacræ dicatus nouaculæ beneficium non experitur, etsi cæsarie grauetur: *Nouacula non ascendet super caput eius.* Absalon onus aliquando deponebat, & tonsionis commoda procurabat; verùm Samuel Deo consecratus nescit onus deponere, aut quid præcidere. *Primi ritus erant* (inquit Abulensis *quæst.* 23.) *quòd Nazari non biberent vinum, nec acetum, aut siceram, vel aliquid, quod inebriare posset, & quòd non comederent vuas virides, aut siccas, nec quidquid ex vua exprimitur, & quod nunquam tonderentur nouacula, nec abscinderentur capilli eorum aliquo modo.* Abs re prorsus esset Nazaræorum profiteri institutum, & sectari sæculi oblectamentum, aut commodum.

TEXTVS.

VERS. XII. Factum est autem, cùm illa multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obseruaret os eius.

§. LXVI.

Optatis fruitur indefessa orandi assiduitas, & infracta difficultatibus studiositas.

ANna, vt filium impetrarit, preces ingeminat, nullis cedens difficultatibus deterrita, nullis aliorum obseruationibus impedita. Ergo obtinuit, dum constanter orauit: *Factum est, cùm ita multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obseruaret os eius.* Deo solummodo attendit, obseruatores nullatenus timuit: ergo naturam oratione reformauit, & filium ardenter desideratum obtinuit. Adest Chrysostomus: *Scriptor geminam hic virtutem in fœmina comprobauit: in precibus assiduitatem, cùm ait: Multiplicauit: & animi vigilantiam, cùm ait: In conspectu Domini.* Institit, & curiositatis oculos laudabiliter despexit, sicque factum, vt ipsa orationis perseuerantia assecuta sit felicissimè vota.

§. LXVII.

Nunquam fœminæ erit superflua cautela, quia vbique aut insidiosa curiositas, aut debita expandit oculos vigilantia.

NOn licuit Annæ sine inspectatore, vel in oratione mouere labra. Heli attentè obseruauit, siuè vt satisfaceret muneri, siuè et adularetur curiositati: *Factum est autem cum illa multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obseruaret os eius.* Labra fortasse non adeò modestè mouebat: ergo inuenit oculos satis curiosos, qui inurerent notam, & in deteriorem partem semiruptam interpretarentur loquelam. Ita Abulensis *quæst.* 24. *Accidit, quod Heli Sacerdos attenderet ad os illius, vt audiret quid loquebatur. Hoc autem faciebat, forte quia vidit eam intrantem vultu turbato ex amaritudine cordis.* Vultus, quod corde gerebatur, aliquo modo prodidit: ergo Heli curiositas notauit, quomodo moueret labrum, & applicuit aures, vt venaretur secretum.

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. XIII. Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantúmque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam.

§. LXVIII.

Qui humana ducitur coniectura, sæpè denigratur fallacia.

MVlta oculis nostris imponunt, & specie fallunt. Non est citò opinioni accedendum, discutiẽda maturè res est, ne error subrepat, & veritatis specie fallat. Ecce Heli, dum frequenti labiorum motui credit, existimat ebriam dolore viuidissimo discruciatam: *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Si rem accuratiùs examinasset, vinum non degustasse inuenisset. Ergo dum coniecturis ducitur, fallitur. Aptè Caietanus: *Clarè scribitur Hebraicè eb iam, humana enim vsus est coniectura.* Quam dedecet Superiorem coniecturis fallacibus credere, & ob coniecturas innocuum verbis asperrimis referire.

§. LXIX.

Qui virtutibus inseruiunt, sæpè à mundialibus deridentur, & minus prudentes existimantur.

ANna templum adit consortia fugiens, & tempus relaxationi dicatum orationibus, & lamentis vtilissimè impendens. Heli verò, dum lachrymis cœlum pulsare, & prolixum orationis tempus vidit insumere, temulentam existimauit, & acriter reprehendit. *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Hugo historiam moribus aptans, testatur in Anna despecta delineari, quod videmus sæpè iustis, & virtutis alumnis contingere. Si quis diuitia procularit magnanimus, si se celebritatibus subtraxerit modestus, si floridam austeræ vitæ iuvẽtutem consecrauerit religiosus, imprudens sugillatur, & inconsultus habetur. *Diuites huius mundi* (inquit Hugo) *ebrios, & insanos putant dolentes de peccatis, & pœnitentes, & religiosos.* Tunc Anna despicitur vti ebria, cùm ardentiùs orationibus incumbit deuota.

§. LXX.

Constans fiducia calamitatum volumina eludit, & feliciter portum appellit.

VT inter insaniẽtes vndarum vortices nauim gubernaculo rector expertus aurigat, & eludit acres ventorum adsultus, sic inter dolorum, ac calamitatum vndas appellit portum, qui constanti in Deum fiducia pro gubernaculo vtitur, & laudabili pertinacia duratur. Annæ dolor vocem eripit: *vox penitus non audiebatur*, sed fiducia dolorem vicit, & constantia, quod desiderabat obtinuit. Adest Chrysostomus: *Vox quidem illi intercluſa est, at non fiducia, sed vehementius etiam cor clamabat intus.* Ipsis doloris adsultibus durissimæ rupis adinstar firmabatur constantia, & ipsis afflictionum voluminibus adaugebatur fiducia: ergo obtinuit, & inualuit.

TEXTVS.

VERS. XIV. Dixitque ei: Vsque quo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades.

§. LXXI.

Miserum est ipso laborare remedio, & in ipso portu diuexari naufragio.

QVi reflantibus ventis circumvoluitur, & acribus ventorum adsultibus vndequaque iactatur, si portũ apellat, abacto periculo iam respirat. Crescit verò dolor, & labor, si ipse portus vertatur procellosum in pelagus, & ibi crescat periculum, vbi quærebatur remedium. Anna, vt æmulæ probra vitet, templum adit doloris quæsitura solatium; ast ipso in templo durissimè à Sacerdote reprehensa, anxietatis creuit materia, & sugillatiuis verbis angustia: *Dixitque ei: Vsque quo ebria eris?* Pro solatio amarum inuenit probrum, pro leuamine doloris augmentum. Quid tunc? Nimis se infelicem plangit. *Mulier infelix nimis ego sum.* Et quare modo nimis? Quia ibi doloris patitur incrementum, vnde sperabatur afflictionis solatium. A Sacerdote vti indulgens vino carpitur, ab æmula vti sterilis affligitur. Notauit Chrysostomus: *Fugerat domesticam tempestatem venit in portum, & rursus inuenit vndas. Venit acceptura medicamen, & vulnus exasperatum est.* Vbi dolor leniendus, ibi recrudescebat exasperatus, & vbi quærebatur medela, grauior adurgebat plaga.

§. LXXII.

Occasionem præbere solet à Domino recedendi, qui causa esse debuerat approximandi.

IN via aliquando inuenitur cerastes qui equi vngulas mordens, non solum impediat cursum, sed retro solicitet casum. Solent fœminæ adire templa paupertatis afflictionisve quæsituræ remedium, & inopinum contigit inuenire naufragium. Ecce Anna afflicta templum adit, & Sacerdos, qui debuerat orationem persuadere, dormire consuluit: *Digere paulisper vinum, quo mades.* Adest Lira: *Quasi dicat: Vade prius ad dormiendum.* Qui somnum discutere, & inuigilare persuadere debuisset, indulgere otio suasit, & ni talis fuisset Anna, ipso in portu periclitaretur dormire suasa, & ab oratione recedere quodammodo impulsa.

§. LXXIII.

Seruus, quod nouit Dominum suspicari, solet, vt aduletur, augere.

SEruilia ingenia, si dominos nouerint aliquid suspicari, eis adulantur, eorum suspicionibus accedentes, & confirmantes: vt ineant gratiam, eandem sequuntur sententiam, & sententiæ addunt sæpè inconsultam audaciam. Heli, vt vidit Annam anxiè orantem, ebriam existimauit, & iam puerulus, qui ei ministrabat, vt aliquo signo domini suspicionem coniecit, non solùm protulit, sed quid etiam addidit: *Dixit illi: Quousque ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades.* Septuaginta, & Chrysostomus legunt: *Dixit illi puer Heli, &c.* Servus protulit, quod dominus suspicatus est; Heli credidit ebriam: puer vino effutiuit maidam: *Quo mades* Notauit Chrysostomus: *Domi exprobrauerat ei æmula, venit in templum, & Sacerdotis puer afficit illam contumelia.* Servus extitit contumeliosus, & quod dominus suspicax coniectauerat, audacter publicauit, & adulationi inseruiuit.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Eximia patientia fulget ornatus, qui contumelias excoquit ab homuncionibus impetitus.

SI à viliori profertur contumelia, incrementatur iniuria. Nouit aliquando inuicta tolerantia, & infracta patientia maioris, aut æqualis pati supercilium, & tolerare dicterium: verùm maiori tolerãtia opus est ad æquanimiter ferendam homuncionis iniuriam, & vilis serui procaciam. Annæ enituit patientia, dum æmulæ inuidiam sustinet. Quid tunc? Defatigatus dæmon acerrimum adhibuit arietem, vt constantiam labefactaret, & tolerantiam subrueret, puerum scilicet, servulumque tolerantiæ opposuit iniurium, & procacem: *Dixit illi puer Sacerdotis: Quousque ebria eris?* Ita legit Chrysostomus, additque: *Vt Satanas perspexit eam magno animo ferre sterilitatem, adijt Sacerdotis puerum qui magis illam exacerbaret.* Vt vidit diabolus ad æmulæ, æqualisque ictus perseuerare invulneratam, vltimum excogitauit machinamentum, & conuiciantem servulum produxit in campum, ratus vel eximiam tolerantiam de statione deiiciendam, si lacesseretur à servulo: verùm Anna immota pertulit, & decantandum sæculis triumphum adauxit. Addit Chrysostomus: *Conuitiis petita à puero Sacerdotis non indignatur, quo magis etiam sibi conciliat Deum.* Quod voluit, à Domino obtinuit, dum à puero lacessita modestè satis respondit.

TEXTVS.

VERS. XV. Respondens Anna: Nequaquam, inquit, Domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque, & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.

§. LXXV.

Orationis est index constans patientia, & ad iniurias responsio humillima.

NOnnulli orationi videntur vacare, non tamen copiosum orationis fructum percipere; quandoquidem leuiter etiam pulsati excandescunt, & ferientem repercutiunt, cum oratio sit patientiæ armamentarium, humilitatisque documentum. Anna asperrimis verbis perculsa modestè reprimitur, & animam in conspectu Domini se effudisse testatur: *Effudi animam meam in conspectu Domini.* Et vnde constat orationem animam effudisse? Quia ad contumelias, iniuriasque veluti mortua, & invulnerabilis mansit. Mollis responsio oratione testata est, & ore reluxit, quod corde gessit. Notauit Hugo: *Nota humilem responsionem mulieris in confusionem multorum religiosorum, qui contumelias, nec etiam correctionẽ sustinent, sed durius respondent.* Qui perfectionis videntur montes, tacti fumigant, imò ardentissimas flammas iactant. Ergo orationis fuit index mollis responsio, & humillima depressio.

§. LXXVI.

Melius tibi consules responsione modesta, quàm excandescente iracundia.

SVmmus impatientiæ stimulus vltio est, verum sæpè qui vlciscitur, grauius sibi creat detrimentum, & ingeminat damnum. Lenis responsio non solùm de aduersario solet patronum sibi facere, sed paci, & prosperitati etiam consulere. Anna contumelijs lacessita humili, ac leni responsione suspicacem corripuit, & edocuit: *Nequaquam, inquit, Domine mi.* Heli mulieris mansuetudinem demiratus & suspexit, & benedixit: *Vade in pace, & Deus Israel det tibi petitionem, quam rogasti eum.* Qui aduersabatur iniurius, humili responsione patronus inuenitur effectus. Meliùs sibi mulier consuluit, dum humiliter respondit. Notauit Chrysostomus: *Mulier ex accusatore fecit patronum: tanta res est humanitas, & mansuetudo.* Mansuetudine non solùm depulit suspicionis notam, sed Sacerdotis acquisiuit sibi beneuolentiam.

§. LXXVII.

Vino ingurgitari fœminæ est indecorum, & omni disciplinæ contrarium.

MOdico vti vino infirmæ est auxilium naturæ & adhiberi solet loco medelæ, verum si largius bibatur, pudori extruit insidias, & modestiæ optimas contemnit regulas. Quod cùm in omnibus verum sit, in fœmina est turpius, & indecentius. Ob id Anna ebrietatis notam depulit: *Nequaquam,* inquit, *Domine mi, nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque, & omne, quod inebriare potest, non bibi. Ne reputes ancillam tuam, quasi vnã de filiabus Belial.* Belial idem est, ac iugi impatiens, legemque contemnens, cur ergo Anna dum vino indulgere existimatur, inter iugi impatientes censeri queritur? Quia idem esse credidit fœminam vino indulgere & pudoris, ac modestiæ leges violare. Eam à se suspicionem depellere prudentissima studuit, vt quæ nouerat nil peius muliere ebriosa, & potationibus dedita. Adest Abulensis *quæst. 24. Anna erat totaliter abstinens à vino, secundùm quod multa de fœminis propter honestatem faciunt.* Fœmina vino indulgens se ipsam obscurat, quia suspicionem violatæ pudicitiæ, & læsæ modestiæ generat.

§. LXXVIII.

Vel procaci Sacerdoti est reuerentia præstanda, & eius dignitas suspicienda.

HEli Annam orantem, afflictamque acriter carpsit, & probrosis verbis vti ebriam reprehendit: *Vsque quo ebria eris?* Quid tunc Anna? *Nequaquam,* inquit, *Domine mi.* Iniurium, quia Sacerdos, veneratione suspexit; & modestè satis respondit. *Nota humilem responsionem mulieris,* inquit Hugo. Iniuriam à Sacerdote prolatam patienter tulit, ne quid debitæ dignitati venerationis detraheret. Plus valuit, vt iniurium suspiceret dignitas, quam vt referiret suspicionis temeritas.

§. LXXIX.

Oratio edocet contumelias deuorare, & molliter respondere.

QVia Anna crebro labia mouebat, Heli ebriam existimauit, & acriter reprehendit; illa verò ipsa responsione notam depulit & orasse deuotissimè declarauit: *Nequaquam, inquit, Domine mi.* Quam mansuetè respondit, quàm lacessentem reuerenter suspexit: nec mirum, orabat, & orando docta est aspera verba patientiæ fornace coquere, & leniter respondere. *Nota* inquit Hugo *) humilem responsionem huius mulieris.* Adiicit Chrysostomus: *Hic potissimum licet huius mulieris philosophiam perspicere, conuiciis petita à puero Sacerdotis non indignatur, quo magis etiam sibi conciliat Deum.* Patientia orationis fuit index, & æquo animo iniuria lata ostendit tempus non triuisse, sed orasse.

TEXTVS.

VERS. XVI. Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta sum vsque in præsens.

§. LXXX.

Mulierem decet honestum iugum subire, dedecet liberam ceruicem gerere.

FOemina gloriæ animal est, sed nulla illi maior, quàm decens viro subiectio, & debita veneratio. Euam, cùm abijcere honorabile iugum serpens edocuit, eius felicitati insidias manifestas tetendit. Fœmineæ dignitatis cultos est obsequela, & aliter criminibus patet ianua. *Euam te esse nescis?* (aiebat Tertullianus *de Habitu, & c. cap.* 1.) *viuit sententia Dei super sexum istum, viuat & reatus necesse est.* Ecquis reatus? *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Gen. 3. v.* 16. Hinc, quæ apud se Deum habuit, subiectionem testata es Sara, dicens; *Dominus meus vetulus est. Gen.* 18. *v.* 12. Non recusauit subiectionis iugum, quia nouit esse mulieris elogium. Ergo Anna de Belial filiarum censu se exemit: *Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial*; ne, dum honestæ subiectionis expers habetur, vitiis dedita credatur. *Belial* (inquit Interlinearis) *absque iugo. Et notandum hic, quòd ebriosi filij Belial vocantur.* Quæ non recusant iugum, omnem suspicionem à se propellunt, quæ verò ceruicem gerunt indomitam, vitæ insidiantem, & pudori aduersatricem ambiunt gloriolam.

§. LXXXI.

Calamitas Deo est humiliter præsentanda, & æquanimitate medenda.

PLures eis imprudenter calamitates suas referunt, à quibus nec consilium petere, nec leuamen possunt accipere; qui si, dolorem suum Deo humiliter repræsentarent, & æquo animo perferrent medelam ipsa æquanimitate, & oratione perciperent. Anna Deo dolorem suum exposuit: *Ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta sum*, & dum se orbam doluit, ipso dolore fœcundam reddidit. *Deus Israel* (inquit Heli) *det tibi petitionem.* In Hebræo habetur: *Dabit.* Agnouit Sacerdos orbam ipsa orbitatis patientia fœcundandam, & impetratis humili oratione filiis augendam. Ita Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur, Helohe Israel dabit petitionem tuam.* Prudenter medelam calamitatis à Deo quæsiuit, & oratione feliciter impetrauit.

TEXTVS.

VERS. XVII. & XVIII. Tunc Heli ait ei: Vade in pace, & Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. Et illa dixit: Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis: & abiit mulier in viam suam, & comedit, vultúsque illius non sunt amplius in diuersa mutati.

§. LXXXII.

Prudens, quæ ad se non pertinent, vana curiositate non inquirit, nec coniectoris munus exercet.

HEli audit Annam acerbo dolore vexati, nec tamen causam inquirit curiosus, sed medelam precatur prudentissimus: *Vade in pace, & Deus Israel det tibi petitionem.* Si indagaret causam, forsan innubilaret prudentiam. Ergo dissertus, quàm mulier absconderat; nec extorquere voluit doloris notitiam, nec conijcere studuit causam. Notauit Chrysost. *Vide huius prudentiam. Non inquisiuit curiosè de genere calamitatis, non exactius scrutatus est angoris causam, sed ait: Vade in pace, dabit tibi Dominus petitionem tuam.* Si alius esset, causam doloris indagaret, vt vanæ curiositati pareret: at vti prudens spei adhibuit medelam, nec doloris scrutatus est causam

§. LXXXIII.

Qui ad Sacerdotis orationem recurrit, magnum ad impetrandum subsidium habet.

ANna, vt quæ nouerat quantum Sacerdotis oratio valeat, Heli gratiam promereri, orationibúsque solicitat adiutari. *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.* Ac si diceret: si mihi tuarum precum accedat suffragium, assequar feliciter votum. Quod & accidit: postquam enim Sacerdos orauit: *Deus Israël det tibi petitionem tuam*, tristitiam depulit, & imperturbabili fiducia roborata vultum exhilarauit: *Non sunt amplius vultus illius in diuersa mutati.* Adest Caietanus: *Refocillata tum animo ex oratione propria, & verbo Pontificis, tum corpore ex sumpto cibo conuenienti non est passa amplius mutationem vultus, qualis accidere solet turbatis animo.* Dum Sacerdotis oratio anxietati medetur, anxietatis causa propulsatur, & quantum Sacerdotis valeant preces ad impetrandum, ostenditur.

TEXTVS.

VERS. XIX. Et surrexerunt mane, & adorauerunt coram Domino, reuersique sunt, & venerunt in domum suam Ramatha. Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam, & recordatus est eius Dominus.

§. LXXXIV.

Vt iter feliciter consummetur, Numine placato arripiatur.

MVlta sunt viarum pericula, quæ Numine exorato, aut frustrantur, aut impediuntur. Qui non placato Numine viæ se committunt, & discriminibus obuiis exponunt. Elcana iter aggressurus, manè surgit, & fusis precibus viam carpit. Ergo feliciter peruenit, & viarum pericula euasit. *Adorauerunt coram Domino, reuersique sunt, & venerunt in domum suam.* Forsitan varia impedimenta obsisterent, aut inopini casus tardarent: ast dum orationem itineris ducem habuit, ad optatas sedes fortunatè peruenit. Adest Abulensis *q.* 24. *Primò inierunt diluculo ad sanctuarium, vt adorarent ibi Dominum, & tunc perrexerunt in viam suam, qui est modus religiosus, scilicet, vt primò homines curent de eis, quæ Dei sunt, deinde ad negotia sua deuoluantur, & tunc prosperiora veniunt cuncta, quæ tractauerint.* Plures, si iter aggressi præmisissent orationem, vitassent calamitatem.

§. LXXXV.

Qui interdiu, vt orationi vacent, matrimonij vsu priuantur, fructus vberes assequuntur.

NEgotiatio est (aiebat Septimius ad Martyres *c.* 2.) *aliquid amittere, vt maiora lucreris.* Non semel quod honestè amittitur, dignis incrementis instauratur, & sæpè qui matrimonij interdiu se deliciis abstinuit, vberes à Domino fructus ipsa deliciarum moderatione impetrauit. Elcana, vt Silo assistat, coniugij vtilitates ignorat. Ergo domum rediens filium, & quidem Prophetam suscipit, & Anna sterilitatem depellit: *Recordatus est eius Dominus.* Ita Lira: *Post quam reuersus est in domum suam, quia Iudæi euntes in Hierusalem cum vxoribus suis ad diem solemnem, vel causa sacrificij, seu orationis vsque ad reditum suum in domos suas continebant ab vxoribus suis.* Ipsa continentia, vt o rationi vacaret, filium, & quidē Samuēlem promeruit.

TEXTVS.

VERS. XX. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuël, eo quòd à Domino postulasset eum.

§. LXXXVI.

Filij orationibus impetrati, ferè semper virtutibus refulgent conspicui.

FIlius virtutibus non dicatus, est continuus parentibus dolor, & familiæ tristissimus angor. Ergo cùm miraculosè conceptum ad parentum solatium sit Dominus dilargitus, virtutibus ferè semper inuenitur ornatus. Ecce Anna filium proereat, sed Samuëlem, sed Prophetam. Notauit Abulensis *quæst.7. Illi homines semper inter cæteros speciliores sunt, quos Deus super conditionem naturæ nasci fecit, quod de Samuële fuit. Describitur hoc tanquam certissimum testimonium probitatis eius.* Vt Samuël Dei probaretur speciale beneficium, virtutibus expolitus refulsit, alioquin parentibus non iucundum beneficium, sed amarum esset tormentum.

§. LXXXVII.

Qui gratus acceptum beneficium fatetur, ad vlteriora disponitur.

QVi accepto beneficio se ingratum exhibet, viam liberalitati imprudenter occludit; vt qui se exhibuit gratum, addidit beneficientiæ fomentum. Ergo prudens Anna acceptum filium Samuelem appellat, & dum ipso nomine testatur cæleste donum, promeretur augmentum. *Vocauit nomen eius Samuel, eo quòd à Domino postulasset eum.* Dum nomine indito specialem publicat gratiam, suscepit, teste Scriptura, filiorum copiam. *Samuel* (inquit Rhabanus) *postulatio Dei, vel nomen eius: auctor scilicet natiuitatis eius Deus, quia sterili oranti concessit filium, qui cunctis diebus sibi in templo deseruiret.* Agnitum beneficium vlteriorum felicissimum fuit præsagium, & plures suscepit filios, dum sibi acceptum non adscribit ingrata, sed Numini reddit deuota.

TEXTVS.

VERS. XXI. Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hostiam solemnem, & votum suum.

§. LXXXVIII.

Qui accepit à Domino beneficium, quàm citò soluerit votum.

ELcana votum emisit, vt faciliùs filium impetraret. Ergo vt accepit desideratum, votum soluturus templum adiuit: *Ascendit vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hostiam solemnem, & votum suum.* Non distulit adimplere promissa, vt solent plures assecuti desideria, sed vt filium accepit, aram solemni hostia nobilitauit. Ita Caietanus: *Insinuatur, quòd voto vxoris addidit maritus aliquod proprium votum, ad quod persoluendum describitur venisse.* Solemniorem, quam promiserat, hostiam obtulit, quin voti expletionem tardarit temporis incommoditas, aut itineris prolixitas. Et fortasse ob id etiam *vir vnus*, id est, *singularis* vocatur; de more namque est accepta beneficia obliuioni tradere, & promissis, aut non stare, aut differre.

TEXTVS.

VERS. XXII. Et Anna non ascendit. Dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.

§. LXXXIX.

Priùs est domesticis obligationibus satisfacere, quàm pro libito templum adire.

POterat Anna templum adire, & domi poterat remanere; maluit tamen lactando infanti incumbere, quàm adesse celebritati. *Anna non ascendit*: Suo exemplo matres familias edocuit, priùs domesticis obligationibus incumbendum, quàm (si liceat) templum dispendio regiminis frequentandum. Innuit Chrysostomus: *Non existimabat esse tutum, relicta domo, ascendere in templum.* Discant hinc fœminæ prolixa tempora templis non insumere, si domestica administratio domi expetat assidere.

§. XC.

A Deo accepta beneficia dignis sunt incrementis reddenda, & diuinis obtutibus præsentanda.

QVæ à Deo accepimus, ad eius honorem sunt referenda, & dignis, ac debitis augmentis incrementanda. Nouit hoc Anna, quæ accepto filio vacua apparere noluit, sed beneficium adauctum diuinis obtutibus præsentare curauit: *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini.* Adest Chrysostomus: *Non solùm ex eo quòd illum Deo spopondit, verumetiam ex hoc, quod non ausa sit ascendere in templum, priùs quàm ablactasset infantem, fœminæ pietatem licet inspicere.* Dignis incrementis retulit auctum quod à Domino cognouit acceptum. O quàm pauci aucta referunt beneficia, cùm ipsis beneficiis abutantur ad peccata?

§. XCI.

Qui Deo dicatus, sæculum non repetat vanis occupationibus irretitus.

SI Anna recèns natum puerum secum duceret in templum, opus erat iterum domum reducere, cùm ea ætas nequiret ministeriis sacris deseruire. Ergo vt suo exemplo religiosos instrueret, noluit Samuelem iam Deo consecratum paternos lares repetere, sed curauit sine intermissione templum incolere. *Et maneat ibi iugiter.* Innuit Abulensis *quæst.29. Volo ire illuc tali tempore, vt cùm eum præsentauero Domino, possit ibi iugiter manere.* Discant parentes semel oblatos religioni filios coloratis causis non abducere, nec domesticis deliciis sacri instituti rigorem vtilem emollire.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Et ait ei Elcana vir suus. Fac quod bonum tibi videtur, & mane, donec ablactes eum: precórque, vt impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte.

§. XCII.

Qui Domino consecratur, debet pueritiæ impedimenta nescire, & virili maturitate se gerere.

QVi sacris ministeriis dicatur, maturis moribus floreat pueritiæ ætatem transgressus; non augeat tantùm numerum, sed numero præstet honorem virtutum luminibus expolitus, & præcoqua canitie decorus: filium dicat templi ministeriis Anna, adducere tamen lactentem

lactentem noluit, vt doceret (inquit Chrysostomus) sacris altaribus inseruientes virtutum infantiam virili ætate commutaturos, & scientiarum luminibus exornandos: *Non vult Anna puerum ducere ad domum Dei, antequam ablactetur, quia Ecclesia nullum ad Sacerdotium promouebit, dum lactis infantia particeps est, non solidi cibi, & intelligentia spiritualis capax.* Non sapiat vt parvulus, qui Numinis cultui specialiter inuenitur addictus; nec enim decet immaturis moribus displicere, quem status cogit virtutum luminibus emicare.

§. XCIII.

Sacerdotis domus templi sanctitatem referat, & virtutem semper redoleat.

QVisquis sapiens factis cœlestem philosophiam edocet, & habitationem sanctitatis luminibus implet. *Auditur Philosophus* (aiebat Tertull. *lib. de Pallio cap. 6.*) *cùm videtur.* Verùm etsi sapientibus sit communis hæc Philosophia speciali tamen iure ad eos cognoscitur spectare, quibus incumbit diuinis conspectibus assidere. Ecce Samuel ad virtutem totus compositus familiæ attulit pacem, & vel puerulus cæteris inspirabat virtutem. Iam Phenenna non tumet, iam Anna non mœret, quia ab incunabulis futuram factis sanctitatem prænuntiauit, & pacem domesticam fouit. Anna lactando puero incumbit: *Non vadam, donec ablactetur infans.* Templo quodammodo iam degebat, quia Samuël domum in templum (si fas est dicere) consecrabat. *Existimabat* (inquit Chrysostomus) *templum per illum sanctificatum iri, quando domus ipsius iam erat facta templum, vt quæ Prophetam, ac Sacerdotem intra se contineret.* Itaque vel futurus Sacerdos domum sanctificabat, quo Sacerdotes discant domos suas templum efficere, & familiam virtutibus exornare.

§. XCIV.

Speciali studio sunt educandi filij, religioni offerendi.

FIlij hac, aut illa causa Domino consecrandi maiori debent studio educari, & ad virtutem speciali cura expoliti. Nonnulli verò parentes, quos religioni decreuerunt offerre, lautiùs, & indulgentiùs solitant educare; quia postea abstinendum est, deliciis assuefaciunt, & imprudenter austeritatem grauiorem reddunt. Non sic Anna, quæ offerendum Samuëlem solicita cura lactauit, & ad virtutem instruxit: *Ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini.* Quæ expendens Chrysostomus aiebat: *Conspiciebat infantem illum non tantum vt infantem, verumetiam vt rem Deo consecratam, eóque matri geminus amoris stimulus insitus est, alter à natura, alter à gratia.* Non solùm nutriebat filium, sed Prophetam educabat, ob id nec passa est à lacte amotum tempus terere, nec puerilibus ludis vacare, sed statim Deo obtulit, & illibatum ministeriis sacris dicauit.

§. XCV.

Prudens pater curabit filiorum religiosa desideria fouere, timebit obsistere.

PArentes delusi existimant filios amittere, si Numini consecrentur, aut religionem ætatis flore ingrediantur; cùm reuera tunc filios lucrentur, cùm renuntiantes sæculo virtutibus addicuntur. Profectò filij deliciis indulgere permissi, & licentiùs iuuentutis flammis vstulati miseros parentibus sæpè attulere gemitus, & acerbos sibi casus. *Solum bonum ferax est* (aiebat Plutarchus *de institut. liber.*) *sed squallet neglectum, atque quo est indole præstantiore, eo magis per inertiam destitutum cultura senescit.* Spinas cruentas, horridos tribulos solet tellus agricolæ pro generosis fructibus procreare, si nullo studio culta, permittatur syluescere; vt è contra sterilis culturæ industria fota mites parturit fructus, & copiosos affert prouentus. Nouit hoc Elcana, dum precibus nititur à Deo obtinere, vt Samuël templo inseruiat sacratus, & mysteriis cælestibus consecretur addictus: *Precor, vt impleat Dominus verbum suum.* Quod verbum? Iam Lira explicat: *Anna petebat à Domino filium, qui viueret, & ministraret in templo Domini, vt patet ex prædictis, & hoc precabatur Elcana à Domino impleri.* Itaque Elcana desiderabat filium quantocius consecratum altaribus inseruire, non apud sæculum retinere.

TEXTVS.

VERS. XXIV. Et adduxit eum secum, postquam ablactauerat in vitulis tribus, & tribus modis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus.

§. XCVI.

Filij hilariter Domino sunt offerendi, religioníque consecrandi.

QVi tristi vultu munus offert, munus ipsum imprudenter corrumpit. Vultus hilaritas, animi placiditas commendant obsequium, & nobilitant officium. Ergo Anna in vitulis tribus puerum obtulit: *Adduxit eum secum in vitulis tribus*, id est, vt interpretatur Hugo, in triplici hilaritate: *Tres vituli* (inquit) *triplex hilaritas*, id est, obtulit hilari corde, hilari voce, hilari facie, ne si deiecto vultu, aut amaro corde sacraret filium, obscuraret mœrore donum.

§. XCVII.

Virtus prudenter exercenda, & nullis nebulis obscuranda.

SVnt, qui mereri officiis desiderant, & gratiam sibi conciliare sitienter anhelant; aberrare tamen solent ab scopo, dum fastidium generant nimij, aut deficiunt indiscreti. Anna in tribus farinæ modiis obtulit filium, & ipso modo nobilitauit obsequium: *Et tribus modiis farinæ.* Ita Hugo: *Tres modij farinæ triplex discretio operis, ne quid nimis, ne quid parum, ne quid indebitum.* Omnia rationabili lance debent trutinari, ne si excedant modum, ipsis officiis exasperauerint animum.

§. XCVIII.

Pueri ab infantia virtutibus adaptandi, & optima educatione instruendi.

ANna, ne occasionem inueniret improbitas, ab ipsa infantia solicitè puerum educauit, optimis exemplis instruxit, & litteris informandum doctis magistris commisit, vt educandi filios existeret forma, & liberalis institutionis idea: *Adduxit eum secum.* Secum attulit, à se cum opportuna litteris ætas, avulsit. Notauit non sine acumine Nazianzenus: *Ne occasionem arripiat improbitas, ab infantia sanctitate imbuatur, ab ipsis vnguiculis Spiritui Sancto consecretur... Anna Samuëlem, priùs etiam quàm procreatus esset, Deo promisit, atque in lucem editum statim sacrosanctum fecit, ac cum veste sacerdotali educauit, nihil humani veritas; sed Deo fiducia inmixa.* Ægrè non tulit filio orbari, vt templo inseruiret, & sapientia excultus luceret, & quia Sacerdotalibus infulis nobilitari exoptabat, Sacerdotali ornatu, vel puerulum amiciebat.

§. XCIX.

Qui filium discupit virtutibus exornari, non patiatur, dum puerulus, à latere suo disiungi.

VIrtute puerulus facillimè imbuitur, vt etiam ignobilibus moribus denigratur. Ergo summo studio curandum est, ne aut prauis exemplis exerret à rationabili via abductus, aut non bona educatione distractus. Anna, vt filios educandi exisseret forma, passa non est puerulum à latere suo disiungi, quousque Sacerdoti literis, ac virtutibus imbuendum traderet: *Adduxit eum secum.* Non commisit alteri, non seiunxit à latere, non iocis permisit indulgere, passa non est delicijs vacare, & quia studiosa sedulitate educatus, resplenduit Samuel eximijs virtutibus expolitus. Ita Hugo: *Adduxit quasi iam idoneum administrandum. Vnde statim sequitur: Puer autem erat minister in conspectu Domini.* Ea Samuel erat ætate, quando mater adduxit, vt quiret in conspectu Domini ministrare, & diuinis dignus esset conspectibus apparere, quia nec pueritiæ næuis obscurus, nec adolescentiæ ardoribus vstulatus.

§. C.

Aliquando opus est plura quàm Domino, dilargiri ministro.

BIbulæ sunt aliquorum manus. Vt ad principem peruenerint aliqua, opus est dilargiri plurima: huius veritatis non inscia, dum pro filio Anna vitulum exoptat Domino offerre, tres Vitulos curauit adducere. *In vitulis tribus.* Vnicus Deo consecratus est: *Immolauerunt vitulum.* Duplex ministro vitulus est donatus: itaque vt vnus ad Dominum peruenirent, triplex allatus est vitulus: quo facto docemur opus esse plura offerre, vt quid possit ad principem peruenire. *Ita Glossa: Non intelligitur cuncta simul obtulisse Deo, sed quædam Deo, quædam Sacerdoti, vt libenter susciperet filium in ministerio.* Duobus vitulis Sacerdotis gratiam promereri studuit, principis vnico meruit: ergo triplicem attulit prouida, ne appareret in conspectu Domini vacua.

§. CI.

Commodis nouerit renunciare, qui diuinis discupit conspectibus inseruire.

SAmuel satis puerulus non doluit à materno latere disiungi, nec mater ingemuit à puerulo separari. Noluit mater sacrificium fœdare lachrymis, & puer naturæ quodammodo exuit affectum, vt Domini mereretur obtutum. *Adduxit eum ad domum Domini in Silo.* Notauit Chrysostomus: *Adduxit puerum, ac reliquit: nec puer à mamma diuulsus molestè tulit, sed ad Dominum respexit, qui matrem creauerat. Nec ipsa mater doluit à puero seiuncta; propterea quod naturalem affectum vicit interueniens gratia, & vterque se alteri conuiuere existimabat.* Puer, vt matri viueret, reliquit matrem, & mater, vt se matrem ostenderet, puerum à latere seiunxit, vt Domini templo sacraret.

§. CII.

Qui erudiendis pueris incumbunt, magno præmio probantur digni, vt potè toti Reipublicæ commodi.

OPtima puerorũ educatio ad communem Reipublicæ salutem constat spectare, & quàm maximè conducere. Ingens labor est rudem illam ætatem expolire, & dignis moribus informare, vnde dignis præmijs sunt prouocandi, qui generalitatis ad commodum subeunt laboriosum hoc exercitium. *Cùm manifestum sit* (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 21.) *præmium artes nutrire, nefas iudicauimus doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius ad gloriosiora studia per commodorum augmenta prouocandi.* Prima rudimenta sunt futurorũ præsagia, & qui bonis moribus est fundatus, omnibus habetur proficuus. Ergo qui ob Dei amorem huic se dedicauit ministerio, vniuersali prospexit commodo. Huius veritatis non inscia Anna, dum puerulum literis imbuendum, ac dignis moribus informandum Sacerdoti commisit, duos ipsi vitulos obtulit: *In vitulis tribus.* Edocendi pueros censuit laborem ingenti præmio dignum, & digna gratitudine munerãdum. Ita Lira. *Ex quo videtur quod vnum vitulum obtulerunt in sacrificium Domino, & alios duos obtulerunt Heli Sacerdoti, quia puerum dimittebant in cura ipsius.* Puerum ab vnguiculis erudiendum Sacerdotis suscepit deuotio, & matris luxit etiam gratitudo

TEXTVS.

VERS. XXV. & XXVI. Et immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. Et ait Anna: Obsecro, mi Domine, viuit anima tua, Domine: Ego sum illa mulier, quæ steti coram te orans Dominum.

§. CIII.

Mirum est, si virtutum sterilitate diu obscurus, dignis fructibus aliquando niteat splendidus.

QVi nullis virtutibus assuefactus, sed diu damnabili sterilitati assuetus, difficulter exuit ingenium, nec maturum profert virtutis fructum. Ergo Anna, quia diu sterilis, iam fœcunda iuramento sibi fidem conciliat: *Viuit anima tua Domine: ego sum illa mulier, &c.* timuit iam fœcundata, ne videretur mentita, vt quæ nouerat virtutum diu steriles non facilè exuere consuetudinem, quæ pro natura solet inolere, & vsque ad mortem perseuerare. *Viuit anima tua* (inquit Abulensis *quæst.* 29.) *modus iurandi est apud antiquos, vt cùm dicitur: Viuit anima mea, quòd hoc sit, id est, sic viuat anima mea, vt hoc est verum.* Iam de sterili ad fœcunditatem nobili fructu translata sibi iuramento fidem adstruxit, quia, quam difficilè sit cognouit.

§. CIV.

Mirum, est, si antiqui status perseueret memoria, dum cumulata lucet fortuna.

SVnt, qui si ad apicem fortunæ perueniant, antiquæ sortis memoriam sepelire moliantur, & expungere prorsus conentur. Nihil splendenti ingratius, quàm attritæ vestis memoria, nihil dignitatis luminibus superbienti grauius, quam cunabulorum humilium notitia. Ergo si Anna tot non luceret virtutibus iam nobiliter fœcundata, antiquum probrum in memoriam non adduxisset, nec se infelicem olim referret. *Viuit anima tua Domine: ergo sum illa mulier, qua steti coram te hic orans Dominum.* In memoriam reuocat iam fœcundata sterilitatem antiquam, & dum non molitur celare, ingenti humilitate agnoscitur splendere: quando de more est ingenti fortuna vtentibus antiqui status extinguere memoriam, & sepelire notitiam. Innuit Abulensis *quæst.* 29. *Loquitur Anna ad Heli, indicans ei votum suum, & id quod loquuta fuerat ad ipsum; nam quando steterat primò Anna in Silo coram Heli, dixit ei, quòd erat mulier nimis infelix.* Quæ infelix quondam, iam prospera, & felicissima: agnosci non fugit, & dum non fugit notitiam, eximiè commendauit prudentiam.

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. XXVII. & XXVIII. Pro puero isto orabi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum. Idcirco & ego commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adorauerunt ibi Dominum, & orauit Anna.

§. CV.

Qui filios Deo dicat, sibi quodammodo aeternat.

QVod commodatur, ad accipientis traditur vsum; pertinet tamen ad commodantis dominium. Ergo prudentissima Anna, dum filium templo tradit, commodatum asseruit. *Commodaui eum Domino.* Nouerat namque tunc filium ad honorem suum speciali iure pertinere, cùm constabat Dominicis conspectibus consecrari. *Commodauit* (inquit Abulensis *quæst. citata*) *id est, dedit illum ad vsum Deo.* Tunc suum securiùs deprædicauit, cum filium obtulit, & sacris ritibus consecrauit. O quàm falluntur parentes, si se amittere filios putant, cùm religiosis cœtibus consecrant.

§. CVI.

Se se demittit humilior, quisquis virtutum fructibus inuenitur vberior.

QVisquis supernis dotibus deprædicatur vberior, & inuenitur humilior. Ramus, dum nullis fructibus ditatur, in altum fertur elatior, saporatis onustus inclinatur humilior. *Lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis thoros alia superbia deculcat* (aiebat Tertullianus *in Apolog. cap. 46.*) *Christianus nec in pauperem superbit.* Philosophus virtutis specie enutriebat tumorem; Christianus, quia solidis ornatur virtutibus, profitetur humilitatem, & demissiorem profitetur humilitatem, dum altiorem corde possidet perfectionem. Petrus, dum scapha vacua Dominum recipit, ad eius vestigia non procumbit: iam plena donis cælestibus naui, ad genua procidit, & se peccatorem confiteri non timet: *Procidit ad genua Iesu*, dicens: *Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Luc. 5. vers. 8.* Quod ingeniosè expendens Ambrosius, aiebat ad hunc locum: *Quo plus emeruerat, hoc præsumebat minus.* Idem Annæ contigisse reperies; fructu viduata orauit; filio verò, & quidem Prophera iam fœcunda se humilius dejecit: *Orauit Anna*; Hebræus legit: *Et incuruauit se ibi Domino.* Quod si inquiras, cur filium petendo non se incuruauerit, quæ se accepto filio dimissius inclinat, & humilius orat? Respondeo, modo se se amplius dimisisse, dignis exundans iam fructibus. Nam quisquis vberiori fructu lucet, dimissiori etiam humilitate resplendet. Innuit Caietanus. *Incuruauit se ibi Domino.* Ibi, id est, vbi filium accepit, & fœcunditate miranda luxit.

§. CVII.

Mirum si officiosus adeò votum sit assecutus, at extiterat candidatus.

OFficiositas cum ambitu nata, & cum ambitu ferè extincta. Quisquis candidatus limina antelucanus terit, turbæ se clientum commiscet; vt sibi conciliauerit gratiam, ad adorationis confugit patrocinium, adulationis obsequium. Disertè Tertul. *lib. de Pœnit. c. 11. Illos, qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis, nec incommodis tantum, verùm & contumeliis omnibus emiti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum maioris cuiusque personæ decrescentes.* Se breuiant, imò vel seruilis indecore se humiliant; verùm iam voti compotes officiositatem, aut obliuioni tradunt ingrati, aut imminuunt tumidi. Rarus est, qui iam assequutus, eisdem officiis honoret, ac candidatus. Ergo vt Annæ gratitudinem deprædicet Sacer Textus, eodem loco, quo orauerat anxia, oranti retulit assequutæ. *Adorauerunt ibi Dominum, & orauit Anna.* Quid mirum oret, quæ ibi antea orauerat? Quid post adorationis obsequium opus fuit referre repetitum orationis officium? Quia ibi (inquit Caietanus) dimissiori corporis habitu, quam orauerat candidata, orauit Samuelem iam assecuta. *Pro puero isto orabi* (aiebat) *& dedit mihi Dominus petitionem meam.* Filium adepta non solùm orationem repetiuit, sed demissius & ardentius orauit: *Et orauit Anna.* Ergo Scriptura notauit, quia miraculi adinstar est, se officiosiorem exhibuisse, dum constat iam impetrasse. *Incuruauit se ibi Domino*, legit Caietanus. Ibi se incuruauit filium adepta, vbi, vt impetraret, orauerat non curuata. Ego notatu fuit dignum, quia post votum officiositas, aut perit, aut languet.

CAPVT II.

1. EXVLTAVIT cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo. 2. Non est sanctus, vt est Dominus: neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. 3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes. 4. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. 5. Repleti prius, pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios infirmata est. 6. Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. 7. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat. 8. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. 9. Pedes Sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir. 10. Dominum formidabunt aduersarij eius: & super ipsos in cœlis tonabit: Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu

MAXERA Lib. I. Regum. C. IV. 15

Christi sui. 11. *Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.* 12. *Porrò filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum.* 13. *Neque officium Sacerdotum ad populum: sed quicunque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua.* 14. *Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut ollam, siue in cacabum: & omne, quod leuauat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi; sic faciebant vniuerso Israëli venientium in Silo.* 15. *Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam Sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.* 16. *Dicebátque illi immolans: incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantuncunque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.* 17. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* 18. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo.* 19. *Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, vt immolaret hostiam solemnem.* 20. *Et benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius, dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum.* 21. *Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias, & magnificatus est puer Samuël apud Dominum.* 22. *Heli autem erat senex valdè, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israëli; & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* 23. *Et dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo?* 24. *Nolite filij mei, non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.* 25. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* 26. *Puer autem Samuël proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus.* 27. *Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cùm essent in Ægypto in domo Pharaonis?* 28. *Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in Sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me; & dedi domui patris sui omnia de sacrificiis filiorum Israël.* 29. *Quare calce abiecisti victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos, quàm me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei?* 30. *Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 31. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.* 32. *Et videbis æmulum tuum in templo, in vniuersis prosperis Israël: & non erit senex in domo tua omnibus diebus.* 33. *Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit.* 34. *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo.* 35. *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* 36. *Futurum est autem, vt quicunque remanserit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicátque: Dimitte me, obsecro, ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedam bucellam panis.*

TEXTVS.

VERS. II. Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.

§. I.

Non semel ob filios in matres redundant charismata, & cumulantur cælestia dona.

ANNA non solùm gaudet accepto filio fœcunda, sed Prophetam enixa, prophetali spiritu exultat nobilitata, & iam hoc Cantico incipit futura prædicere, vt constat ob filium charismatibus eminere: *exultauit cor meum in Domino.* Notauit Procopius: *Prophetiam hymno admiscet, propterea gratia quoque filio collatæ particeps facta est; nam cùm Prophetam in vtero gestaret, post partum & ipsa prophetauit; sicut etiam Elisabeth Ioannis filij, & Maria Christi seruatoris gratiam participauit.* Ob Prophetam genitum spiritu prophetico resplenduit, & floruit. Et quod à diuinitate meretur, de felici prole colligitur. Aptè Cassiodorus 9. *variar.* 23. *Rerum causæ semper in semine sunt. Fructus editus prodit auctorem, & quidquid à diuinitate meretur, de felici prole colligitur.* In semine fuit prophetiæ maternæ causa, & quia Prophetam genuit, mater etiam prophetauit.

§. II.

Actione debet impleri, quod nomine constat promitti.

VAcuum nomen non nobilitat, sed infamat, indecora nota est actionibus non impleri, quod nomine constabat promitti. Nomen actionibus nobilitatum conciliat reuerentiam, quia nullam patitur subesse fallaciam. *Nominis sui grauitate perfunctus* (aiebat Cassiodorus 6. *var.* 6.) *ornat actionibus principatum.* Ecce Anna, quæ gratiam sonat, exultat in Domino, quando edito fructu nomen adimpleuit, & fidem nominis liberauit. *Exultauit cor meum in Domino.* Notauit Rupertus: *Quæ canit hæc, & prophetissa est, & eadem, quæ fœcunda facta est gratia, quam & proprio nomine significat. Anna quippe interpretatur gratia.* Erubescebat nomen fructum promittens, & fructus sterilitatem patiens: iam verò exultat, quia nomen ornat, & fidem liberat. Discant, qui nominibus promittunt solicitam curam, indecoram depellere inertiam; nec enim obscuram notam possunt effugere, qui probantur factis nominibus contraire.

§. III.

§. III.

Cor solùm implet gaudium è virtute procreatum, non à delicijs vanissimis ortum.

RIdenti fortuna diuiriarum exundantia, aut aliarum rerum copia credimus gaudium enutriri, & floreteː fallimur tamen, & nobis ipsis imponimus: obæratum est, immo fallax gaudium, quod non nascitur ex virtutum conscientia. Quæ vulgus existimat gaudia, foris nitent, sed mentito nomine fallunt. *Vulgò sic loquimur* (aiebat Seneca epist. 59.) *vt dicamus magnum gaudium nos ex illius consulatu, aut ex nuptijs, aut ex partu vxoris percepisse: quæ adeò non sunt gaudia, vt sæpè initia futuræ tristitiæ sint. Gaudio autem iunctum est non desinere, nec in contraria verti.* Quæ caducis nituntur, non habent stabile fundamentum, infirma, ac debili arena insidunt, & ad flatum venti acrius adspirantis facilè corruunt. Qui in Domino gaudet, non nutat, nec ad vultus fortunæ trepidat. Ecce Anna iam fœcunda solùm in Domino exultat: *Exultauit cor meum in Domino*, & cur non in filio, quia nouerat, verum gaudium, ac solidum à virtute solùm procreari, & ex labentibus non oriri. Notauit Interlinearis: *Non in laude hominum, non in vanitate.* Ad modicum exhilarat vanitas, ad modicum dignitas, corda tamen non implent, imò aliquando distorquent.

§. IV.

Beneficium à Deo collatum ad vlteriora promerenda sit incentivum

QVi à Deo beneficium accepit, ad maiora accipienda resumat animum, nec ignauè sopiuerit desiderium: pusilli animi est angustis vota sua concludere nec dignioribus inhiare; vt auaris quidquid adieceris, non est finis cupiditatis, sed gradus; sic virtutis studiosis cum ipsis virtutibus virtutum crescit desiderium, & cum bonis vlteriora merendi votum. Acceperat Anna filium, & quidem Prophetam, nec tamen vnico, etsi nobili fructu contenta est, sed confidentiam erexit, & plura à Domino consequi studuit: *Exaltatum est cornu meum in Domino.* Accipe Liram: *Cornu in Sacra Scriptura accipitur pro motu cordis tendentis in aliquid arduum etsi careat regula rationis, & legis diuinæ, dicitur cornu superbiæ: si autem dictis regulis mensuretur, dicitur cornu magnanimitatis, vel magnificentiæ, quod est quando animus ex beneficio à Deo collato in præsenti per spem tendit ad maius beneficium ex Dei liberalitate consequendum. Sic autem mouebatur Anna in augmentum gratiæ consequendum à Deo.* Contenta non est accepto vnico filio depulisse sterilitatis probrum, sed ardenter virtutum, ac filiorum desiderauit augmentum.

§. V.

Patientia vberes fructus adfert, & stabile gaudium gignit.

ANxietas, dolorque æquanimiter, ac patienter lati vberem gaudiorum messem solent afferre. Vt enim campus vomere disponitur, vt maturis, ac copiosis fructibus ditetur, sic animus exultus patientia exultat virtutum copia. *Recordor bonam fidei valetudinem* (aiebat Tertullianus de Patientia *capit.* 1.) *& dominicæ disciplinæ sanitatem non facilè cuiquam, nisi patientia adsideat, prouenire.* Vt peritia medici infirmitas abigitur, & salus recuperatur, sic patientiæ tolerantia aspera defatigatur fortuna, & animi depellitur ægrimonia. Anna, quæ ante probra patienter tulit, & sterilitatis notam toleranter sustinuit, iam solido gaudio repletur, & pro antiqua depressione exaltatur: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum.* Adest Euthymius: *Quasi dicat: Cor meum, quod ob sterilitatis dolores laxatum, & molle effectum fuerat, nunc confirmatum est, consolidatumque, & corroboratum à Domino.* Tristitia gaudio commutata est, & quæ sterilis dolebat, ipso dolore patienter sustentato dolorem depulit, & fœcunditatis gaudium procreauit.

§. VI.

Acceptæ dotes Domini liberalitati tribuendæ, non proprijs viribus applicandæ.

ACcepit Anna sobolem, sed naturæ non tribuit, immo à Domino accepisse beneficium agnouit: *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Non gloriatur accepto filio tumida, sed à Deo accepisse publicat gratat; cùm sint plures de acceptis beneficijs tumentes, & imprudenter sibi applicantes. Ita Hugo: *Exultauit cor meum pro sobole susceptâ, in Domino, non in meis meritis attribuens, vt superbi; non in laude hominum, vt vani; non in vanitate sæculi, vt auari; sed in Domino, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum.* Anna non ascribebat naturæ viribus filium, non volaticum fœcunditatis sitiebat plausum, sed grata confessione, & humili gratitudine acceptum ornabat donum.

§. VII.

Iusti ab opportuna vindictæ occasione abstinent, & se intra virtutis limites continent.

ANna ab æmula nimis afflicta tacuit, accepto iam filio humilis floruit, nec Phenennæ vicem reddidit: *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Gauisa est in Domino, non de Phenennæ supplicio, cum iam Phenenna amissis filiis ingemisceret orba & doleret afflicta. Ita Abulensis *quæst.* 1. *Non est intelligendum, quòd Anna, suscepto filio, quasi habita victoria insultauerit contra Phenennam, quia hoc non erat virtuosæ Annæ, cui Deus largitus fuerat tantum beneficium, vt vindictam sumeret.* Non ostentauit filium miraculosè acceptum, non verba aspera in Phenennam retorsit, sed à vindicta, ac superbia prorsus abstinuit.

§. VIII.

Eximia est virtus posse vindictam sumere, & abstinere.

POterat Anna vindictam de Phenenna sumere, quando filijs orbata mulctabatur à Deo. Obiecerat olim Annæ Phenenna vuluam eius à Deo conclusam: vicem reddendi erat occasio, quandoquidem Phenenna lugebat filijs viduata; Anna verò ab omni vindictæ specie abstinuit, nec dolorem æmulæ addidit: *Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.* Huius sententiæ sensus est, os meum dilatari poterat super inimicos meos, verùm lætata in salutari Dei abstinui, & ora laudabili taciturnitate signaui. Ita Abulensis *quæst.* 1. *Dicit os suum dilatatum, quia posset ipsa dilatare iam illud, loquens multa contra Phenennam, data sibi opportunitate, sed nihil horum fecit.* Filij Phenennæ tollebantur cœlesti multa: Anna verò Phennenæ non obiiciebat, cum posset illud ob eius culpam infligi supplicium, nec vanum vindictæ quærebat gaudium.

§. IX.

Qui honestum assecutus est desiderium, impendere tenetur decorum laudis tributum.

INgratorum ferè infinitus est numerus; alij obliuioni tradunt beneficium; alij affectant indecorum silentium; alij quod pendunt gratitudinis debitum modo denegauere tributum. Anna verò dilatato ore beneficium confessa est, & gratitudinis obsequio largitorem promeruit:

meruit: *Dilatatum est os meum.* Ad quid dilatatum? Ad proferendas certè Dei laudes, ad pendendum nobile gratitudinis obsequium ad confitendum acceptum donum. *Postquam Anna descripsit bonum suum* (inquit Abulensis *quæst.* 1.) *& gaudium sibi collatum, conuertitur ad describendum laudes quasdam Dei, nam pro susceptis bonis à Deo tenemur rependere, quod possibile nobis est.* Lato ore diuina protulit elogia, non effugit testes, non submissa voce reddidit grates.

TEXTVS.

Vers. II. Non est Sanctus, vt est Dominus, nec enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.

§. X.

Vera sanctitas se aliis communicat, & sui participes habere anhelat.

SVperbi, turgidique singularitatem affectant, & supra cæteros eminere adlaborant. Lucifer solus sedere voluit, quia superbus, sed corruit superbiæ tempestate depulsus. At Deus sanctitatis norma alijs sanctitatem inspirat, & sibi assimilare adlaborat: *Non est Sanctus, vt est Dominus?* Et quare? Quia alij non solùm à sanctitate possunt excidere, sed quia eam non possunt communicare. Ast Deus ita lucet, vt alijs claritatem impertiat; ita est felix, vt felices alios efficiat. Notauit Hugo: *Nota, quòd non dicit: Non est sanctus nisi Dominus, sed dicit: Non est Sanctus, vt est Dominus.* Singulari lucet sanctitate, non tamen respuit sanctitatis participes, immò curat illam communicando habere felicitatis consortes. Itaque edocuit, similes tumidè non refugere, sed communicatis dotibus antecedere.

§. XI.

Vel ipsa peccandi contingentia est quodam modo obscura nota.

REsplendent oculis nostris floridis luminibus astra, diuinis tamen aspectibus, teste Iobo, inueniuntur non munda, quia licèt lapsus vitarint ruinam, euasisse nequiuerant contingentiam. Ergo posse cadere, vel stantibus aliquam attulit notam, & claritati prætendit vmbram. Huius veritatis non inscia Anna aiebat: *Non est Sanctus, vt est Dominus.* Et iure, quia cæteris potuit deesse, aut iam possessam sanctitatem potuerunt amittere; Deus verò nec carere potuit, nec excidere. Notauit Abulensis *quæst.* 1. *Nemo est omninò incontaminatus scilicèt actu, & potentia nisi Deus, quia licèt aliquæ creaturæ fuerint immunes ab omni contagione sinè Angelicæ, sinè humanæ, potuerunt contaminari, nisi præseruarentur à Deo.* Adeò abomininabilis culpa est, vt vel eius obscurauerit contingentia, & innubilauerit vmbra.

TEXTVS.

Vers. III. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.

§. XII.

Vaniloqui afferunt secum peccatum, & generant audientibus tædium.

VAniloquus, tumidusque dum quærit gloriolã, inuenit fere semper in gratiam. Ergo Anna, vt pro iniurijs redderet beneficium, admonet Phenennam abstinere à vaniloquijs, & à verbis alios exasperantibus, & repungentibus; nam turgentia exasperat, superbia irritat, loquacitas nimia molestat: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes*; quasi dicat: vana gloria audientibus ingenerat tædium & affert secum peccatum. Ita Interlinearis: *Nolite multiplicare vaniloquia, vel turpiloquia.* Adnectit Lira: *Anna invehitur contra ingratam superbiã, qua Phenenna de prole sibi à Deo data superbiebat, de quo tamen deberet esse humilior, & Deo gratior, & hoc est, quod dicitur: Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, id est superba, & aliorum contemptiua, qualia erant verba Phenennæ contra Annam.* Phenenna iactabunda gloriabatur, sed dum despiciebat Annam, procreabat sibi miseriam. Et expende, non vetuisse sublimia loqui, sed fastu, & animi elatione proferre.

§. XIII.

Suspicionem ingenerant leuia verba & fœminæ conspurcant labia.

NIhil ab ore honestæ fœminæ longius abesse debet, quàm verba puritatis nitore non splendentia, sed leuitatis indicia. Dedecet honestam fœminam sermo leuitatem spirans, & modestiæ splendorem obtenebrans. Ergo Anna Phenennam monet ab omni specie vanitatis abstinere, & verba leuia abiurare. *Recedant vetera de ore vestro.* Ad quæ Lira. *Id est, mala verba iam quasi ex longa consuetudine inueterata.* Et Glossa Interlinearis: *Vaniloquia, vel turpiloquia.* Itaque Anna vtili consilio iniuriam compensauit, & à verbis leuibus abstinere prudenter admonuit.

§. XIV.

Parum interest externis officiis colere, si constet praua intentione ferire.

POlitici ad speciem sunt officiosi, vrbanis ceremoniis affectant colere, quem animitus desiderant deturbare. *Licet Serapidi iam Romano* (aiebat Septimius in Apologetico *cap.* 6.) *aras vestruxeritis; Baccho iam Italico furias vestras immolaueritis, suo loco ostendam proindè despici, & neglegi, & destrui à vobis aduersus maiorum auctoritatem.* Manus offerebat thura in adorationis testimonium, cùm liuor, & odium anhelabat exaugurare, & sagaci industria solicitabat destruere. Exterior demissio ostentabat reuerentiam, sed fouebant præcordia inuidiam. Annæ Samuelem iam enixæ vrbana congratulabatur Phenenna, sed internè discruciabatur inuidia: Ergo Anna docuit mentitis ceremonijs eius gratiam non posse mercari, quem animus peruersa quis intentione molitur destruere: *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* Quasi dicat: Parum interest exterior cultus, si aduersetur interior animus. Adest Glossa Moralis: *Recedant vetera, id est, cæremoniæ.* Antiqua politicis, & aulicis consuetudo est, cæremonijs mentiri affectum, cum præcordijs mutriuerint odium.

TEXTVS.

Vers. IV. V. VI. & VII. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore, &c.

§. XV.

Aliquorum labia sagittarum ad instar vulnerant, & dum alijs inferunt vulnera, sibi imprudenter solicitant detrimenta.

PLures asperis verbis alios feriunt, & dum fatigant patientiam, exoculatam inflammant iram: alij imprudenter

prudenter iocantur, vt euanidum lucrentur sibi plausum, pungentibus adstantium salibus mouent risum, debuissent tamen vtrique attendere non semel tumidis verbis, & facetiis etiam inimicos conciliari, & alionum risum in dicacis luctum conuerti. Phenenna asperrimas & vrentia verba eiaculabatur in Annam sterilitate afflictam; filij matris exemplum sequuti pungentium emittebant irrisionum sagittas; verùm labra, quæ arcus adiustar feriebant, mœrore tabuerunt, & contra se, quæ emiserant tela, imprudenter conflarunt: *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.* Nomine arcus signari labia inuidentia liuida, & tumiditate turgentia testatur Lira: *Arcum fortium* (inquit) *vocat linguam Phenennæ, & puerorum eius, ex qua procedebant verba pungitiua quasi sagittæ.* Dum conabantur Annam ferire, sibi solicitauere pericula, incrementaueréque detrimenta, & parvulorum sagittæ, ipsorum factæ sunt plagæ; vt alieno damno discas linguam frænare, & alios nec asperis, nec iocosis ferire.

§. XVI.

Facilè fortuna vertitur, & in contrarium mutatur.

VT maris serenitas infida est, vtque nauis, quæ blandè aspirantibus auris vndis equitans ferebatur, subito aquilone reflante mergitur, sic prosperitas in calamitatem momento vertitur, & mutatur. Fortuna hoc malum habet, quod inflat, & cæcat: non curant felices amicos sibi parare, quia non credunt posse ad sortem miseram deuenire: non cogitant serenitatem inopinis posse turbari procellis, & candentem splendorem conglobatis extingui nubilis. Annæ tunc sterili insultabat Phenenna filiorum copia ditissima, sed citò sors in contrarium versa est, & luxit alia filiis orbata, & alia exultauit fœcunda: *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.* Horum verborum penitiorem hunc esse sensum testatur Abulensis *quæst. 1. Arcus fortium superatus est, id est, fœcunditas Phenennæ fuit deuicta, cùm conceperit Anna.* Sterilis olim filiis exundauit, & quæ exundabat, omnibus viduata ingemuit: ita vices alternantur, sic fortunæ labiles rotæ inuertuntur. Hieronymus Ægyptiis Hebræos despicientibus verba Annæ accommodat. Affligebant Israëlitas nullatenus veriti eorum posse in contrarium transire fortunam; verum imprudentiæ dederunt pœnas, nam perierunt volatica potentia innixi, confusis vorticum voluminibus mersi, & constricti olim vinculis euolarunt triumphorum ditissimis spoliis onusti. *Arcus Ægyptiorum, id est, fortitudo, & potentia superata est, & infirmi, scilicet Israëlitæ confortati sunt.* Vna hora diuites ingemuerunt nudi, & nudi resplenduerunt splendidi, vt discas caducis non fidere, & amicos prouidenter parare.

§. XVII.

Solida fortuna constat virtutibus, infirma est, quæ sæculi innititur splendoribus.

QVi stat, videat, ne cadat, immò in quo stet, prudenter examinet, sciátque potentiam fortuna innixam non posse consistere, & nisi virtutis fundetur anchora, vanitatis flatibus citò circumvolui, & iactari: *Arcus fortium superatus est* (inquit Anna) *& infirmi accincti sunt robore*, id est, qui aduersæ fortunæ ad Deum clamauerunt fluctibus iactati, appulere portum securi; ast potentia humana solùm innixi miserum subiere naufragium vndis absorti. Ita Abulensis *q. 32. Fortes vocantur hic, qui in se ipsis confidunt, & isti erant Phenenna, & filij eius, qui reputabant se gloriosos, & Annam esse miserrimam.* Anna humilitate, oratione, patientia fortunam sibi acquisiuit stabilem, Phenenna humana felicitate florens citò amissis filiis emarcuit, & luxit.

Eman. de Naxera in Reg.

§. XVIII.

Miserrimum est post amplam fortunam incidisse in aduersam.

CAlamitate assuetus ipsa consuetudine obducit callum, & faciliùs toruæ calamitatis sustinet vultum, atqui circumfluentibus assuefactus deliciis, premitur duriùs miseriis. Ergo Phenenna post filiorum copiam orba grauiori ingemuit dolore adusta. *Saturati priùs pro panibus se locauerunt*, id est, Phenenna multis priùs filiis nobilitata, & fœcunda, posteà filiis decedentibus orbitate duriori est afflictata, & grauiori dolore icta, vt cui contigit panis frustum emendicare, cùm priùs soleret copiosis facultatibus refulgere. Adest Lira. *Loquitur metaphoricè, quia priùs satiati, si postea incurrunt famem, & defectum cibi, plus cruciantur; sic fuit de Phenenna, quæ fuit priùs liberis plena, & postea mortui sunt.* Ni filios habuisset, orbitatem minus doleret; verùm ipsa fœcunditas duriùs exacerbabat animum, & exaggerabat tormentum.

§. XIX.

Nullus vitiis desperet infectus; nec superbiat virtutibus floridus.

EA est diuina misericordia, vt vitiis fœdos & inferno proximos luce sua perfundat, & securum honestatis iter ingredi faciat; vt etiam ea est naturæ humanæ instabilitas, & prauitas, vt in vitiorum castra se recipiat, & virtutis signa deserat. Quod in Anna prorsus sterili, & in Phenenna fœcundissima adspicimus adumbratum: *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Dominus mortificat, & viuificat.* Anna vtpotè sterilis videbatur generosis fructibus nunquam ditanda; è contra ecpiosa exundans Phenenna, prole nunquam caritura. Verùm ne desperet virtute nudus, nec intumuerit virtutis luminibus exornatus, sterilis peperit plurimos auxiliante gratia, & quæ fœcunda, infirmata est, solicitante superbia. Ita Hieronymus: *Iudæi dicunt, quòd nato Samuële, mortuus est primogenitus filius Phenennæ, & singulis Annæ nascentibus filiis, singuli Phenennæ sunt mortui.* Consonat Glossa Moralis: *Gentilitas, quæ sterilis erat in bonis operibus, ad prædicationem Apostolorum valdè fructificauit, Iudæa per infidelitatem est infirmata.* Gentilis idololatria infectus peruenit ad veniam, Hebræus virtutibus floridus miseram est perpessus ruinam. Vt discamus, nec ob admissas culpas desperandum, nec ob virtutes exultissimas superbiendum.

§. XX.

Humilitas, aut propulsat damnum, aut affert secum remedium.

QVi ob superbiam in periculum incidit, ad humilitatis recurrat myrothecium, inueniet namque discriminis medelam, & efficacem contra imminens periculum medicinam. Dum Phenenna de fœcunda prole tumet superba, tristatur etiam orbata. *Quæ multos habebat filios, infirmata est.* Non est prorsus fœcunditas extincta, sed infirmata. Quòd si quæras, quo fuerit vsa medicamine ad infirmitatem depellendam; & salutem instaurandam, respondebit Lira, confugisse ad humilitatem, qua & effugit periculum, & consequuta est remedium. *Quando vidit, quòd Anna quintum conceperat, & appropinquabat partui, timuit de morte duorum liberorum, qui sibi remanserunt: propter quod humiliauit se coram Anna, & instanter petiit, vt oraret pro vita puerorum sibi remanentium, quod & factum est.* Agnouit prudenter vtiliorem esse pœnitentiam, quàm pertinaciam, & quod incurrebat superbè tumida, periculum depulit veraciter humiliata.

§. XXI.

Ob iustorum orationes salus acquiritur, & mortis periculum propulsatur.

DEi amici plurimum apud eum possunt, & quod obnixè rogant, feliciter impetrant : qui in periculo constituti, si ad eorum orationem recurrant, non solùm salutem recuperant, sed vitam etiam protelant. Phenenna filiorum ob mortem tristis : *Quæ multos habebat filios, infirmata est*, prudenter ad Annæ orationes se contulit, & vtiliter quidem ; nam earum patrocinio salutem filiis obtinuit, & periculum effugauit. Ita Lira. *Humiliauit se coram Anna, & instanter petiit, vt oraret pro vita puerorum sibi remanentium, quod & factum est.* Annæ oratio fuit pro medicamine, iamque morti proximi vegeta fruuntur salute.

§. XXII.

De aliena calamitate lætari, est propriæ felicitati inuidere.

HVmanum est ridenti fortuna gaudere, immò & inflari : verùm de alienis calamitatibus lætari est periculosum, & inhumanum, quod non attulisset tumens propria felicitate superbia ; conflat periculum hæc detestanda lætitia. Phenenna filios amisit : *Quæ multos habebat filios, infirmata est.* Quòd si infirmitatis inquiras causam, respondebit Hugo, Phenennam de Annæ dolore, & calamitate gauisam fuisse. *Mali* (inquit) *non tantum de successu suo, sed & de malo proximi gaudent.* Gaudium aliena calamitate innutritum ingens Phenennæ attulit detrimentum, & quæ licèt de eorum numerositate intumuerit superba, filios non amisit, dum de aliena infelicitate gaudet, deperdit : *Infirmata est.*

§. XXIII.

Iusti pro æmulis consuecuerunt orare, & iniurias beneficia rependere.

VT pessimi, ingratique pro beneficiis rependunt iniurias ; ita iusti pro iniuriis rependunt gratias. Ecce Anna ab æmula afflicta, & irrisoriis verbis durissimè diuexata, vt Phenennam vidit filiis orbari : *Quæ multos habebat filios, infirmata est*, orationibus obuiauit periculo, & restitit detrimento. Infirmata est, non extincta Phenennæ felicitas ; quia expulsa est oratione, quæ imminebat, aduersitas. Ita Lira : *Humiliauit se coram Anna, & instanter petiit, vt oraret pro vita puerorum sibi remanentium, quod & factum est.* Non repulit toruo vultu æmulam, non despexit angustiam, immò fusis ad Deum precibus procurauit medelam. Sic enim iusti iniurias compensant, & laudabiliter vindicant.

§. XXIV.

Quem à periculo eripuisti, adscribitur tibi ad gloriam, & perseuerat ad famam.

QVi suis orationibus periculo occurrit, & pereuntem liberauit, sibi ad gloriam acquisiuit. Vbi noster Textus de Anna differens ait : *Peperit plurimos*, Hebræus legit : *Peperit septem.* Cúmque constet septem non peperisse, dicunt Hebræi ipsi fuisse adscriptos Phenennæ duos filios, quos suis orationibus à periculo liberauit, & morti exemit. Ita Lira : *Illi duo pueri, licèt essent ipsius Phenennæ, tamen de catero vocati sunt pueri Annæ, eo quod eius orationibus erat eis vita concessa.* Proprios fecit, quos à periculo liberauit, & iure exinceps non tam dicendi erant filij genitricis Phenennæ, quàm conseruatricis Annæ.

TEXTVS.

VERS. VIII. Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

§. XXV.

Iusti apud sæculum despecti, solium gloriæ tenent in ipso abiectionis puluere stabiliti.

QVia omnes morimur, huius sæculi diuites cæco delirio, & ambitiosissimo fastu existimant æternitatem sibi conquirere, si insanis mausolæis, & superbis pyramidibus resplenduerint sepulti. Itaque mausolæorum pretio memoriam sibi æternare procurant superbi, sed non assequuntur vota obliuioni traditi. Humiles, & pauperrimi teguntur stercore, verùm eorum memoria ipso despicabili viget puluere. Censebantur perire, sed congruo tempore ad æternitatem inuenti sunt reflorere. *Suscitat* (inquit Anna) *de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus*, id est, cum Dei principibus sedebit gloriosus, quantumvis hic iacuerit & sordidus, & despectus. Ita Glossa Moralis : *Suscitans de puluere egenum in futura resurrectione, vt sedeat cum principibus in throno gloriæ.* Itaque è puluere iustus suscitatur ad thronum, & è pretiosis ac elaboratis tota arte marmoribus iniustus educitur ad supplicium.

§. XXVI.

Gehennalem auspicatur pœnam, qui corde vipeream enutriuit inuidiam.

INuidia vetustum malum, mortis mater, præpilatum contra optimos telum. Viperæ ad instar corda nutrientis discerpit, sæuéque distorquet. Ob id Anna filiis fœcunda Phenennam illi inuidentem veluti ad inferni vestibulum descendisse, affirmat : *Deducit ad inferos.* Ad rem Hugo : *Metaphoricè loquitur, & est sensus : Dominus deducit Phenennam ad inferos, id est, ad summam afflictionem, id est, ad hoc, vt videret stragem filiorum suorum, & æmulam suam, quam prius despiciebat quasi sterilem, in filiis iocundari. Inuidia Siculi non inuenere tyranni maius tormentum.* Itaque Phenenna gehennali quodammodo adurebatur flamma, dum tetra discruciabatur inuidia.

§. XXVII.

Nullus de Deo iure queritur, si quæ sua sunt, pro libito dilargiatur.

VAriæ sunt hominum sortes non cæca fortuna adsignatæ, sed diuina prouidentia dispositæ : alius paupertate premitur, alius infirmitate vexatur ; floret alter diuitiarum copia, & dignitatum possidet culmina. Nullus tamen de Deo potest iustè conqueri, cùm vti omnium Dominus sua possit pro libito dilargiri. Nam si cuique licet alterum alteri præponere, & copiosiori beneficio nobilitare, quando nullo iure cogitur, sed sola voluntate libera ducitur. Cur Deus nulla lege obligatus, suáque sanctissima, & prudentissima voluntate directus non valeat alteri diuitias, non impertiri, alteri concedere ? *Dominus pauperem facit, & ditat* (inquit Anna) *humiliat, & subleuat : suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Subdit ratione, cur non solùm sit irreprehensibilis, sed laudabilis : *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem* : ac si dicat, salus, diuitiæ, dignitas, & quidquid inter fortunæ bona connumerantur, omnia sunt Numinis orbe sustentantis, & suffulcientis. Ergo liberù est ei, provt voluerit, distribuere, & variis

varia

varia adsignare. Ita Caietanus. *Ex eo quod ipsius Dei sunt omnes vires terræ, & super eas effecit habitabiles partes mundi (quas orbem Interpretes appellant) nullus potest conqueri; vtitur enim omnium Dominus iure suo, distribuendo vt vult.* Sub torrida zona natus gratias agat ob vitam, non causetur ob patriam; sentiat, qui inter Alpium niues genitus, beneficium, intemperiei non opponat incommodum, vtitur namque Deus iure suo, & benefacit nulla lege illigatus, sed provt libet generosus.

§. XXVIII.

Qui de acceptis à Numine beneficiis conflat contra miseros arma, sibi solicitat infortunia.

DEi beneficiis abusus sibi inuidet, quia largitori oneri est, & dum pro magnitudine donorum crescunt fomenta appetitum, inexhaustum liberalitatis fontem quodammodo restinguit, aut siccat: verùm deterior est, qui ad aliorum depressionem beneficia detorquet, & ad offendendas tenebras fulget. Phenenna, quia fœcunda, insultabat sterili, & ipsam filiorum copiam conuertebat in arcum, quo Annam vulneraret, & durissimè affligeret. Quid tunc? Confractus est arcus: *Arcus fortium superatus est*, ipsa fœcunditas est contra Phenennam retorta, dum de fœcunditate conflat contra sterilitatem arma. Ita Abulensis *quæst.* 1. *Arcus suus dicitur esse fœcunditas, per quam ipsa vulnerabat Annam, & est conueniens transumptio, quia arcus est genus armaturæ ad feriendum: sic enim fœcunditas erat Phenennæ occasio affligendi Annam.* De acceptis donis conflauit tela: ergo ipsis armis sibi intulit vulnera: vt nouerint solicitare sibi infortunia, qui de acceptis donis conflant contra Deum, & miseros tela.

§. XXIX.

Miserabilius est, quàm non possedisse, perdere.

DVius distorquet felicitas amissa, quàm diuexet non possessa: non possessa solùm inflammat desiderium, sed amissa absentia, & memoria distorquet animum. *Miserius est* (aiebat Tertullianus *de Pœnit. cap. 7.*) *perdidisse, quàm omnino non accepisse.* Consonat Sallustius *in Iugurth. Maius dedecus est parta amittere, quàm omnino non parauisse.* Non parata vexant absentia, amissa vrent gemina face, scilicet absentia, & memoria. Hinc Phenenna sterili miserabilior fuit, quandoquidem solùm effloruit fœcunda, vt dolentius gemeret filiis orbata. *Arcus fortium superatus est*, id est, fœcunditas orbitate est commutata, & Phenenna durius oppressa. Ita Abulensis *q.* 1. *Arcus suus dicitur esse fœcunditas.* Habuit, vt amitteret, & amisit vt lugeret, & tumoris pœnas daret.

TEXTVS.

VERS. IX. & X. Pedes sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir, &c.

§. XXX.

Grandius beneficium est aduersi casus non sentire detrimenta, quàm dignitatum tenere culmina.

PAssionum fumo obcæcati erramus, felicissimos putantes, quos magna seruorum copia circunstat, & dignitatum, diuitiarumque volatile gaudium oblectat, cùm tamen potiùs inuidendi sint, qui lapsu exempti, quàm euanidis luminibus fulgidi. Fatetur Anna, dum ait sanctorum Deum pedes seruasse, ne casus paterentur detrimenta, aut alicuius obicis offendicula. *Pedes sanctorum suorum seruabit*, ne gressus obliquent, ne offendiculis cadant. Hoc enim eximium est beneficium, non adeò augustum, euanidis luminibus splendescere, & commodis perituris citò exundare. Innuit Abulensis *q.* 4. *Deus seruabit pedes sanctorum suorum, id est, habebit de eis valdè magnam curam, ita etiam vt non permittat pedes eorum contingi, vel lædi aliqua aduersitate.* Itaque comparat Anna sanctos afflictos, sed à lapsibus liberatos, & impios fortitudine, ac prosperitate sua iactabundos, sed postea in tenebris silentio oppressos, & rubore suffusos, atque augustius, quantumvis premantur calamitatibus, beneficium accepisse, non lapsi, quàm apud sæculum felices, si cæcis tenebris sint tradendi.

§. XXXI.

Impensa aliis misericordia effugit lapsum, & imminens eludit periculum.

VIri misericordes sibi prouident, & dum alienas subleuant miserias, imminentes sibi euitauere ruinas. Non benefaciunt, vt maiora elucrentur, nam virtus se contenta est omnis auaritiæ expers. Verùm etsi misericordia sui ipsius merces sit, consequitur tamen ingentissimum lucrum, scilicet frustrari pericula, auertere detrimenta. Columbam audio foraminibus petræ tutam, dum aspertimus aquilo reflabat, & imber horridus ingruebat: *Columba mea in foraminibus petræ. Cant. 2. v. 14.* Transacta iam hyeme inuitatur, vt campis florulentis spatietur, & sapidissimis fructibus vescatur. *Iam hyems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, vers. 11.* Et cur tempestatem effugiat columba, & protecta, & asseruata? Quia columba tempestate afflictis oliuæ attulit ramum, tristitiæ solatium, anxietatis delinimentum: ergo eluit tempestatem, quæ tempestate afflictis subvenit. Consonat Anna, dum ait: Sanctorum pedes vitasse lapsum: *Pedes* (inquiens) *Sanctorum suorum seruabit.* In Hebræo habetur: *Pedes misericordium suorum custodiet.* Itaque misericordia specialem sibi acquirit prouidentiam, qua misericors suffultus, nec miserandum incurrat lapsum, nec expertus sit detrimentum. *Pedes misericordium suorum custodiet Deus* (inquit Caietanus) *siue per pedes intelligas affectus, siue extremam corporis partem, vt à fortiori custodiam reliqui corporis intelligamus.* Deus misericordes ea cura, ac prouidentia regit, vt nec labantur pede, nec interiore aliquo denigrentur errore; vt noueris, quanta sibi acquirat, qui exercet misericordiam, & subleuat aliorum miseriam.

§. XXXII.

Impositum silentium grande superbis supplicium.

SVperbi, tumidique semper sua iactant, séque non sine aliorum fastidio ostentant, & sibi (teste Plutarcho *de instituendis liberis*) calamitates conciliant: *Sexcentos ego fando accepi ob linguæ intemperantiam in grauissimas incidisse calamitates.* Verùm nulla arrogantibus, & dicacibus maior calamitas, quàm impositum silentium: *Impij in tenebris conticescent.* Parum erat pati tenebrarum volumina, nisi insolubili silentio premerentur & ora. Adest Hugo Cardinalis: *Id est, confusi tacebunt ... Conticescent, id est, ab arrogantia sua cessabunt.* Dum arrogans silentio premitur, & inflicta taciturnitatis pœna mulctatur, durissimè distorquetur.

§. XXXIII.

Acerbissimum est calamitatibus premi, nec querelis posse dolorem aliquomodo delinire.

VT exæstuans ignis viam anhelantibus quærit vaporibus, sic cordis dolor satagit aliquod delinimentum adurgentibus anxietatibus. Suspiria, lamenta, querula verba aliquale leuamen afferunt, quæ si intercludantur,

cludantur,corda disrumpunt.Hoc ergo tormentum impiis denuntiat Anna,dum ait passuros tenebras, quin eis concedatur dolorem lenire clamoribus,aut manifestare eiulatibus: *Impij in tenebris conticescent*,id est, cum horrendis,& nunquam luce illustrandis tenebris opprimantur,adhuc grauiori supplicio,taciturnitate scilicet, adurgentur.Est enim non ferenda calamitas,si dum vrit acerrima animum flamma, ne ardor spiret, claudantur ora. Accipe Hugonem Cardinalem: *Id est, confusi tacebunt, iniquitas oppilabit os suum*.Ipsa iniquitas, quæ fouet tormenta, oppilat ora,& cùm viscera sæuo dolore constet dilaniari, querelarum solatia non poterunt inuenire. Mari acri ventorum flatu repercusso tacere iubet Dominus: *Tace, obmutesce*, sed & ventum fecit cessare: *Cessauit ventus*, Marc.4.*vers*.39. quasi supra maris vires esset, si repetitis venti adsultibus instigaretur ora comprimere, & fremitus leuamen non quærere.Opportunè Seleuciensis Basilius *orat*.22. *Fugiebant venti, coercebantur undæ*. Irritatorem fecit cessare, cùm pelago iussit tacere; esset enim arduum ora taciturnitate signare, & procellis repetitis vrgeri.

§. XXXIV.

Sæpè fortitudine, ac felicitate sua vanè confisi, inopino turbine corruerunt deiecti.

SVnt, qui vana fiducia vltra aduersæ fortunæ limites se constituant, nec deijci posse credant. Nil humanum vices ignorat. Quis crederet idola sustitibus, & opimis victimis culta sub hasta venditanda, & tamen docuit experientia adoratam illam ad speciem diuinitatem conduci.Audi Tertullianum *in Apolog. cap*.13. *Si capitolium, si oliторium forum petitur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris diuinitas addicta conducitur*. Proh instabilis celsitudo! Minerua in trullam, & Saturnus transit in cacabulum. Non animaduertunt Deum cœlis præsidere, & posse quàm citissimè procellosis turbinibus deturbare: *Non in fortitudine sua roborabitur vir*. Quare? Quia in cœlis Numen tonat, & tempestatibus quassat: *Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cœlis tonabit*.Ita Rabbi Leui: *Sæpe fit,vt Princeps pontentissimus ab infirmiori superetur, quia non est fortitudo hominum, vt paretur victoria; sed quoniam iusti Deo curæ sunt,ideò vincunt*. Concinit Hugo: *Quasi dicat: Formidare debent eum aduersarij, quia super ipsos tonabit, sicut legitur Iosue* 10. Qui videbantur fortissimi, quàm citò ingemuerunt deiecti.

§. XXXV.

Diuinum iudicium præ cæteris calamitatibus est timendum.

EA homines aliquando amentia possidet, vt diuinas vires despiciant, & contra omnipotentem temere audeant. Ergo vt ab hac amentia eos Anna reuocet,iudicij extremi memoriam infert, quasi nec deliri queant non vereri, quod ad æternitatem constat spectare. *Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cœlis tonabit*. Et quomodo tonabit? Audi: *Dominus iudicabit fines terræ*. Fines terræ iudicans, & omnia ad æquitatis lancem examinans, ad acerrimum timorem cogit. Et quidem timere fas est horrisonis tonitruis armatum, & eluctantibus fulminum flammis munitum; ast quia hominum periculosa vecordia solet obsurdescere,adnectit, futurum iudicem,quasi nec vecordes,nec pertinaces possint non timere,quem non dubitant æqua trutina,& acutissima perspicacia hominum causas examinare. Opportunè Hugo Cardinalis: *Quasi dicat: Non solum formidandus est Dominus,quia tonabit, sed etiam quia iudicabit fines terræ*. Adeò horrendum iudicium est, vt quamvis despiceretur Deus tonans, timendus esset diiudicans.

§. XXXVI.

Ea est diuina misericordia, vt prius horrisono deterreat tonitruo, ne iudex supplicio condemnarit æterno.

MErentur impij inopina morte mulctari, & æternis pœnis addici; ea tamen est pientissimi Dei misericordia, vt ne inueniat, quos puniat, instare periculum præmissis signis admoneat. Filij hominis vox aquarum multarum imitabatur naturam, cùm ex eius ore gladius fulgurabat acutus. *Vox illius tanquam vox aquarum multarum... & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*. In aqua admonitionem designari testatur ad hunc locum Anselm.*Vox,id est,admonitio illius continet vim doctrinarum multarum*.Ne inuenerit,quem feriat gladius, præcedit aquarum sonitus: vndarum se adurgentium salubris strepitus admonet vel surdos, ne gladius inuenerit imparatos. Accinit Anna: *Dominum formidabunt aduersarij eius* (inquit) *& super ipsos in cœlis tonabit, Dominus iudicabit fines terræ*. Quasi dicat: quia in iudicio locus misericordiæ non est, super impios tonat, vt depulsis splendentis fulguris luce tenebris oculos aperiant, & ad salutarem se timorem recipiant. Ad rem Hugo: *Ita facit Dominus, ideò Dominum formidabunt*. Incutit formidinem tonitruo,ne immutabili premat decreto. O quàm vult perire, qui admonitus non curat iudicis indignationem vitare. Consonat Abulensis *q*.5. *In cœlis tonabit, id est, Deus emittet tonitrua de cœlo super illos ad terrendum eos*. Ne extremo iudicio premat,timorem incutit, & ad tuta confugere admonet.

§. XXXVII.

Plus homines suspiciunt potentia præditum, quàm virtutibus exornatum.

HOmines potentiæ splendorem suspiciunt, & dignitatibus resplendentem extollunt. Virtus frequenter parui habetur, & apud sæculum depretiatur. *Florentes amicorum turba circumsedit* (inquit Seneca *epist*. 9.) *circa euersos ingens solicitudo est: & inde amici fugiunt, vnde probantur*. Vultus demissionem,plausum, reuerentiam,& quidquid humano fastigio penditur, cogita negotiationem esse; si spes deficiat, cessabit cultus, quantumvis euersus virtutibus fulgeat decorus. Huius veritatis non ignara Anna de Christo loquens,prædicit summo imperio donandum,si possit ei reuerentiam conciliare,& inimicorum audaciam reprimere. *Dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui*. Quasi dicat: Si Christum omnium virtutum genere exornatum non colitis,sublimi dignitate exaltatum suspicite: moneat reuerentiam dignitatis splendor, si apud vos parui habetur virtutis fulgor. Adest Abulensis *quæst*.5. *Deus sublimabit cornu Christi sui, id est, faciet excellentiam Messiæ esse valdè magnam, quia præposuit eum omnibus gentibus,& populis*. Potentissimum Messiam prædicat, vt ad eius cultum, & reuerentiam adducat.

TEXTVS.

VERS. XI. Et abiit Elcana Ramatha in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.

§. XXXVIII.

Vel malo Prælato est reuerentia exhibenda, & obedientia in licitis est præstanda.

PRinceps, & quisquis præficitur, ornatus dignis moribus æstimatur; omnium vtilitatibus curam tenetur impendere, & quem à populis reuerentiæ tributum

constat

constat accipere, solicita vigilantia, & vigilanti solicitudine compensare. *Designato viro præstate consequenter obsequium* (aiebat Cassiodorus. 6. *variar.* 25.) *vt sicut vos non patimini emolumentorum commoda perdere, ita vos parendi debitatis priscam regulâ custodire* Honorabile inter subiectum, & superiorem commercium est; alter solicitam gerit curam, & alter dignam exhibet obsequelam. Et quamuis dignitatis insulis decoratus moribus agnoscatur obscurus, non est denegandum obsequium, dum æquitati non aduersetur mandatum. Samuel in conspectu Domini ministrat Heli obediens, & eius mandata reuerenter adimplens: *Puer erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.* Iam si quæras, quid Heli interpretetur, respondebit Glossa, à Deo extraneum designari. *Heli interpretatur extraneus, à Deo enim alienus est, qui subditos non corrigit.* Heli carebat virtutibus; verum Samuel non detrectabat obedire, quia cæteris agnouerat præsidere. Dignitati exhibebat expromptissimam obedientiam, obscuris moribus denigratam non respiciebat personam.

§. XXXIX.

Vel sub negligente superiore à ratione non deuiat benè moratus, sed studet virtutibus religiosus.

QValis sit quisque, licentia ostendit: qui arbitrio suo relictus, & otij oppotunitate persuasus honesto se labore exercuit, & vtili solicitudini inuigilauit, solidæ virtutis discipulum se ostendit: coactio quantum violentiæ addit, tantum honestatis demit. *Illo nomine te suspice* (inquit Seneca *epist.* 18) *quod facies non coactus.* Virtus sui ipsius lex est, eodem tenore sibi constat oculos passa, ac ab arbitris longè semota. Samuel templo addictus munus exactè adimplebat, quamvis superioris negligentia non cogeret ad officium, imo suaderet tacitè otium. *Erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.* Eli deuiantes subditos non corrigebat ignavus, ob id tamè Samuel non dormitabat otiosus, imò in conspectu Domini ministrabat solicitus. *Heli* (inquit Glossa) *interpretatur extraneus, à Deo enim alienus est, qui subditos non corrigit.* Poterat Samuel vti pernicioſa superioris ignauia, verùm ipsa delinquendi licentiâ magis enituit eius solicita vigilantia.

§. XL.

Non semel subditi attendunt minus Numinis vultum, quàm superioris conspectum.

VErus obediens Deus attendit: dum superioris mandatum implet. Sunt tamen, qui solicitiùs studeant superioris elucrari gratiam, quàm præfixam legis implere regulam: ab arbitris semota se ipsa virtus contenta est; non exambit, nec timet oculos; sic agit, vt conspici non erubescat: sic procedit, vt plaudi non cupiat. Samuel potiùs attendebat Numinis placitum, quam Heli præcipientis vultum: *Erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.* Dei reuerebatur oculos religiosè solicitus, non studebat Heli gratiam captare ipsa sedulitate ambitiosus: non erat negotiationis artificium officiositas, sed virtutis testimonium sedulitas. Innuit Hugo: *In cõspectu Domini sub Heli.* Obediebat Heli, non vt eius adquireret gratiam, sed vt præstaret diuinis iussionibus obedientiam.

§. XLI.

Obediens non deligit obsequium, sed expromptum, ac indifferens obediendi gerit studium.

SVnt, qui obediant, sed in his, quæ ipsis, & arridenti, & placent: amplecti detrectant aspera, sedulè obediunt, si iniungantur sibi iucunda: pro materiæ varietate inueniuntur tardi, aut exprompti; obedientiam sibi faciunt deseruire, etsi ad speciem videantur parere. Fucata obedientia non obsequitur, sed mentitur, Samuel obedientium norma non delegit sibi ministerium, sed prompto animo quodvis amplectebatur mãdatum: *Erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.* Notauit Abulensis *quæst.* 5. *Coram Heli, scilicèt, quod ministrabat ad omnia, quæ illi iubebat.* Non obtemperabat, cùm solùm iubebantur iucunda, sed obsequebatur, quamuis essent laboriosa; ad omnia paratum gerebat animum, & expromptum semper affectum.

TEXTVS.

VERS. XII. & XIII. Porrò filij Heli, filij Belial nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua.

§. XLII.

Si degenerent Deo dicati, fœdioribus criminibus inueniuntur infecti.

SI ad ornatum dignitatum certum est pertinere omnium virtutum laude conspicuos eligere, si de seruientium claritate crescit fama dominorum, qua lege tenetur, qui diuinis adspectibus mancipatur. *Moribus debet esse conspicuus* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 3.) *qui datur imitandus.* Imitandi proponuntur, qui Sacerdotalibus luminibus emicant decorati, qui sacris religiosorum cœtibus annumerantur adscripti. His conueniunt, quæ Theodericus persuadebat Senario: *Tuere hanc virtutum amabilem, præclaramque constantiam, nostræque domus auctoritate subnixus tantò studiosius gratiam quære, quantum te locum beneficijs respicis inuenisse. Tende itaque adhuc bonis actibus tuos ad potiora successus, sciens gratiam nostram in illo semper augeri qui se digniori adepto culmine desiderat inueniri.* Ad potiora debet aspirare, qui locum adaugendæ obsequijs gratiæ adinuenit; sed aliquando sic dignitatis splendore nonnulli obcæcantur, vt licentius omni vitiorum genere deprauentur, & quia semel heroicis actibus resplenduerunt, iam post sæculi fugam sæculum exambiunt studiosius, & à rectitudinis, religionisque regula exorbitare solent facilius: sæcularium excedunt longè malitiam, & supergrediuntur sæpissimè audaciam. Ecce filij Heli, quia Sacerdotio, téploque dicati, vt insanis appetitionibus adulentur, denigrati grauissimis criminibus inueniuntur, oculos despiciunt, munus in rapinam conuertunt, & nullis libidinibus parcunt. *Nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum, &c.* Ita erant Sacerdotes, vt officium nescirent, & auctoritate abusi procacius auderent. Adest Hugo: *Circa homines iniuriosi, & circa diuinitatem impij, nullique iniquitati parcebant.* Virtutis semel statuta transgressi, omni impietate, & scelere sordescebant denigrati.

§. XLIII.

Non semel ad munus eleuantur electi, qui muneris inueniuntur ignari.

TAles prouehere principem decet (aiebat Cassiodorus, 3. *variar.* 3.) *vt quoties procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta iudicia habuisse.* Iudicio suo plaudit, qui ad eligendum merita candidati perpendit; qui fauoris, aut cognationis titulos adspicit, cùm electũ intuetur, rubore sæpè perfunditur. O quoties fauor pro

merito est,& cum munia, dignitatesque debeantur virtute conspicuis,& scientiarum luminibus decoratis, tribuuntur indoctis, & muneris inexpertis.Ecce filij Heli munus Sacerdotale prorsus ignorantes: *Nescientes Dominum,neque officium Sacerdotum ad populum*: Solùm quia filij Heli dignitatis infulis lucēt exornati, & ad excelsa culmina electi.Ita Hugo:*Nescientes ignorantia,vel negligentia, vel contemptu.* Quamvis ignorantes, vel negligentes,ad dignitatem resplenduerunt assumpti, quia vti filij Heli de Sacerdotali sanguine procreati.Repetat Cassiodorus 8.*variar.*23. *Qui nobis sanguine coniungitur, plus meretur.*

§. XLIV.

Magnatum filij omnia sibi licere putant, & legis iugum ignorant.

QVi illustri sanguine procreati omni virtute florere debent conspicui, & cùm eximia parentum facinora extiterint celsitudinis,ac nobilitatis vena, dedecet discrepare, qui gloriantur prædicandis parentibus exoriri.Verùm quod ad cultos mores deberet esse fomentum, ad eorum corruptelam probatur esse incentiuū. Miraculi adinstar est, si nobilis legis patiatur iugum, si æquitatis non ignoret imperium;singulari elogio celebratur à Cassiodoro 8.variar.23. Bergantinus, quia nobilitatem moribus exornauit, nec ad licentiam detorsit. *Quem nec nobilitatis suæ inflat elatio,modestia humilis,prudentia semper æqualis. Quid à nobis mereatur,intendite,quia niam ad gloriam nostram trahimus, qui eum proximum confitemur.*Origini moribus splendorem addebat,vt de eius affinitate traheret gloriam, qui eandem sortiebatur naturam,verùm frequenter natalium splendor, est morum nubilum,& qui spectabili origine procreati, virtutibus inueniuntur aduersi. Ecce filij Heli Sacerdotis magni, vocantur Belial filij: *Filij Heli, filij Belial.* Belial interpretatur absque iugo, vt horum exemplo nos textus edoceat,magnatum filios ignorare iugum,nec pati frænum. Audi Interlinearem: *Filij Belial, absque iugo, absque Domino,*Quia nobili sanguine procreati dominium Numinis non agnoscebant: *Nescientes Dominum,*& legis præscripta procaciter temerabant: *Neque officium Sacerdotum.*O quot inueniuntur, qui nobilitate, &fortuna inflati legis exutiunt iugum,& rationis detrectauerunt imperium!

§. XLV.

Sunt,qui muneris ignorent onera, cùm non ignorent stipendia, nec lucra.

MVnera, officiavè annexos habent labores, sed prouentibus mollitos,& stipendijs remunerandos. Inuenies tamen aliquando ad munera elatos, qui ignorant muneris onera, cùm nouerint, quæ ad illos pertinent stipendia,Heli filij nesciebant Sacerdotum officium ad populum, non tamen ignorabant à populo deberi sibi stipendium.*Nescientes Dominum,neque officium Sacerdotum ad populum, sed quicumque immolasset victimam,veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes,& habebat fuscinulam tridentem in manu sua.* Studiosissimè solicitabant sibi stipendia, cum negligerent implere munera.Ita Rabbi Leui.*Curabant prius suam mensam, quàm altare Domini.*Nō parcebant prouentibus,sed laboribus.

§. XLVI

Nonnulli affectant ignorare,quod refugiunt exercere.

EA est humani cordis prauitas,vt studiosè fingat ignorantiam,vt ignorantiæ colore dissimularit malitiam. Plures fingunt se nescire, quod refugiunt exercere. Filij Heli Sacerdotnm officium affectabant ignorare, quia muneris leges detrectabant adimplere: *Nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum.*Quod erat mera malitia, prætendebatur cæca ignorantia.Officium Sacerdotum nesciebant, vt perficerent, vt dignis actionibus exornarent. Ita Abulensis quæst.5.*Non cognoscebant officium Sacerdotum, non quidem quod ignorarent,qualiter ministrare deberent, sed quia nolebant agere,vt lex iusserat.* Officij legem edocti,& de cæremonijs instructi non poterant cupiditati adulari, nec adeò liberè statuta lege, & consuetudine fulcita præuertere: ergo fingebant, legem se ignorare,quo valerent legem infringere.*Nolebant agere,vt lex iusserat.* O quot ad ignorantiæ,inscitiæque profugia se conferunt, & vmbratilem malitiæ suæ excusationem prætendunt! Quod hac,aut illa causa nolumus exercere, adfectamus sæpè nescire.

§. XLVII.

Non nulli Reipublicæ ministri studiosius curant sibi diuitias acquirere, quàm censum Principis adaugere.

DEcet quidem cunctos patriæ suæ augmenta cogitare (aiebat Theodoricus 4.varia.30.) *Sed eos maximè, quos Respublica sibi summis honoribus obligauit.Quia ratio rerum est,vt eum necesse sit plus debere,qui visus est maiora suscipere.*Ratio suadet, vt minister à Principe electus, quæ ad Principem pertinent, procurarit solicitus; verum non semel ratio euertitur,& Principis census, aut postponitur, aut contemnitur.Auctoritas à Principe deriuata contra Principem vertitur,& ministrorum cupiditatibus famulatur.Heli filij Sacerdotalibus infulis decorati solicitiùs debuissent adipes ad Domini partem spectantes altari offerre,quàm designatas sibi victimarum partes procurare: verùm ordinem à lege præscriptum inuertebant, & sibi priùs studebat acquirere, iuraque extendere: *Veniebat puer Sacerdotis,dum coquerentur carnes:* non veniebat,vt adipes Domino consecrandos acciperet,sed vt violenta sibi fuscinula raperet. Notauit Rabbi Leui.*Curabant prius suam mensam, quàm altare Domini.*Vti ministri à Domino honoribus aucti, & sacrificijs perficiendis electi tenebantur Domini prouentibus studere; curabant tamen solummodo sibi acquirere.

TEXTVS.

VERS. XIV. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam,siuè cacabum, & omne,quod leuabat fuscinula,tollebat Sacerdos sibi.Sic faciebant vniuerso Israeli venientium in Silò.

§. XLVIII.

Satiùs est sæpe grauari, quàm cum Reipublicæ ministris contendere.

RAtionum publicarum nonnulli ministri non immeritò possunt febri molestissimæ comparari: nam vt febris grauat,& debilitat,nisi sub celeritate discedat, sic ministri,nisi celeriter discedant,& debilitant,& grauant.*Prudens* (aiebat Cassiodorus 12.var.10.) *seipse compellit; minus cautus est, qui vrgetur ab altero.* A ministro vrgeri est detrimenta sibi multiplicare: ergo cautus,ne cōtenderit,tacet,& se ad tacendum compellit.Sacerdotis minister fuscinula armatus non solùm taxatam sacrificij partem deposcebat,sed, quancumque vellet,leuabat: *Omne,quod leuabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi.* Quæres,cur offerentes pro se legum non afferrent præscripta & sua tuerentur iura? Cur permittebant auctoritate

ritate ministrum abuti, & armatum auctoritate furari? Quia satiùs ducebant sibi esse tacere, & minori grauius detrimentum redimere. Minister allegaret violentam repulsam, illatam iniuriam, Sacerdotum auctoritatem despectam, & grauissima vrgeretur causa, qui legis, ac æquitatis tueretur præscripta. Ergo ne minus haberetur cautus, si cum ministro iudicis, ac Sacerdotis contenderet, malebat quid perdere, quàm factiosis querelis,& multiplicibus causis pulsari. Notauit Abulensis *quæst.* 8. *Offerentes quanquam scirent se grauari accipiendo ab eis talia iura, potiùs tamen volebant grauari, quam contendere cum Sacerdotibus.* Ni violentiæ cederent, variis, ac coloratis causis eos ministri circumuenirent. Ergo, vt sibi consulerent, euitabant litigia, ex quibus grauiora emergerent detrimenta.

§. XLIX.

Stipendia lege taxata ampliantur,& per fas, aut nefas à non debentibus extorquentur.

ALege iudici stipendium præscribitur, & militi annona taxatur: verum cupiditas gliscit, & auctoritas, aut ferocia legem contemnit. *Prædoni similis est* (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 12.) *qui sub iniqua cupit voluntate distrahere: vtroque enim constat velle aliena diripere, & considerationem iustitiæ non habere.* Quod prædo sinuosis montium latebris tentat, in medio populo iustitiæ aliquando minister non reformidat; ipse sibi stipendium præscribit, & velis, nolis, extorquet. Quid ex hostia pacifica Sacerdotibus proueniret, *Leuit.* 7. definiebat; verùm minister fuscinula armatus extendebat iura,& auferebat violentia: *Omne, quod leuabat fuscinula tollebat Sacerdos sibi.* Ara erat latrociniis pro Sylua, & vbi vigere debuisset florida, ibi lugebat lex constuprata. Audi Abulensem *quæst.* 7. *Habituri erant Sacerdotes de hostia pacifica partes quasdam, vt patet Leuitici 7. Pro his autem veniebat puer, licèt in hoc excederet, vt pater hic.* Honesto titulo veniebat, sed vt legem proculcaret, & auaritiæ exoculatæ indulgeret. Quàm otiosè lex præmium præscripsit, quando cupiditatis arbitrium sibi taxauit, & potestas violenter tulit!

§. L.

Ad iuris, & æquitatis tutelam designati, iura, & æquitatem aliquando subuertunt, auctoritate, & potentia abusi.

MIsera ingemiscit Respublica, si in aucupia conuersa sint tribunalia, si ipsum remedium in infirmitatis transeat auxilium, si miles ad prouinciæ tutelam armatus ferociat insatiabili cupidine adustus. *Ne quod ad leuamen inuentum esse constat* (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 12.) *detestabile potiùs grauamen infligat.* Detestabile grauamen infligit, qui pro legibus designatus legibus inuenitur aduersus. In obscuris syluarum recessibus furis grassatur audacia, non tamen præmiis audax remuneratur violentia: at si legum, æquitatisque patronum corruperit auaritia, non solùm sustinetur iniuria, sed procax remuneratur audacia. Iam Hebræorum Respublica propinquabat occasui, cùm pro Dei cultu designati, & pro iure dicendo electi & despiciebant aram, & proculcabant iustitiam. *Quidquid leuabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi.* Sancta statuta, laudabilitérque sancita transgressi omni impietate, & scelere fordescebant denigrati. Accipe Hugonem: *Circa homines iniuriosi, & circa diuinitatem impij nulli iniquitati parcebant.* Cultus emarcuit, iustitia ingemuit, & quod nequiret sustinere æquitas, & religio ab hostibus, sustinebat à Sacerdotij, & iustitiæ magistratibus.

§. LI.

Supellectilia sacris ministeriis adsignata, non semel ad profanos vsus violantur detorta.

QVæ sacris ministeriis deputantur, ab omni vsu profano debent resplendere immunia, & omni puritate decora. Religio læditur, si quid audaci temeritate polluitur. *Cùm Rex Alaricus vrbis Romanæ depræ-datione satiatus* (scribit Cassiodorus 12. *variar.* 20.) *Apostoli Petri vasa suis deferentibus excepisset, mox vt rei causam habita interrogatione cognouit, sacris liminibus deportari diripientium manibus imperauit: vt cupiditas, quæ depræ-dationis ambitu admiserat scelus, deuotione largissima deleret excessum.* Impuris manibus horruit tractari vasa, quæ sacris ministeriis non dubitabat addicta: sed quod Imperator exhorruit, templi minister despexit. Fuscinula tridenti, quæ sacrificiis peragendis inseruiebat, puer Sacerdotis carnes semicoctas leuabat: *Habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat in lebetem, &c.* Quòd fuscinula de sacratis instrumentis fuerit, testatur Abulensis *quæst.* 8. *Erat ista fuscinula de vasis sanctuarij pertinentibus ad altare holocaustorum.* Ad holocausta perficienda fuscinula pertinebat, & Sacerdotis puer sacro instrumento vtebatur ad satiandam cupiditatem, temerandámque religionem. *Puer Sacerdotis* (præmiserat Abulensis) *portabat semper fuscinulam secum ad extrahendum carnes.* Decurtabat, impediebátque sacrificium, quæ fabricata fuscinula ad holocaustum. Et Iacob etiam sine crimine Sacerdotalibus vestibus fragrat, vt sibi benedictionem præripiat: *Vestibus Esau valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.* Genes. 27. *vers.* 15. Ea ornamenta fuisse ad offerenda Numini sacrificia, testatur Lira hic: *Primogeniti erant Sacerdotes, & ideò habebant vestes speciales pretiosas, & odoriferas, quibus induti in magnis solemnitatibus offerebant oblationem Domino.* Vestis dicata religioso sacrificio, dolo sine dolo inseruiuit arcano; vt compertum esset, ornamenta, suppellectiliáque sacris mysteriis adscripta aliquando aliis vsibus inseruire adulterata, & detorta.

TEXTVS.

VERS. XV. Etiam antequàm adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam Sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.

§. LII.

Qui fortè in sæculo parcè, angustéque viuerent, in Cœnobiis discupiunt lautiori mensa vti, & cibis delicatioribus vesci.

COenobium est mortificationis schola, paupertatis disciplina, norma temperantiæ: ibi ergo solent lautitias exambire, qui in sæculo cogerentur vitam angusta mensa, & insulsis cibis alere. Timotheus Pauli discipulus, teste Chrysostomo *homil.* 1. *ad populum. lauticum aspernabatur, & sumptuosam mensam deridebat.* Meritò deridebat delicatum Christi militem, & quamvis saporatis ferculis vesci graue non fuerit delictum, in virtutum, ac religionis castris degenti videtur semper culpæ imputandum. *Deliciis vacare* (aiebat Chrysostomus *homil.* 15. *ad populum*) *non videtur esse crimen manifestum, atque expressum; attamen multa nobis parit mala scilicèt, ebrietatem, furorem, auaritiam, rapinas.* Pugnat secum institutum, & desiderium, in frugalitatis, temperantiæque regno viget edacitas, & ambitur sumptuositas. Altaris ministris de hostia pacifica quædam coctæ partes adsignabantur: verùm Heli filij respuebant coctas,

coctas, expetebántque saporatiùs conditas: *Non accipiam à te carnem coctam, sed crudam.* Crudam accipere volebant, vt variis condituris disponerent, & pararent. Ita Hugo Cardinalis: *Auferebant partes suas crudas ab efferentibus, & lautiùs faciebant parari.* Qui ni templo, Sacerdotióque adscripti fortassis non assequerentur coctas, carnes desiderant saporatas; & cum laici coctis carnibus vescerentur, respuebant, qui muneris institutíque lege ad frugaliùs edendum tenebantur, quasi mortificationis scholam fuerint ingressi, vt lautiùs pinguescerent innutriti.

§. LIII.

Qui palato inseruit, legem non semel infringit.

NAtura paucis contenta est. Quidquid naturam excedit, contra ipsam solet pugnare naturam: multis seruit, qui palato inseruit. *Esurio: edendum est* (aiebat Seneca *epist.* 119.) *vtrùm hic panis sit plebeius, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri sitio. Vtrum haec aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa niue eluscro, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet.* Edacitas contra naturam pugnat, & dum sudat ad supervacua, cum cibis ipsis solet deglutire delicta. Qui naturalibus desideriis noua cupiditatis inuenta addit, in turbulentum mare se immittit. Lex altaris ministris quasdam partes victimarum adsignabat, quas immolans coctas reddebat. At filij Heli, dum lautiùs discupiunt viuere, legem probantur violare. Minister fuscinula armatus plus conatur accipere, & alio modo disponere: *Da mihi carnem, vt coquam Sacerdoti.* In Hebræo habetur: *Ad assandum Sacerdoti*: gulosi, & delicati legem infringunt, vt palato inseruiant, & lautiorem mensam habeant. Notauit Lira: *In Hebraeo habetur: ad assandum Sacerdoti; propter hoc enim volebant accipere carnem crudam, vt coqueretur, & pararetur ad eorum voluntatem contra Dei legem.* Palato adulati legi probabantur iniurij, dúmque exambiunt mensam extendere, & legem aggrediuntur violare: vt noueris palato deditos & legem constuprare, & iustitiam lædere

§. LIV.

Aliquando pro absoluendis negotiis muneratus inuenitur impediuisse, aut tardasse.

QVi alterius inuigilat commodis, fas est dignis remunerari stipendiis. Deprædicandum commercium est, si alter incunctanter debita labori obtulerit stipendia, & alter solicitè studeat promouere negotia. Verùm qui muneratus aliquando, aut ignauia marcet, aut, quod deterius est, impedimentum apponit. *Ne quod ad leuamen inuentum esse constat* (monebat Cassiodorus 11. *variar.* 12.) *detestabile potius grauamen infligat.* Miserum est, si stipendiatus miles retardarit victoriam, si aduocatus opportunam impedierit sententiam; si Sacerdos non obtulerit hostiam. Sacerdotibus, vt Deo adipes hostiarum offerrent, immolantes à lege adsignatas partes exhibebant; verùm Heli filij inhiabant partes accipere, adipes, aut non curabant, aut differebant offerre: *Etiam ante quàm adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam Sacerdoti.* Vt adipem adoleret, honesto illo stipendio munerabatur Sacerdos; ipse verò non curabat sacrificium absoluere, sed stipendium accipere. Ita Hugo Cardinalis: *Isti Sacerdotes, ante quàm adoleretur adeps Domino, auferebant partes suas.* Consonat noster Sanctius: *Neque incredibile est, qua erant impudentia, & vitae turpitudine, cum carnibus etiam abstuliisse adipem, & illa omnia, quae Deus è tota hostia sibi reseruarat.* Immolans exhibebat Sacerdoti adipem, quem Domino offerret, & illi electas victimae partes, vt Domino adipem consecraret; verùm Sacerdos sibi adipes præripiebat, nec sacrificia curabat. Ipse ad sacrificia perficienda muneratus sacrificia retardabat, immò, vt sibi præriperet, impediebat.

§. LV.

Studiosius solent ministri stipendia sibi debita extorquere, quàm vectigal reddendum Principi procurare.

PRobatae debet esse conscientiae, quem constat ad accipienda Principi tributa legari; nam si aliqua cupiditatis sorde polluatur, quod à populo prompta deuotione soluitur, desiccatur, aut corrumpitur. *Aurum ipsum* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 11.) *cùm soluitur in liquorem, nisi mundissimo caliculo suscipiatur, inficitur.* Integritatem, puritatémque illa sola custodiunt, quae nulla sordium admixtione fuscantur. O quàm mutant ministrorum manus, quod Principi seruientium dilargitur affectus. Vt fontis liquor per arenosa minuitur, sic à populis oblatum auaris artibus immutatur. Iam colligendis designati tributis moras vendunt, & crudeli misericordia sic debitorem depauperant, vt soluendo ingemat obnoxius, nec possit soluere à ministro iam dispoliatus. *Parcendo non parcitis* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 10.) *exonerando praegranatis, & dum venales moras quaeritis, tributi onera duplicatis.* Moras vendunt, & quod Principis thesauris debuissent acquirere, sibi satagunt elucrari. Heli filij, vt offerrent Domino adipes destinati priùs curabant hostiarum partes sibi debitas accipere, quàm Principi adipes adolere. *Etiam ante quàm adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam Sacerdoti.* Pro sacrificiis designati solicitius sibi adsignata quærebant, vtque Princeps illius populi Deus sacrificia acciperet, non curabant. Redeat iam datus Hugo: *Ante quàm adoleretur adeps Domino, auferebant partes suas.* O nimis verum!

TEXTVS.

VERS. XVI. Dicebátque illi immolans: Incendatur primùm iuxta morem hodie adeps: & tolle tibi quantuncumque desiderat anima tua. Qui respondens, aiebat ei: Nequaquam; nunc enim dabis, alioquin tollam vi.

§. LVI.

Misera Respublica, vbi non solùm errata committuntur, sed perfricta, & audaci fronte patrantur.

FElix est, qui in publico potest viuere, nec curiosos oculos extimescere: felix est, qui oculos extimescens timore corripitur, & frænatur. Ad summum scias peruenisse nequitiam, cùm infrunitè, & inuerecundè peccatur. *Tunc felicem te esse iudica* (inquit Seneca *epist.* 43.) *cùm poteris in publico viuere, cùm te parietes tui tegent, non abscondent: quos plerúmque circumdatos nobis indicamus, non vt tutius viuamus, sed vt peccemus occultius.* Miserum est, quantumvis occultiùs, peccare; verùm dum conscientia ianitores apponit, dum deprehendi metuit, medicinam patitur ægritudo. Tunc, mihi crede, insanabile est vulnus, cùm vitium omnem timorem excussit, & oculos impudenter despexit. Mala conscientia nondum à se abiecit pudorem, si anxia, & solicita est; verùm si contempserit testes, si spreuerit lucem, nullam, aut exiguam remedij spem sibi reliquit, quia omnem salutis viam peruicax occlusit, & obturauit. Iam Hebræorum Respublica in præceps labebatur, cùm inuerecunda procacia, & procax inuerecundia nec legem est reuerita, nec oculis refrænata. Immolans opponebat Sacerdotum ministro legem, & morem; ille tamen extra omnem metum, & legem audebat, & sacrificia violabat: *Dicebat illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi*

tibi quantuncunque desiderat anima tua. Qui respondens ait ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi. Nec liberalis offerentis modestia, nec stabilita more laudabili cæremonia, nec sacra legum edicta reprimebat procaciam, imò libera fronte omnia proculcabat insolentia, & in omnium oculis immunis exercebatur rapina. Notauit noster Sanctius: *Non solùm pudorem apud homines; sed etiam apud Deum omne abiecerant religionis officium.* Vbi sine pudore peccatur, vbi insolentia leges impunis transgreditur, non potest, non appetere miserata ruina, & Rempublicam deuastare generalis miseria.

§. LVII.

Vim patitur non semel religio, & iustitia ab ipsis, quibus iniungitur eius tutela.

Præstate audientiæ curam (monebat Theodericus 3. variar. 15.) *vt iustitiæ vobis crescat opinio. Quando pro remedio cunctantium committuntur vobis ambigua iurgiorum.* Si quibus committitur iustitiæ tutela contra iustitiam prensauerint arma, irremediale emergit detrimentum, quia nullum pro æquitate restat auxilium. *Iniuria siquidem nostra est* (præmiserat) *læsa iustitia ... quæ enim præsumptio plectenda non audeat, si sacræ iussionis reuerenda contemnat.* Ad quos profugiet iustitia, si eius patronorum plectenda contra eam tentet audacia, quæ non præsumeret vel temeraria insolentia? O quoties ab ipsius patronis iustitia opprimitur, & lex audacter à defensoribus temeratur. Sacerdotum minister, cui sacrificiorum commissa cura, sacrificium impedit detestanda violentia: *Nunc dabis, alioquin tollam vi.* Vim audis inferri, à quibus inuiolabilis sacrificiorum puritas studio debuisset solertissimo procurari. Notauit noster Sanctius: *Hinc apparet intolerabilis Sacerdotum insolentia, & stupor, qui non iam simulatè, sed apertè vim propè afferunt hostilem, & primum indebita sibi postulant, & quæ Deo debentur, aut præstari omninò vetant, aut certè tempore non suo, id est, posteriori.* Quæ Deo debebantur, solui Sacerdotes ipsi impediebant, aut retardabant, & quæ illis non debebantur, immatura audacia, & non ferenda insolentia arripiebant, omniáque legitima proculcabant. Itaque à nullis adeò grauis iustitiæ, religionique inferebatur iniuria, quàm ab ipsis, quibus iniungebatur tutela.

TEXTVS.

VERS. XVII. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini.

§. LVIII.

Cæca cupiditas, dum studet indignis lucris, se priuat honestis, & maioribus incrementis.

CVpiditas sibi ipsi inuenitur aduersa: suis obnititur votis, dum flagrat ambitiosissimis desideriis. *Nescitis* (aiebat Cassiod. 11. var. 12.) *quanta possitis acquirere moderati. Vltrò ad commoda vestra veniunt, qui vos temperanter agere posse cognoscunt.* Venditores, dum temperatis pretiis gaudent, quàm plurimos ad se emptores alliciunt, & prouenit magis de pluralitate, quàm proueniret de auara cupidine. Qui lucrorum auiditates appetunt, temperanter se geruntnam si quis iniquitatem, aut rapacitatem patiatur auaram, exasperatus curat fugere, non redire. Heli filij iura sua extendunt, & plus quàm lex præscribit, ab immolatibus violenter percipiunt. Quid tunc? *Retrahebant homines à sacrificio Dei.* Si temperanter agerent, plurimi ad sacrificandum aduentarent, & census crescret sacrificantium de numero: ast dum turpis aucupatio omnes deterret enormitate auaritiæ, rarus ad sacrificandum accedit, & cupiditas etiam languet. Itaque dum auaritia, indignis inhiat rapinis, suis ipsa opponitur incrementis. Opportunè noster Sanctius: *Homines ideò à templo absterrebantur, & sacris, quia videbant nihil in sacris fieri legitimè; neque eo ingenio esse Sacerdotes, vt eorum commodis consultum esse vellent.* Legitima à plurimis accipientes plus haberent, quibus ipsa auaritia impediti carent. Accrescerent illis honesta lucra, ni deprædatio illa extitisset sibi contraria.

§. LIX.

Infaustum, ominosumque est, si, qui ad virtutem debuit proritare, à virtute contingat auertere.

ILlaudabile est vires ægritudini addere, & quod aggrauare potest, offerre. Illud verò prorsus detestandum, si medicus, qui salutem debuisset peruigili solicitudine suffulcire, salutem adnitatur aut retardare, aut depellere. Medendi peritus inuitum frequenter saluat ægrotum, & voluntati, quæ grauibus in passionibus deuiat, non blanditur noxius, sed resistit, & refragatur beneficus. Nulla remanet spes salutis, si medicus ægritudinem foueat, & morbis vires adjiciat. Iure Tiberius Sacerdotes innocentiæ, virtutisque patronos duris suspendit stipitibus, cùm inuenit detestandis opem tulisse sceleribus. Ad rem Tertullianus *in Apologetico cap. 9. Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam vsque ad Proconsulatum Tiberij, qui eosdem Sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum, votiuis crucibus exposuit.* Forsan si alij deliquissent, misericordiam impetrassent; at Sacerdotes innocentiæ hostes votiuis crucibus fas fuit distorquere, & laudabili enormitate punire. Pyrrhus medicum etiam cruci affixit, quia propinare studebat non antidotum, sed venenum. *Consuli Fabricio scripsit Pyrrhi medicus* (ita Plutarchus *in Apophthegm.*) *epistolam ostendens se, si iubeat, sublaturum veneno Pyrrhum ... compertis insidiis, Pyrrhus medicum suspendit.* Faciliùs insidiabatur vitæ, qui medicus studere putabatur incolumitati, & saluti. Dignissimus est, qui pereat, qui munus inuertit munere abusus, & instituto contrarius. Grande nimis Heli filiorum refertur peccatum, nam cùm eos munus allicere homines suaderet ad virtutem, ferè cogebant ad prauitatem. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* A quibus debebant ad sacrificium allici, contingebat deterreri. Notauit noster Sanctius: *Meminit* (Textus) *scandali, quo aut pietatem retardabant hominum, aut studia sacrificantium morabantur. Quod cùm in aliis non leue sit peccatum, in Sacerdotibus non poterat esse non grauissimum; quorum id est munus, vt pietatis, ac religionis studia promoueant.* Iustissimè à dignitate exciderunt ferro occisi, & hostili furori traditi: muneris querela, religionis iniuria infelicissimam mortem prænuntiabant, & totius ruinam posteritatis portendebant.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Samuël autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo.

§. LX.

Mirum est coæqualium prauis exemplis non corrumpi, sed virtutibus efflorere.

QVisque sibi molestus est, magnum secum negotium habet, faciliùs probat, quam sequatur honesta, verum faciliùs ab honestate recedet, si praua aliorum inuitauerint facta, aut consilia. Christi diuinitatem probat Ioannes, quia in tenebrarum voluminibus fulxit, quin eius splendor de vicinitate langueret. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ioan. 1. vers. 4.* Si alius

esset, eius splendor aut deturparetur tenebris, aut fulgor interpolaretur vmbris. *Lux in tenebris lucet* (inquit Origenes in Catena D. Thom.) *quia Dei Verbum vita, & lux hominum in nostra natura, quæ per se inuestigata, & eo siderata informis quædam tenebrositas inuenitur, lucere non desinit.* Deus erat Christus, quandoquidem inter tenebras nil splendoris, aut amisit, aut contraxit. *Inimica est multorum conuersatio* (aiebat Seneca *epist.7.*) *Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.* Hinc miranda est Samuëlis virtus; nam cùm pueri Sacerdotum legis præscripta audacter violarent, & insanis appetitionibus inseruirent, ipse accinctus, ac sedulus ita ministrabat, vt diuinis posset apparere conspectibus: *Samuel ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo.* Infantiles annos virtutibus supergressus inseruiebat, vt sacer requirebat locus, non vt exiguum ferebat tempus. Reperere posset de Samuële Atalaricus, quod de Tolonico 8.*var.*10. *Mox vt inter parentes infantiam reliquit, statim rudes annos ad sacri cubiculi secreta portauit, agens non vt ætas, sed vt locus potius expetebat.* Vt locus expetebat, ministrabat, quin sociorum prauis corrumperetur exemplis, aut modicis repesceret annis. Nec coæqualium exempla à virtute auerterunt, aut retardarunt, imò vbi alius criminibus sordescebat cupiditati addictus, Samuël solicitiùs munus implebat virtutibus exornatus. Notauit Lira: *Iuxta istorum malitiam describitur innocentia Samuëlis.* Consonat Caietanus: *Repetitur hoc ad narrandum, Samuëlem exemptum fuisse ab huiusmodi peccato.* Samuëlis detegebatur probitas cum coæqualium malitia, ibique resplenduit illibata innocentia, vbi frequentissima scandala.

§. LXI.

Fas est præ aliis, honoribus insigniri, quem liquet eximiis virtutibus anteponi.

ILlustri honore debet insigniri, & insigni honorabili denotari, qui virtute cumulatus resplenduit, & honesta ambitione se aliis factorum meritis antepositit. *In laudem regnantis proficit, quod subiectus acquirit* (scribit Cassiodorus 2.*variar.*2.) *At tu parem te huic indulgentiæ præstitisti. Illustri enim honore ditatus tanta te maturitate tractabas, vt annos leues patereris esse sub pondere: quæ non potuit in prima ætate vincere fortissima vis natura.* De alio scripsit, sed nequiuerunt florida verba melius alteri, quàm Samuëli nostro adaptari. Puerulus virtute edomuit ætatem, & cùm tempus non permitteret tractare seria, virtus, & prudentiæ maturitas ad grauia commendabat negotia: *Samuël autem ministrabat ante faciem Domini.* Ergo Heli ephod lineo nobilitauit, & insigniuit: *Accinctus ephod lineo.* Hoc Samuëlem fuisse honore præ aliis donatum, tradit Theodoretus *q.*8. & apud nostrum Sanctium: *Theodoretus q.*8. *putat id Samuëli concessum ab Heli, quia in illo aliquid videbat eximium efflorescere.* Itaque de Theodoreti sententia aliquid speciale concessit Heli Samuëli, quo eius socij non gaudebant: fas namque erat, vt virtute eximium singulari priuilegio nobilitaret, & specialibus præ aliis honoribus insigniret. Scio Leuitas ephod lineo vsos, dum ministeriis incumberent, nec ignoro Samuëlem fuisse Leuitam; crediderim tamen in hoc Samuëlis ornatu aliquid interessisse, aut in tempore, aut in modo singulare. Et quidem, vt aiebat Cassiod. in laudem Heli profecit, quod Samuël dignus acquisiuit. Alij tunc pueri ministrabant, sed nec ea sedulitate, & animi promptitudine. Ergo Heli Samuëlem prætulit, & honoribus adauxit. Quàm politicè Plinius Iunior 9.*epist.*5. *Sed temperare mihi non possum, quominus laudem similis monenti, quod cùm modum tenes, vt discrimina ordinum, dignitatúmque custodias: quæ si confusa, turbata, permista sint, nihil est æqualitate ipsa inæqualius.* O politicum, & verum!

TEXTVS.

VERS. XIX. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quàm afferebat statutis diebus ascendens cum viro suo, vt immolaret hostiam solemnem.

§. LXII.

Mirum est, si ornatus tempori, & statui adaptetur, nec vanitati blandiatur.

FErè semper circa exteriorem cultum, & ornatum peccatur. Delinquit vanitas, & offendit oculos vestium pretiositas, sterili tempore vestes nitidiùs florent, & floridiùs nitent: Plebeius nobilium affectat vestes: nobilis patrimonium exhaurit. Iam quantum hoc in genere delinquant fœminæ, & Respublica noscit, & modestia luget. *Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert* (inquit Tertullianus *de habitu mulebri cap.*4.) *& cultum, & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus; altari prostitutionis, vt iam hinc prospicias.* In veste frequenter relucent mores, luxuria artificiosa componit, superbia pretiosa quærit. Samuëlis mater, vt erat prudens, tunicam filio afferebat, quod ephod fuisse intelligo, parvam, & lineam; parvam, vt congruerit tempori; lineam, vt conuenerit statui. Ephod induebatur non coloribus distincto, aut pretiositate splendido. Notauit Interlinearis: *Non eo, quod induebatur Pontifex; illud enim quatuor coloribus distinguebatur, hiacyntho, cocco, byssо, & auro.* Itaque mater non exhibebat filio vestem Pontificiam, & splendidam, sed leuiticam, & lineam. Ornatus respondebat statui, non luxui, cùm frequenter ornatus conditionem excedat, & suspicionibus occasionem exhibeat.

§. LXIII.

Parentes cordati filios decenter vestiunt, nec superbiam pompa ornamentorum enutriunt.

PArentes, vt amori adulentur, filios student sumptuosius adornare, & flotidiùs, quàm ratio postulat, expolire, dúmque ardentis ætatis inflant superbiam, libidinibus adijciunt flammam. Lysander filias pretiosis stolis, & aureis monilibus noluit fulgere, vt qui nouerat pompam insidias pudori pertendere, & audaces oculos trahere. *Lysandri filiabus* (inquit Plutarch. *de instituendis liberis*) *tyrannus Siculus stolas, & monilia misit magnæ dignationis. Ea non admisit Lysander, qui ait: Mundus hic deturpauerit, quam exornauerit potius, meas filias.* Modestiæ legem si cultus transgreditur, ipso splendore prudentiam innubilat, & linguaces armat. *Ornamentum est* (aiebat Crates apud Plutarchum vbi suprà) *quod ornat, ornat autem quod mulierem ornatiorem reddit. Id efficit non aurum, non smaragdus, non coccus, sed quæ grauitatis, modestiæ, verecundiæ imaginem exhibent.* Ornatus est mentis index, cordis pulsus, & ibi sæpè deprehenditur, quod in animo celabatur. Verùm etsi nitidior, cultiórque ornatus nescio quid vaporet, maximè tunc offendit, cùm nec statui, nec tempori congruit. Anna paruo filio parvâ veste, & Leuitæ lineam afferebat: *Tunicam parvam faciebat ei mater sua.* Diuitiis exundans, & prudenti amore flagrans sic ornauit filium, vt nec intuentes offenderet, nec audaciam iuuenis inflammaret. Notauit Abulensis *quæst.*10. *Faciebat parvulam tunicam sicut puero decebat: Ista autem est, quæ vocatur stola Leuitarum, quoniam ornamenta eorum simplicia erant, & ista videtur esse, quæ vocatur ephod lineum.* Vestem prouida mater

afferebat,

afferebat, sed quæ Leuitam deceret, & modestiam matris commendaret.

§. LXIV.

Vt filios possint virtutibus adaptare, curent parentes, quæ necessaria, exhibere.

NOn semel auara parentum tenacitas, & desidiosa incuriositas delinquendi occasionem præbuit, dum ornamentum competens denegauit: honoris contumelia, & parentum iniuria quæritur, quod auaris manibus non præstatur. Struthio sapientiæ expers duratur ad filios, discoloribus vestitur pennis, exambit inuolare, nec veretur oua conculcanda relinquere: *Penna struthionis similis est pennis herodij, & accipitris. Quando derelinquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere ea efacies ea? Obliuiscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Iob. 39. vers. 13.* Derelicta oua conculcationi inueniuntur exposita, & brutalitatis sunt præda, quia illis parentis non consulit stultitia! *In primis* (exprobrabat gentibus Tertullianus *in Apologet. cap. 9.*) *filios exponitis suscipiendos ab aliqua prætereunte misericordiæ extra ea.* Adnectit: *Alienati generis necesse est quandoque memoriam dissipari, & simul error impegerit, exinde tradux proficiet incesti serpente genere cum scelere.* Serpit cum genere culpa, dum alienæ misericordiæ exposito, generis parentum obliuiscitur contumeliosa sibi auaritia, aut exoculata imprudentia. Anna seculis commendanda prouidè filio afferebat ornatum, ne aut erubesceret nudus, aut oculos offenderet inornatus: *Tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus.* Ita amor filio solicitabat ornatum, vt omnem pompatici speciem luxus vitarit, ea opportunitate præbebat, vt indignæ obliuionis notam non incurreret. Notauit Abulensis *q. 10. Dabat mater Samuelis ei vestem, scilicet leuiticam, & dicitur statutis diebus, quia soliem faciebat hoc mater Samuelis diebus quibusdam determinatis.* Opportuno tempore exhibebat necessaria; non ministrabat superflua, parentes edocens, filiorum sic gerere curam, vt nullam ad degenerandum exhibeant ansam.

TEXTVS.

VERS. XX. Et benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius: dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino, & abierunt in locum suum.

§. LXV.

Filium Deo hilariter offerre, non est posteritatem præcidere, sed firmare.

HOmini proficit, quod Deo seruit, & filius Deo hilari deuotione sacratus videtur aliquando orbitatem parentibus adducere, sed compertum est ipsa oblatione parentes ad suscipiendos filios plurimos fœcundari. Lucrosum fœnus est quidquid Numini exhibitum, quia reddit miris accessionibus auctum. Filium impigrè offert Abrahamus, & dum consecrat deuotiùs, sibi multiplicat posteritatem securius: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas, Gen. 22. vers. 17.* Quod expendens Tertullianus *de Patient. cap. 6.* sic ait: *Cum filius immolare iussus est, ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem.* Non solùm Abrahamus, quam fidem præstiterat, actionibus comprobabat, sed oraculum, quas de posteritate spes illi fecerat, suffulciebat. Ergo Heli pro Samuele templo oblato fœnus reddendum prædicit, vt qui nouerat, posteritatis esse fulcimentum consecrare Numini filium: *Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino.* Dum filium offert, matrem intuetur non prole orbatam, sed nobilissima posteritate fœcundam. Accipe Hugonem: *Ex hoc patet, quod propter hoc obtulerunt Anna, & Elcana Samuelem Domino, vt multiplicaret eis prolem.* Fœnoris lege obtulerunt, vt honesta ad eos rediret vsura, filiorum scilicet copia. *Dicitur fœnus* (addit Abulensis *q. 10.*) *id est, vsura: dedit enim Anna filium suum Deo in fœnus, scilicet in vsuram:* Vt vsurarius, quam monetam exhibet, multis incrementis adauget, sic Anna honestè vsuraria plures filios accepit, quia Samuelem primogenitum Domino commodauit. Expendebat satis acutè Chrysost. Heli initio dixisse: *Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum, supra 1. vers. 17.* & modò: *Reddat tibi* pronuntiasse, quasi oblato filio iam Deum debitorem haberet, nec filiorum copia liberale esset donum, sed honestum vsuræ debitum. Audi Chrysost. *Initio non dixerat: Reddat tibi, sed: Det tibi Dominus. Verùm postea quàm illa Deum fecerat debitorem*, ait: *Reddat tibi, bonam de futuris spem præbens.* Euentus benedictionem comprobauit, nam quæ vnum deuotè obtulit, plures accepit.

TEXTVS.

VERS. XXI. Visitauit Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias, & magnificatus est puer Samuël apud Dominum.

§. LXVI.

Cum Deo lucrosa semper commercia, cum hominibus afferre solent ingentissima damna.

QVidquid Deo offertur, offerentis vtilitati applicatur. Quod homini præstatur obsequium, attulit aliquando periculum. Deus redditurus accipit; homo etiam eximiè beneficiatus inuenitur aduersus. *Nemo agit* (aiebat Seneca *lib. 2. de Benefic. cap. 27.*) *de tribunatu gratias; sed queritur, quod non est ad prætoram vsque perductus: nec hæc grata est, si deest Consulatus, ne hic quidem satiat, si vnus est.* Itaque qui à te accepit tribunatum, non refert gratias, sed quia consulatum non dederis, dat querelas: fauore tibi comparasti querulum, si ipsa non armasti felicitate inimicum. Reculam Deo obtulisti, & benigno vultu accipit, & copiosa manu reddit. *Manus illius* (aiebat Sponsa) *tornatiles aureæ plenæ hiacynthis, Cant. 5. vers. 14.* Si quid ad eius manus plenas hiacynthis perueniat, opus est, vt hiacynthus locum concedat, & ad offerentis lucrum è plenis manibus, si fas est dicere, cadat. Suspirant homines sortem adaugere, & magnis prouentibus ampliare: nesciunt tamen honestam vsuram, granum committunt solo sterili, & spinas cruentas solum reddenti: quod si Deo committerent, copiosam spicarum segetem meterent. Anna honestum in fœnus Samuelem obtulit, & plures filios accepit: *Visitauit Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias.* Quod expendens Chrysostomus, sic ait: *Tantum hac negotiatione lucrum fecit Anna, quantum facere par est ea, quæ cum Domino habuit commercium.* Subnectit: *Reddidit enim ei alterum filium, immò non vnum, neque duos, neque tres, neque quatuor tantùm, sed his multò plures, vt iam vsura sortem excederet.* Quod homini ad vsuram offertur, non semel amittitur: sors Domino dilargita ad largitorem reddit prouentibus multis aucta. *Talis est negotiatio, quæ cum Deo geritur* (addit Chrysostomus) *sortem multis partibus conduplicatam reddit.* Quid hac vsura honestius, quid hac negotiatione est vtilius?

Eman. de Naxera in Reg.

NAXERA
L. 6. I.
Reg. 10.
C. IV
15

§. LXVII.

Quæ apud Dominum magnitudo, semper est solida; quæ apud homines, volatica, & fluxa.

REctum iter (aiebat Seneca *epist.*8.) *quod serò cognoui, & lassus errando aliis monstro. Clamo: Vitate quæcumque vulgo placent, quæ casus attribuit.* Omne humanum fortuitum est, & sæpè quæ fortunæ gratis oculis adspiciuntur munera, insidiosa sunt detrimenta. Quisquis fastigia, & quidquid falso splendore imponit oculis, obtinuit, si non præcipitiis, decursibus propinquauit. Solùm magnus, & felix est, cui nihil terrenum est magnum. *Contemne omnia* (addit Seneca) *quæ supervacuus labor velut ornamentum, ac decus ponit.* Animus veram sibi à virtute magnitudinem procudit, in qua nil licet fortunæ. *Intelligo felicitatem* (aiebat Philo *lib.* Quod deterius) *virtutis perfectæ in vita perfecta vsum.* Sola virtus solidam magnitudinem, & verum secum affert nitorem. Samuël verè fuit magnus; quia apud Dominum resplenduit, quantumvis videretur apud sæculum puerulus: *Magnificatus est puer Samuël apud Dominum.* Audis & puerum, & magnificatum; vt noueris sæpè sæpius apud Deum magnificatum haberi parui apud sæculum, & apud sæculum despectum, & parvulum, apud Dominum haberi honoratum, & excelsum. *Iuxta Hebræum habetur* (scribit Caietanus) *& grandiit puer Samuel cum Iehouah. Augmentum non solùm corporis, sed animi versus Deum fuisse significatur.* In numero puerorum censebatur Samuël apud sæculum; apud Deum verò in magnatum censu. Hæc ergo erat vera magnitudo, quam nec fortuna quibat deijcere, nec æmulatio obscurare.

TEXTVS.

VERS. XXII. & XXIII. Heli autem erat senex valdè, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israëli; & quomodo dormiebant, cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, & dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo.

§. LXVIII.

Miserum est naufragium ipso in portu subire, & morbum remedio augere.

INfortunia circunstantiis sæpè recrudescunt, & de tempore, locóve asperitatem quandam adijciunt. Frequens est in medio pelago naufragari, insolitum ipso in portu tempestatum voluminibus, & confusis vorticibus circumvolui. Stultè pœnitentium infelicitatem expendens Tertullianus *lib. de Pœnit. c.*1. sic aiebat: *Facilius per eandem delinquunt, quàm per eandem rectè faciunt.* Pœnitentia curandis morbis efficacissima medicina insipientium adaugebat morbum, & incrementabat delictum. Qui pœnitentiâ deberent reatum expungere, per pœnitentiam novum adaugebant reatum. Prodigus ille in paternis laribus inuenit, quo famem depelleret, & nuditatem vestiret, & ibi senior & delinquit, & offendit. *Indignatus est, & nolebat introire. Luc.*15.*v.*28. Ipso in misericordiæ, ac pietatis portu inuenit periculum; imò miserum subiuit naufragium. Notauit ad hunc locum Ambrosius: *Stat foris, nec excluditur, sed non ingreditur.* Adnectit: *Seruus iam factus ex filio.* Vbi iunior, plus quam concupiuit; inuenit, ibi senior, quod habuerat, amisit: bis miser, & quia patris sustinuit indignationem, & quia ibi promeruit indignationem, vbi exercebat pater pietatem. Mulieres post partus sordes templum adibant purificandæ; verùm ipso in tabernaculi ostio pro remedio inuenerunt scandalum, & Sacerdotes eluendis maculis designati prouocauere ad libidinem cæci: *Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Audi Hugonem Cardinalem: *Eas quæ veniebant ad purificandum, polluebant.* In templo mulieres puritatis subiere naufragium, & ibi contra puritatem puritatis glisscebat remedium.

§. LXIX.

Mulieres vel cordatæ plausu alliciuntur, & muneribus obcæcantur.

HVmana cæcitas, & cupiditas plausibus, & muneribus inhiat; vtque fera, & piscis spe aliqua oblectante decipitur; sic gloriæ auiditas plausu capitur. *Munera ista fortunæ putatis* (aiebat Seneca *epist.* 8.) *insidiæ sunt. Quisquis nostrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia deuitet: in quibus hoc quoque miserrimi fallimur, habere nos putamus, habemur.* Itaque dum existimamus nos dona habere, ipsis donis vincimur, & habemur. Quod licet in omnibus experientia sit comprobatum, in fœminis præcipuè experimur indubium. *Gloria* (aiebat *de cultu fœminarum.* Tertullianus *cap.*3.) *exaltationis ingenium est. Porrò exaltatio non congruit professionibus humilitatis ex præceptis Dei. Dein si omnis gloria vana, & stuporata, quantò magis quæ in carne.* Laus, & donum mulieribus beneficium & fascinum. Hinc astutus serpens quid Euæ promisit, quæ spectaret ad gulam, & gloriam: *Eritis sicut dij. Genes.* 3. *vers.* 5. Acerrimum arietem admouit, & innocentiæ muros, hac machina subruit. *Hanc primam machinam contra veritatem machinatus est*, aiebat Seleuciensis Basilius *oratione* 3. Scilicet mendaciis aurem demulcere, & muneribus voluntatem allicere. En mulieres purificationis studio templum aduentantes insanis appetitionibus obsequuntur, & fœdissimis libidinibus maculantur: *Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Si quæras quomodo fœminæ non restiterint, respondebit Iosephus munerum illicio captas, & cupiditate deuictas: *Dormiebant cum mulieribus.* Accipe Iosephum: *Persuadentes donis.* Viscosis muneribus hærebant, & vt munera haberent, habebantur: laus enim, & munus fortissimum contra mulierum constantiam, & pudicitiam machinamentum nihil non prosternit, & subruit. Quæ puritati, & virtuti studebant, muneribus corruptæ ceciderunt, & laudum fascino deliraruut.

§. LXX.

Non semel religionis velamine disponuntur flagitia, & virtutis specie contra virtutem tenduntur retia.

SÆpè quæ suspirat concupiscentia, non permittit locus, aut tempus, vtque est luxuria sagax, à virtute mutuatur velamen, quo se tegat, & inuitè virtus, cui reuera refragatur, inseruit. Expendebat satis acutè Tertullianus *lib. de spectaculis cap.*5. *In Etruria inter cæteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instruunt.* Auersabatur spectaculorum spurcitias modestia, auertebat oculos pudicitia: verum spectacula virtutis venena, religionis specie ornata opportunitorem occasionem præbebant, & cupiditatibus ministrabant. Adnectit Tertullianus: *Lupercos ludos appellabant, quod ludendo discurrant: tamen eum lusum inuenum & diebus festis, & templis, & religionibus reputat.* Quæ extra templum auersabatur verecundia, quæ non ferret extra templum modestia, in templo religionis specie exercebantur, & solemnitas inseruiebat turpitudini, quæ

quæ debuisset suffragari pudori. Mulieres nonnullæ maritorum oculos veritæ, & libidinibus inflammatæ templum adibant, vt ibi obseruarent; erat tamen nonnullis templum occasio liberior, & expeditior, ibi facilius adulteria componebant, & virtutis fuco flagitia dissimulabant: *Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Res erat libidinis, prætextus obseruationis. Huc voco, quod aiebat Tertullianus in Apologetico *cap.* 15. *Adijciam, quæ non minus conscientia omnium recognoscunt: in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque aedituorum, & Sacerdotum tabernaculis sub iisdem vittis, & apicibus, & & purpuris thure flagrante libidinem expungi.* Non inueniebant opportunitatem lenociniis, non locum adulteriis. Ergo nonnullæ specie obseruandi adibant templum, vt ibi facilius tractarentur lenocinia, componerentur adulteria, & perficerentur enormia. O quàm de nonnullis templum quæritur, ò quàm violata religio diuinis in subsellijs vociferatur! Hoc olim contingebant Hebræis, & Ethnicis, vtinam modo non contingat Christianis.

§. LXXI.

Qui potestate ad cupiditatem explendam abutitur, contra se imprudens castrametatur.

DIgnitas in virtutum auxilium efformata insanis appetitionibus aliquando agnoscitur famulari captiua. *Illud est potius graue* (inquit Cassiodorus 7. *var.* 22.) *si miles viuat otiosè, cui quæstus est actio sua: honor principalis iniunctio.* Quod si graue est militem inerti otio sordere, quam graue erit, si defensionis armis defendendos nititur dispoliare? Iure Æsculapius fulmine petiit medicinam nocenter exercens, & ad cupiditatem abutens. Prodest Tertullianus in Apologetico *cap.* 14. *Est & ille de lyricis* (*Pindarum dico*) *qui Æsculapium canit auaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat fulmine vindicatum.* Quam erat nocentissima pestis medicina salutis: fugere à medico erat securum vt eius committi arbitrio periculosum. Ipse fulmen inflammauit, cum medicus nocuit, cùm potestate abusus, cùm cupidini famulatus. Filij Heli iudiciaria, & sacerdotali potestate nobilitati libidinibus inseruiebant addicti: *Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Ergo iustissima mulcta eorum brachium confractum, & ad alium est translatum dominium: *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Potestatis abusus in ipsam potestatem militauit, prorsusque euertit. Ardor libidinosus vitam præcidit. *Mulieribus religionis causa conuenientibus* (inquit Iosephus) *contumelias inferebant, aliis violentias facientes, aliis persuadentes donis.* In se ipsos dignitatem armarunt, dum dignitatem peruersis moribus corruperunt.

§. LXXII.

Qui procaces filios seuerè non corrigit, suam, & illorum famam innubilat, & fortunam discrimini obiectat.

CÆcus parentum amor, dum indulgentius filios educat, dum blandiùs eorum pullulare incipientia vitia dissimulat, imprudenter sibi, & illis infelicitatem adducat. Teneri animi facilè virtutibus informantur, & castigatione ab erroribus adducuntur. *Facile est* (aiebat Seneca *lib.* 2. *de ira, cap.* 18.) *teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creuerunt.* Præmiserat Philosophus: *Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturam desiderat.* Diligentia in concinnandis virtute filiorum animis laudabiles, ac copiosos demetit fructus: Socordia, indulgentiáque dum emergere incipientibus vitiis plaudit, tribulos irrigat, quibus posteà percussus gemat. Consules vidit Venantius filios, quia solerti diligentia ab vnguiculis expoliuit, & optimis artibus informauit. Audi Cassiodorum 9. *variar.* 23. *Infantiam bonis artibus enutritam, inventutem quoque armis exercuit, formans animum litteris, membra gymnasiis: tradens, amicis exhibere constantiam, Dominis fidem: & quicquid in illo viro gratia diuina concessit, integra perfectione transmissum cernas in posteros.* Posteri pellucida patris specula paternos mores reddebant, & qualis esset pater, agnoscebatur in filiis. *Iactent se alij possessione locupleti* (adnectit Cassiodorus) *summumque putent posteris bonas solas esse diuitias. In hac autem domo non tantum patrimoniis, sed & virtutibus aditur hæreditas.* Securè aditur hæreditas, si quam laudabilis origo transmisit, virtus firmauit, vt non semel parentum benignitas hæreditate filios denudat, dum vitia, quibus hæreditas amittitur, non refrænat. Filij, Heli damnabili parentis indulgentia habiti, corruptis moribus inueniuntur obscuri: *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Quid tunc? ea benignitate correxit, vt potiùs videretur licentiam facere, quàm corripere: *Quare facitis res huiscemodi?* Blanda correctio, benigna increpatio, dum non cohibet, infelicissimæ stragis sibi, & filiis occasionem procudit. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Egebat lues duro cauterio, ferro clementer præcidenti, & vsus est Heli medicamentis blandissimis. Ergo dum tenero adulatur amori, miserandæ Heli suffragatur calamitati. Ita Chrysost. *Cùm intempestiuè illis parceret, & suam, & illorum salutem perdidit.* Nil filiis deteriùs, quàm indulgentia, nil patri infeliciùs, quam tolerantia.

§. LXXIII.

Nescire se debet patrem, qui iudicis personam gerit, & iura dicit.

ÆQuus iudex non aliter de sua, quàm de aliena causa decernit, accusat munus, quem erga suos corrupit affectus: *Nec enim æquus iudex* (aiebat Seneca *lib.* 1. *de ira, cap.* 14.) *aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam fert.* Si pro varietate peccantium causa dicitur; si delictorum qualitas non attenditur, iura marcent, & leges mœrent. *Malus Iupiter* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap.* 14.) *Si fulmen illius est, impius in nepotem, iniquus in artificem.* Æsculapius, Iouis nepos adeò nocenter medicinam exercebat, vt auaritiæ adulatus morbos exasperaret, & infirmitates produceret. Ergo Iupiter, vt in alios æquitatis desertores, in nepotem eiaculatus est fulmen, ne dum nepotis tolerat prauitatem, dignitatis obnubilet splendorem. Sit fabula pro doctrina, discántque iudices iura cognationi anteponere, legésque suspicere. *Egisti te per cuncta iudicem* (aiebat Theodoricus 1. *variar.* 3.) *totius erroris expertem, nec inuidia quenquam deprimens, nec gratia blandiente sublimans. Quod cùm vbique sit arduum, tamen sit in patria gloriosum: vbi necesse est, aut gratiam parentela prouocet, aut odium longæ contentiones exasperent.* Gratiam parentela prouocat, dum adfectio affinium, & cognatorum culpas inaurat. Heli, cùm populus de filiorum scelere expostulasset, se oblitus est iudicem, vt exhiberet parentem: *Quare facitis res huiscemodi, quas ego audio ree pessimas ab omni populo? nolite filij mei.* O si filios non agnouisset, vti reos castigasset! Iudex pro dirimendis causis constitutus aliam de filiis, ac de reliquis tulit sententiam: ergo sibi, & filiis vitæ, ac dignitatis imprudenter intulit mulctam: *Ecce dies veniunt* (prædicit oraculum) *& præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Affectu persuasus blandè correxit: ergo sibi, filiisque nocuit. Accipe Iosephum: *Heli pro eorum iniquitate damnatus est, quia minus seuera animaduersione plectebat. Etsi quidem*

coërcuit, & corripuit, cum lenitate tamen, & mansuetudine patris, non severitate, & auctoritate Pontificis. Affectione subornatus, nec patrem impleuit, nec iudicem, sæuiendo indulgeret, & indulgendo sæuiuit.

§. LXXIV.

Sæpè parentes propriis actibus inculpati, filiorum amore rei.

ALiquando parentes, qui se ipsos laudabilibus factis nobilitarunt, nimis tenera erga filios affectione delinquunt. Pro illis auari, qui reuera generosi. Ipsa humanitas obscurat, & dum non corrigit, peccat. *Inobedientem filium* (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 14.) *declinare pœnas non permittit humanitas.* Humanitas consulit corrigere, & cæcus amor adnititur indulgere. *Nutriuntur à parvulis* (adnectit Cassiodorus) *ipsis laboratur, ipsis divitiæ conquiruntur, & cùm sibi vnusquisque credat abundare quod possidet, cùm à patribus adhuc quæritur, pro altera potius ætate peccatur.* Parentes pro se maria non subcarent, & sæuas tempestates effugerent, vorticibus tamen se committunt, vt peregrinis mercibus conquirant, quo patrimonium posterorum adaugeant. Corrigendus, qui peccat filius admonitione, vi, molliter, & asperè, meliórque sibi faciendus, aliquando palpatur, & quod in se pater non detrectat emendare, non audet in delinquenti filio corrigere. Falsus est parentum amor, dum consulit, lædit, *Liberos* (aiebat Seneca *lib.* 1. *de ira, cap.* 15.) *si debiles, monstruosique editi sunt mergimus. Non ira, sed ratio est à sanis inutilia secernere.* Timent parentes putridum aliquod filiorum membrum præcidere, & dum crudeli misericordia luem permittunt serpere, totum conflat filium amittere. Oportebat Heli filios, Reipublicæ pestem, nocentissimam morum luem severitate rigida refrænare, distulit crudeli indulgentia corripere: *Quare facitis res huiuscemodi?* Quàm blandè increpuit, quàm leniter arguit! Qui irreprehensibilis sibi vixerat, pro filiis peccat. Notauit Chrysostomus: *Cùm vita Heli esset irreprehensibilis, tamen quia filios calcantes Dei legem non cum severitate corripuit, cum illis etiam iure punitus est, & graue subiuit supplicium.* Irreprehensibilis mulctam grauem non incurreret, & tamen eius brachium præcisum est: *Præcidam brachium tuum,* & fractis ceruicibus expirauit, quia crudeli erga filios misericordia deliquit: O quot parentes, qui propriis actibus meruissent elogium, hoc tulere errore supplicium!

§. LXXV.

Aliquando parentes, ne filios dignitatis luminibus viderint dispoliatos, doluerunt mulctatos, & duro supplicio amissos.

QVi medicinæ artem non calluerat, dignitatis insulas respuit, & prudentiam commendauit: *Non sum medicus, Isai. 3. vers.* 7. Medicus pro ægritudinis qualitate decernit remedia, piè desæuit, prudenter indulget. Sanitatis artifex, aut præcidit, aut componit. *Est planè* (aiebat Tertullianus aduersus Gnosticos *cap.* 5.) *quasi sæuitia medicina de scalpello, deque cauterio, de Synapis incendio; non tamen secari, inuri, & extendi, morderique idcircò malum, quia dolores vtiles adfert. Nec quia tantummodo contristat, recusabitur, sed quia necessariò contristat, adhibebitur.* Oporteret aliquos parentes esse medicos, vt essent sanitatis artifices: dum verentur filios à latere suo seiungere dum recusant dignitate exaugurare, præter opinionem calamitatem exagerant, & infelicitatem filiis conciliant. Non ignorabat Heli, filios quos ad lumina extulerat dignitatum, potestate abuti, & ipsi muneri contumelioso existere; cúmque debuisset præmonitos, dum contumaces, à templo expellere, & dignitate interdicere, blandè nimis corripuit, & patientia illaudabili tolerauit: *Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo? Nolite filij mei.* Dum indulgenter tolerat, ne si depulerit, ipse eorum careat præsentia, & filij potestate iudiciaria, brachium conteritur, & vterque filius hostili gladio transuerberatur: *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Si duo exularent, quàm plurimi non perirent; ast dum dignitatem illis adnititur conseruare, eorum nocuit saluti, & totius familiæ splendori. Opportunè Theodoretus: *Horum iniquitas non egebat lenibus medicamentis, sed acerrimis. Oportebat ergo, cùm post primam, & secundam admonitionem perseuerassent in nequitia, eos à templi ambitu expellere.* Negotiatio esset dignitate duos mulctare, vt posset tota familia dignitatum fulgoribus resplendere: verùm dum eos tolerat, dum seiungere à latere detrectat infelicissimam mortem imprudenter solicitat, & posteros omnes à dignitate relegat. Opportunè Seneca *lib.* 1. *de ira, cap.* 15. *At corrigi nequeunt, nihilque in illis spei bonæ capax est. Tollantur è cœtu mortalium futuri peiora, quæ contingunt: & quo vno modo possunt desinant mali esse: sed hoc sine odio. Quid enim est, cur oderim eum, cui tum maxime prosum, cùm illum sibi eripio.* Tunc maximè Heli filiis prodesset, si illos sibi ipsis eripuisset, & vtili exilio mulctasset; doluit enim illos ferro hostili occisos, quia noluit videre dignitatibus denudatos.

§. LXXVI.

Vtilissimum est, contumacem posse depellere, & à proborum cœtu disiungere.

GRande detrimentum grex pateretur, si ouis morbida, & quæ alias tabe serpente inficeret, nequiret ab aliarum consortio separari; vt grande est commodum posse disiungi. *Morbidis pecoribus* (aiebat Seneca *lib.* 1. *de ira, cap.* 15.) *ne gregem polluant, ferrum demittimus, portentosos fœtus extinguimus.* Pietas est serpentem morbum restringere, & cæteris vnius incommodo prouidere. Aliquando religiosam vitam professi degenerant, & priùs generosum vinum in mordax, & acre transeunt acetum; qui si nequeant expelli, aut prauis exemplis alios inquinant, aut sermonibus deprauant; hos ergo posse amandare grande est commodum, non posse, nocentissimum detrimentum. Heli, vt Theodoreto placet, poterat à cæterorum collegio depellere filios institutum adulterantes, munúsque peruertentes: ergo indignationem incurrit, dum adeò vtili iure non vtitur, & religionis notam, virtutis iniuriam retinere conatur. *Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo?* Corripuit, sed parcentis vultu. Quid tunc? *Præcidam brachium tuum.* Et quare Heli brachium adeò seuerè præciditur? Quia Sacerdotij iniuria retinuit quos potuerat depellere. Ira Theodoretus: *Oportebat, cùm post primam, & secundam admonitionem perseuerassent in nequitia, eos à templi ambitu expellere.* Cæteris prodessent expulsi, nocuerunt crudeli misericordia retenti; & dum Heli facta sibi facultate non vtitur, digna seueritate mulctatur. Oppones, satis esse durum, post multos in religione annos positos religioso habitu denudari, & iterum sæculo committi. Audi Senecam iam datum. *Num quis membra sua odit, tunc cùm abscindit? Non est illa ira, sed misera curatio.* Crede, religiosum corpus aliquod membrum non sine dolore abscindere, est tamen vnius depulsio cæterorum curatio. Ni stomachus cibum saluti aduersantem reddat, euomátque, vita periclitatur, aut saltem concutitur: Non est vomitus iucundus, sed saluti necessarius.

TEXTVS.

VERS. XXIV. Nolite facere filij mei : non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.

§. LXXVII.

Prolabi est fragilitas, oculos non vereri, peruersitas.

QVi cautè delinquit, ipsa cautela delictum quodammodo accusat, & legum reuerentiam non calcat; qui verò non veretur publicum, ipsa insolentia agnoscitur adaugere peccatum. *Alieni facti iure* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 13.) *inuidiam sustinet, qui peccatis præstat exemplum.* Qui non timet scandalis alios proritare, aut offendere, in se armat seueritatem, & quam edocuit, culpam iustissimè luit. Adamo intra paradisi septa peccanti video misericordiam exhibitam: Caino in aperto campo fratricidæ pœnam inflictam, & mitem grauissimam irrogatam. Filij Heli iam sibi maturauere supplicium, cum omnibus præbuerunt scandalum. *Quare facitis res huiusce modi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo?* Quasi dicat Heli eos obiurgans: Quare sic peccatis, vt scelus non lateat, sed ipsa sua publicitate inuerecundè iura contemnat? Peruersitas inuerecunda, audax insolentia nil habuit, quo se defenderet, quando insitum à natura pudorem abiecit, & culpam incrementauit. Publicè perierunt, qui deliquerant publicè: *Præcidam brachium tuum*, & diuina iustitia grauitate supplicij honori suo prouidit, & exhibere legibus reuerentiam edocuit: *Ista erant mala* (inquit Abulensis *quæst.* 11.) *ita manifesta, quòd nequaquàm celari poterant.* Peccatum absconditè etiam perpetratum est fœdum, verùm si verecundiæ metas transiliat, si detestabili temeritate, sibi de publico plaudat, veniam sibi impedit, & cœlestis indignationis flammas accendit.

§. LXXVIII.

Ecclesiasticorum culpa laicis est quodammodo delinquendi licentia.

SAcerdos pro placando Numine, pro abstergendis delictis, pro concinnandis moribus consecratur. Hinc, quod populatis à tanto viro intuetur patrari, arbitratur sibi licere; & quæ non fiat culpa excusabilis, si Sacerdos deliquerit. *Vnde æstimate* (aiebat Theodahadus 10. *variar.* 13. Senatores alloquens) *cui debeat populorum inanis leuitas imputari, nisi vestro ordini, à quo decuerat cuncta componi. Per vestram siquidem sapientiam admoneri prouincias oportuit vniuersas: vt talia probarentur assumere, quæ Principis primordia viderentur ornare. Verùm quæ ciuitas non fiat excusabilis, si Roma deliquerit.* Maiorum piacula minoribus sunt scuta; & quare plebeius à se patratam non defenderit culpam quando Senator grauiorem commisit offensam? Heli filij iudiciaria, ac senatoria potestate condecorati, & Sacerdotio insigniti eis criminibus polluebantur, vt nullius notitiam fugerent, imò honestas aures diuerberarent: *Non est bona fama, quam ego audio* (aiebat pater) *vt transgredi faciatis populum Domini.* Inquires, cur populi peccata, vel eorum pater Sacerdotibus adscripserit, & transgressionis efficacem fuisse causam verbis clarissimis asseruerit: *Vt transgredi faciatis populum Domini?* A lege Dei discedere admonitione execrabili non suadebant, & tamen eis populi transgressio applicatur, nec populus hic de transgressione, aut punitur, aut reprehenditur. Et cur. Heli populum non carpat, & Sacerdotes solummodo reprehendat? Quia sibi factam licentiam transgrediendi leges existimauit plebeius, dum ceremonias, & statutas sacrificiorum leges proculcabat altaribus dedicatus. *Pro malitia eorum* (inquit Lira) *populus retrahebatur à sacrificiis debitis, & à debita reuerentia erga Deum.* Lex tempora sacrificiis præscribebat, & ad sacrificia obligabat; verùm populus, dum vidit Sacerdotes ceremonias contemnere, existimauit sibi licere sacrificia obliuioni tradere. Ergo Heli populum, licet sacrificia non offerret, non carpsit, sed in Sacerdotes inuexit, quasi populo esset Sacerdotum culpa transgrediendi leges licentia.

§. LXXIX.

Qui dissimulat domesticorum errata, nequit corrigere aliorum delicta.

ELinguis est, vt aliorum carpat scelera, qui suorum dissimulauit errata, & reus iniquam opponet correctori patientiam, quo propriam defendat culpam. Ipsa conscientia vocem aufert, & vbi cognitor aliam pro suis, & pro aliis sententiam fert, in se armat linguas, & sustinet iustas querelas. *Quod iustius pœto* (aiebat Plinius Aristonem alloquens 8. *epistolar.* 14.) *primum vt erroris, si quis est error, tribuas veniam, deinde medearis scientia tua cui superfuit curæ, sic iura publica, vt priuata, sic antiqua, vt recentia, sic rara, vt assidua tractare.* Cùm idem ius propriis, & extraneis sit, vel omnes, si delinquant, dissimulandi, vel eadem sunt lege puniendi. Non dubito, nonnullos audaci insolentia sibi, suisque parcere, & alios seuerè premere; hoc iam audaciæ metas excedit, & impudentiæ limites transit. *Nostine hos* (aiebat datus supra Plinius *epist.* 22.) *qui omnium libidinum serui, sic aliorum vitiis irascuntur, quasi inuideant, & grauissimè puniunt, quos maxime imitantur.* Videas aliquando criminis iudicem, criminis etiam imitatorem, quod in se parcit, in alio punit; frequentius tamen est ora obmutescere ad alios, si obmutuerunt ad suos. Populus à sacrificiis Domini retractus delinquebat: Recedebant à lege, alienabantur à iure, nec inuenies Heli hanc populo obiecisse culpam, cùm satis fortiretur notitiam. Iam si causam quæras. Textus insinuat, filios leuissimè carpsit, ne eorum animos exulceraret, aut tristitia afficeret: *Quare facitis res huiusce modi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.* Non ignorabat populum leges violare, suis tamen parcens ausus non est transgredientes corrigere, & erga filios indulgentia claudebat erga cæteros ora. *Ne filiorum animos* (inquit noster Sanctius) *aut amare contristet, aut grauiter exulceret. Tantum dicit illos in causa esse, vt populus diuina transgrediatur præcepta.* In causa erant, vt populus nulla reprehensione refrænaretur cohibitus, quia paternus parcebat filiis affectus.

§. LXXX.

Aliquando clamoribus iudicis obsurdescit auditus, quia reis inclinatur affectus.

DElicta voces suas habent, quibus se produnt, & aures feriunt: verùm vt serpens aures suas obturat ne quid incantamenti ad eas perueniat; sic aliquando affectus aures sepit, & clamoribus obsistit. *Quid hic deperit* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap.* 1.) *legibus in suo regno dominantibus, si audiatur?* Nil legi deperiret si legi, eiusque clamori pateret auditus; tamen deperit plurimum, quia surditate occlusit affectus. Ea erat Heli filiorum, & auaritia, & luxuria, quæ omnes ad clamandum cogeret, & ad expostulandum compelleret, verùm iudicis quodammodo obsordescebat auditus, quia pro filiis stabat affectus: *Nolite filij mei:*

MAXERA Lib. I. Regum. C. IV. 15

non enim est bona fama, quam ego audio. Clamor iudicem adurgebat, sed pater dissimulabat. Notauit Abulensis *quæst.* 12. *Totus populus acclamabat coram Heli.* Adnectit paulò post: *Ecce qualiter corrigebat Heli filios suos, sed leuissima erat talis correctio collata ad magnitudinem peccatorum.* Clamabat maritorum honor violatus, vociferabatur ritus sacrificiorum contemptus, & tamen Heli clamoribus denegabat auditum, quia tenerum impendebat filiis affectū. Nullus erat è populo, qui expostulans aures iudicis non feriret, sed erat clamor inanis, imò Heli hoc magis gloriabatur: quòd eius potestas quiret filios absoluere, & clamoribus obsurdescere.

TEXTVS.

VERS. XXV. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.

§. LXXXI.

Periculosum est Dei maiestatem contemnere, & in eius oculis irreuerenter delinquere.

EA est diuina misericordia, vt nulla culpa careat medela. Pœnitentia quidquid error inquinauit, quidquid cæca persuasit voluptas, quidquid audax perpetrauit temeritas vertit, & radit, & foras prorsus expungit. *Horum bonorum* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentia cap. 2.*) *vnus est titulus, salus hominis criminum priſtinorum abolitione præmissa. Hæc pœnitentiæ causa, hæc opera negotium diuinæ misericordiæ curans, quod homini proficit, Deo seruit.* Itaque in pœnitentiæ myrothecio nulli non culpæ inueniuntur medicamina *Omnibus ergo delictis* (adnectit Tertullianus *cap. 4.*) *seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per iudicium destinauit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit.* Verùm etsi delictum nullum expers sit medicinæ, est aliquod, cui difficilis indulgentia. Peccata in hominem commissa Deum offendunt sed obliquè quodammodo, & mediatè. Stat cum Numinis reuerentia fragilitate prolabi humana. Adest debitam ei reuerentiam denegare, factis maiestatem contemnere, diuinam indignationem viuidiùs exulcerat; & immediatiùs exasperat: Ergo cùm Ophni, & Phinees non solùm libidinibus vacarent, sed incuriosè, & sordidis manibus sacrificium offerrent, admonuit pater delicta alia posse iram effugere; quæ immediatè vero in Dei maiestatem & reuerentiam pugnabant, mulctam seueriſſimā sustinere: *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Hunc penitiorem huius sententiæ sensum esse tradit noster Sanctius: *Omnia* (inquit) *peccata, quantumvis contra hominem aliquam Deo faciunt iniuriam, quia legem ab ipso latam conculcant, & violant.* Adnectit: *Multò tamen grauius offendunt Deum, si illius, cultum, & reuerentiam propriùs offendunt; qualia sunt, quæ Dei domum aliqua ratione contaminant, quæ altari detrahunt, quæ sacrificiorum ritus, ordinémque conturbant.* Dolenter admonuit, ne in sacrificando, & in Numinis oculis delinquerēt, quia iam præsagiebat, ciusmodi delicta velut i maiestati iniuriosa seueriſſimo rigore punienda, & supplicia patrociniis, aut intercessionibus nullis mitiganda. O timeant! qui altare contemnunt, qui oblata distrahunt, qui templum polluunt.

§. LXXXII.

Stragem sibi conciliat, qui Deo sacrata aut subripit, aut imminuit.

OMnia peccata auctori inueniuntur aduersa, fallunt blandiſſima specie, sed dum blandiendo fallunt, altiſſimè feriunt; ea tamen grauiorem sibi stragem maturant, quæ aut religioni oppositā aut rerum Numini sacrarum cæca rapacitate polluerunt auida. Sacrilegus veste aurea Appollinem, Deum etsi falsò habitum, denudauit; sed audaces manus abscisſæ sunt, vt neque potiri possent rapina, neque euaderent dignam pœnam. Ita Valerius *lib. 1. cap. 2. Acer sui Numinis vindex Apollo, qui Carthagine à Romanis oppressa veste aurea nudatus id egit, vt sacrilegæ manus inter fragmenta eius abscisſæ inuenirentur.* Quæ in Numen ausa manus abscisſa est, vt constaret omnibus, peccata in ipsum Numen, & in res sacratas commisſa, grauiſſimis pœnis plectenda. Ophni, & Phinees insanis appetitionibus inseruiebant, & violenter fœminas constuprabant; nec solùm polluebantur libidine, sed victimarum etiam rapacitate, iura adulterantes, ceremoniásque contemnentes. Heli delictorum fama perculsus filios admonuit, grauiorem sibi maturare stragem, quàm libidinosa concupiscentia, execranda rapina: *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Ac si dicat: Alia errata veniæ relinquunt locum; at sacrorum rapina, & in ipsum Numen procax audacia, dum iudicis inflammant iram, difficulter effugiunt pœnam. Ita Abulensis *quæst. 16. Quamquam vtrumque peccatum filiorum Heli esset graue, tamen Heli solùm tetigit de peccato in Sacerdotio.* Adnectit: *Quando Deus prædixit mala futura propter peccatum filiorum Heli, solùm fuit tactum de peccatis circa victimas & istud est peccare in Sacerdotio.* Itaque fragiles vacabant libidini, impij delinquebant in munere Sacerdotali: ergo non adeo exacerbauere indignationem diuinam carnis negotia tractantes, quam de victimis detrahentes. Consonat Tertullianus aduersus Psychicos *cap. 16. Eliditur pro templi foribus senior Heli, filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu: hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens sacrificiorum carnalium defraudatrix.* Leuiori pœna mulctarentur fœdis libidinibus æstuantes grauiſſimam subierunt sacrificia diripientes: audere namque in Deo sacrata, duriſſima mulctatur frequenter pœna.

§. LXXXIII.

Filij, si salubres parentum admonitiones contemnant, stragem sibi maturant.

PArentes non recusant pro filiis anxios labores subire, & pericula deuorare; eis beneficiis, quæ vel extraneam possent obligare personam, conantur promereri sibi obedientiam; verùm nonnunquam filij nomina pietatis lædunt, & salubri parentum admonitioni resistunt, & dum ad consilia surdi, sibi ipsis inueniuntur aduersi; nam neglectum consilium grauiſſimum afferre solet dispendium. *Gemus pietatis est* (aiebat Cassiodorus 1. *variar. 14.*) *in illos distringere, qui contra naturæ ordinem sceleſtis se docentur actionibus miscuisse.* Filius ad parentum monita obsurdescens, patronum in accusatorem vertit, & contumacia vitam sibi ipsi præcidit. Audi oraculum Deuteronom. 21. *ver.* 18. *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat patris, aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit... lapidibus eum obruet populus ciuitatis.* Lapidum dura grandine interit percussus, qui parentum consiliis noluit resipiscere admonitus. Notauit Philo *lib. de temulentia: Æquum erat habere parentes accusatores pro aduocatis; quorum est officium omnem admonitionem, castigationémque exhibere*

exhiberè sanabilibus. Sceleribus se saucianti adhuc est in parentum admonitione medela, quam si respuat dura peribit vindicta. Filij Heli fœdis se peccatorum excessibus polluerant, diuina tamen patientia, vt resipiscerent, expectabat. Pater eos corripuit, & grande eis periculum imminere præmonuit: verùm patris monita spreuerunt surdi, & criminibus correctionem contempserunt addicti: ergo quos antea sustinuerat patientia, iam sententia addicit morti seuera: quasi ante patris admonitionem aliquod superesset remedium, & admonitione contempta nullum illis remaneret effugium: *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Hoc solùm illis manebat medicamentum, quod dum non profuit, seuerum mansit supplicium. Opportunè Rabbi Dauid: *Cum impij peccata peccatis cumulant, Deus illis postremò iter ad resipiscentiam recludit, partim vt suorum scelerum dent pœnas, partim vt huiusmodi exemplis pij admoniti sibi diligentius caueant.* Ostendit horum supplicio Deus, parentum monitis acquiescentes pœnam delictorum effugere, & infelici surditate contemnentes vitam sibi præcidere, & stragem luctuosissimam maturare.

§. LXXXIV.

Scelerum pœna est interioris surditas auris, & obstinata durities cordis.

PEccata peccatis adiecta cordis afferunt obstinatam duritiam, & impediunt ad resipiscendum viam. Qui venenum hausit, oculorum lucem amittit; aurium incurrit surditatem, mentis torpedinem. *Si plagam sauciauerit* (inquit Tertullianus aduersus Gnosticos *cap. 1.*) *intimat virus, & properat in viscera statim omnes pristini sensus retorpescunt, sanguis animi gelascit, carne spiritus exolescit.* Deprauatus veneno oculus non videt, auris peste vulnerata non audit, & cor ardorem solùm, quo aduritur, sentit. Medicinam Deus Adamo approperauit, ne si serpentis sibilis assuesceret, eius vocem non audiret: *Vbi es? Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiso.* Philo *lib. 2. Allegoriarum*, notauit Euam non vocatam: *Cur solus Adam vocatur, qui mvis vxor vna lateat?* Fors Euæ auris serpentis sibilo infecta non audiret vocata, & fors ab eis latebris quàm citò Adamum eduxit, ne si diu venenum serperet, & ipse detrectaret audire. Adnectit Philo: *Responsio talis esse potest, qua etiam Adam vtitur. Vbi sim, audiui: vbi hi, qui Deum videre non possunt; vbi qui Deum non audiunt; vbi qui ab auctore omnium rerum volunt se abscondere; vbi qui virtutem fugiunt; vbi qui exuti sunt sapientia.* Ad eas peccati latebras Adamum eius culpa duxerat, vbi Dei vocem non audiret, & ni adeò propera subueniret Dominus medicina, inolescens surditas facile salubria non admitteret remedia. Filij Heli rapinis, & libidinibus assueti ad parentis monita obsurdescunt: *Non audierunt vocem patris sui.* Criminis consequentia fuit occlusus auditus, & prauæ appendix consuetudinis obduratus affectus. Ita Abul. *q. 21. Si isti filij Heli obediuissent sermonibus patris conuersi fuissent ab iniquitatibus suis prioribus, & tunc Deus non occideret eos, nec influxisset pœnam pro peccatis ipsorum, sed Deus voluit occidere eos, quia peccauerunt, ideo noluit, quod obedirent verbis patris.* Criminum pœna fuit aurem interiorem occludi, & animum indurari. Ergo dum obsurdescunt ad monita, miseranda subeunt supplicia; inopinè corruunt hostili gladio percussi, & immatura ætate sublati, nec enim poterant diu viuere, qui ad parentum salubria monita adfectabant obsurdescere.

TEXTVS.

VERS. XXVI. Puer autem Samuël proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus.

§. LXXXV.

Sic in aliquibus interior relucet gratia, vt mirè allexerint sibi corda.

HOc expositum est (inquit Seneca *lib. 4. de Beneficiis capit. 16*) *pulchriùsque quàm vt splendor eius dubiè, ac parum luceat. Quid tam laudabile, quid tam æqualiter in omnium animos receptum, quàm referre beneméritis gratiam?* Sic thesi Senecæ verba accommodo: Ea scilicet pulchritudine virtus floret, vt omnium sibi gratiam conciliet; & is est aliquando promanans ab interiori virtute splendor, vt intuentium oculos & alliciat, & trahat. *Sic natura comparatum est* (aiebat Philo *lib.* Quod detetiùs) *vt iustitia primum quietem pro labore inducat.* Adnectit: *Homo repletur gaudio sicut Sara: ait enim: Risum mihi fecit Dominus; & addit: Nam quicumque audierit, gratulabitur mihi.* Dum Deum hospitio recepit, & interius gaudium fouit, & gratulationes omnium acquisiuit; & Samuël etiam ea interiori gratia ornabatur, ea relucebat exteriori modestia, vt Dei oculos ad se traheret, & omnium beneuolentiam acquireret: *Placebat tam Domino, quàm hominibus.* Heli filij hominum conflarunt sibi odium, & meruerunt Numinis supercilium: Samuël verò eis prærogatiuis effloruit ornatus, vt Dei gratiam, & hominum conciliarit beneuolentiam. Ad rem Abulensis *quæst. 21. Istud est donum quoddam Dei, scilicet vt ipsi, qui Deum diligunt, etiam ab omnibus diligantur.* Dilectus Deo, & hominibus resplenduit, & sic eius in animo efflorui gratia, vt magnetis adinstar traxerit corda.

§. LXXXVI.

Mirandus, qui in ætate immatura virtute resplenduit cana, & perfecta.

COctio Spurinnæ filio statua decreta est; nam ea ætate, qua cæteri bella virtutibus indicunt, vitij expers floruit, & enituit. *Coctio* (scribit Plinius 2. *epist. 7.*) *habitus est honor statuæ. Rarum id in iuuene.* Adnectit: *Tam clarum specimen indolis dederat, vt vita eius breuis, & angusta debuerit hac veluti immortalitate proferri. Nam tanta ei sanctitas, grauitas, auctoritas etiam, vt posset senex illos prouocare virtute, quibus nunc honore adæquatus est.* Coniungere cum iuuenili ardore maturam prudentiam, cum intemperanti ætate pudicitiam, cum fortuna modestiam, dignum fuit, quod immortali donaretur honore. Quàm singulare etiam in Samuële fuit eisdem gradibus virtute, & ætate crescere, & senilibus moribus acerbam illam ætatem corrigere, & castigare: *Samuel proficiebat, atque crescebat.* Augebatur ætas, & tenore eodem probitas. Ita Chrysostomus: *quanquam ætas esset immatura, virtus tamen aderat matura.* Consonat Lira: *Proficiebat, ætate scilicet, & virtute.* Florida iuuentus captiosas insidias non moliebatur virtuti, sed virtus ætatis medebatur ardori. Ergo Dei promeruit gratiam, & hominum etiam beneuolentiam: *Placebat tam Domino, quàm hominibus.* Erat in miraculum iuuenis refragante tempore senis; cùm vt plurimum adolescentia inseruiat insanis appetitionibus, & concinnis opponatur virtutibus.

NAXERA
Lib. I.
Reg. II.
C. IV
15

§. LXXXVII.

Deprædicanda prudentia est, sic Deo seruire, vt hominibus placeas, sic hominibus placere, vt Numini inseruias.

ARduum est, & periculosum inter scopulos nauigare; sicque nauim regere, vt feliciter possis portum appellere: ea tamen est alicuius naucleri prudentia, vt placido transcursu nauigium dirigat, & periculosas syrtes euadat: inueniuntur tamen eiusmodi naucleri paucissimi, alij ambitionis gubernaculo, cupidinis vento à ratione discedunt, humanam gratiam exambientes, & volaticum plausum desiderantes. *Vniuersam vitæ conuersationem sine gubernaculo rationis transfretantes* (aiebat Tertullianus *de Pœnitent. cap. 1.*) *imminentem sæculo procellam vitare non norunt.* Ob id Paulus aiebat: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem, ad Galat. 1. vers. 10.* Docuit, humanum fauorem virtutis detrimento, nec emendum, nec procurandum; virtuti namque officit fauor; alij è contrario horrido supercilio homines adspiciunt, & inurbani, ac intractabiles ab aliorum conuictu recedunt. In vtroque peccatum est, nec vt colatur virtus, est inurbanitas sectanda, & affabilitas expungenda, nec, vt adquiratur fauor, virtus violanda. Prudens funabuli adinstar sic actiones suas librat, vt Deo seruiat, & homini proficiat, scit enim verum esse, quod aiebat Tertullianus iam datus *cap. 2. Quod homini proficit, Deo seruit*: ergo studet homini proficere, & Numini famulari. *Ad hoc* (quærit Seneca *epist. 92.*) *quomodo perueniturr?* Iam respondet: *Si veritas tota perspecta est, si seruatus est in rebus agendis ordo, modus, decor, & innoxia voluntas, aut benigna, intenta rationi, nec vnquam ab illa recedens, amabilis simul, mirabilisque.* Voluntas innoxia, vrbana, benigna omnium sibi elucraturr beneuolentiam, & cælestem adauget gratiam; quod factis Samuël edocuit nulli noxius, omnibus vrbanus, benignúsque amorem sibi conciliauit, & rationi obtemperans virtute profecit: *Placebat tam Domino, quàm hominibus.* Candidus, & vrbanus placebat homini, virtutibus excultus Numini, vt eius demireris prudentiam, & laudabilem viuendi formam. Notauit noster Sanctius: *Viuendi forma, vt erat Deo grata, sic etiam apud homines, & excitabat admirationem, & conciliabat gratiam.* Nonnulli inciuilitate virtutem reddunt odiosam; at Samuël talis erat, vt comitatem, virtutémque coniungeret, & se Deo, & hominibus amandum redderet.

§. LXXXVIII.

Satis non est Dei ministro interiori sanctitate fulgere, sed opus, suaui opinionis odore fragrare.

AD Ecclesiasticæ dignitatis culmen promotus omnium debet virtutum lumine resplendere conspicuus, & ita vitare fascinum laudis, vt non abscondat, sed omnes recreet suauissimo odore virtutis. Abscondant alij sanctitatem, fugiant oculos; illis namque est satis conscientia: at Dei ministris, & conscientia est opus, & fama. Iacob in vtero matris triumphauit; verùm infulis Sacerdotalibus indutus, quoúsque suauissimum odorem emisit, benedictionem non impetrauit: *Statim vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni: cui benedixit Dominus.* Sacerdotales fuisse vestes tradit Lira: ergo Sacerdori satis non fuit interna victoria, sed exterior etiam fragrantia. Ob id Samuël Dei minister, & Deo placere studuit, & optimam apud homines opinionem curauit: *Placebat tam Domino, quàm hominibus.* Homines interna non penetrant, de exterioribus iudicant: ergo Samuël ea se circunspectione gerebat, vt nec leui indicio sinistram ingenerauerit suspicionem, immò egregiis factis semper commendarit virtutem. Notauit Hugo Cardinalis: *Placebat tam Domino per mundam conscientiam, quam hominibus per bonam famam, & ita habebat balsamum famæ, & oleum conscientiæ, ex quibus conficiur crisma, quo inungitur omnis Christianus.* Qui Christi scholam intrat, crismate inungitur, quo & fulgere integra conscientia, & fragrare suauissima edocetur fama. Vt hinc discant bis inuncti, quàm teneantur virtutibus expoliri, & quidquid bonæ famæ opponitur, aduersari.

§. LXXXIX.

Dei ministri adspectus ad Dei prouocet laudes, & aspicienti inspiret virtutes.

LVx splendoris flore tenebras detergit, & oculis visum restituit: Lux sine lingua docet scandala vitare, & prætensas tendiculas fugere: *Vos estis lux mundi* (aiebat Christus discipulos alloquens) *Matth. 5. vers. 14.* vt lucis naturam imitati non solùm non obtenebrescerent tenebris deturpati, sed aliorum caligines propulsarent conspecti. *Etsi eloquium quiescat* (aiebat Tertullianus *de pallio cap. 6.*) *aut infantia subductum, aut verecundia retentum (nam & elingui philosophia vita contenta est) ipse habitus sonat. Sic denique auditur Philosophus, cùm videtur. De occursu meo vitia suffundo.* Sonat elinguis modestia, sonat tacita verecundia, ipse habitus, & aspectus pro voce est: quod in Samuële comperies; adhuc puerulus, quando ætas frænabat linguam, quando verecundia subducebat loquelam, sic lucebat virtutibus exornatus, vt virtutes inspiraret solummodò aspectus: *Proficiebat, atque crescebat.* Virtutum augmentis aliis proficiebat, & ad virtutes aspectus solummodo prouocabat. Accipe Chrysostomum: *Nec qui quam viso puero tacitus descendebat, sed omnes glorificabant illum, à quo præter spem datus est.* Puer gratiarum manibus factus eam modestiam ore præferebat, vt ad Dei laudes prouocaret, & mores intuentium componeret; vt repetat Tertullianus: *Etsi eloquium quiescat infantiæ subductum, aut verecundia retentum, ipse habitus sonat.* O vtinam Dei ministri de occursu suo vitia suffundant, & taciti ad virtutes promoueant!

§. XC.

Magisterij honor non tam debetur tempori, quàm virtuti.

MOribus esse debet conspicuus (aiebat Cassiodorus *3. variar. 3.*) *qui datur imitandus.* Prolixi anni per inertiam traducti eligendo refragantur, nec potest alios efformare doctrina, qui sibi famam non acquisiuit probitatis, & scientiæ gloria. Qui longa virtutum exercitatione incanuit, iure aliis præpositus lumine dignitatum resplenduit. Suffragium à sola senectute est iciunum, petitum à virtutibus est honestum. Eodem tempore Heli, Samuëlque templum incolebant, & quamvis Heli ætate longævus, & Samuël iuuenili ætate floridus non placebat ad templum inuolantibus senem audire, quia malebant iuuenem auscultare. *Placebat tam Domino, quàm hominibus.* Placebat hominibus iuuenem consulere, & legem à Deo edoceri. Heli senectus iuuentuti postponebatur, nam magisterij honor non tam debetur tempori, quàm sapientiæ, & virtuti. Notauit Chrysostomus: *Ascendentibus in templum omnibus, multæ pietatis magister factus est.* Vel refragante ætate omnium est factus magister, immò ipsa iuuentus virtuti, sapientiæque incrementabat elogium, & mirandum reddiderat magisterium. De nostro Samuële potuit repetere Theodericus, quod *2. var. 1.* Anastasio Imperatori scribebat: *Dignus planè largitatibus nostris, qui in ipso pueritiæ flore maturis moribus lubricam frænauit ætatem; & quod rarum continentiæ bonum est, patre priuatus, gratuitis*

factus

factus est filius. Cupiditatem inimicam sapientiæ subiugauit: vitiorum blanda contempsit: superbiæ vana calcauit. Ita superatis excessibus ante dare visus est de moribus Consulatum. Ad templum confluentes inspecta iuuenis probitas sibi conciliabat, & bonis institutis ornatum præ sene æmulare vti magistrum suadebat: *Ascendentibus in templum omnibus multæ pietatis magister factus est.* Magisterij honorem non senectute acquisiuit, sed virtutibus comparauit.

TEXTVS.

VERS. XXVII. Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Nunquid non apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm esset in Ægypto in domo Pharaonis?

§. XCI.

Angeli nobis sæpè futura denuntiant pericula, vt studeamus opportuna adhibere remedia.

ANgeli, quibus Deus de nobis mandauit, solicitè adeò nostram procurant salutem, vt suam videantur in ea sortiri tranquillitatem. Pericula arcent, salubribus nos dirigere conantur consiliis, & captiosis expediunt laqueis. De beatissimis spiritibus, quod primo variar. 1. potuisset dicere Cassiodorus: *Vos estis regnorum omnium pulcherrimum decus; vos totius orbis salutare præsidium... Regnum vestrum imitatio: vestra forma est boni propositi vnici exemplar imperij, qui quantum vos sequimur, tantum gentes alias anteimus* Plurimis anteibimus felicitate, & virtute, si sanctorum Angelorum, & amplectamur monita, & sequamur vestigia. Ea erga nos charitate inardescunt, vt quò nobis prosint, & splendorem obnubilent, & personam alienam induant. Heli amore filiorum obcæcatus imminentia sibi non præuidebat pericula. Ergo Angelus, vt Hebræis placet, humanam assumit formam, vt prædicens appetentem impediret ruinam: *Venit vir Dei ad Heli.* Hebræi, teste Hugone, autumant virum hunc Angelum fuisse humana similitudine indutum: *Vir Dei, id est, Angelus Dei secundum Hebræos.* Angelus, vt impendentis mali denuntiatione Heli veluti dormientem excitarit, inuolat, & censeri hominem non detrectat. Nostram adeò Angeli salutem suspirant, ardenter adeò incolumitatem exoprant, vt non solùm internè admonendo pericula auertant, sed externa etiam humana forma nobis appareant, & vt fugiamus periculum prouida charitate prædicant.

§. XCII.

Plures in aduersa fortuna coluerunt virtutem, qui in prospera secuti sunt prauitatem.

NIhil nobis erit (aiebat Tertullianus, etsi aliorsum de testimonio animæ, *cap.* 1.) *cum litteris, & doctrinæ peruersa felicitatis.* Docet felicitas inflari, docet superbire, docet iugum omne legis excutere. Quam ardenter homines felicitatem suspirant, si nossent, fugerent. Quæ sunt fortunæ insidiæ, munera putantur; fugitiua luce oculos perstringit fastigium, & sub illa aurea bractea mortale solet latere venenum. In abiecta sorte & spiritus depressior, & animus humilior, & ad virtutem paratior. *Maximæ virtutis gloriam commendat* (Homerus) inquit Plutarch. *lib. de Homero, cùm Achillem quidem facit, non fortem modo, sed & formosissimum, & pedibus velocissimum, & natalibus summis ortum, illustrique patria, & summi deorum auxilio adiutum.* Summi Dei egebat auxilio, tot fortunæ, naturæque dotibus exornatus, ne sordesceret vitiis obscurus. Magnum est à calamitate non vinci, sed maius de prosperitate triumphare. *Laudabile quidem esse statuunt* (adjicit Plutarchus) *& admiratione dignum in doloribus, morbo, paupertate, aliisque non sponte nostra accitis calamitatibus vti animi virtute malis resistente; non tamen expetendum hoc neque beatum. At in prosperitate sapere id reuera esse felicis.* Itaque apud Philosophos non adeò mirandum erat in calamitate virtutem colere, ac in prosperitate sapere. Et quidem experientia edocuit aduersitate non deiectos, iacuisse ipsa felicitate concussos. Seruitute oppressa Aaronitica familia meruit à Deo eligi, & sacris infulis exornari: *Numquid non apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm esset in Ægypto in domo Pharaonis?* In domo Pharaonis electa est Aaronis domus ad apicem dignitatis, & in dignitatis apice, ac Dei tèplo meruit dignitate priuari, & suppliciis repetitis puniri: *Loquens loquutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum: nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me.* Fortunatus displicuit, captivus placuit; laboribus diuexatus meruit Sacerdotale fastigium; in fastigio inuenit & supplicium, & passus est dignitatis naufragium, vt noueris, plus à felicitate, quàm ab aduersitate timendum, solicitiúsque inuigilandum. *Aaron, à quo descendit iste Heli, vt dictum est supra primo capitulo* (inquit Lira) *per Domini reuelationem ibat obviam fratri suo Mosi, & tunc reuelatum fuit sibi, quòd futurus erat summus Sacerdos.* In domo Pharaonis sacerdotium promeruit sortiri, in templo sacerdotio meruit nudari.

§. XCIII.

Non semel ex infima fortuna ad dignitatem electus, electoris honorem proculcat tumidus, aut ingratus.

TVtius est quosdam offendere, quàm beneficiis ornare: argumentum nihil debentium ingrato tumore quærunt, & à gratitudinis legibus prorsus deficiunt. *Rariores in eorum officiis sunt* (aiebat Seneca *lib. 2. de Benefic. c. 23.*) *quibus vitam, aut dignitatem debent: & dum opinionem clientium timent, grauiorem subeunt ingratorum.* Verùm etsi hoc mortalibus vitium commune sit, eo præcipuè solent laborare, qui ex infima fortuna inopinis successibus ad dignitatum culmina ascenderunt: humiliter, summisséque se initio gerunt; posteà tamen eo tumore inflatur, ea inflatione tumet, vt electoris honorem proculcarint, vt cupidini, aut vanitati inservierint. Non patitur auiditas quenquam esse gratum: vt aduletur sibi, electoris aduersatus honori, & què studiosiùs debuisset colere, impudentiùs solet benefactorem despicere. Deus Aaronicam familiam à compede liberauit, & ad supremas Sacerdotij infulas extulit: *Numquid nō apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm esset in Ægypto in domo Pharaonis?* In Ægypto premebatur Aaron obscura seruitute, à sordidis laterum operibus ad dignitatem euectus est, & cum familia tot obstrictà beneficiis electoris deberet honorem tueri, & deuotiùs famulari, victimas sibi rapiens altaria contemnebat, & diuinum honorem calce quodammodo proculcabat: *Calce abiecistis victimam meam.* Et addit: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Electorem contemnebant electi, & eius splendori aduersabantur ex infima fortuna extracti. *Porrò abjicere calce* (inquit noster Sanctius) *nihil est aliud, quàm conculcare, aut pedibus impactis* (*quod graue existimatur ignominiæ genus*) *quasi aliquid esset futile, ac sordidum, procul abjicere.* Ea cupiditate flammescebant, ea turgebant superbia, vt Dei victimam contemnerent, & eius maiestatatem despicerent. A nullo alio tantam Deus ignominiam accepit, quantam ab Aaronica familia tulit: nullus alius sic diuino honori inueniebatur aduersus, vt qui à seruitute ad summam dignitatem elatus. Sæpè namque ex infima fortuna ad dignitatem euectus electoris honorem innubilare conatur, aut tumidus, aut ingratus.

NAXERA
L. 6. I.
Reg. 10.
C. IV
15

TEXTVS.

VERS. XXVIII. & XXIX. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in Sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me, & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. Quare calce abiecisti victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos, quàm me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei.

§. XCIV.

Aliquando minister ad Principis vtilitatem electus, propriæ indulget cupidini auarus.

EO *maiora cupimus* (aiebat Seneca 2. *de Beneficiis, cap.27.*) *quo maiora venerunt: multòque concitatior est auaritia in magnarum opum congestu collocata. Vt flammæ infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit, æquè ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quæ quondam eius fuit impudens votum.* Ea contigit nonnullos sortiri, quæ nec temeraria cupiditas auderet desiderare, & diuitiarum copia exundantes, dignitatúmque luminibus refulgentes adhuc non quiescunt, sed plura hydropica siti exambiunt, & hoc sæpè eius detrimento, qui diuitiis cumulauit, & honoribus extulit. A principe dignitate donatus sibi applicat auarus, quod Principi debuisset sollicitare studiosus, & dum cupiditati, ambitioníque plures nesciunt modum imponere, omnia inueniuntur amittere. Elegerat Deus Aaronicam familiam, vt incensum adoleret, vt ephod portaret, vt adipes altari imponeret, & ne obsequium irremuneratum maneret, de sacrificiis non modicam partem adsignauit; verùm adeò longè erant ab augmentis Principis procurandis, vt execranda sibi diriperent auaritia, quæ Principi fuerant soluenda: *Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo?* Ac si dicat: ni vos honoribus extulissem, & copiosis sacrificiorum prouentibus diuitassem, nil mirum diriperetis vobis, mihi iure debita, legéque præscripta: verùm copioso censu munerati, & ad honorem, vtilitatémque meam electi meum neglexistis censum adaugere, studentes solùm diuitias vobis incrementare. Ita noster Sanctius: *Satis abundè prouisum est à Deo Sacerdotum non solùm necessariis vsibus, sed etiam abundantibus.* Adnectit: *Quo circa non adigebantur necessitate, quæ interdum culpam, aut omninò tollit, aut saltem elenat, vt aliena raperent, & illa etiam, quæ Deus sibi ex omnibus vindicabat.* Itaque quem sibi Deus adipem sacrificandum lege sanciuerat, sibi applicabant, & proprium censum census Dominici detrimento adaugebant ipsi, qui ad iura Principis tuenda delecti, & stipendiis copiosissimis munerati: O quoties ipsi, qui videntur Principis, Dominíque vtilitatibus inseruire, probantur propriis fraudulenter commodis studere! Quæ Principi debita, solicita indagatione perquirunt, sed cùm acceperint, Principis thesauro non reddunt, & grauius regalis facultas ab eis patitur detrimentum, quos delegerat ad subsidium.

§. XCV.

Cæca cupiditas exiguum mercatur lucrum grauissimo detrimento.

VLtra se cupiditas porrigit (aiebat Seneca 2. *de Beneficiis cap.27.*) *& felicitatem suam non intelligit.* Felicitas moderatione stabilitur, integritate in auara roboratur: verùm adeò exoculata est cupiditas, vt iniquis eam artibus adnitatur firmare, cùm certissimum sit destruere: æquitatis legibus parere; quod suum est cuique reddere, iustitiam intiolatam seruare, securissima sunt fortunæ fulcra, firma felicitatis sunt fundamenta. Alienæ diuitiæ sunt diuitiarum ærugo, & inde pereunt corrosæ, vnde putabantur adauctæ. Filij Heli fulgebant honore, & Sacerdotalibus infulis decorati, & satis abundè facultatibus copiosi: verùm dum pro sua tantum libidine debita Deo munera diripiunt, honorem, & propriam facultatem deperdunt. *Elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in Sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me. Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël.* Et cur tot, tantáque amisit? Quia pluribus contra ius, fásque cæca cupiditate inhiauit: *Quare calce abiecistis victimam meam... Præcidam brachium tuum*, id est, dignitate interdicam, qua priuatus & sacrificiorum carebis reditibus, & honoribus. Ita Interlinearis: *Præcidam brachium tuum, dignitatem, & robur Sacerdotij.* Vt acquirerent aliqua, amiserunt omnia. Propriæ felicitatis fuit tinea auaritia nunquam satiata. Potirentur honoribus, exundarent facultatibus, æquitatis legem secuti, & proprio censu contenti.

§. XCVI.

Qui cæca ad eligendum affectione ducitur, sibi, & electioni imprudenter aduersatur.

SEcurus celsa conscendit (inquit Cassiodorus 7. *variar. 13.*) *qui se in paulò minoribus approbauit, & certo procedit vestigio, qui gradatim desiderio potitur accepto. Sine merito siquidem remuneratum putatur omne, quod subitum est: nec inexplorati suspicionem refugit, quod repentè prouenerit.* Non conscendit celsa securus, qui dignis actionum suffragiis non præluxerit approbatus; nec certo proceder vestigio, qui obtinuit gradum cæcutienti solùm affectu. Non semel maturat stragem, qui affectione ductus procurat honorem; nec opportunè consulit dilecto, qui sine meritis satagit collocare fastigio. Heli, vt filios honoraret, ad dignitatem inconsultè extulit: *Magis honorasti filios tuos, quam me.* Verùm dum dignitatibus improuidè adauget, sibi, & illis calamitatem adscíscit, & dum amor properat præmaturare incrementa, luctuosa accelerat damna: *Præcidam brachium tuum*, id est, vt ex Interlineari vidimus, dignitate mulctabo: *Præcidam brachium tuum, dignitatem, & robur Sacerdotij.* Affectio, dum filios ad dignitatem effert, à familiâ suâ dignitatem præscindit. Ni extulisset filios, præcipitati non ruerent, nec præciso brachio lugerent. Ast dum existimat dignitatum splendoribus illustrare, probatur obscutis nebulis sepelire. Opportunè Gregorius apud nostrum Sanctium: *Filios, & propinquos magis quàm Dominum honorat, qui ad sacros ordines personas eligit, non ex conuersationis honestate, sed amore propinquitatis. Idcircò filij honorati referuntur, vt sacrificij primitias ederent, quia carnales Prælati spiritualis honoris culmina carnalibus propinquis ideò tribuunt, vt Ecclesiasticis facultatibus ditentur, & in altitudine ordinis cumulentur abundantia vbertatis.* Adnectit moralissimus Gregorius: *Nec curant quales sunt, qui ad spirituale ministerium veniunt; sed tantùm, vt temporali dignitati præferant, quos carnali affectione complectuntur.* Non expendit carnalis affectio dignitatem sine meritorum fulcris nutare, & inde emergere possidenti detrimentum, vnde sperabatur honoris, & commoditatis auxilium, & dum cæcè affectio ducitur, calamitas maturatur.

§. XCVII.

Parentes non tam curant filios virtutibus expolire, quàm facultatitibus adaugere.

DEsiderant parentes, ne filiis oneri sit paupertas, aut ipsi aliis, & ob id maximè satagunt eorum fortunam copioso auro fulcire, & magnis prouentibus onerare. *Quantum sat est nondum habeo* (aiebat quidam apud Senecam *epist.* 17.) *si ad illam summam peruenero, tunc me totum Philosophiæ dabo.* Ordinem peruertit, qui Philosophiam loco vltimo posuit: priùs debuisset se virtutibus expolire, & posteà honestè diuitias quærere: verùm cùm apud homines maiori in pretio sit, quàm morum concinnitas, superba diuitiarum vanitas, priùs studuit vanitati, posteà virtuti. Accipe Senecam: *Atqui nihil priùs quàm hoc parandum est, quod tu differs, & post cætera paras. Ab hoc incipiendum est. Parare inquis, vndè vitam, volo. Simul & parare discе.* Non discunt homines parare affectionibus præpediti, & falso iudicio obscurati; nec aliter quam erga se, erga filios se gerunt; priùs satagunt diuitias illis congerere, posteà ad Philosophiam traducere, cùm sine virtute diuitiarum cumulus miserandus fuerit plurimis casus. *Multis* (aiebat Epicurus data *epist.*) *paratæ diuitiæ, non finis miseriarum fuit, sed mutatio.* Dicere potuisset; sed exordium; sæpè namque inde erumpit calamitas, vnde sperabatur felicitas. Heli anxiis votis curauit, vt filij primitiarum censu splendescerent diuites non adeò studiosè, vt eorum concinnni splendescerent mores. *Magis honorasti filios tuos, quàm me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei.* Lautam illis procurauit mensam, non expolitam virtutibus vitam: ergo eorum brachium præcisum est: *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Non didicit fulcire fortunam, immò dum filios diuitiis satagit adugere; infortunia contigit maturare. *Præcidam brachium tuum* (inquit Interlinearis) *dignitatem, & robur Sacerdotij.* Diuitiarum cumulis honorati inseruierunt appetitionibus cæci, & copiosum aurum illis fuit præmaturum excidium; vt aliena in calamitate didicerint patres, priùs quam copiosas facultates, procurare filiis virtutes.

TEXTVS.

VERS. XXX. Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem comtemnunt me, erunt ignobiles.

§. XCVIII.

Probitas affert secum semper gloriam, improbitas ignominiam.

INter reliquos mortalium errores, ille & frequens, & infelix est, quod contraria via ad terminum exoptatum existimant se peruenturos, & placida fore quiete beatos. Exambiunt gloriam, discupiunt famam, satagunt stabilire sibi fortunam, sed contrarium iter ingressi, quo maiori impetu inuolant, maiori interuallo deuiant. Voluptas, auaritia, cupiditas infelicitatis, ac ignominiæ sunt officina, & inde nascitura arbitrantur gaudia. Sola virtus & felicitatem parit, & nutrit. *Euenit hoc nimia intemperantia, & amore cæco rei* (aiebat Seneca *de vita beata cap.* 14.) *nam mala pro bonis petenti periculosum est assequi. Vt feras cum labore, periculoque venamur, & captarum quoque illarum sollicita possessio est: sæpè enim laniant Dominos: ita habentes magnas voluptates, in magnum malum euasere, captæque cepere. Quæ quo plures, maioréque sunt, eo ille minor, ac plurium seruus est, quem felicem vulgus appellat.* Cæcutit, qui sibi honores, famámque per voluptates, diuitiásque iniquè acquisitas satagit comparare; cum his gressibus solùm possit ad ignominiam, infelicitatémque peruenire. Filij Heli, vt felicem ducerent vitam, insanis appetitionibus inseruiebant, vtque diuitias augerent, rapinis iniquissimis inhiabant; verùm dum cæco gressu discupiunt gloriam, procudere sibi ignominiam. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Dignitas amittitur, facultas dilapidatur, & omnia contraria votis eueniunt, dum gloriam & honorem mediis contrariis discupiunt. Notauit Abulensis *quæst.* 27. *Qui non honorant me, erunt abiecti, scilicet priuati honore.* Filij Heli, si Deum honorassent, honoribus splenderent: ast dum cupiditatibus obsequuntur, vita honoribus, & facultatibus viduantur. Ab omnibus despiciuntur ignobiles, dum peruersa via exambierunt esse felices.

§. XCIX.

A Deo promanat felicitas, ab ipso peccatore exoritur calamitas.

DEus nostræ felicitatis est opifex, vt peccator suæ calamitatis est artifex. Inexhaustus beneficientiæ fons, & penes se thesaurum, retinere quodammodo non sustinens, vitam, honorem gestit hominibus dilargiri, sed humana cæcitas inhonorationem, & calamitatem contra se armare inuenitur, dum inconsultè cupiditatibus adulatur. *Caterum* (aiebat Seneca *de vita beata cap.* 14.) *non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet, cuius aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deseruntur ab illa; miseriores, si obruuntur.* Ipsi peccatores vitæ insidiantur, dum voluptati traduntur; ipsi ignominiam; & miseriam sibi conciliant, dum cæcis desideriis obtemperant. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Ignominiæ se Deus negat artificem, opificem se ostentat honoris; ne peccator Numini calamitatem adscribat, aut suæ se felicitatis auctorem fuisse vanissimus credat. Qui Deum contemnunt, ignobiles asseruntur, quia ipso contemptu, & legum irreuerentia innutrita est ignominia. Notauit Ambrosius: *Honorificantes me* (inquit) *honorificabo: honorem bonorum operationis suæ esse declarans. Et contemptores mei non dixit: Honore priuabo, sed honore priuabuntur non suæ operationi deputans eorum iniuriam.* Ipsa sententiarum differentia manifestè ostendit, bona nostra à diuina largitate prouenire, mala à nostris criminibus promanare. Iniquè de Deo queritur, qui suis vitiis facultates amisit, & valetudinem perdidit: insipienter turget, qui felicitatem, & honorem suæ industriæ, aut sagacitati adscribit. Dei liberalitati, gratiæque debentur omnia, quibus fruimur bona; nostræ insipientiæ sunt fructus detrimenta, & supplicia. Filij Heli Deo auctore, resplenduerunt dignitatis infulis decorati, suis criminibus emarcuerunt ignobiles, & obscuri.

§. C.

Dignitatis culmen virtutibus perseuerat suffultum, & corruit vitiis euersum.

ET *auida felicitas est* (aiebat Seneca *epist.* 19.) *& alienæ auiditati exposita.* Plures contra felicitatem militant aut ambitione inflammati, aut inuidentia adusti. Opus est felici felicitatem suam suffulcire, & contra alienas manus armare: Quantum felicitati accrescit ad plausum, accedit etiam ad metum: verùm stat fortuna, si virtutum armis protecta, & incorruptis moribus circum allata, possunt externa concutere, non dejicere: verùm si internis vitiis dignitas oppugnetur, nequibit stare, sed fulcris deficientibus opus est ruere. Aaron ad dignitatem elatus magna ambientium aduersariorum copia est impetitus; verùm dum virga efloruit, dum virtus emicuit, & inuidiam fregit, & aduersarios deuicit. Firma constitit dignitas quantumvis impetita, quia virtutibus obarmata: modò iam Aaronicæ familiæ brachium præciditur, & à culmine deturbatur: *Præcidam brachium tuum & brachium domus patris tui.* Et cur modò tantã sustineant miseriam, qui de tot hostibus reportauere victoriam? Iam Textus explicuit. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Dum filij Heli abutuntur potestate ad rapinam, dum dignitatem detorquent ad exoculatam cupiditatis licentiam, se ipsos exauguriant, & dignitatibus mulctant. Ita Lira: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Glorificabo conseruando eum in statu suæ dignitatis: qui autem contemnunt, me abutendo collata sibi potestate, erunt ignobiles, quia dejicientur à statu suæ dignitatis.* Dum virga illa Aaronica Ægyptios dracones deglutiuit, dum venustos flores, & sapidissimos fructus protulit, nec aduersariorum violentiis, nec tumultibus potuit dejici; modò sine aduersariis iam corruit marcida, quia internis vitiis concussa. In Aaronica familia tunc perseuerauit dignitas, quantumvis aduersarij furerent, seditionémque concitarent, quia virtutibus firmata, modò sine aduersariis & marcet, & corruit, quia insanis appetitionibus impetita. Si filij Heli legi parerent, aduersariorum exercitus detriumphar ent; verum dum collata sibi potestate abutuntur cœci, à culmine deturbantur puniti.

TEXTVS.

VERS. XXXI. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.

§. CI.

Minus dolent aliqui vita carere, quàm dignitatis splendoribus viduari.

SIc inuisceratum hominibus est eminendi votum, & dominandi cæteris desiderium, vt vel salutis, vitæque dispendio suspirauerint culmina, & dignitatum ambierint celsa. Non adeò ægrè ferrent nonnulli in magistratu vitam finire, quam de magistratu pulsos protelare. *Cogita, quàm multa temere pro pecunia* (aiebat Seneca *epist.* 19.) *quàm multa laboriosè pro honore tentaueris.* Minora tentantur pro vita conseruanda, quàm tententur pro dignitate acquirenda. Summa felicitas æstimatur vrbanorum officiorum splendor, culminis nitor. Hinc cum Deus acerbam mulctam domui Heli prænuntiare vellet, antequàm filiorum mortem, ad alios auolaturam asseruit dignitatem: *Præcidam brachium tuum.* Et posteà: *In die vno morientur ambo.* Durius videbatur filios infelici strage corruere, quàm brachium præscindi. Cur ergo priùs brachij præsciſſionem, quàm Heli, & filiorum necem prædicit? Quia in brachio designabatur dignitas, inquit Abulensis *quæst.* 30. *Brachium eius, id est potestas, & honor ablata sunt.* Ægrius erat, quàm vita interdici, dignitatibus orbari: ergo vt grauiori supplicio Aaronicam familiam mulctaret, prædixit dignitatis priuationem, & posteà necem. Homines namque frequenter dignitatem vitæ præferunt, & saluti splendorem præponunt.

§. CII.

Minus dolent aliqui orbari vita, quàm paternam domum, familiámque antiqua carere gloria.

NOnnulli adeo sunt paternæ domus splendoris auidi, vt minus doleant salute carere, quàm prosapiam honoribus viduari. Impatienter ferunt, si quid prosapiæ obscurauerit gloriam, cùm patienter tulerint aduersam sibi fortunam. Desæuierat Pharaonis rabies in Israëlitas, oneribus durissimis prægrauabat, & ad vitæ tædium perducebat. Cúmque patienter ferrent, excogitauit nouam machinam, qua durius affligeret: nempè filios rapidis vorticibus tradere, & familiæ stemmata, cum hæredibus abolere: *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite: quidquid fœminini, reseruate. Exodi* 1. *vers.* 22. Submersis maribus antiquorum deperibat memoria, & Ægyptiis ducentibus fœminas obliterabantur maiorum insignia; ergo incrementabatur dolor, & crescebat intimus angor. *Vires eorum* (inquit Philo *lib.* 1. *de vitâ Mosis*) *nefariis artibus conatus est occidere, insitque, vt ex recens editis alerentur fœminæ propter sexum bello inutiles, mares tollerentur.* Sublatis maribus ad familias alias transibant auitæ nobilitatis stemmata, diuitiarúmque copia: ergo hoc dolore grauiùs discruciabantur, quam aliis laboribus premerentur. Vtque noueris, quam miserum existiment homines maiorum imagines obscurari, & alienis familiis inseri, expende, filiam Pharaonis Moysem sibi in filium adoptasse. *Adoptauit in locum filij. Exo.* 2. *vers.* 10. Ne Pharaonis gloriæ aboleretur notitia, aut in alienam familiam eius migraret memoria. *Erat Regi vnica dilecta filia* (inquit datus Philo) *eam ferunt dudum nuptam non potuisse matrem fieri, quamvis liberorum cupidam, præsertim sexus potioris, vt esset qui in fortunatam auiti regni sortem succederet, migraturi alioquin in familiam aliam nepotum penuria. Qua cura pressam, & ea die maximè anxiam, cùm hactenus solita esset domi se continere, ac ne limen quidem transcendere, proripuisse se cum puellis familiaribus ad fluuium, vbi puer fuerat expositus.* Aliqui volunt mentitam fuisse Moysem à se genitum, vt hac fraude anxietati blanditetur, quia intuita gloriam antiquæ prosapiæ aboleri, & ad familiam aliam transire, durissimè cruciabatur. Et in nostro Textu postquam Deus brachium, hoc est, Heli vitam abscindendam prædixit, brachium paternæ domus etiam confringendum addidit: *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Profectò sententiarum ordo videbatur inuertendus, si Heli erat dolore grauissimo exulcerandus: deleta patris domo superstes poterat dolorem aliquomodo leuare, ipso deleto parum intererat, si totam contingeret domum corruere. Cur ergo Deus brachij eius contritioni paternæ domus stragis, & adnexuit pœnam, & notitiam? Quia quamvis magnus dolor esset Heli mulctari vita, grauior erat familiam suam mulctari gloria. Ita Abulensis *quæst.* 27. *Deuenit ad magnam abiectionem, cùm nullus de illa esset Princeps Sacerdotum.* Paterna Heli domus ad magnam deuenit abiectionem, cùm iam non possederit dignitatem

tem, adeóque grauior dolor est hominibus agnoscere familiam splendore antiquo mulctandum, quàm propriam vitam finiendam, vt post proprij brachij confractionem, vt exulceraret dolorem, auolaturam ad aliam familiam prædixerit dignitatem.

TEXTVS.

VERS. XXXII. Et videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israël, & non erit senex in domo tua omnibus diebus.

§. CIII.

Non adeò acerbum est dignitate mulctari, quàm ad æmulum transire.

NOnnullis pro solatio est, dum dignitate carent, æmulum non assequi, competitorem non obtinere. Acerrimè pungit pœna, si resplendeat æmulus gloria. Post prænuntiatam paternæ domus stragem, addidit oraculum, Heli domum, qua resplendebat, dignitate mulctandam, & ad æmulorum domum transituram: *Videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israël.* Gemina doloris vulnerabatur sagitta, angebat dignitate domus priuata, & æmuli domus dolorem immodicè adaugebat honoribus dignitatis splendida. Zara, & Phares de principatu in matris vtero contendebant: Zara regia purpura resplendet ornatus: *Iste egredietur prior. Gen. 38. vers. 28.* Retracta manu alter egressus est: *Egressus est alter.* Nec mysterio caruit postpositum illo rubeo filo illigari: in eo omnem Christi passionem agnoscit Interlinearis: *Ligauit coccinum, figuram sanguinis effundendi.* O quam eo coccino premebatur, qui se post coccinum vidit postpositum, & competitorem sibi prælatum! Est enim hominibus grauior calamitas, quam ipsa vita priuari, si videant dignitatem ad competitorem transire. Deliquerant filij Heli, grauissimisque se sceleribus polluerant. Deus acerba morte eadem die mulctandos prædixit: *Ophni, & Phinees in die vno morientur ambo.* Acerbam mortem prædixit, vt diù diuexarentur timore, & quouis momento certæ, & incertæ mortis torquerentur anxietate. Viuebant, non vt viuerent, sed vt acti mortis timore semper dolerent. Nec stetit hîc calamitas, sed vt durius recrudesceret, addidit oraculum dignitatem ad æmulum transituram. *Videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israël.* Præsciant mortem imminere, ignorent diem, vt continuè discrucientur, dum continuis pauoribus agitantur, addatúrque mortis dolori euolaturæ ad æmulum dignitatis notitia, quo grauiori affligantur pœna. Innuit Abulensis *quæstione 30. Erat pœna magna Heli, & posteritati suæ, quod prius habuissent ipsi summum Sacerdotium, & deinde viderent transfatum ad alios*, scilicet competitores, & æmulos, quasi viuidiùs torserit competitoris gloria, gloriæque notitia quàm miseræ stragis sententia.

TEXTVS.

VERS. XXXIII. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, & pars magna domus tuæ morietur; cùm ad virilem ætatem venerit.

§. CIV.

Ipsa morte durius est ad eius genua deuolvi, cui eras solitus dominari.

NIl in humanis statum, nil inconcussum. Qui heri superbiebat opolentissimus, stipem hodie quærit egenus: duram hodie trahit catenam, qui paulò ante splendidam circumferebat seruorum pompam. Verùm inter duros adeò, & varios casus nil sic acerbum est, quàm si cogatur quis ad illius genua deuolvi, cui solebat dominari. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi* (inquit Seneca *epist. 47.*) *& eum, qui illi impegerat titulum, qui inter reicula mancipia produxerat, alius intrantibus excludi.* Sic fortunæ vices variæ, vt Callistus olim seruus resplenduerit dignitatis titulis honoratus, & olim dominus eius domus vestibulum non fuerit occupare permissus. Quis dubitet domino morte acerbius fuisse ad olim serui genua prouolvi, & prouolutum excludi. Deus vt dignam scelcribus pœnam infligeret Heli familiæ, noluit ab altari penitus auferre, sed æmulis iam dominantibus inseruire. *Non auferam penitus virum ex te ab altari meo.* Et cur non aufert? Iam subdit: *Vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.* Heli filij vtpotè Sacerdotes magni aliis Sacerdotibus imperabant, modo vice versa iam parebant: ergo eorum tabescebat anima præ angustia: reliquisse aliquos qui altari ministrarent, non erat temperare acerbitatem, sed adaugere dolorem, quandoquidem ipsa morte erat durius, eis ipsis inseruire, quibus fuerant assueti multis temporibus dominari. Ita Abulensis *quæst. 30. Quod ego relinquam aliquos de filiis tuis ministrantes in altari, non est ad allenationem pœnæ, sed ad augmentum. Nam si quis fuerit in magna prosperitate, & incidens in aduersam calamitatem, videt alium in honoris excellentia, durius hoc, quàm mortem tolerat.* Durius erat Heli filiis olim dominantibus inter seruos nunc censeri, & esset tolerabilius vitam finire. Verùm scelerum enormitas eorum produxit vitam, vt hanc sustinerent grauissimam pœnam, & eis ipsis inseruirent subiecti, quibus præcipiebant olim domini.

§. CV.

Liuor salutis tinea, & immaturæ mortis est causa.

AMbitio, liuórque vt alienæ felicitatis, sic propriæ pestes inueniuntur salutis. Ambitio, inuidiáque iustitiæ semper inimica non quiescit, sed anxia solicitudine nubila cogit, quorum tenebris aliorum splendorem obscuret. *Nihil securum* (aiebat Cassiodorus *10. variar. 28.*) *nihil poterit stabile reperiri, si semper inuidentium vota ad illicitas accedere permittantur insidias.* Inuidia captiosas prætendit semper insidias, pernicioſas disponit technas, indecoras confingit causas; sed viperæ adinstar dum pectore aliis lethale conflat venenum, imprudenter sibi parat excidium. Magna pars filiorum Heli virili in ætate immatura peribant morte: *Pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit.* Ea ætate, qua salus vegetior, & robustior, vita decedebant, & omnes ferè peribant. Quod si scrutetis causam, non sine fundamento extitisse inuenies inuidiam. Virilis ætas clariori luce intellectus vigebat, quàm

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quàm pueritia, & adolescentia. Ergo cùm viderent æmulorum familiam dignitatis luminibus resplendentem, inuidentiæ flammis aurebantur, & inuidentia: salutem tineæ in modum abrodedat, & salute destitutos vita mulctabat. Audi Augustinum, & Hieronymum, *Vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, vt semper scilicet sit de domo Heli in domo Domini; qui in dignitate Sacerdotij videns alium substitutum, & se destitutum, deficiat animo, & tabescat.* Tabescere est deficcari, putrefieri, dolore torqueri. Ergo cùm ad virilem ætatem peruenientes viuidiori inuidentiæ stimulo adurgerentur, ea præcipuè ætate emoriebantur, & quo passu crescebat inuidentia, deficiebat & vita.

§. CVI.

Grauis dolor est, si eo tempore filius oppetat mortem, quo aptior ad reparandam successionem, & dignitatem.

Filij à parentibus nutriuntur, & futuræ successionis spe labores plurimi tolerantur. Quauis ætate decedant filij, paterna viscera dolore pulsantur, & amoris igne aduruntur: verùm si ea patiantur occasum, qua laborum sperabant demetere parentes fructum, & præmium, recrudescit dolor, & tristissimus viscera distorquet angor. Ob id, vt Heli familiæ grauissima delicta digna Deus punierit sententia, filiis decreuit mortem, cùm post infantiæ, adolescentiæque labores spes maturior, & procreandis liberis virilitas aptior: *Pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit.* In Hebræo habetur: *Omnis faciens surgere domum tuam,* id est, vt qui delectam familiam posset alleuare; qui filios posset progignere, qui eximiis dotibus refulgens procellosos calamitatis turbines posset depellere, spes omnes moriens eludet, & è viuis excedet. Quod si quæras, cur anteà non occidant, sed virili ætate decedant? respondebit Caietanus, ea ætate Deum mortem decreuisse, vt ipsa maturior spes inseruiret dolori, & vires adderet calamitati: *Declaratur ampliùs prima pœna non quod magna pars, sed quòd omnes, qui essent dispositi ad subleuandum domum Heli morientur iuuenes, seu quasi iuuenes.* O quàm erat amarum post solicitos infantiæ labores, post anxias adolescentiæ curas spebus ferè iam maturis frustrari, & vnius morte plures calamitatibus deprimi. Sperabat familia meliorem fortunam, dum spectabat virum prudentia ornatum, & virtutibus expolitum: verùm tunc mortis falce demetebatur, vt calamitas augeretur.

TEXTVS.

VERS. XXXIV. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ophni, & Phinees. In die vno morientur ambo.

§. CVII.

Non semel infortunium, alterius est infortunij præsagium.

ALiquod esset calamitatis solamen, si premeret miseria, nec vlterioris esset calamitatis prænuntia: verùm vt in catena vnius nexus alterum trahit, sic in aduersa sorte calamitas aliam parit calamitatem, & dolor procreat dolorem. *Nullo melius nomine* (aiebat Seneca de tranquillitate animi *cap.* 10.) *de nobis natura meruit, quàm quod cùm sciret, quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem inuenit... Omnes cùm fortuna copulati sumus. Aliorum aurea catena est, & laxa: aliorum arcta, & sordida.* Infortunia sæpè concatenantur, & alia ærumna alterius & prænuntium, & præsagium est. Plurima, & quidem acerbissima comminatus fuerat Deus Heli domui indignis sceleribus sordidatæ, & victimarum deprædatrici, & ne minas effectu vacuas existimaret, Ophni, & Phinees casum pro signo dedit: *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni, & Phinees: in die vno morientur ambo.* Eadem die occubituros fratres testatur, ne de superuenturis posteà calamitatibus dubitetur. Notauit Abulensis *quæst.* 30. *Mors filiorum Heli, quæ prænuntiatur hic, est signum, quod omnia alia, quæ prædixit Deus de stirpe sua, complerentur.* Filij corruunt, Arca capitur, notitia calamitatis sic Heli grandævum percellit, vt fractis ceruicibus expirarit. Nurui acceleratur doloribus partus, & partum comitatur interitus: alia aliam calamitatem aduocabat, & velut fluctus fluctum impellit, sequiturque, sic infortunium infortunio succedebat. Est namque de more aduersa aduersis copulari, & dolorem nouis doloribus aduocatis augeri.

§. CVIII.

Ea est diuina misericordia, vt videatur miraculum, acerbum infligisse supplicium.

PEccatores propria stimulantur conscientia, verùm cunctationis, tergiuersationisque erga pœnitentiam sæpissimè delirium diuinæ nutrit misericordiæ præsumptio: indubiam sibi delictorum promittunt veniam, & concessum tempus furantur, vt insanis appetitionibus adulentur. *Sustinet* (aiebat Tertullianus *de Patientia cap.* 2.) *ingratissimas nationes, Indibria artium, & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes: luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidiè insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tandiù nesciunt.* Cùm habeat Deus in sua potestate vindictam. Mavult sic ostentare misericordiam, vt si fas sit dicere, maiestati suæ videatur intulisse contumeliam. Cum tamdiù sæculo iratum Dominum nesciant, plures digna illaturum supplicia dubitant. Vtque miraculum vocamus, quod præter consuetudinem naturæ fieri videmus: sic supplicium est quodammodo miraculum, cùm assuescat diuina misericordia & parcere, & indulgere. Crimina filiorum Heli ad eum peruenerant cumulum, vt cœlestem iustitiam, non solùm prouocarent, sed quodammodo ad vindictam impellerent, & tamen animaduersio signum appellatur: *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis.* Ac si dicat: Acerbus filiorum tuorum casus erit signum, id est, miraculum. Ita Abulensis *quæst.* 30. *Istud potest intelligi dupliciter; vno modo, quòd accipiatur signum pro re signata, vel magis pro re magna: sicut dicimus Deum facere signum, cùm facit aliquod miraculum etiamsi illud non sit signatiuum alicuius rei, & isto modo mors duorum filiorum fuit Heli signum, id est res signata, vel miraculum, aut pœna à Deo inflicta.* Sacerdotum procacia, exoculata auaritia, impia irreuerentia acerbissimum exigebant supplicium; verùm sic Deus Sacerdotum honori consulit; sic misericors peccatorum deliriis indulget, vt potuerit videri miraculum, Sacerdotum, totiúsque familiæ excidium: *Hoc erit tibi signum,* id est, *res signata, vel miraculum, aut pœna à Deo inflicta.* Quid pro diuina misericordia augustius, quid verius? Debita criminibus pœna infligitur, & miraculum appellatur.

TEXTVS.

VERS. XXXV. Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.

§. CIX.

Deus misericordiam accelerat, & inferre pœnam procrastinat.

MIsericordia, iustitiáque adæquè sunt Numinis attributa, & ornamenta: ad benefaciendũ tamen videtur propensius, & ad puniendum morosius. *Nullam non Reipublicæ partem* (aiebat Seneca *de Clement. lib. 1. c. 13.*) *tanquã sui mutrit inclinatus ad mitiora.* Bonus Princeps ad mitiora inclinatur, ad seuera cogitur: vt sui partem quemvis subiectum respicis, & vt quisque sibi accelerat commoda, & differt, si possit, aspera; sic Deus hominibus, quos tenere diligit, impertiri maturat beneficia, & cunctatur meritissima etiam inflixisse flagella. Heli oscitans negligentia, procax filiorũ audacia Deum compulit dignitate ablata omnem familiam punire, & à culmine deturbare: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Putares statim alterum suscitandum, & alterum ejiciendum: post denuntiatam tamẽ mulctam longa cucurrere spatia, antequam executioni mandaretur exaugurationis pœna. Achitob, Achimelech, Abiatar resplenduerunt adhuc Sacerdotalibus infulis; nã vt qui diu noluit, tardè dedit, ita Deus tardè puniuit, quia punire doluit. Notauit Abul. *q. 31. Adhuc mansit Sacerdotiũ in domo Heli in aliis tribus Sacerdotibus scilicet Achitob, & Achimelech filio eius, & in Abiathar nepote illius.* Pœna iustitiæ satisfaciebat, sed dilatio adulabatur misericordiæ, & pietati. Deus namq; ad benefaciendum promptissimus est, ad puniendum laudabiliter tardus, vt è contra homines ad benefaciendum tardi, & ad nocendum exprompti. Filiorum Heli culpa pœnam accelerabat, misericordia tamen differebat, iustitiæ satisfaciebat decreta punitio, motem gerebat misericordiæ dilatio.

§. CX.

Deus vt inflicti supplicij dolorem molliat, eodem tempore impertiri beneficia procurat.

DEus, antequam ad supplicia perueniat, remedia quodammodo consumit; eodem tempore se patrem esse recordatur, & iudicem: vtque pater, si opus sit aliquod filij membrum abscindere, ingemiscit, & quò dolorem emolliat, quærit: ita Deus, si hominum criminibus compulsus flagella incutiat, eo dolore angitur, vt ad munificentiæ delinimentum accurrat. *Tardè sibi pater membra sua abscindat* (aiebat Seneca *lib. 1. de Clementia, c. 14.*) *etiam cum abscideri, reponere cupiat: & in abscindendo gemat.* Gemit Deus, dum infert alicui supplicium, & munificentiæ suæ fontes aperit, vt doloris quærat delinimentum. Rex ille cœlestis fidelem servum, qui mna sibi tradita decem mnas acquisiuerat, amplissimo remunerauerat præmio, & nihilominus cùm mnã à procaci, & ignauo seruo auferenda esset, non iussit thesauris suis reponi, sed decem mnas habenti regali munificentia exhiberi: *Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet.* *Luc. 19. vers. 24.* Doluit mnam auferre, & vt dolorem molliret, alteri decreuit dare, & dum quæsiuit munificentiæ dolori suo medicamentum, ostendit, quàm illi esset amarum inflictũ procaci seruo supplicium. Hinc discres, cur eodem tempore Heli familiam Sacerdotio mulctarit, & Sacerdotem sibi fidelem suscitare decreuerit: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Fidelem Sacerdotẽ suscitare decreuit, cùm compulsus est infidelem Sacerdotem detrudere; dolebat meritum inferre supplicium, & quo temperaret dolorem, quæsiuit delinimentum. *Sacerdos iste* (inquit Caietan.) *ad litteram fuit Sadoc, qui à Salomone, eiecto Abiathar ex stirpe Heli, subrogatus est in Pontificem.* Alium ad dignitatem extulit, cùm alium detrusit; vt molliret alterius beneficium, quod alium puniens patiebatur tormentum.

§. CXI.

Familiæ, domúsque splendor anchora virtutum firmatur, flatibus vitiorum euertitur.

VT naues contra procellosos turbines fundantur anchora; sic domus, familiæque felicitas stabiliuntur prudentia. Parum interest natura congesserit opes, dignitates, si vitiorum pestis omnia deuorarit, & fundamenta firma subuerterit. Esaü primus, & familiæ princeps exoritur; Iacob posterior, & secundus nascitur, & tamen iste virtutum fulcris stabilitus, & ille ingemit diuitiis, & dignitate nudatus. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Gen. 27. vers. 27.* Virtutum odor acquisiuit principatum; Esaü auida edulitas, & improuida edacitas produxit gemitum. *Consequenter* (aiebat Philo *l. b.* his verbis: Resipuit Noë) *inducit Iacob minorem natu, quam Esaü: quoniam imprudentia mox a prima aetate nobiscum coalescit, honestatis amulatio serò nobis innascitur, quamvis suaptè vi sit, quàm illa, antiquior. Quapropter Esaü fratri cedit, iure primogenitorum, quod alter sibi libenter asserit, vt debitum.* Iacob virtute principatũ promeruit, & suffulsit; Esaü, quantumvis suffragaretur natura, amisit felicitatem intemperantia. Heli domus, quam, ni peccaret, Deus firmare decreuerat, acribus vitiorum ventis corruit prostrata, & ingemuit misera. Sadoc eligitur & eius domus firmatur: *Ædificabo ei domum fidelem*, id est, stabilem, & firmam. Si quæras, cur Sadoc domus aduersus fortunæ vultus consistat firma, & Heli domus corruat labefactata? respondebit Textus, alterius domum virtute inniti, alterius vitiorum turbine concuti: *Iuxta cor meum, & animã meam faciet.* Sadoc, dum ritè munus impleuit, domum stabiliuit; Heli potestate abusus, subuertit: *Æmulus domus Heli fuit Sadoc Sacerdos* (inquit Hugo) *qui abiecto Abiatar à Salomone Sacerdotium suscepit.* Non mutauit Sadoc domus virtute fundata, non constitit Heli domus vitiorum flatibus impetita.

§. CXII.

Optima politices benemeritum, quin ipse exornet, luminibus dignitatis exornat.

GLoria est honorum Principum (aiebat Cassiod. 10. var. 11.) *incognitas honoribus clarificare personas, dum quicquid à subiectis proficiscitur, regnantiũ laudibus applicatur.* Regnãtis laudibus applicatur honoribus nobilitare personas, meritis claras, etsi ab ambitu remotas. Sadoc ad Sacerdotium suscitatur: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Laus regentis fuit suscitari ambitioni dormientem, & virtutibus vigilantem; vt electorum sæpissimè est nota, eligere ambitioni vigilantem; virtuti dormientem. *Sacerdos iste* (inquit Abul. *q. 31.*) *erat futurus fidelis, quia obseruaret Dei voluntatem iuxta omnes ceremonias.* Fidelis sine ambitu eligitur, quia eximiis virtutibus commendatur. O quàm alia Reipublicæ esset facies, si ad munia eligerentur personæ magnatibus incognitæ, & virtutibus conspicuæ! verùm dum eligitur magnatibus notus, & eorum patrocinio commendatus, munus patronorum est messis copiosa, electus muneris inuenitur non semel iniuria, & electores ferit populorum querela.

§. CXIII.

Prudentia est, dum ratio non contradicit, Principibus complacere, & eorum beneuolentiam lucrari.

NOnnulli Ecclesiastica dignitate fulgentes, iudicibus, Principibúsque resistendo gloriam sibi quærunt:

nonnulli pluſquam fas eſt, complacendo gratiam elucrari ſatagunt. Prudentia omnia attemperari opus eſt; iudicibus, Principibúſque adulari muneris eſt iniuria: obſiſtere, contradicereque, ni ratio cogat, eſt ſcandaloſa imprudentia. *Renouamus certè dictum illud celeberrimum Traiani* (aiebat Atalaricus 7. *var.* 13.) *Sume dictationem; ſi bonus fuero, pro Republica, & me; ſi malus, pro Republica in me.* Adnectit: *Obligamus te certè generalitati, dum abſolutè præcipimus iura ſeruari, quod ideò nũc dicimus, vt opportunè omnibus in te conſuluiſſe videamur.* Sacerdos non debet propriis vtilitatibus ſtudere, nec vanis timoribus illigari. Munus ſortitur pro Principibus, & Republica, vt eis prouidenter attendat, & vt cùm fas fuerit, prudenter etiã reſiſtat. Decet Eccleſiaſtica dignitate nobilitatum munus implere, & congruit etiam beneuolentiam Principum elucrari. Electus Sadoc ad ſummi Sacerdotij culmen, diuinas leges inuiolatas ſtuduit aſſerere: *Iuxta cor meum, & animam meam faciet*; ſed etiam Principis benevolentiã ſibi procurauit allicere: *Ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus.* Nouerat namque vtrumque intereſſe ad muneris, dignitatiſque decorem, Principem ſcilicet, eiuſque miniſtros imprudenter non exaſperare, & iura Eccleſiaſtica cuſtodire. *Ambulabit coram Chriſto meo* (inquit Abulenſis q. 31.) *id eſt, miniſtrabit coram Rege à me inſtituto omnibus diebus vitæ ſuæ.* Adnectit: *Quando Dauid egreſſus eſt de vrbe Hieruſalem fugiens Abſalonem, Abiathar, & Sadoc portabant Arcam Domini coram eo.* Vtrumque iunxit, Arcam reuerenter portare, & gratiam Principis promereri. Curauit, ne ea in ſeditione Arca aliquam pateretur iniuriam, & alleuare etiam, quam proditor inferre patri anhelabat offenſam.

§. CXIV.

Parentum merita in filiis debent remunerari, & in præmio relucere.

SI eſt bonorum Principum gloria impertiri beneficia, quantò erit præſtantius dignis reddidiſſe præmia? *Sic inſtitiã ſequimur* (aiebat Rex Theodahad. 10. *var.* 11. apud Caſſiod.) *ſi bonis hæredibus parentum præmia non negamus. Decet enim etiam priores ſuos vincere, qui ad noſtra meruerunt tempora peruenire ... Quis ergo relinqueret in poſteris minus honoris, quos tamdiu conſtat fuiſſe præcipuos? Accuſarentur ſæcula, ſi talis potuiſſet latere familia.* Familiam, quæ in prædeceſſoribus deprædicandis facinoribus reſplenduit, fas non eſt irremuneratam relinquere, ſed præmiis emeritis honorare. Sadoc ſic Numini fidelem ſe ſemper præſtitit, vt diuinis legibus vigilanter obtemperarit: *Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Parentis recenſentur merita, ſed audiuntur etiam in filiis remunerata: *Ædificabo ei domum fidelem*, id eſt, filios eius honoribus afficiam, & domum contra temporum adſultus ſtatuam. Ita Abul. q. 31. *Ædificabo ei domum fidelem, id eſt, faciam, quòd domus eius ſit firma.* Filios honoribus, præmiiſque nobilitauit, ne parentis virtus maneret irremunerata, & obliuione ſepulta. Patris dignitas ad poſteros ſanguinis fonte perducta in poſteris floruit, & dignis præmiis reſplenduit; nec enim fas erat tot meritorum hæredes negligi, & irremuneratos relinqui.

§. CXV.

Magnum meritorum parentis præmium filius virtutibus expolitus, & dignitatum luminibus exornatus.

RErum cauſæ ſemper in ſemine ſunt, fructus editus prodit auctorem, & quantum à diuinitate parens meretur, de prolis felicitate colligitur. *Quicquid in illo viro* (inquit Caſſiod. de Patritio Venantio loquens 9. *var.* 23.) *gratia diuina conceſſit, integra perfectione tranſmiſſum cernas in poſteros ... In hac domo non tantum patrimoniis, ſed & virtutibus aditur hæreditas. Hoc eſt profectò, quod verè diuites facit. Quando nullum melius poteſt eſſe compendium, quàm laudibus ſucceſſiſſe maiorum.* Nullum pulchrius meritorum Venantij compendium, quàm habuiſſe filios non ſolùm patrimonij hæredes, ſed virtutis ſucceſſores. Adnectit Caſſiodor. *Alieni continens, propria ſub moderatione diſtribuens, & inuſitata laude mirabilis, nulli grauis tot protulit conſulares.* Non diſſimilis Venantio Sadoc iura cuſtodiens, Numini ſemper obediens meruit fidelem domũ ſortiri, & filios ſupremi Sacerdotij luminibus exornari: *Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Quid tunc? *Ædificabo ei domum fidelem.* Filios promiſit virturibus expolitos, & dignitatibus claros: & quod auguſtius parenti præmium, quam tot lumina genuiſſe, & in filiis florere ſemper laudatum, & laudari continuis dignitatibus floridum? Ita Abul. q. 31. *Nil aliud eſt domum eius eſſe fidelem, niſi progeniem eius nunquam priuari ſummo Sacerdotio.* Filij, quod Sacerdotium iure hæreditario accipiebant, magnis virtutum meritis confirmabant: ergo nil patri glorioſius, quàm habere filios virtutibus exornatos, & luminibus dignitatum conſpicuos. Patris fidelitas tranſiuit ad poſteros, & dum fideliter ſeruiunt, dignitatem ſibi ſtabiliunt. Dignitas ab Heli domo auolauit, quia ſtudebant filij libidinibus, & rapinis; ab hac domo non diſceſſit, quia tota domus virtutem coluit. Repetere poſſet datus Caſſiod. *Si homines ornat ſemel accepiſſe palmatam: quis ille cenſendus eſt, qui tot meretur in filiis conſulatus.*

TEXTVS.

VERS. XXXVI. Futurum eſt autem, vt quicumque remanſerit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicátque: Dimitte me, obſecro, ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

§. CXVI.

Rapinis, libidinibúſque ſtudentes filios relinquunt inopes, mendicatóque victitantes.

LIcet rarò conſtans effloreat fortuna, ſed variis mutationibus celſos dejiciat, & deiectos attollat, vires addidit eius volubilitati, qui fœdis libidinibus indulſit, & rapinis iniquiſſimis inhiauit. Libido facultatem deuorat; rapina, vel iuſtè poſſeſſa conſumit ardentiſſima flamma: clamat læſorum tumultus, & à Numine iuſtam vindictã obtinet ciulatus. *Iniurioſum eſt rapto viuere* (aiebat Seneca *epiſt.* 70.) Non ſolùm aliis iniurioſum, ſed ipſi etiam raptori; nam alienæ diuitiæ proprias & deperdunt, & depalcunt. Ophni, & Phinees poſteri panis buccellam mendicant: *Dimitte me, obſecro, ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.* Miraberis, cùm Ophni, & Phinees magnis reſplenduerint dignitatibus inſigniti, & diuitiis copioſi, eorum poſteros ad eam deueniſſe miſeriam, vt emendicato quodammodo pane aluerint vitam. In Hebræo habetur: *Veniet ad orandum pro nummo argenti, & buccella panis.* Itaque vel nummum emendicabant, & buccellam panis ad ſolandam famem expetebant. Sed quid aliud ſperandum erat, quando eorum parentes & aliena rapiebant, & rapta libidinibus diſſipabant. *Explicantur hæc minima, videlicet buccella panis, & nummus argenteus ad declarandum eorum indigentiam magnam* (inquit Caiet.) Eodem tempore, quo parentum refertur exoculata luxuria, & rapacitas auara, refertur etiam ſumma poſterorum miſeria; vt notum fuerit ſalaces, & rapinis inhiantes poſteros relinquere miſera diuexandos inopia, & premendos indigentia.

CAP. VT

CAPVT III.

1. *PVER autem Samuël ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. 2. Factum est ergo in die quadam: Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre. 3. Lucerna Dei, antequàm extingueretur, Samuël dormiebat in templo Domini, vbi erat Arca Dei. 4. Et vocauit Dominus Samuël; qui respondens ait: Ecce ego. 5. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocasti enim me: qui dixit: Non vocaui: reuertere, & dormi: Et abiit, & dormiuit. 6. Et adiecit Dominus rursum vocare Samuëlem. Consurgénsque Samuël, abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit: Non vocaui te, fili mi: reuertere, & dormi. 7. Porrò Samuël necdum sciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo Domini. 8. Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuëlem tertiò: Qui consurgens abiit ad Heli. 9. Et ait: Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret pucrum: & ait ad Samuëlem: Vade, & dormi, etsi deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuël, & dormiuit in loco suo. 10. Et venit Dominus, & stetit: & vocauit sicut vocauerat secundo, Samuël, Samuël. Et ait Samuël: Loquere Domine, quia audit servus tuus. 11. Et dixit Dominus ad Samuëlem: Ecce ego facio verbum in Israël: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius. 12. In die illa suscitabo aduersum Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius: incipiam, & complebo. 13. Prædixi enim ei, quòd iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. 14. Idcircò iurauí domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum. 15. Dormiuit autem Samuël vsque manè, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuël timebat indicare visionem Heli. 16. Vocauit ergo Heli Samuëlem, & dixit: Samuël fili mi? Qui respondens, ait: Præsto sum. 17. Et interrogauit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te, ne celaueris me, hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem, ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi. 18. Indicauit itaque ei Samuël vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat. 19. Creuit autem Samuël, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. 20. Et cognouit vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuël Propheta esset Domini. 21. Et addidit Dominus vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samuëli in Silo, iuxta verbum Domini. Et euenit sermo Samuëlis vniuerso Israëli.*

TEXTVS.

VERS. I. Puer autem Samuël ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus, in diebus illis non erat visio manifesta.

§. I.

Virtus ab infantia adulta perseuerare solita, firma.

RERVM initia solent futura protendere: à parvis incipiunt, quæ magnis se augmentis sublimant, vt etiam à minimis inchoant, quæ peruersis accessionibus salutem deprauant: à rerum infantia non dubia desumuntur auspicia, & licet aliquando non respondeant incerta, frequentiùs tamen non fallunt firma. Opportunè Cassiodorus 2. *variar.* 2. *Illustri honore ditatus tanta te maturitate tractabas, vt annos leues patereris esse sub pondere: quem non potuit in prima ætate vincere fortissima vis naturæ.* A prima ætate expolitus adolescentiæ annos seniles esse fecit; inseruite virtutibus assuefactus, nec passus est vitiorum adulantium fallaciam, quæ ab ætatis exordio hauserat salubrem doctrinam. Quibus Samuël iam vir virtutibus irradiarit, Textus non tacuit: iudex nulla venalitate se polluit: dux hostes inuicto robore superauit: Propheta veritatem nullis obscuratam ambagibus docuit: quæ omnia, vt fructus in flore, in prima præuidebantur ætate. Ab vnguiculis inseruiebat sacris addictus, & exhibere Numini reuerentiam ab Heli Sacerdote edoctus: *Puer autem Samuël ministrabat Domino coram Heli.* Curarunt parentes spectabili viro tradere, ne vt alij pueri, iocis, lusibúsque tempus tereret, sed ab initio natiua docilitate ætatem moribus vinceret, & adhuc puer dignis senectute actionibus splendesceret. Adest Caietan. *Repetitur ministratio Samuëlis ad narrandum perseuerantiam eius in officio sancto.* Vt Textus Samuëlem laudabili conuersatione perseueraturum prædiceret, à pueritia inseruisse Domino retulit; nam vt ædificium firmo superstructum fundamento irruentis procellæ repellit impetus; sic iuventus solida fundata doctrina insanarum affectionũ retundit adsultus. Pueritia benè fundata, & optima eruditione sustulta, senili maturitate resplendet, & matura prudentia lucet. Notauit Philo, Mosem non ab Ægyptia nutritum, sed apud parentes virtutis studiosos educatum, vt Mosis in Deum euasuri primordia noxio lacte non deprauarentur infecta, sed salubri alimento innutrita. *Vis* (inquit Soror eius Maria) *vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebream, quæ nut ire possit infantulum? Respondit: Vade. Perrexit puella, & vocauit matrem suam.* Hoc diuina accidisse prouidentia tradit Philo *lib. 1. de vitâ Mosis: Vt prima educatio* (inquit) *contingeret infanti domi apud hos ipsos, ex quibus procreatus fuerat.* Oportuit, vt apud virtutis cultores prima iaceret fundamenta, qui contra Ægyptios erat excitaturus naufragia. Vt noueris quantum interfit à prima ætate honestis pueros institutis expolire, & virtutibus adaptare.

NAXERA L. 6. I. Reg. 1. 10. C. IV. 15

§. II.

Parum iuuat, floreat initio virtutis studium, si marcescat exiguo tempore desiderium.

AD finem debet perducere (aiebat Cassiodorus 4. variar.31.) *quæ prudentum intentio visa est suscepisse. Quia sicut perfecta laudem pariunt, ita & vituperationem generant, quæ in mediis conatibus ægra deseruntur.* Perseuerantia coronat virtutes; nam demutare sententiam, imprudentem leuitatem fugillat. Sol iustorum exemplar quia ab exordio æquali tenore semper fidelis metitur zodiacum, licet terrestribus vaporibus impetatur, non vincitur. Luna stultorum ænigma est, quia modò splendet fulgoribus cumulata, modò sordescit nebulosis maculis tincta. Notauit Tertullianus *lib. de Pallio, cap. 2. Luna modu ationibus menstruis variat.* Quæ in diem bona sunt laudem, non merentur, imò de leuitate animi fugillantur. Loth iam Abrahamum sequitur, iam Sodomæ amœnitate lætatur: *Elegit sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab oriente*: ergo dum ab incepto deflectit, captivus luget. Philo *lib. de Migrat.* Abrahami in Loth testatur adumbratos, qui vtilem aliquando virtutem sequuti, ad voluptates declinauerunt illecti. *Loth interpretatur, declinatio. Electitur autem mens nunc bonum, nunc malum auersando: quod vtrumque interdum in vno & eodem videre licet. Sunt enim quidam dubitatores ambigui ad vtrumque declinantes parietem, vt nauis ventis iactata contrariis nutantes, & tanquam in bilance susque deque vacillantes, nec valentes consistere: quorum ne ad meliora quidem conuersio laudem meretur, vt quæ impetu quodam fit, non ex animi sententia.* Adnectit: *In horum numero hoc quoque censeri debet, spectator quidam qui nunc narratur peregre profectus cum amatore sapientiæ. Decebat autem, vt sicut cœperat, pergeret, ignorantiam dedisceret, nec cursum ad eam denuò reflecteret.* Loth iam Abrahami vestigiis insistit, iam ad regionem deliciosam deflectit, & quam meruerat, laudem amittit. Non sic noster Samuël, qui postquam refertur præcedenti capite Domino placere: *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus*, hic iterum perseuerasse narratur: *Puer autem Samuël ministrabat Domino coram Heli.* Non desciuit ab inceptis, sed laudabili pertinacia prosequutus est cœpta, & miris accessionibus promeruit elogia. Notauit Caietanus: *Tertiò repetitur ministratio Samuelis ad narrandum perseuerantiam eius in officio sancto.* Parum iuuaret rectam fuisse viam ingressum, si declinasset cupiditatibus abductus, aut deliciis fallacibus inescatus.

§. III.

Plurimum ad virtutem iuvat bonorum conuersatio, senumque eruditio.

BOni ingenij vis honestis præceptis alitur, & nutritur. Qui cum senibus moratis degit, sensim expolitur, & virtutibus exornatur; nam bonorum exempla sine voce tutiorem viam demonstrant, & ad virtutem tacitè inflammant. *Omnia ista* (aiebat Seneca *epist.* 94.) *monitionum genera sunt: per ista ad perfectum animi statum peruenitur. Nulla res magis animis honesta, induit, dubiosque & in prauum inclinabiles reuocat directum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, adspici frequenter. Occursus meherculè ipse sapientium iuvat, & est aliquid, quod ex magno viro, vel tacente proficias.* Samuël ex se virtutibus videbatur innatus, & ingenij docilitate honestatis studiosus; profuit tamen illi venerabilis senis aspectus, & conuersationis vsus: *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli.* Heli grandæuus, & virtutibus exornatus Samuëlem puerum edocebat, & ipso conuictu sine violentia ad perfectionem ducebat. Vtilissimum fuit Samuëli, vt sedule Domino ministraret, ab Heli semper adspici, & vel ipsis oculis dirigi. *Puer Samuël* (inquit noster Sanctius) *assiduus erat Sacerdoti Heli, illique in omnibus præsto aderat, quæ ad sacrum tabernaculi ministerium pertinebant.* Heli doctrina tener animus formabatur, & exemplis sine violentia edificebat, quo proficeret, & in templo laudabiliter ministraret. Quia in Heli oculis inseruiuit, euasit in sacris doctus, & omni virtutum genere excultus.

§. IV.

Peccatorum supplicium est optimis consiliarijs priuari, & cœlesti luce interdici.

NOn est opus exhortatione, nec consilio quidem, vt colorum proprietates intelligat oculus; ab albo nigrum etiam nullo monente distinguet: verùm mentis obtutus, sic solet obscuris appetitionum nebulis impediri, vt præceptis, consiliisque egeat, vt à noxijs salubria distinguat. *Prudentia, & iustitia* (aiebat Seneca *epist.* 94.) *officijs constant, officia præceptis disponuntur.* Habemus interdum proficiendi desiderium, sed ni irritator accedat, marcet. Admonitio, dum falsas opiniones à solida virtute distinguit, accendit tepidum, instruit dubium. Grande Dei beneficium est irritatorem ad virtutem sortiri, & supplicium grande admonitore priuari. Heli filij mores corrumpebant, & peccata peccatis adgerabant. Quid tunc? Vt digna Deus populum pœna mulctaret abstulit vtilia monita cœlestia oracula: *Sermo Domini erat pretiosus, in diebus illis non erat visio manifesta.* Verbum illud, *pretiosus*; idem est, teste Hugone, ac *rarus.* Iam si roges, cur Dei verbum rarum, & manifestæ visionis fuerit sublatum vtilissimum subsidium, respondebit Hugo Cardinalis grauem hanc mulctam meruisse scelerum temeritate, & enormitate. Non potuerunt non esse exundantia flagitia, quæ dura adeò punita sunt pœna. Quid enim luctuosius, quam cœlesti luce priuari, & ad virtutem monitoribus interdici? Hugonem accipe: *Propter peccata populi, & Prælatorum non apparebat Dominus per visionem, vel per angelicas responsiones, sicut patribus apparuit.* Consonat Textus Hebræus, qui habet: *Obturatus erat sermo.* Ad quæ Rupertus: *Rarus & penè nullus erat, qui sermonem Domini volentibus audire loqueretur.* Secundo Iudicum Angelus Domini Israëlitarum dutitiam, ingratitudinémque exprobrans ad lamenta veræ pœnitudinis prouocauit, & fors populus, si caruisset cœlesti monitore, periret: *Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israël, eleuauerunt ipsi vocem suam, & fleuerunt.* Dum his monitoribus priuati, sceleribus sordiuerunt immersi; arripuerunt verò pœnitentiam, dum cœlestem auscultauere doctrinam: ergo vt quam merebantur ob grauissima scelera, pœnam luerent, manifestis visionibus sunt priuati, & monitoribus interdicti.

§. V

Correctio callum auribus obducit nimis assidua, & surditatem conciliat rara.

MEdium tenuere beati, nam extrema quæuis difficultatibus implexa sunt. Vitia non carpere delinquentis fouet audaciam; assidua semper reprehensione percellere, ingenerat contemptus irreuerentiam; consuetudo asperitatem rerum emollit, & duros ad perferendum laborem homines reddit. Ob id Seneca de Tranquillitate animi, *cap.* 10. aiebat consuetudine aspera emolliri, & omnia vsu faciliora reddi. Ipsum audi: *Calimitatum mollimentum consuetudinem inuenit,* (natura) *citò in familiaritatem grauissima adducens. Nemo duraret si rerum aduersarum eandem vim assiduitas haberet, quam primus ictus.* Econtra desuetudo difficultatem

adauget,

adanget, & imparatum nouitate percellit. Hinc est, quod assidua correctio, etsi initio ictu feriat, vsu hebetatur, & correctus aut monitionem non attendat, aut parui faciat. Iam si admonitionis, correctionisque falx otietur, vitia sylueſcunt, & indurata correctionem eludunt. Prudentia opus est, vt admonitio, nec assidua defatiget patientiam, nec rarissima permittat duritiam. Ex his extremis tempore Heli rara erat correctionis medicina cùm morborum seges esset copiosa: *Sermo Domini erat pretiosus*, id est teste Hugone, *rarus*. Quàm miserum fuit illud tempus, quàm graue carere peritis medicis, & exundare pestiferis morbis! Audi Hieronymum apud Hugonem: *Prædicatio, si rara est, non sufficit, si assidua, vilescit.* Heli tempore non vilescebat assidua, sed non sufficiebat rara: ergo noxia criminum seges pullulauit, & creuit. Castitas depretiabatur, in ipsa luce exercebantur adulteria, impune audebat rapina. Vbi diuinus sermo refertur rarus, magna Deus agnoscitur indignatione succensus. Est enim sæuissima criminum pœna non corripi opportuno medicamine, sed permitti, dissimularique terribili indignatione.

§. VI.

Vilescit Dei sermo, si venalis quærat lucrum; pretiosus est, si animarum suspirarit profectum.

Qui auram populi captans (aiebat Philo *lib. de Ioseph.*) *concionaturus locum superiorem ascendit, sicut venalitij seruus fit ex ingenuo propter honores, quos videtur accipere, addicens se inmuneris dominis.* Qui volaticam plausus exambit gloriam, veritatem ex ingenua reddidit seruam, eam audientium auribus accommodans, & fauorem captans. Quod si gloriæ amor concionatorem obscurat, cùm sit detetior, ignobiliórque affectus temporale lucrum sitire, quibus putas densis doctrinam nebulis obscurabit? *Primus discendi ardor* (aiebat Ambrosius *lib. 2. de Virg.* sub initium) *nobilis est magistri.* Non lucet nobilis magister, qui pretiosis vilia præfert, & aurum libertati anteponit. Cùm concionatores non tam consulunt animarum saluti, quàm propriæ attendunt vtilitati, sermo depretiatur, quia concionator contemnitur. Opus est Angelos concionatorem imitari, & Angelica puritate lucere. Tempore Samuëlis, quia sermo Domini erat pretiosus manifestæ visionis cessarat intuitus: *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta.* Cùm Iudicum 2. manifestè apparuerit Angelus, vt marcentes Israëlitas carperet, & ad vlam veritatis reduceret: *Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait, &c.* quærunt Interpretes, cur Samuëlis tempore fuerit visio manifesta subtracta? Si cùm Domini sermo non erat pretiosus, Angelus se obiecit obtutibus manifestus, modò potiori iure videbatur manifestandus, cum Dei sermo haberetur pretiosus. Cur ergo non sit manifesta visio, quando pretiosus habetur sermo? Profectò ob id ipsum Samuël, etsi puerulus, Angeli exercebat officium, canus moribus omnes reformare studebat & monitis, & exemplis; cúmque nec volaticam quæreret gloriam, nec sectaretur sordidam auaritiam, eius verba vti ab Angelico ore prolata apud omnes habebantur pretiosa, & sitientibus auribus auscultata: Ergo Samuël honestum Angelis fecit otium dum eorum laudabiliter exercet officium. Innuit Caietanus: *Sermo Domini erat pretiosus, non venalis significatur sermo Domini, sed charus, quemadmodum pretiosa non vilipenduntur, sed sunt nobis chara.* Dum à Samuëlis ore excipiebantur reuerenter verba, & humiliter monita, Angelus poterat otiari, quia Samuëlem Angeli munus constabat implere, & animarum zelo inflammari. Si esset venalis concio, si ambiret plausum, aut lucrum, fortè ad corrigendos mores necessaria esset manifesta visio & Angelica adhortatio; at dum pretiosus erat sermo, necessaria non erat visio: *Non erat visio manifesta.*

TEXTVS.

Vers. II. & III. Factum est ergo in die quadam Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre; lucerna Dei, ante quàm extingueretur. Samuël dormiebat in templo Domini, vbi erat Arca Dei.

§. VII.

Miseræ est cæcitatis indicium, si nullum relinquat lucis fulgoribus aditum.

Bonæ mentis est meliorem quotidiè se facere, & quos lapsus commiserit intelligere: verùm si oculus sic aliquando vitiorum nebulis cæcutiat, vt tenebras suas non intelligat, sed locis, & temporibus adscribat, ferè desperata est salus. Dum oculus, etsi pestilenti humore suffusus, rerum colores discernit, ad sanitatem potest deuenire; at vbi luci nullus aditus, iam prorsus euanuit visus. De quadam fatua aiebat Seneca *epist. 50. Subitò desiit videre. Incredibilem tibi narrorem, sed veram nescit se esse cæcam: subinde pædagogum suum rogat, vt migret: ait tenebrosam domum esse.* Quod fatuæ accidit, peccatoribus etiam contingit; scelerum tenebris mentis oculi obcæcantur, & cæcos se nesciunt. Eò processit aliquorum cæcitas, vt candentem splendorem non videant, nec fulgorem sentiant. Heli Dei lucernam claris splendoribus refulgentem nullatenus videre refertur, vt omnimoda cæcitate laborasse noscatur. *Oculi eius caligauerunt, nec poterat videre, lucerna Dei, ante quàm extingueretur.* Nonnulli Codices habent: *Lucernam Dei.* Hac corporali Heli cæcitate existimat Rabbanus animi cæcitatem designari, & miseram illius Reipublicæ ruinam prædici. *Hoc significat, quòd Heli in cæcitate permaneret, donec funditus cum prole sua extingueretur.* Si Dei lucerna aliquem aditum inueniret, forsitan blando lumine cæcitatem depelleret, verùm dum temporis lapsu sic cæcitas fuit obfirmata, vt nulla luci remanserit rimula, salus prorsus desperatur, & strages præuidetur. Quàm miser est, qui obturat aures, qui claudit oculos, qui se contra lucem munit, & tenebras pati gaudet. Dum Heli lucernam nequit videre, dum fulgori satagit aditum prorsus occludere, sibi inuidet, & inopino lapsu miserabiliter corruit.

§. VIII.

Inuidus perspicacibus oculis videt lucernam fumantem, sed non vidit splendentem.

Oculi inuidentiæ liuore suffusi, aut tetris æmulationis nebulis deprauati, si alienis luminibus repercutiantur, ingenti dolore premuntur; nequeunt splendidissimis virtutum fulgoribus irradiantè aspicere. Quod si vt fragilis est natura, & fortuna varia, splendor contrahatur, aut tetris nebulis obscuretur, perspicacibus oculis iam adspiciunt; quidquid inglorium non ignorant, cùm nesciant quidquid honestum. *Bion Sophista* (scribit Stobæus *de Inuidia cap. 38.*) *cùm vidisset quendam inuidum vultu prorsus in terram deiecto, dixit: Aut huic magnum malum contigit, aut alteri cuipiam magnum bonum.* Non sinebat inuidia oculos leuare, vt aspiceret lucem; obtutum exacuebat, ne ignoraret calamitatem. Discessit prodigus in regionem satis longinquam, ibi noxiis voluptatibus, fœdis sceleribus deditus quidquid erat famæ perdidit, & quidquid gloriæ obscurauit.

Tandem in se reuersus, & intimo dolore perculsus paternam domum repetiuit,& lachrymali confessione admissa piacula tersit: *Pater, peccaui in cœlum, & coram te.* Pater ex se ad commiserationem pronus,& meritis pœnitentis allectus pulchra exornauit stola,& manum nobilitauit fulguranti margarita: *Proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius.* Rediit etiam senior ad domum frater,& re omni cognita amatam fratris nõn retulit pœnitudinem,sed publicauit clamoribus prauitatem: *Deuorauit substantiam suam cum meretricibus.* Hinc oritur difficultas. Si longissimis intervallis dissiti viderat culpam, quomodo aduentantis ignorauit pœnitentiam?Quia luxuriæ inseruire erat probrum, eluere offensam copiosis lachrymis meritum, eáque obcæcabatur inuidia, vt cùm præsentis non videat meritum,absentis non ignorarit delictum. *Inuidum* (inquit Chrysologus *serm.*4.) *fugat Symphonia pietatis, chorus charitatis excludit,& quem venire ad fratrem,& appropinquare domui vocat ratio naturæ,hunc peruenire zelus non sinit, liuor non patitur introire.* Liuor nudum adspexit distantem, ornatu splendidum adspicere nequiuit præsentem.Nec aliter Heli contigisse refertur;ea cæcitate laborabat, vt lucernam pulchris videre nequiret luminibus splendentem; si tamen extingueretur, videbat obscuris vaporibus fumigantem: *Oculi eius caligauerunt,nec poterat videre: lucerna Dei, antequàm extingueretur.* Antequam lucerna extingueretur, nequibat aspicere, quia fulgebat, sed videbat extinctam, quia fumabat. Notauit Glossa Moralis: *In hoc Heli tenet figuram inuidi, qui non potest videre bonum proximi, quo lucet coram Deo,& hominibus per bonam famam; sed quando diabolo procurante extinguitur per infamiam, tunc acutè videt.* De Lamia prodidit fabula apud Plutarchum *lib.de Curiositate*,ita oculis vti, vt aliquando in cista reponat, aliquandoque assumat: ergo inuidus Lamiæ adinstar oculis est orbus ad gloriam, cùm inueniatur inoculatissimus ad infamiam.

§. IX.

Aliquando oportet, vt quò ægritudo est pertinacior, sit medicina benignior.

GRauis morbus aspero agnoscitur indigere remedio, verùm sic extenuare solet infirmi vires, vt non patiantur austera, sed medicamina requirant blanda: ergo medici lucet peritia, si iuxta virium capacitatem opportuna applicuerit laboranti remedia. *Vter autem præceptor* (aiebat Seneca *1.de Clementiâ cap.16.*) *liberalibus studiis dignior,qui excarnificat discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus hæserit, an qui monitionibus, & verecundia emendare, ac docere malit?* Si magister hebetem discipulum duris afficiat verberibus, ab schola prorsus depellet, & docendi austeritate fugabit; verùm, etsi paulatim, tandem proficier,si verecundia cogat, & blanda admonitione compellat. Nec aliter in animæ morbis accidit: opus est graviter laborantem fallentibus medicinis fouere,& blanda curatione ad sanitatem perducere. In cæcum à natiuitate incidit Christus,& misericordia motus exiguo, blandóque luto liniuit,& cæcitatem abstersit: *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius. Ioan.9. vers.6.* Cùm Tobias acri, & amaro felle ad lucem sit restitutus: *Sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui. Tob.11. vers.* 13. Difficultas exoritur,cur scilicet alter acri medicamento sanatus, & alteri visus leni adeò sit medicamine restitutus? Cur à natiuitate cæco lenius fuerit applicatum remedium, & cæcitati non adeò obfirmatæ austerius, ac durius, quando contrarium videbatur consulere & prudentia, & medicina? Non caruit (inquit noster Maldonatus) mysterio: *Haud obscurè apparuit aliquid, quemadmodum in luto, ita & in sputo fuisse mysterij.* Curatione mysterio plena sanauit cæcum, fortè ostendens grauissimis morbis debilitatos blandis remediis ad sanitatem ducendos; nam quò debiliores sunt vires, non patiuntur aspera, sed benigna. Heli cæcutiebat, nec videre poterat Dei lucernam viuidis luminibus splendentem; videbat tamen radios contrahentem, & fulgores mitigantem. Itaque nimis viuidus radius cæcutientem offendebat, blandior, & lenior illustrabat: *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre: lucerna Dei, antequam extingueretur.* Lucerna validis fulgoribus nitens laboranti causabat dolorem; at cum deficiente pabulo, blandiores emittebat radios, illustrabat etiam cæcutientes oculos. Notauit Lira: *Non poterat videre lucernam Dei ardentem, eo quod offendebat visum eius nimis debilitatum.* In lucerna,Helique optimum animarum medicis documentum est. Non solùm attendendi sunt morbi, sed subiecti examinandi sunt vires, nam licèt aliquando ardentissima febris indigeat graui remedio, ob infirmi debilitatem oportet vti medicamine prudenter attemperato. Si oculis captum ad currendum compellas, cadet; si manu duxeris,lento gressu ad terminum desideratum peruenies: appetitibus cæcus manu ducendus, ne desperans fugiat remedium, sed spe concepta recuperare discupiat visum.

§. X.

Qui pulsanti diu luci oculos clausit, auolasse, cùm oculos aperuit, inuenit.

PLures & conscientiæ morsu stimulati,& blandis voluptatum fallaciis irretiti litem componunt, & in senectute ad virtutis castra, aut instante morte transituros se periculosa adulatione promittunt: contingit tamen non rarò lucem auolasse, cùm promiserant sibi inuenire. Ad summa vitæ placidè peruenit, qui scit, quo gaudeat, qui solidam felicitatem, non felicitatis castrum attendit. *Solicitus est, & incertus sui* (aiebat Seneca *epist.* 23.) *quem spes aliqua proritat.* Ipsa spe plures stulti ad voluptates,& quæ extrinsecus splendent, proritantur, dum sibi promittunt post euanida hæc gaudia tempus affuturum, vt perueniant ad salubria: sibi ipsis imponunt, non intelligentes breues,& pœnitendas voluptates animum irretire, & mentis oculos tetris vaporibus obscurare. Non èst adeò facile tenebras depellere, vt videas,ac videre,vt caliginem depellas. Quæ fluminibus innatant,non eunt,sed torrente sæpè feruntur,& qui maria tranantes certum appellere sibi ad portum promiserant, tempestate iactati sæpè, quò non cogitauerant, deuenere compulsi. Ipsa, quæ nutrimus vitia, licèt aliquando nobis blandiantur,ferarum instar recrudescunt, & altores suos inopinè dilaceratos occidunt. Saül, quam in Dauidem sæpè iecerat, sperabat lancea pericula propulsare, sed adacta in viscera, inuentus est deperire. *Saul incumbebat super hastam suam. 2.Reg.1. vers.6.* Notauit Drogo Hostiensis *de Sacram. Domin. Pass. Sua eum hasta interfecit.* Hasta confidebat, sed confidentia contra eum ipsum conuersa est. Miser agnouit esse in morte sibi detrimentum,quod fore existimarat auxilium. Nec aliter Heli accidit.Iacebat ignavus,tetra eius oculos possidebat caligo, cùm proxima templi lucerna blandis luminum radiis pulsabat oculos; vt surgeret, & caliginem propulsaret;verùm ipse,vt inerter iaceret,& oculos clauderet, sibi persuasit postea oculos aperiendos, & lucernæ fulgoribus caliginem depulsuros: *Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre: lucerna Dei, antequam extingueretur.* Verum, ô miserum! cùm aperuit oculos, lux iam euolarat, sicque spebus destitutus occubuit cæcus. Notauit Hugo Cardinalis: *Heli non poterat videre lucernam,donec extingueretur, ipse scilicet Heli,id est,antequam moreretur.* Cùm lucerna diffandebat fulgentissimos radios,studiosè Heli claudebat oculos; cùm verò aperuit oculos, lucerna iam contraxerat radios, vt in Heli historiæ penicillo Textus exprimat, quod

quod peccatoribus sæpè accidit. Cœlestis lux animæ oculos caligantes pulsat, vt caliginem abstergant, & insanias voluptatum abjiciant: verùm ne noxiis deliciis priuentur, de die in diem differunt oculos aperire, & contingit Dei lucernam radios contrahere, & mortem infeliciter oppetere. *Non poterat videre lucernam, donec extingueretur, ipse scilicet Heli.* Crede Epicuro: Se fallunt, qui diù se victuros credunt, nam circumfusi deliciis resipere differunt, sibi tempus promittentes, & vrgente morte, nec tempus suppetit, nec caligo discedit.

§. XI.

Magna Dei misericordia est somno oppressum excitare, quo cœlestia monita valeat audire.

Fac, oro te (aiebat Seneca *epist.* 23.) *Lucili charissime, quod vnum potest te præstare felicem. Disjice, & conculcasta, quæ extrinsecus splendent, quæ tibi promittuntur ab alio. Ad verum bonum spectа, & de tuo gaude. Quid est autem hoc? De te ipso, & de tui optima parte. Corpusculum quoque, etiamsi nihil fieri sine illo potest, magis necessariam rem credo, quàm magnam.* O nos miseros! cùm exiguum sit lucis tempus, altissimo nos somno tradimus, vtque indulgenter consulamus corpori, potiori non attendimus parti, scilicet menti. Pauci sunt, qui se, suáque consilio disponant; plures, qui vanas voluptates, breues, & pœnitendas exambiant. Exiguum vitæ spatium conterimus inter inertiam, & ignauiam. Heli iacet, Samuël dormit, dum lucerna tepli resplender: verùm ea est Dei misericordia, vt dormientes excitet, & oculos radiis cœlestibus pulset. Ante quàm Dei lucerna extingueretur dormiens Samuël excitatur: *Dormiebat Samuel.* Quid tunc? *Vocauit Dominus Samuel.* O cœlestem dignationem! Duo dormiunt, vnus excitatur, & hoc, ante quàm Dei lucerna radios contrahat, & illuminandi tempus adimpleat: *Lucerna Dei, ante quàm extingueretur.* Illuminandi tempus erat definitum, vterque somno definitum consumebat spatium. Felix fuit Samuël, dum excitatur, ante quàm lucerna extincta, & illuminandi mensura impleta. Notauit noster Sanctius: *Sensus est, excitatum Samuëlem à diuina voce, ante quàm lucernæ, quæ tota nocte lucebant, ante auroram extinguerentur.* Candidante iam aurora, extinguebatur lucerna: ergo ni Samuël amica voce excitatus ante auroram aperiret oculos, posteà non videret lucentes radios. Heli somni, tenebrarúmque caliginibus irretitus lucernam non aspexit, nec cœlestem vocem audiuit. Plures dormiunt, & luminis tempus terunt, cùm vnus, aut alter excitetur, & cœlesti luce fruatur.

§. XII.

Excusatiùs dormit puerulus, sine excusatione claudit oculos senectute grauatus.

Plures deliciarum dulcedine illecti, & voluptatum præstigiis irretiti, oculos claudunt veritati, vanis, breuibus, pœnitendisque gaudiis tempus terunt, & insanæ virtutem lætitiæ postponunt. Veri boni auiditas & tuta, & honesta est. Quod si vnde nascatur, inquiras, iam respondet Seneca *epist.* 23. *Ex bona conscientia, & honestis consiliis, ex rectis actionibus, & contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, & continuo tenore vnam prementis viam.* Verùm ferè omnes noxia appetunt, nec solùm errant, sed errare cupiunt; cæcè viuunt, nec se, suáque sapienter disponunt. Addit Stoicus: *Non est quod existimes paucos esse hos, propemodum omnes sunt. Quidam viuere tunc incipiunt, cùm desinendum est. Si hoc indicas mirum, adjiciam, quod magis admireris. Quidam ante viuere defecerunt, quam inciperent.* Ferè omnes isti (teste Stoico) euanidis, & insanis irretiuntur appetitionibus; aliqualem tamen excusationem habet iuuentus dùm sanguis efferuescit, & incipientis vitæ vigor prolixos annos sibi promittit: verùm grandi annorum numero prægrauatum adolescentium errores sectari, durissimæ cæcitatis est argumentum, & sine excusatione deliriu m. *Clamo mihi ipse* (aiebat ipse Seneca *epist.* 27.) *Num era annos tuos, & pudebit eadem velle, quæ volueras puer; eadem parare. Hoc denique tibi citra diem mortis præsta; moriantur ante te vitia. Dimitte istas voluptates turbidas magno luendas.* Heli iacet altissimo somno indulgens, Samuël puerulus etiam dormit: *Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant.* Subsicit Textus: *Samuël dormiebat in templo Domini.* Quid tunc Cœlestis vox Samuëlem excitat, Heli iacentem, & caligantem relinquit: *Et vocauit Dominus Samuël.* Et cur non Heli? Quia, teste Paulo, cuius vult, miseretur, & quem vult indurat; nihilominus si in hoc vtriusque somno, non renuas animorum somnia designari inuenies Samuëlis somnum aliqualem excusationem habere; Heli verò sine excusatione delinquere. Mirum non est in iuuentutis ardore rationis oculos appetitus tenebris obscurari, sed mirandum senem morti vicinum dormire. *Heli* (inquit Glossa Moralis) *tenet figuram inuidi.* Qua ætate? *Ferè annorum 98. erat* (inquit hic Abulensis.) Mira res Cùm mors pulsabat, inuidentia adutebat; cùm sanguis gelascebat, appetitus flagrabat: ergo Deus Samuëlem excitat, quia vt puer dormitat: at Heli prosequi somnum permittit, nam ea ætate cæcutire, meruerat non excitari. Longissima ætas consulebat ignauiam depellere ad mortem præparari, & honestis actionibus studere, & tamen Heli iacet ignauior, & indulget inertiæ cæcior. Antè defecit, quàm videre rectè, vt Stoicus aiebat, inciperet. Vitia iuuenum in senibus denotabis, immò turpiora, quia in senibus: prolixa, alienáque cæsarie canitiem abscondunt, circa ornatum pueriliter delinquunt, dignitates exambiunt, aurum sitiunt, & cùm putares honestam vitæ ponendam clausulam, imitantur iuuenum vitam. Heli iacens, & 98. annorum liuore cæcutiens relinquitur, Samuël puerulus excitatur quia iuuentuti aliqualis debetur indulgentia, sed dormientem senem grauior condemnat censura.

TEXTVS.

Vers. IV. & V. Et vocauit Dominus Samuël, qui respondens ait: Ecce ego, & cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego, vocasti enim me, qui dixit: Non vocaui, reuertere, & dormi. Et abiit, & dormiuit.

§. XIII.

Obsequij decus est animi promptitudo, nam qui traxit moras, offudit pulchritudini nebulas.

Obsequium est promerendi artificium; si tamen nullis maculis obscuretur. *Artificium promerendi* (aiebat Tertullianus *de Patientia cap.* 4.) *obsequium est. Obsequij vero disciplina morigera subiectio.* Ac si dicat: Vt obsequiũ placeat, morigera debet subiectionee splendere, non reluctantia, aut tarditate obscurari. Plures iussa implerunt, non tam obsequuti, quàm coacti. Offendit aliquando obsequendo, qui & distulit, & tardauit, & noluit. Esau iussus cibos afferre, attulit, sed tardè, nec vt patrem velle nouerat, conditos, & saporatos. Iacob celerius obtulit, vt pater desiderabat, saporatos: ergo laudabili hoc artificio benedictionem promeruit: *Benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus Gen.* 27. *vers.* 27. Honestè præcipientis placito se adaptauit, non arbitrio suo est interpretatus mandatum, & quia integrum, placuit obsequium. Nonnulli obediunt vultu exprobrantium: obsequuntur, sed tarditate nolentium; cúmque non excusarint laboris molestiam, non merentur

decorę

decore gratiam. Samuël dignus fuit allocutione cœlesti, quia vocatus, vt existimabat, ad Heli cucurrit, & se paratum ad obsequendum ostendit: *Cucurrit ad Heli.* Ad quodcumque iuberetur, paratum se obtulit: *Ecce ego.* Non conquestus est dulcem somnum interruptum, non fastidiosi, & exasperati voce quid vellet annosus senex rogauit, sed expromptus, & paratus obsequi vocanti contendit. Notauit Abulensis *quæst.* 1. *Immediatè vt audiuit, respondit, dicens: Ecce ego, id est, ecce ego præsto sum ad ea, quæ iubes.* Non traxit de industria moras, non suffuratus est aliquod obedientiæ tempus, vt indulgeret somno, sed expromptus, & alacris adstitit, vt audiret præcepta, vt exequeretur iusta. Huc voco, quod aiebat Bernardus *in Allegor. Tilman. ad cap. 9. Actor. O breue verbum, sed plenum, sed vivum, sed efficax! Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abiecerunt voluntatem, vt non quid ipsi, sed quid velit Dominus omni hora requirant!* Breue fuit verbum: *Ecce ego*, sed expromptum, & pulchrum: dignus fuit Samuël allocutione diuina, quando aduersus temporis difficultates, & somnij illecebras & surrexit, & cucurrit.

§. XIV.

Superior errantes patienter sustineat, & hilari vultu admoneat.

ALiquando serui hac, aut illa occasione delusi existimant se à Domino vocari, & somnum eius præcidunt, aut à seriis negotiis importuni auertunt; verùm tunc nec effundenda est ira, nec iactanda in seruos dura verba, sed patienter sunt tolerandi, & humaniter corrigendi. Ipsum expromptè obediendi studium, & placendi desiderium famuli errorem debet inaurare, & domini indignationem reprimere. Benè moratus de impatientia, de acerbitate, de in seruos duritie se non ostentabit Dominum, imò quid magnitudini suæ detrahet, ne seruum deterreat. Quàm benè Seneca *epist. 47. Libenter ex his, qui à te veniunt, cognoui familiariter te cum seruis tuis viuere, hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet.* Prudens, dum acriori se iracundiæ motu inflammari sentit, totus est in se ipso frænãdo, ne dum inexoculatæ iræ habenas permittit, ipse grauius peccet. *Socrates* (inquit Plutarchus de non irascendo) *quoties commoueri aduertebat se in amicum asperius, remittebat vocem, arridebat vultu, & intuitu vtebatur leni: itaque vergendo alteram in partem, atque in contrarium animi motum, se torquendo in stantem, & infractum se conseruabat.* Ni sapiens, ante quàm alienum carpat erratum, proprium iracundiæ sedarit impetum, prudentiæ faciet naufragium. Mirè Heli resplenduit patientia, dum Samuël à Domino vocatus, ad eum cucurrit, & semel, ac iterum dormientem senem excitauit, & otium dulce interrupit. *Ecce ego, vocasti enim me.* Heli non vocarat, nec à Deo vocatum tunc nouerat, & tamen patienter tulit, & blandè, vt repeteret lectum, admonuit: *Reuertere, & dormi.* Non acriter increpuit, non durè somnum interrumpentem carpsit, sed humanè respondit. Si alius esset, dura in Samuëlem verba iaceret, & puerum exasperatus feriret, verùm, vt erat prudens, ab indignatione abstinuit, & dormire puerum blandissimè admonuit. Notauit Abulensis *quæst. 2. Non increpuit Heli Samuëlem, quia non erat ex hoc increpabilis, dato quòd esset error somnij, quia ista non sunt in potestate nostra.* Multoties serui, subiectique præter intentionem offendunt, imò sę placere Domins arbitrantur: ergo tunc nimis asperè non sunt castigandi, sed patienter sufferendi.

§. XV.

Veritas humilibus, ac parvulis reuelatur, tumidis, superbis tegitur.

MImicè (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap. 46.*) *philosophi affectant veritatem*, & affectando corrumpunt, aut eius splendorem offusis elationis nebulis prorsus impediunt. Veritas modestiæ, ac humilitatis cognata est, in eius laribus nascitur, & nutritur; elatos, & superbos animitus auersatur. Notauit Richardus in Allegor. Tilmani Iosephi fratres cum vendidisse, Ismaëlitas felici contractu sibi comparasse. Nam Ioseph nequibat inter superbos, ac tumore inflatos degere, nec recusabat cum humilibus habitare: *Vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis. Gen. 37. v. 28.* In Ismaëlitis humiles, in Iosephi fratribus elatos, superbientésque designari existimauit Richardus. *Vendunt* (inquit) *Hebræi, emunt Ægyptij: quia facilius aliena cedunt prudentiæ erroris sui tenebras cognoscentes, quàm de sua iustitia, vel sapientia præsumentes.* Elata præsumptio, tumens superbia, cæca arrogantia veritatem vendit, aut corrumpit; humilitas verò sibi comparat, dum de sapientia propria non præsumit. Non longè aberat Samuël ab Heli, & tamen cœlestis vox puerum instruit, caligantem senem contemnit: *Vocauit Dominus Samuël.* Quæres, cur Heli grandæuum vox cœlestis non pulset, & puerum parvulum excitarit, quando videbatur aptior cœlesti excipiendæ voci ætas matura, quàm rudis, & parvula? Quæstioni respondet Glossa Moralis, vocasse scilicet Samuëlem, quem idoneum reddabat humilitas, non Heli, quem inidoneum tumoris effecerat vanitas. Accipe eius verba: *Vocauit Dominus Samuël, non Heli Sacerdotem, quia veritas humilibus, & non altis per superbiam reuelatur.* Sacerdos ætate maturus, eruditione clarus dignitate splendidus puerum debebat cœlestibus mysteriis imbuere, & ad clariorem Numinis agnitionem afferre, & tamen puerulus instruit senem, & excitat Sacerdotem, quia dum Sacerdos per superbiam tumet, obstaculum cœlesti splendori opponit: at Samuël, dum humilitate exornatur, aptus cœlesti excipiendæ veritati inuenitur, nam veritas est humilitatis amica, tumoris æmula.

TEXTVS.

VERS. VI. Et adiecit Dominus rursum vocare Samuëlem. Consurgénsque Samuël abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit: Non vocaui te, fili mi, reuertere, & dormi.

§. XVI.

Inglorium est, si puerulus senem ignauè dormientem excitet, cum senex puerulum debeat exemplis instruere, & monitis salubribus excitare.

PRudentia fructus senectutis est. Cursus annorum, dum insanum ardorem extinguit, mentem reluminat & accendit. *Cursus annorum* (aiebat Cassiodorus 8. *variar. 21.*) *laudis tibi procurat augmentum. Senescis quidem corpore, sed laude inuenescis. Meritò tibi prolixior ætas optatur, in qua fama semper robustior inuenitur.* Matura in ætate fama debet coruscare nitidior, & terris affectionibus repurgatior. Senex vitæ iam mortuus florere debet solùm virtutibus vegetus. Insanis appetitionibus mortuus non tam occumbit, quàm discedit. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace* (aiebat Deus Abrahamo)

Abrahamo) *sepultus in senectute bona. Genes.* 15. *vers.* 15. Non ait, morieris, sed abibis, quia maturus senex viuebat expeditus humanis vinculis, & ignobilium affectionum obscuris nebulis. Adest Philo *lib.* Quis rerum: *Illud perfectum genus perpetua libertate fruitur in pace immutatum constantissima. Inest autem dogma his verbis. Bonum virum non mori, sed abire, vt ostendat inextinguibile, & immortale genus perpurgatæ animæ, quæ hinc in cœlum proficiscatur absque dissolutione, ac corruptione, quam mors videtur inducere. Abibis, inquit, ad patres tuos.* Itaque pacem cum senectute coniunxit, quia senectus, nec cupidinibus impeti, nec adfectionibus debet perturbari. Quod si hæc pax legitimus senectutis est fructus, reprehensibile admodum erit senem iam occasui proximum somno adeò immergi, & corpori ita inseruire, vt à puerulo excitetur, & ipsa excitatione carpatur. En Samuël puerulus Heli excitat: *Factum est ergo in die quadam Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant.* Nimia senectute refertur grauatus, & ad cœlestem vocem percipiendam somno impeditus: ergo puerulus, dum vocem audit, dum ad senem excitandum accurrit, dormientem, cæcúmque carpit: *Cucurrit ad Heli.* Ad Heli inuolauit semel, & iterum, vt excusso somno imminere periculum nosceret, & Dei indignationem timeret. Notauit Glossa Moralis: *Vocauit non Heli Sacerdotem, quia veritas humilibus, & non altis per superbiam reuelatur.* Heli à puerulo, vt sibi consulat, excitatur, quo magna eius cæcitas denotetur.

§. XVII.

Deus nos superioris voce instruit, & quid à nobis velit, exponit.

SVperior Dei vices gerit, eiúsque lingua Deus vtitur, vt nobis voluntatem suam aperiat, & monitis cœlestibus instruat. Vt aqua è purissimo fonte mundos per canales excurrens bibulam terram grata amœnitate floridam reddit; ita Dei vox, quæ ingenium sortitur aquarum, attestante Ioanne. *Vox illius tanquam vox aquarum multarum, Apoc.* 1. *vers.* 15. ad subditos per superiores deuenit, & quid illis expediat, docet. *Sic Domini ani nostri* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 26.) *estis moribus instituti, vt & leges libenter audiatis, & iudices.* Audire superiores diuinitati est acceptum, & virtutibus expoliendis est commodum. Ob id Deus, vt Samuëlem instruat, ea voce excitat, vt se ab Heli vocari putarit. *Adiecit Dominus rursum vocare Samuëlem.* Inquires; cur Deus Heli vocem fuerit imitatus, quando facile adeò erat diuersa voce excitare puerum, & ei reserare cœleste arcanum? Abulensis *quæst.* 1. ait Heli vocem fuisse Angelum imitatum, vt notum esset, Deum superioris voce vti ad veritatem aperiendam, & voluntatem suam manifestandam. *Putabat Samuël, quòd vocabat eum Heli, & ob hoc sic respondebat, sed Angelus Domini erat, qui vocabat.* Angelus erat, qui vocabat, sed Heli vocem referens, quia superiorum voce Deus subiectos alloquitur, & quæ sit diuina voluntas, eis sine erroris periculis intimatur. Superioris voce Samuël ad arcana percipienda disponitur, & monitis cœlestibus eruditur.

TEXTVS.

VERS. VII. & VIII. Porrò Samuël necdum sciebat Dominum, nec reuelatus fuerat ei sermo Domini. Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuëlem tertiò. Qui consurgens abiit ad Heli.

§. XVIII.

Qui expromptè Dei voci obedit, se ad honores, & dignitates disponit.

HOnoris, gloriæque sitis hominum mentes potenter inflammat, sed variis caliginibus præpediti iter ignoramus, & à recta via grandi detrimento deflectimus. Pecorum ritu sequimur, non quà eundum est, sed quà itur. Quàm benè Seneca *de Vita beata capit.* 1. *Decernatur itaque, & quò tendamus, & quà.* Nulla res nos maioribus malis implicat, quàm quòd cæcis oculis inuolamus: & quidem si via error est, ipsa velocitas interualli maioris est causa. Qui ad dignitates, honoresque peruenire discupit, Deum audiat, eiúsque præceptis obediat; hæc enim est sine ambagibus via, quæ nos ducet, non solùm ad virtutis fastigium, sed ad honoris, famæque excelsum. Abraham, dum Deo expromptus obedit, stellarum splendorem sibi obedientia acquisiuit, & posteritatem firmauit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Genes.* 22. *vers.* 17. Hostes deuicit, Lothum in libertatem asseruit, & qui eximia præmia meruit fortiter depræliando, adeptus est sine tergiuersatione obediendo: Victori aiebat oraculum: *Numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Genes.* 15. *vers.* 5. Laboriosa militia & expromptа obedientia splendorem sibi meruerunt, & impetrarunt. Audi Liram: *Et velut arenam; hoc dicit quantum ad cupidos, & terrenos.* Itaque obediendo & terrena possedit bona, & cœlestia imitatus est astra: est namque expromptа obedientia sanctitatis nutrix, & felicitatis mater. Ter Samuël vocatur, & ter cucurrit expromptus: *Vocauit adhuc Samuelem tertiò, qui consurgens abiit ad Heli.* Iosephus apud Hugonem in his tribus vocationibus existimat triplicem dignitatem præsignari, scilicet Prophetæ, Sacerdotis, & iudicis, vt eo passu crescceret splendor muneris, quo crescebat, & promptitudo obsequentis. *Secundùm Iosephum hæc trina vocatio Samuëlis significauit tres dignitates ipsius futuras. Fuit enim Propheta & index, obtulit vt Sacerdos.* Itaque & Propheta resplenduit, & iudex fulsit, & sacrificandi honore radiauit. Quæ omnia expromptа obsequela attulit: vti in radice, iam præuidebantur in obedientia nobiles fructus, & digni plausus, vt noscas Dei vocem audire, eiúsque præceptis obsequi, splendidos hos fructus afferre, futuráque dignitates præsignare: in obsequiis præuidebantur iam dignitates, & à nobili obedientiæ radice pullulauerunt honores, & dum obediendi crescit obsequium, augetur etiam honoris, & vtilitatis certum auspicium.

NAXERA
LIB. I.
REGUM.
CAP. IV
15

TEXTVS.

VERS. IX. Et ait : Ecce ego quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum, & ait ad Samuëlem : Vade, & dormi, etsi deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuël, & dormiuit in loco suo.

§. XIX.

Superior est pro lapide lydio ad reuelationes dignoscendas, & fallacias euitandas.

VT Deus cœlesti lumine corda pulsat; sic Satanas in lucis Angelum se transformat. Inter has ergo implexas difficultates pius vacillat animus, quo ducatur spiritu dubius: ergo superior, cui Deus speciale ob muneris dignitatem lumen infundit, qualitates reuelationum discernit, & dubios instruit: *Scorta* (aiebat Philo *de Plantatione Noë*) *& adulatores suum agunt negotium, dum amatoribus, & quibus adulantur, aliquid boni conciliant. Resecandæ sunt igitur hæ præstigiæ, simulationésque ab amicitiæ planta, vt agnatæ pestes noxiæ.* Vt scortum fallaciam amoris colere dissimulat, vt lupinam astutiam ouina pelle dolosus adulator adornat; sic dæmon sanctitatis colore malitiam tegit, & pulchro virtutis fuco prauitatem abscondit: ergo vt lydius lapis obæratum aurum, & pretiosum ostendit; sic superior luce cœlesti illustratus subiectum dirigit, & si quid fraudis interueniat, ostendit. Deus, dum Samuëlem alloquitur, superioris vocem imitatur: ad Heli accurrit semel, & iterum Samuël, à quo instruitur, & modum, quo se gerere debeat, prædocetur: *Intellexit Heli, quia Dominus vocaret puerum.* Inquiramus, si placet, cur oraculum toties ad Heli recurrere puerum voluerit, quando per se ignorantiam depellere, & notitiam quibat indere. Quam ab Heli Samuël instructionem accepit, ab oraculo interius accipiat, ne differatur arcanum, dum adit cursibus repetitis magistrum. O vtilem nobis doctrinam! Deus puerum alloquitur, ast à puero allocutionis qualitas ignoratur. Poterat dæmon fraudes tegere, & velut dignum cœlesti alloquio inexpertum inflare, vt etiam quibat Deus veritatem aperire: ergo ad superiorem accurrat, vt ille Dei voce pulsari agnoscens instruat puerum, & fallaciarum non adesse attestetur periculum; sic namque Samuël excipiendæ reuelationis erit aptior, & à fallaciarum contingentia securior. Adest Cassianus apud nostrum Sanctium: *Vt quem sua vocatione dignissimum iudicarat, senioris mallet institutione formari.* Adnectit noster Sanctius: *Docet quantum expediat in rebus dubiis superiorem adire, & ab eo discere quid maximè ex vsu nostro, Deique gloria futurum sit, per quem suam nobis Deus voluntatem expromit, & cuius verba apud religiosum oraculorum pondus habere debent.* Superior diuinæ voluntatis interpres instar oraculi in rebus dubiis est consulendus, ne error pro veritate obrepat, & dæmon inexpertos, & ignaros dolosè fallat. Heli vocem refert oraculum, vt Samuël ad superiorem accurrat, & superior quid sit faciendum, ostendat. *Instruxit illum* (inquit Abulensis *quæst.* 3.) *qualiter deberet respondere ad hoc, quòd se haberet reuerenter ad Deum; erat enim Samuel inexpertus, ideò nesciret loqui reuerenter ad Deum.*

§. XX.

Deum priùs discat audire, qui alios vult vtiliter edocere.

QVisquis lucis adinstar ad reliquos instruendos eligitur, proprietates luminis imitari tenetur. Iam cœlum productum erat, iam terra cum aquis, cùm vox Numinis antecederet nulla: at vbi ad lucis creationem deuenitur, iam voce cœlesti vocatur: *Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux. Genes. 1. vers. 3.* Rogabis, quid opus fuerit lucem imperio produci, quando, vt reliqua, solo nutu poterat efformari? Dubio respondebit Basilius Seleuciensis, *orat. 1.* lucem esse veluti oculorum magistram, quæ ergo, vt doceret, producta est, priùs parata, & imperium cœleste audiuit. Basilium accipe: *Prima iam vox à Deo mittebatur, & lux nascebatur: audiebatur vox, & natura producebatur: simul creatura vocabatur, simul formabatur.* Quia lux præ creaturis reliquis erat magisterij locum obtentura, oportuit Deum audire, & eius voci expromptam placiditate parere. Docendi munus implet, qui audit, quandoquidem à cœlesti fonte recipit, quod vtiliter postea effundit. *Diuinæ supplicationis* (aiebat Cassiod. 9. *var.* 24.) *semper assiduis exegit meritis, vt illa faceret, quæ superna gratia custodiret. Nam quem ille virum aut exercitibus præficiens cum victoria non recepit? aut iudicem cingens non iustissimum comprobauit? Cum futuris rebus eum crederes habere tractatum: nam quod concepisset animus, reddebat semper effectus, miróque sapientiæ studio non habebat dubium, quod veraciter præuidebat esse venturum.* Assidua supplicatione superior impetrabat, qua alios regeret, lucem, & quia exactè Numinis adimplebat mandata, veluti prophetali spiritu sapienter futura, præsentiáque disponebat negotia, & erat subiectorum commodum superioris cum cœlo commercium. Hanc veritatem confirmat Samuël ter cœlesti voce vocatus, & ad obediendum semper expromptus: *Vocauit adhuc Samuelem tertiò.* Repetitis vocibus existimat Glossa vocatum, quia Prophetæ, magistrique obiturus erat officium: ergo quia ad magisterium decreuit euehere, repetitis Deus voluit vocibus præparare; nec enim alios vtiliter edoceret, ni ipse priùs Numinis vocem audiret: *Trina vocatione potest intelligi, quia erat futurus Propheta, dux, & Sacerdos.* Ab ore Sacerdotis erat legis scientia requirenda, à duce via sine offendiculis demonstranda, à Propheta futura sine ambagibus prædicenda: ergo discat priùs audire, vt possit salubriter edocere. Qui monitis supernis non præbet auditum, periculosè exercebit ducatum; qui cœlesti lumine non est instructus, alios nec edocebit vtiliter, nec depellet tenebras fallaciarum sapienter.

§. XXI.

Prudens, ni ratio cogat, aliis acerba prænuntiare recusat.

NEscias, quo pruritu gestiant aliqui aliis acerba prænuntiare, & præsagiis tristibus referire. Ast prudens se continet, & ni ratio cogat, infausta denuntiare recusat. Quisquis infausta gestit prædicere, mœstitudine aliena videtur gaudere, & infelicitate lætari. Retulit pistor arcanum illud somnium futurorum præsagium. *Vidi somnium quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auésque comedere ex eo. Genes. 40. vers. 16.* Ioseph interpretatus est somnium: *Hæc est interpretatio somnij*; non tamen ea alacritate, qua pincernæ visum, nam cùm aliud fausta protenderet, & tristia aliud prænuntiaret, felicitatem prædixit lætus, infelicitatem tristis, & morosus, immò, ni interpretis munus, quod iam exercere promiserat, cogeret, ora silentio signaret. Audi Philonem *lib. de Ioseph: Vtinam tale*

tale somnium non vidisses, aut non enuntiasses, aut si narrandum erat; saltem id fecisses procul à meis auribus, ne exaudirem, quod non libet; piget enim me esse infelicitatis munium, quia compatior miseris, memor communis sortis hominum. Itaque priùs Ioseph somnio perculsus est, quàm ediſſeret, & veluti coactus explanauit. Adnectit Philo: *Sed quoniam somniorum coniectoribus veritas est necessaria, tanquam vatibus, & oraculorum interpretibus nihil celabo.* Ni ipsius muneris, quòd subierat, ratio exigeret, interpretari somnium excusaret: est enim ferini ingenij indicium, maturare denuntiatione dolorem, & vrgere acerbitatem. Deus cùm per Samuëlem tristitia Heli prædicere decreuisset, non semel, aut bis, sed tertiò vocauit: *Vocauit adhuc Samuëlem tertio*; nec otiosè, vt Ruperto placet, vocare adiecit, immò repetito cursu ad Heli inuolare fecit, vt coniectans quid arcanum puero patefactum, non solùm inquireret, sed ad denuntiandum impelleret. Rupertum audi: *Sic factum est, vt is, qui visionem indicare timuisset, celare non auderet, tacere non posset.* Si quod audierat non compulsus denuntiare gestiret, videri posset alienis stragibus delectari; dum compulsus aperit veritatem, ostendit etiam animi mœstitudinem: ergo Deus sic res disposuit, vt Heli veritatis non careret notitia, & Samuël suspicionis careret nota. Qui spontanee præmaturis denuntiationibus aures exulcerat, inhumanum aliquod oblectamentum se inde venari indicat; quandoquidem prudens, & humanus cuiat tacere, & ni ratio cogat, non vult calamitatem prædictione accelerare, & audientis animum premere.

§. XXII.

Peccatores difficulter imminere, sibi credunt flagella, cùm admissa nequeant dubitare delicta.

SCelesti imminere sibi periculum admonenti fidem non præbent, immò existimant nugari, aut vana imaginatione deludi: tunc abesse longiùs arbitrantur supplicium, cùm aures diuerberat iam flagellum. *Ego certè* (aiebat Seneca *epist. 26.*) *velut appropinquet experimentum, & ille laturus sententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me observo, & alloquor: nihil est, inquam, adhuc, quod aut rebus, aut verbis exhibuimus: leuia sunt ista, & fallacia pignora animi, multisque inuoluta lenociniis: quid profecerim, morti crediturus sum.* Prudens adesse iam mortem cogitat, quo facta sua seuerè discutiat, & ad diem illum componat: remotis strophis, ac fucis de se iudicat, non cupiditatibus seipsum seducens blanditur, sed prouido timore veretur. Vitiorum vernulæ tetris cupiditatum caliginibus sic obcæcantur, vt nec mortem adesse videant, nec admonentibus credant. Ter Deus Samuëlem excitat, vt ad Heli excitatus accurrat: *Vocauit adhuc Samuëlem tertiò.* Et quidem satis videbatur semel vocasse, vt mala Heli impendentia reuelaret, & per Samuëlem seni prædiceret. Cur ergo ter ad senem voluit accurrere, & dormientem excitare? Quia Heli cæcutiens pueri existimasset somnium, nec imminere sibi arbitraretur flagellum: ergo vocauit tertiò, vt persuaderet sibi Heli non esse vanum, quod experiebatur insolitum. Audi Theodoretum. *Quoniam Deus erat mala Heli prædicturus per Samuëlem, ne videretur Samuël finxisse reuelationem, Deus rem dispensat, vt cùm Heli quidem crederet, quod sit Deus, qui vocat Samuëlem, ille autem posteà renuntiaret, quæ dicta sunt à Deo, non esset suspectus, tanquam qui finxisset, sed ei fides haberetur, vtpotè cui diuina facta esset reuelatio.* Heli ignorare nequibat à filiis sacrificia pollui, adulteria committi, rapinis scelestissimis inhiari: verùm sic cæcitate desipiebat oppressus, vt posse imminere sibi, domuique suæ flagella nullatenus vereretur oblitus. Si semel accurrens Samuël appetentem denuntiasset stragem, vanum irrideret somnium, & phantasiæ existimaret delirium. Ergo Deus repetiuit vocem, vt prædicenti adhiberet fidem. Eo namque peccatores stupore occupantur, vt cùm non ignorent flagitia, distantissima existimarint flagella. *Ne videretur Samuël finxisse reuelationem, Deus rem dispensat.*

§. XXIII.

Non est reuelationibus fides facilè adhibenda, sed veritas per otium examinanda.

SVnt, qui virtutis fuco, & confictis reuelationibus admittantur venari sibi plausum, & lucrum. Mulierculæ affectant sanctitatem, mentiuntur virtutem, cursitant magnarum fœminarum domos, & vt nouerunt credulas, & reuelationum amicas, magnis Sacramentis incipiunt reuelationes, sibi factas & architectari, & humillimis verbis confícta ambagibus aperire; & hoc totum, vt in sanctitatis obsequium delicatè alantur, & munusculis onerentur. E contra nonnulli existimant omnem reuelationem confictam, & irridendam, cùm in vtroque peccetur, res est prudenter discutienda, & ex ipsis circunstantiis veritas indaganda. Plinius *lib. 3. epist. 5.* auunculo suo post mortem apparuisse Drusium Neronem sic refert: *Astitit ei quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germania latissima victor ibi periit. Commendabat memoriam suam, orabatque, vt se ab iniuriis obliuionis adseseret.* Non à bono genio eam visionem procuratam ostendebat, quæ post mortem respirabat, ambitio, & euanidi honoris solicitatio. Periculosum erat spectro adhibere fidem, & cœlestem credere fuisse reuelationem. Retulit Ioseph fratribus sibi factam reuelationem; illi verò præsumptionis existimauere delirium: *Ecce somniator venit, Genes. 37. vers. 19.* & dum non adhibent fidem, machinantur venditionem. Iacob vt prudens rem maturius considerabat, & variis argumentis veritatem eruere satagebat: *Pater verò rem tacitus considerabat.* Nec leuiter adhibuit fidem, nec reuelationem spreuit. Innuit Abulensis hìc: *Mirabatur de hoc, maximè, quia duo somnia fuerunt, quæ certitudinem exprimere videbantur. Et iam quia conueniebat hoc dictum de se, & matre, & filiis conuenienter.* Itaque pater suo exemplo edocuit reuelationes nec fas esse statim credere, nec inficiari: cordatè rem expendit, ne aut erraret credulus, aut delinqueret veritati contrarius. Sæpè ipse, qui speciali Numinis fauore fruitur, anxiatur, quia timet à dæmone falli, & Deo veretur resistere. Quid tunc? Vitæ spiritualis magistros consulat, & eorum dictamini se subjiciat. Hinc disces, cur Deus ter Samuëlem vocarit, & cur ad Heli accurrere fecerit, ne scilicet Samuël se arbitraretur delusum, aut reuelatione ante examen crederet dignum? Ad senem, & magistrum accurrere fecit, vt à Deo eam vocem prolatam recognoscens timorem à puero abigat, & prudenter instruat: *Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum.* Expromptam considerauit obedientiam, impigrum cursum, vocationem repetitam: ergo his argumentis agnouit vocem à Deo fuisse prolatam, & non ab interpolatore confictam. Adest Theodoretus: *Ne videretur Samuël finxisse reuelationem, Deus rem dispensat.* Heli prima vice somnium putauit, secunda fidem perfectè non adhibuit, tertia reuelationem esse cognouit, quia & firmiora erant argumenta, & indicia clara. Ergo nos suis factis edocuit, faciliter reuelationibus non esse assentiendum, nec refragandum, sed fas esse prudentiæ lance trutinari, & maturè perpendi.

NAXERA
Lib. I.
Reg. cap. 10.
Cap. III.
15

TEXTVS.

VERS. X. Et venit Dominus, & stetit:& vocauit sicut vocauerat secundò: Samuël,Samuël. Et ait Samuël : Loquere Domine , quia audit servus tuus.

§. XXIV.

Quò expromptiùs obedimus , proximiorem nobis Deum adesse non dubitamus.

OBedientia Deum sibi approximat,& quodammodo gratiam firmat. Qui deuotè obsequitur , vlteriora sibi elucratur. Est enim honestum promerendi artificiũ religiosum obsequium. *Fuisti* (aiebat Cassiod.9.*var.*24.) *summa temporum laus : vt illum sic ad omnia solicitum inoffensa redderes simulatione securum.* Princeps laudandis obsequiis reddebatur securus,& subiectus nouis laudum accessionibus resplendebat ornatus. Notauit Hugo de Sancto Victore in Allegor.Tilmani ad Deuteronom. 6. gratiam,& doctrinam obedientiæ associari: *Audi Israël: Dominus Deus noster Dominus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum.* Itaque auditus excepit doctrinam,doctrina excitauit amoris flammam. Accipe eius verba: *Audi Israël,hic nota obedientiam : Deus tuus,hic gratiam : Deus vnus est,hic doctrinam. Quasi diceretur,obedientiam exhibe, gratiam intellige, veritatem agnosce. Audi Israël , hoc est, auscultа,acquiesce. Omnis enim virtus ab obedientia incipit.* Obedientia mentem aptat,benevolentiam sibi conciliat, gratiam incrementat. Samuël vocatus semel, & iterum obediuit expromptus , & iam Deus refertur non solùm vocasse,sed stetisse : *Et venit Dominus, & stetit, & vocauit, sicut vocauerat secundò.* Inquires,cur antea non steterit,cùm vocauit:Si vocabat antea,& transibat,cur modò non transit,sed stat proximior,& familiarior ? Quia iam (inquit Caiet.) expromptæ obedientiæ præcessit obsequium , quo Samuël non solùm meruit vocem audire, sed vocantem proximius etiam adesse:antea vocabat,sed transibat;modò exhibita obedientia vocantem detinuit, & quodammodò firmauit. *Nisi tribus vicibus vocasset per modum transeuntis nequaquam hac quarta vice describeretur stetisse.* Triplex illa vocatio per modum transeuntis disposuit Samuëlem, & quia transeunti obediuit, ne iam transiret, promeruit, nam obsequium disponit animum, & approximare nobis meretur Deum.

§. XXV.

Vt Dei vocem possis audire , opus est collectis animi viribus orationi sollicitè attendere.

SVnt,qui ad orandum sibi tempus præfigant, quod si, vt fas erat luctarentur, & Deum audirent, & virtutes etiam excolerent: verùm dum corpore immoti per omnes mundi partes peregrinantur inquieti,nequeunt diuinam vocem percipere,sed tempus illud probantur terere. Colligendæ sunt omnes animi vires, & huic vni negotio studendum, si cupis superna luce illustrari, & cœlestem vocem percipere. *Deus*(aiebat Tertull.*de Oration. c.*13.)*non vocis,sed cordis auditor est, sicut conspector. Dæmonium oraculi Pythij : & mutum , inquit, intelligo, & non loquentem exaudio. Dei aures somnum spectant?* Quid interest loquantur labia,si destiterint corda ? Quid iuuat nos diuinis conspectibus præsentare, & per dissitas mente regiones incedere ? Qui se ipsum non audit variis cogitationibus distractus,quomodo Deum poterit audire orationi deuotè attentus ? Ecce Deus vocem ingeminat: *Samuël, Samuël,* vt attentum reddat; nam somno indulgens, nec veritatem perciperet , nec Dei voluntatem expleret. Notauit Glossa Moralis : *Attentio mentis requiritur ad hoc,quod Dei locutio capiatur.* Ni somno plures,aut euanidis cogitationibus indulgerent , magnum ex oratione fructum perciperent,verùm dum tempus orationi dicatum dormitando consumunt , aut futilibus terunt, Dei vocem percipere nullatenus possunt.Samuël discussо somno inuigilans , & deuota attentione cœlesti oraculo adstans vocem percepit, & quid à se Deus vellet, agnouit.O quantis nos priuat somnus, & distractus sæcularibus negotiis affectus !

TEXTVS.

VERS. XI. & XII. Et dixit Dominus ad Samuëlem : Ecce ego facio verbum in Israël: quod quicumque audierit,tinnient ambæ aures eius. In die illa incipiam, & complebo.

§. XXVI.

Deus patienter tolerat , sed aliquando supplicij grauitate tarditatem compensat.

QVisquis se deliciis multum dedit , ingentem sibi perturbationis materiam comparauit. Voluptas salutem atterit,& ipso,quo delectat,nocet,sed adhuc grauius secum detrimentum affert , quod hominem reddit quodammodo stupidum,& futurorum prorsus oblitum. Deus sua sibi , si fas est dicere , patientia detrahit , sed inde homo perseuerat contumacior , vnde resipiscere debuisset , & prudentior , & cautior. *Considera* (aiebat aliórsum Seneca *epist.*75.) *ad id bonum vocandum sit, quo Deus ab homine vincitur* : Quodammodo Deus ab homine vincitur, dum tempus ad resipiscendum indulgenter concessum,nouis, & de industria excogitatis criminibus malè atteritur collocatum. *O seruum illum beatum*(aiebat Tertull. *de Patientiâ* , *c.*11.) *cuius emendationem Dominus instat , cui dignatur irasci , quem admonendi dissimulatione non decipit.* Nullum Deus decipit, sed homo , vt se decipiat , Dei patientia abutitur , & quia patienter sustinetur,præcipitatur,nec cogitat Deum suæ perspicaciæ præuaricatorem non esse, nec dilata supplicia ipsa dilatione aggrauari. Heli filiis diuina misericordia tempus indulgebat,si fortè prauitatem excuterent, & iram digna pœnitudine auerterent : verùm cùm ad delinquendi occasionem Dei abuterentur patientia, eo tandem supplicio puniuit,vt aures audientium perhorrescerent,& perculsæ aliena castigatione tinnirent: *Incipiam,& complebo.* Tardè incepit, sed iræ torrentem veluti repentè effudit. Id fuit supplicium , vt tarditatem compensarit , & audientium aures percusserit : *Erit attonitus* (inquit Lira) *præ admiratione , & stupore.* Vt valida tempestas, & cælitus ciaculati torrentes segetem citissimè sternunt , & raptam confusis vndarum voluminibus circumvolvunt, ita diuina indignatio diu patienter repressa impetuosè erupit, & miseram Heli domum, filiósque strage deleuit. *Pro peccato filiorum Heli* (ait Hieronymus) *priuatur Sacerdotio domus Domini,vnde aures audientium tinnient stupore vehementi:* Si concesso sibi ad resipiscendum tempore errores deieraſſent, acerbum adeò supplicium non tulissent; verùm dum abutuntur patientia , rigida consumuntur vindicta. Ipsa indulgentia iracundiam acriùs inflammauit , & diu repressa ira impetu erupit , & in cineres redegit. Pœnæ tarditas grauitate compensata est,& quia patientia cœlesti abusi totam simul indignationem sustinuerunt miserrimi. O ! timeant effrænè vitiis indulgentes , ne diu compressa ira violentiùs erumpat , diluuijque adinstar vndis validissimis & rapiat , & profundo demergat.

§. XXVII.

§. XXVII.

Superior sæpiùs admoneat, vt semel puniat

SVperior patris, & iudicis munus gerit, tuncque laudabiliter aget iudicem, si exhibuerit se patrem. Opus est aliquando audaciam frænare, culpam digna castigatione corrigere; sed vt iniqua suspicione existimatur correctio, repetita præcesserit admonitio. *Plerumque denuntiata comminatio* (aiebat Cassiodorus 4. *var.* 49.) *plus efficit, quàm pœna componit.* Audacem metus priùs comprimat, intentatum supplicium ad mentem reuocare studeat, & paterni animi sit testimonium admonitione priùs occurrisse erratis, ne inflictis manus cruentaretur suppliciis. Vt pater, quia inuitè ad filij castigationem deuenit, priùs satagit minis obtinere, quod suppliciis posset efficere; ita moratus, prudénsque superior minas aduocat in auxilium, ne incutere cogatur flagellum. Lenis admonitio supplicij seueritatem commendat, & qui sæpè admonitus tulit supplicium, querelæ nequit habere solatium. Filij Heli insanis appetitionibus indulgebant, & Deus, ne puniret culpam, misso nuntio, rigidam comminatus est pœnam: modò etiam per Samuelem supplicij imminentis acerbitatem denuntiat, quo minis deterriti, sæpiúsque admoniti delictis abstineant, & digna pœnitudine supplicia euadere satagant: *Ecce ego facio verbum in Israël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius.* Seueritatem exaggerat, vt timore obuiaret discrimini. Notauit Hieronymus: *Comminatio Domini est super Heli & super domum eius.* Consonat Glossa Moralis *Bina monitio præcedere debet sententiam iudicialem.* Pluries admonuit, ne semel feriret; verùm dum obsurdescunt admonitionibus, duris puniuntur verberibus; admonitio punientis deprædicauit lenitatem, & pereuntium condemnauit errorem. Quandoquidem qui sæpiùs delinquit admonitus, pernicaciæ conuincitur reus: sibi inuidit, qui admonitionem spreuit; nam eius saluti dissgnoscitur consuluisse, qui ne incuteret pœnam, exhortationis adhibuit prouidè medicinam.

TEXTVS.

VERS. XIII. & XIV. Prædixi enim, quòd iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuit eos. Idcircò iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum.

§. XXVIII.

Non minus denigrat iudicem omissio tarda, quàm ardens excandescentia.

QVi superioris, iudicisque munere fungitur, æquitatis legem adimplere tenetur. Vtque statera, si in alteram partem inclinet, veluti adulterata despicitur; sic iudex, superiórque, si ad alteram partem deflexerit, denigratur. Rationabili solertia, & solerti æquitate inuenirì debet instructus, qui superioris munere refulget ornatus; nam si nimia excandescentia inardescat, lædere putatur iustitiam, si nimis ignauus frigeat, delinquentium fouet audaciam. *Districtio* (aiebat Cassiodorus 4. *variar.* 49.) *semper subtrahi non debet regiæ iussionis: vt & audaces metus comprimat, & lacerator spes futura resoneat.* Adnectit: *Necesse est vindictæ subiaceat, qui prauis moribus obsecundat.* Sylueiscent praui mores, ni rationabilis districtionis falx resecuerit, & dignis castigationibus emendauerit: Heli ob iniquitatem à Domino corripitur; quæ tamen eius fuerit iniquitas, Textus non tacuit: *Nouerat* (inquit) *indignè agere filios suos, & non corripuit.* Dum blandus non corripit, dum iners non punit, sibi & filiis imprudenter nocuit. Notauit Abulensis *quæst.* 4. *Iniquitas non erat in aliqua commissione, quia ipse nihil commiserat, sed in omissione, scilicet, quia nouerat filios suos agere indignè, & non corripuit.* Alienis sceleribus iudex arguitur, dum negligens corripere non aggreditur. Si Heli vigilanti solertia compressisset delicta, nulla mulctaretur pœna: at dum otiò indulgens, aut affectui blandiens occasionem præbet errori, inuenitur subiacere discrimini. Discant superiores, & iudices, quibus Reipublicæ, animarúmque salus commissa est, qua se gerere sollicitudine debeant, ne dum torpent ignaui, ob aliena scelera pereant puniti.

§. XXIX.

Plus aliquando nocuit sibi, & filiis parentum amor, quàm rigor.

PEriculosa affectio est parenti, & filiis, eorum errata cæcis oculis pertransire & nulla castigatione frænare: non semel patres parcendo lædunt, & dissimulando officiunt; vt amori adulentur, pietatem obscurant, & dum salubrem dolorem detrectauerunt incutere, calamitatem probantur augere. *Natura docet absque præceptore* (aiebat Philo de Temulentia) *vt nati curæ sint genitoribus, ipsorum saluti, diuturnitatique prospicientibus.* Nec diuturnitati, nec saluti prouidet, qui obcæcato amore errare filios permittit. Quandoquidem genus pietatis est rationabili castigatione frænare, si contra æquitatis legem sceleratis se actionibus constiterit immiscere. *Non vides* (aiebat Seneca *de Prouidentia cap.* 2.) *quantò aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari iubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lachrymas excutiunt: at matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare.* Inueniuntur patres matrum ingenio præditi, ne filios contristarint, eorum dissimulant vitia, & dissimulatione incrementauere peccata. Heli filios indignè agere agnouit, non tamen, vt fas erat, carpsit, & dum indulgentiùs tacuit, sibi, & filiis dignitatem amisit. *Prædixi ei, quod iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem, eo quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuit.* Minus noceret filiis hostis rigor, quam patris fauor. Adest noster Sanctius: *Corripuit Heli filios suos, vt habes cap.* 2. *vers.* 23. *sed molli coripuit brachio, in qua correptione apparebat magis parentis indulgentia, quàm Sacerdotis Zelus, & iudicis seueritas.* Ipsa correptio, dum patris prodidit indulgentiam, filiorum auxit contumaciam. Plus, si fas est dicere, deliquit, quàm dissimulando, carpendo; nam si non correpti, vereri possent filij aliquando à patre seueritate mulctandos; at dum correptio pro indulgentia fuit, nil ad intemperantiam cohibendam remansit, quia correptionem filius irrisit.

§. XXX.

Dum sanctissimæ Virginis nos protegit vmbra, ferire non audet pœna.

MAria Virgo sanctissima eis apud Deum meritis fulget, eam apud filium gratiam inuenit, vt conceptam contra peccatores iram, si intercedat patrona, aut sopiat, aut restinguat. Vel Mariæ vmbra peccatorem protegit, & defendit. *Quasi platanus* (aiebat) *exaltata sum iuxta aquam in plateis. Eccl.* 24. *vers.* 19. Platanus adinstar scutorum folia profert, & ad eius vmbram confugientes tot defendit scutis, quot viget foliis. Ita Hugo Cardinalis ad hunc locum: *Habet*

mollia folia scutis similia, vnde quot habet folia, tot habet scuta. Quia Mariæ vmbra erat Platanus, non potuit non esse miserorum auxilium, & propugnaculum. Eum Christus matri honorem defert, vt vel eius vmbram suspiciat, & quem contra peccatores conceperat, rigorem, emolliat. Ipsa vmbra veluti felici fascino impeditur, dum dura inferre supplicia aggrediatur. Domus Heli morum corruptrix, & sacrificiorum fraudatrix, sic contra se diuinam exulcerauit indignationem vt seueris suppliciis ferire decreuerit: *Prædixi, quod iudicaturus essem domum eius in æternum.* Non solùm prædixit, sed diem non sine arcano mysterio expressit: *In die illa incipiam, & complebo.* Qua die? Scilicet cùm Arca templum reliquerit, & ad hostes auolarit. Iam si inquiras, cur diem illum expectet flammescens ira, & indignationis flamma? Respondebunt Interpretes, Arcam fuisse sanctissimæ Virginis vmbram: ergo dum illos Virginis protegebat vmbra, à suppliciis indignationis abstinuit flamma. Audi Liram: *Hoc dicitur de cautione Arcæ Domini futura, prout habetur capite sequenti.* Vt culpis dignam domui Heli incusserit Numen pœnam Mariæ vmbram, Arcam scilicet aliò transtulit, quasi, vt peccatores inuadat, viam non inuenerit, pœna, dum Mariæ protegit vmbra: ergo quicumque piaculis se agnouerit vulneratum, ad Mariæ patrocinium confugiat, ibi namque facilius impetrabit subsidia, quibus vitia fugarit, & cœlestem indignationem effugerit.

§. XXXI.

Etsi contumax temporalem despiciat pœnam, nequit non pauescere æternam flammam.

SI homines vt fas est, fideli prudentiæ lance æternam cogitarent pœnam, absque dubio mutarent vitam. Cogita horribilia tyrannorum supplicia, cruces, ignes, stipites, ad quorum solum aspectum præcordia palpitant, & duris anxietatibus quatiuntur viscera. Hæc omnia sunt veluti picta, & puerorum terriculamenta, si cum æternis pœnis inueniantur collata. Iam nouit Scæuola sereno fluentem vultu manum adspicere: iam exoculata aliquando temeritas aduersariorum mucroni non timuit pectus obiectare: ast solùm insania æternam pœnam potuit despicere, & ad eius memoriam acri timore non concuti. *Bono loco* (aiebat Seneca *epist. 70.*) *res humanæ sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est.* Quidquid extra vitium est, miserum non est, nam etsi vasto vulnere præcordia diuidantur, citissimè anxietates finiuntur. Si egestas, si dolor, si infamia premant, vltra vitam iura nequibunt extendere, nec carentem sensu discruciare: vitium verò annexum habet immortale tormentum, & vita extincta irreparabile damnum. Adamo Deus si vetitum fructum carpserit, mortem minatur: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. Gen. 2. vers. 18.* Verùm ille fœminæ amore illectus, aut paterno Dei amore nimis confisus mortem non timuit, & posteros hæreditaria macula infecit: Tunc Deus ante paradisum Cherubin collocat immortali igne obarmatum, & iam primus parens non tentat fructum subripere, immò nec audet arbori vetitæ propinquare: *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium. Gen. 3. vers. 24.* Si Adam deliciis affluens, & nullo indigens contemptit mortem, & arboris fructibus inhiauit, cur modo indigus, & nudus non quærat ad ingrediendum viam tot paradisei arboribus prouocatus? Stet Seraphin ostium obseruans, aliò quærat aditum, & soliciter sibi commodum. O! expende modò igne inextinguibili deterreri, anteà temporali morte mulctari: ergo etsi audacia mortem contempserit, ad aspectum ignis exhorruit. Non iterauit Adam delictum, quia immortalis ignis horrendum incussit metum. *Ista hominum est cogitatio magnum illud tribunal non respiciens* (Verba sunt Philonis *lib. de Præmiis*) *Homines vltimum supplicium mortem existimant; at hæc in diuino iudicio vix est pœnarum initium.* Qui non respicit tribunal, nec ignem, appetitui inseruiet; verùm qui æternum ignem expenderit, horrore concussus ad virtutem se conferet; nam quantumvis audax temeritas, & exoculata audacitas ad alia supplicia induretur, ignis memoria concutitur. Prædixerat Deus Heli brachium domus eius præcidendum: *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui. 2. Reg. 2. vers. 31.* Verùm cùm nec admonitio paterna, nec dura adeò supplicia refrænarent insolentiam, addidit postremam, & efficacissimam medicinam: *Prædixi enim ei, quod iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem.* Ad æternæ pœnæ denuntiationem confugit, vt audaciam insolescentem frænaret, nam etsi duritia contempserit alias pœnas, immortales contemnere nequit flammas. Adest Abulensis *quæst. 3. In æternum, id est, quod istud iudicium, vel pœna durare debet in æternum.* Si æternæ pœnæ comminatio non prosit, iam nullum restat remedium, & cor apparet esse lapideum. O nos miseri! temporales pœnas solerter fugimus, & ad æternarum denuntiationem pertinaciter obsurdescimus.

§. XXXII.

Ea est diuina misericordia, vt iuramentum otiosum non sit, vt infligenda grauis credatur pœna.

DEus adæquè iustus, & misericors, in hac tamen vita plus misericordia floret, non adeò iustitiæ seueritas premit. Sibi quodammodò videtur detrahere, dum differt supplicia infligere, vt pietati quiuerit adulari. *Sustinet* (aiebat Tertullianus *de Patientia cap. 2.*) *ingratissimas nationes ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes: luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidiè insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat.* Quodammodo sibi patientia detrahit, nam cùm habeat in potestate vindictam, mavult ostendere tolerantiam. Hinc disces, cur supplicia grauissima Heli domui denuntians iuramento firmarit, fidemque sibi fecerit: *Idcirco iurauidomui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius.* Ac si diceret: Ita mea exardescet indignatio vt iniquitas domus Heli durissimis suppliciis afficiatur, quin ira donis, aut aliis artibus mitigetur. Inquires, cur iuramento infligendam pœnam firmarit, quando satis erat serio denuntiare, & asseueranter prædicere; quandoquidè Dei verbis iuramentū nec maiorem addit certitudinem, nec adauget firmitatem? Ita est, respondet Abulensis *quæst. 4.* verum cum Deus ad misericordiam sit propensissimus, oportuit quodammodo se iuramento adstringere, vt supplicia credatur inferre. Audi Abulensem *Ego promisi proposito iuramento, quòd punirem domum Heli.* Cùm promisit se suscitaturum Sacerdotem fidelem: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem,* iuramentum non interposuit, pœnam inflicturus iurauit: nam beneficia iuramento non indigent, vt certissimè dilargienda credantur; ast iuramentum non fuit otiosum, vt infligenda dura supplicia crederentur. Ob id Dei nomine aiebat Psalmista: *Et iste non cognouerunt vias meas, vt iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Ac si vereretur, interueniente misericordia, non infligenda supplicia, se voluit iuramento illigare, ne contingeret resilire. Innuit noster Lorinus ad hunc locum: *Quod valet ad exprimendum voluntatem, ne contingat, quod cum iuramento negatur futurum.* Forassis putaretur non infligendum supplicium, quamtumvis seriis verbis denuntiaretur: ergo iuramentum interposuit, vt rudi nostro loquendi modo vim sibi quodammodo inferret,

& dubitationem omnem propulsaret. Hinc discès, quàm sit Deus ad misericordiam pronus, quàm ad puniendum veniat coactus.

§. XXXIII.

Non est adeò miserum gehennalibus flammis aduri, quàm culpa inexpiabili denigrari.

DEtestabilis adeò error hominum possedit animos vt exambiant culpas, & solùm horrescant pœnas. Hinc miseram hæreditatem à parente accepimus. Non timuit ille culpa infici, timuit, & fugit supplicio adfici. Ni obcæcatos haberemus oculos, nosceremus non adeò extimescendam gehennalem sine culpa flammam, quam sine flamma adurente culpam. *Prima, & maxima peccantium est pœna* (scribit Seneca *epist.* 97.) *peccasse: nec vllum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur, ac vindicet, impunitum est quoniam sceleris in scelere supplicium est.* Aliæ criminis consequentiæ non sunt adeo timendæ, vt ipsa causa, ea tamen est hominum cæcitas, vt eos delectent peccata, terreant supplicia; pessimis etiam animis honestatis conscientia est, sed sibi imponunt, oculos studiosa malitia claudunt, & inter se arctissimo associata vinculo diuidunt: refugiunt pœnam, & amant culpam: cùm fas esset, etsi crimini annexa non esset pœna, vitare delicta. Non nouerunt, quod Stoicus, scilicet sceleris in scelere supplicium esse, immò adeò longè à veritatis notitia distant, vt plurimi culpam peruipendant, & delinquere exambiant: alter lætatur adulterio, in quod ipsa difficultas impulit, gaudet alter furto, nec anteà illi culpa displicebit, quàm culpæ fortuna displiceat. Qui reluminatos habent oculos, ad crepitantem flammam non exhorrent, ad culpæ vmbram vultus colorem demutant. Iussus Abraham filium votacibus flammis sacrificare, vt aræ imponeret, colligauit: *Cùm alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Gen.* 22. *vers.* 9. Filium alligasse, ne aliquo motu ab ara resiliret, & displiceret, tradunt Interpretes. Ergo ne quid minus ab hostia videretur, cum gaudio etiam filij manus vinxit, pedes colligauit, plus vterque offensæ periculum expauit, & incendium minus timuit. Notauit Zeno Veronensis, *serm.* 1. *de Abraham: Cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offerri. Pedes quoque constringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret.* Non exhorruit Isaacus ardentem rogum, displicendi timuit periculum, vt qui benè nouerat fœdiorem esse culpam, quàm flammam. Ob id, vt miseriam domus Heli notificet Scriptura, iniquitatem eius testatur non expiandam: *Iurauidomui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum.* Inquires, cur de pœnis tacuit, cùm indubium sit inexpiabilem culpam flammarum vorticibus distorqueri, & nunquam saturis ignibus discruciari? Si prænuntiat iniquitatem non expiandam, non taceat cruciatibus etiam duris puniendam. Non disputo, an his verbis diuturna temporalis pœna, an nunquam expianda significetur culpa. Consule Interpretes; ad morum vero concinnitatem expendo, ad horrorem incutiendum acerbam non referri pœnam, & duraturam referri culpam: est enim horribilius, deteriúsque culpa inexpiabili maculari, quàm gehennalibus flammis aduri. Huc voco Rabbi Dauid *ad cap.* 2. *huius libri apud Glossam*: *Cùm impij peccata peccatis cumulant, Deus illis postremò iter ad resipiscentiam recludit, partim vt suorum scelerum dent pœnas, partim vt huiusmodi exemplo pij admoniti sibi diligentius caueant.* Si duo filij Heli (de quo non fero sententiam) in peccatis demortui sunt, durius supplicium non erat immortalis flamma, sed inexpiabilis culpa: ergo oraculum flammam, tacuit permansuram culpam retulit, quia non adeò horrendum est immortalibus flammis aduri, quàm culpis immortalibus defœdari.

§. XXXIV.

Diuina probatur iustitia, quæ muneribus non corrumpitur, nec placatur.

QVæ muneribus vis insit ad delicta inauranda, iurâque euertenda probat receptum illud prouerbium: *Dij muneribus capiuntur*, & illud Poëtæ: *Munera, crede mihi, placant homines que, deosque.* Floridior est pro reo, & felicior munerum eloquentia, quàm diserta pro innocuo patroni lingua. Auri sonus, aut benignas aures facit, aut inuenit: causa si argenteo muneris colore vestitur, iuri non contraiuisse probatur. *Si æstimare licentiam cuiusque sæculi incipias* (scribit Seneca *epist.* 97.) *pudet dicere, nunquam apertius quàm eorum Catone peccatum est. Credat aliquis pecuniam esse versatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius ob id adulterium, quod cum Cæsaris vxore in aperto commiserat.* Adnectit: *Minus crimine quàm absolutione peccatum est.* Cæsaris Clodius vxorem violarat eo ipso tempore, quo sacrificia summoris extra conspectum omnibus viris, vel pictis etiam, fiebant: at, vt dati iudicibus nummi sunt, nec manifestum adulterium pœna fuit dignum, nec violasse religionem, peccatum. Ergo cùm Textus domus Heli, nec victimis, nec muneribus retulit expiandam offensam, cœlestem commendauit iustitiam: *Idcircò iurauidomui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus.* Æquitatis diuinæ probatur sententia, quam nec aurum valuit immutare, nec munera delinire. Adeo frequens est culpas oblatis muneribus inaurari, vt iuramentum non fuerit otiosum ne muneribus, aut obsequiis scelus crederentur absolvendum, aut expiandum. Delictorum enormitas declaratur cùm muneribus culpa nullatenus expianda refertur. Diuinum erat tribunal, vbi contra delicta non prævaluit munerum eloquentia; fors si humanum esset, aurum vinceret, & ius gemeret. Adest Abulensis *quæst.* 4. *Ponitur hoc ad instruendũ Heli, & posteros eius qui ipsi erant Sacerdotes, & diuites: ideò putantes Deum placandum esse per sacrificia, laborarent, vt impenderent multa sacrificia.* Cùm de more diuites, potentésque sibi emant impunitatem muneribus, denuntiat iudicem esse diuinum, quem nec corrumpunt munera, nec subornant dona. Si alius esset iudex, Heli, eiusque domus forsitan muneribus inauraret culpam, & euaderet pœnam.

§. XXXV.

Iuramento opus est, vt credas diuites puniendos, & magnates castigandos.

DIuites, potentésque apud sæculum non delinquunt, nam potestatis priuilegio à legibus inueniuntur exempti, & contra iudices obarmati. *Platonem* (inquit Plutharcus ad Principem indoctum) *Cyrenæi rogarunt, leges, vt ipsis scriberet, traderétque, ac Reipublicam ipsorum ordinaret. At ille abnuit, magnæ molis esse fatus ita fortunatis leges sancire Cyrenais.* Noluit leges concedere impunè à fortunatis calcandas, & euertendas: viuebant Cyrenæi ex leges, quia florebant diuites: ergo si leges conderet, solùm deseruirent, vt eis despectis magis appareret audacia, & blandiretur sibi insolentia. Hinc est, quòd Deus iuramentum emiserit, cum Heli, domúmque eius seuerè castigandam adseruit: *Idcircò iurauidomui Heli quod non expietur iniquitas eius.* Cùm Dei verba non indigeant iuramento fulciri, aut Sacramentò firmari, inquirunt Interpretes, cur emiserit iuramentum, quando videri potuit otiosum? Abulensis

quæst. 4.

quæst. 4. existimat iuramento denuntiatis suppliciis fidem quæsisse, nam cùm de sæculi more potentes, & diuites impunè delinquant aliqui forsitan Heli domum non existimarent puniendam, cùm tot honoribus, ac diuitiis conspicerent obarmatam. *Ponitur* (inquit) *ad instruendum Heli, & posteros eius, quia ipsi erant Sacerdotes, & diuites.* Insolitum adeò est apud sæculum magnatum, ac diuitum puniri culpam, vt otiosum iuramentum non fuerit, dum acerba contra eos pronuntiatur sententia. Non audent sæpè iudices magnatum causas tractare, quia verentur sibi periculum imminere. Alti, magnatésque dignitatem, magnitudinémque suam arbitrantur læsam, si iustitiæ ministri conentur eorum delicta frænare, aut legibus consona sententia ferire. Miraculo opus fuit, vt ille Dei vir in Ieroboamum sententiam pronuntians illæsus domum repeteret: *Extendit manum suam de altari dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius. 3. Reg. 13. vers. 4.* Dei minister pro æquitate, religioneque stabat, & scelera publica redarguebat: contra altare sententiam protulit, sed quia contra aliquid ad illum spectans protulerat, sic ira potentis efferbuit, vt ni Deus patrasset miracula, ferret Propheta supplicia. Visum est Ieroboamo graue delictum cinerem effundere, altaréque idolorum euertere. Adest Theodoretus *quæst. 42. Extenso manu iussit apprehendi Prophetam: sed manus mansit musculis, & neruis extensis.* Quàm malè tractaretur Propheta, ni illum tuerentur miracula.

§. XXXVI.

Indecorum est munera acceptare, & largienti non fauere.

INglorium est vanis spebus expiscari dona, & iam expiscatis denegare patrocinia. Aulici non rarò promittunt officia, & opem ad consequenda desiderata: verùm iam muneribus obligati non semel inueniuntur aduersi. Et quidem indecens est causam non tueri, & munera pretiosa acceptare. Famæ, honorique consulit, qui respuit munera, denegaturus iuuamina. *Stupeo vos* (aiebat Cassiodorus 5. *variar. 43.*) *his beneficiis obligatos, Gesalecum, qui nostris inimicis, dum a nobis foueretur, adiunctus est, in vestram defensionem sic fuisse susceptum, vt qui ad vos viribus destitutus, priuatúsque fortunis venerat, subita pecuniæ vbertate repletus, ad gentes exteras probaretur transmissus: qui, quamvis, Deo iuuante, lædere nil possit, tamen animũ vestra cogitationis aperuit.* Cóquestus est iure Theodoricus à se obsequiis, & beneficiis obstrictos Gesalecum sibi oppositum fouisse, & pecuniis obarmasse. Adnectit disertè satis: *Grauiter siquidem dolet iniuria, quæ contigerit insperata, & si inde proueniat dolus vnde expectabatur auxilium.* Ægrè tulit ab obsequiis, officiisque obstricto expectare auxilium & pati dolum, quando æquitas çonsulebat non accipere munera, si deneganda fuerint iuuamina. Ob id Deus exertè restatur domus Heli iniquitatem, nec victimis nec muneribus expiandam: *Idcircò iurauí domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus.* Noluit acceptare munera contra eos prolaturus edicta, quasi indecorum fuerit proferre edicta post accepta donorum obsequia. Ita Abulensis *quæst. 4. Putantes Deum placandum esse per sacrificia, laborarent, vt impenderent multa sacrificia, sed quæ illa essẽt frustratoria, & nõ essent accepta Deo ex hac parte pronuntiauit instruens illos.* Noluit acceptare munera, inflicturus flagella, esset namque indecens alia manu flagella incutere, & munera alia acceptare. Vidi aliquos dona non respuentes, & largitori posteà aduersantes, cùm inhonestum sit officiis, ac muneribus obligari, & post accepta munera resilire.

§. XXXVII.

Facilè Deum posſumus pœnitentia placare, etsi muneribus nequeat eius indignatio sopiri.

IN nostro arbitrio habemus, quò, Deo auxiliante, cœlestem indignationem sopiamu. Verus, & integer cordis dolor medetur crimini, & deleto crimine obuiatur indignationi. Nonnulli altaria muneribus onerant, vt Dei iustam indignationem effugiant, non tamen curant causam indignationis auferre, nec vitam virtutibus exornare. Honestum est religiosis victimis indignationem emolire, verùm facilè non erit, si delicta constent perseuerare. *Submonentur* (aiebat Philo de Victimis) *his symbolis, vt quoties accedunt altaria, vel nuncupaturi vota, nullum vitium, nullúmque morbum afferant in anima, sed conentur omninò nitidam, & immaculatam in conspectum Dei producere, ne visam auertatur.* Irridendus est, qui retentis culpis existimat, Numen placandum oblatis donis. Priùs, quàm victimam, intuetur offerentis innocentiam. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius Gen. 4. vers. 4.* Homines priùs solent attendere munera, quàm personam; verùm Deus priùs attendit offerentem, quàm grana thuris, aut exta ouis. *Miror* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap. 30.*) *cum hostiæ probantur penes vos à vitiosissimis Sacerdotibus cur præcordia potiùs victimarum, quam ipsorum sacrificantium examinantur.* Quod priùs debuisset examinari, non erat taurus, sed offerentis affectus, nec enim Deus gaudet victimis ipsa offerentis manu fœdatis, & sordidis. Opportunè Tacitus de Vitellio: *Accessit diuum omen, profugus altaribus taurus diiecto sacrificij apparatu longè, quàm vbi feriri hostias mos est, confossus.* Ara à se excussit bouem, quem animus culpis fœdatus litabat; nam decens victima est, quàm commendat pura conscientia. Heli offert sacrificia, sed Numini non accepta: *Iurauí domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus.* Si animus pœnitentia expurgatus sacrificia litaret, indignationẽ sopiret: verùm cùm facilius fuerit ad dolorẽ recurrere, quã holocausta multa litare, sic Heli caligabat, vt offerret victimas, & conseruaret offensas. Opportunè Abulensis *quæst. 4. Ne isti laborarent circa inutilia, Deus arcet eos ab his.* Putantes Deum sacrificio placandũ, pretiosas offerebant victimas, cùm satius, faciliúsque fuerit expungere ab animo maculas. Non est tibi opus Arabiã petere, vt afferas thuris grana, si dolorem integrum offerat gemibunda conscientia, nam dum offensa irritat, victimæ obsequium non placat.

TEXTVS.

VERS. XV. Dormiuit autem Samuël vsque mane, aperuítque ostia domus Domini. Et Samuël timebat indicare visionem Heli.

§. XXXVIII.

Ferè omnes timent magnates admonere, & veritatem sine ambagibus aperire.

VEritas odium parit. Cúmque magnates, si odio exæstuent, nihil non moliantur, verentur omnes sibi odia conflare, & veritate supercilia mereri. Hinc est, quòd alia possidentibus hoc desit, nempè qui verum dicat, & hominem inter adulantium greges stupentem coërceat: ambitio, & cupiditas adulari certat, & inire gratiam adulatione laborat. Prudens amicos monet, vt sibi veritatem sine ambagibus aperiant, quia scit plurimum veritatem celari, aut ambagibus artificiosis eludi. *Tales igitur conuocans* (inquit Philo de Charitate) *& initians præceptis amicis instruat, vt veritati studeant, vanitatem fugiant, ac mendacia*

quod

quod in hoc potissimum sita sit felicitas. Prudens est, qui ersi aspera, vera audit, & blanda mendacia contemnit: at magnates, altique felicitati ducunt assentationibus deliniri, iocis oblectari, & quibus percelli possent, non audire. Ob id Samuël, etsi omni virtute excultus, & à Deo circa futura prouidenter edoctus, veretur Heli veritatem aperire, & imminens periculum declarare: *Samuël timebat indicare visionem Heli.* Reuelatio, vt indicaretur, est facta, verum Samuël tacebat ob Sacerdotis reuerentiam, aut verebatur eius ingratiam; nam magnates veridico stomachantur, si quantumvis vera, referat ipsis ingrata. *Facta est* (inquit Abulensis *quæst.* 4.) *vt scirentur ea, quæ prænuntiabantur: Samuël autem timebat ista enuntiare Heli.* Verebatur Samuël contra se iram inflammare, & ingratiam superioris incurrere: ergo tantisper distulit aperire veritatem, ne sustineret indignationem. Non fuit in Samuële culpa ora silentio signare, & denuntiationem differre, sed prudenti timore edocuit, quam sit periculosum magnatibus vera dicere, præcipuè si eorum mores videantur tacitè sugillari.

§. XXXIX.

Mirum est si quis non gestiat denuntiare infausta, & prædicere acerba.

NEscias quo homines pruritu agitentur ad denuntiandum alteri acerba. Fortunata, feliciáque aut lentiùs aperiuntur, aut inuido silentio, & æmulatione celantur. Interempto iam Absalone, Achimas ad nuntium Dauidi celeriter deferendum se obtulit. Cui Ioab: *Non eris boni nuntij baiulus.* Ille tamen respondit: *Quid enim si cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimas per viam compendij, transiuit Chusi.* 2. *Reg.* 18. *vers.* 22. Infausti nuntij delator non solùm cursum arripuit, sed viam compendiariam, vt citius tristia denuntiaret, elegit. Forsitan prospera nuntiaturus, nec compendium quæreret, nec adeò celerem cursum arriperet. Prodest Caietanus: *Ad deferendum nuntium mœstum misit.* Alas addidit infausta denuntiandi desiderium, & affligendi denuntiatis studium. Hinc mirandus est Samuël, qui cùm ab oraculo didicisset impendentia Heli infortunia, non vt antea cucurrit, sed prudenti silentio texit: *Dormivit Samuël vsque mane.* Vt obediret intempesta nocte somnum rupit, & inuolauit; expectauit verò iuramento adigi, vt acerba, & dura referret. Notauit Abulensis *q.* 4. *Postquam facta est sibi reuelatio iacenti in lecto, dormiuit vsque ad auroram, scilicet non iuit amplius ad Heli, sicut prius iuerat.* Mira res, vt obsequeretur, inuolarat, ne denuntiaret tristia, dormiuit, quando gestiunt homines acerbis ferire, & ad feriendum volare.

§. XL.

Grande beneficium est culpas pœnis hic acerbis purgare, & purgatorij flammas effugere.

DEus vel cùm punit iratus, misericordiæ recordatur benignus, duris solet adurgere, vt peccator iustitiæ diuinæ satisfaciat, & grauiores pœnas effugiat: medici agit munus, affligit, vt sanet. *Medicum quoque miraberis* (aiebat Tertull. aduersùs Gnosticos *cap.* 5.) *etiam in illo, quod fermè pares adhibet qualitates medelarum aduersùs qualitates querelarum, quum quasi de peruerso auxiliatur, per ea subueniens, per quæ laboratur. Nam & calores caloribus amplius onerando compescit, & ardores potius siti macerando restinguit.* Itaque medicus, vt viuidiorem ardorem restinguat, caloribus infirmum onerat, & dum ad speciem vrit, ne durius vratur, gestit; certat cum causa & leuiori damno grauiori occurrit periculo. Nec aliter Deus hominum medicus, vt ardores post mortem sustinendos restinguat, aliquando saluberrimis hic ardoribus onerat: *Iurauit domui Heli* (aiebat) *quod non expietur iniquitas domus eius*, id est, statui hic supplicia infligere, & inflictis verberibus castigare. Ita Abulensis *q.* 4. *Hoc solùm intelligitur quantum ad pœnam à Deo determinatam, sed non ad culpam, nam quacumque hora ingemuerit peccator, Deus non recordatur vlterius peccatorum ipsius.* Graui hic pœna vrsit, sed vt Heli dolore stimulatus ad pœnitentiam recurreret, & lachrymis delictum delens pœnam post mortem euaderet. Ira misericordia erat plena, & ne dissimulatione quodammodo falleret, indignatione saluti prouidit. *Gratia ergo quædam est* (addit Abulensis) *quòd homini peccatori non remittatur hic pœna, scilicet quòd non differatur pro futuro sæculo, cùm leuius, & velocius hic ab ea liberetur, quàm in futuro, & sic in domo Heli.* Putares Deum Heli duris flagellis punientem, dignitatéque exaugurantem ardentissima excandescere ira, erat tamen ipsa ira misericordia, quandoquidem quasi de peruerso ægrotanti auxiliabatur, & ne grauiora sustineret tormenta, leuiora adhibebat, & austeris austeriora temperabat. Discat peccator, si hic punitus, contra prouidentiam non furere, sed pro ipso supplicio gratias rependere.

TEXTVS.

VERS. XVI. & XVII. Vocauit ergo Heli Samuëlem, & dixit: Samuël fili mi. Qui respondens ait: Præsto sum. Et interrogauit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? Oro te, ne celaueris me. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi.

§. XLI.

Dependentia potentes subijci edocet, & deponere auctoritatem suadet.

MAgnates, altique frequenter tumidè superbiunt, & cæteros superciliosè despiciunt: verùm si hac, aut illa causa ab aliquo dependere, aut quid exambire noscantur, iam studiosè humanitatem affectare, superbiæ fastum deponere, aut mitigare inueniuntur. *Stare* (aiebat Seneca *epist.* 47.) *ante limen Callisti dominum suum vidi, & eum, qui illi impegerat titulum, qui inter reicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Qui dominus Callistum toruo vultu solebat ferire, & inter mancipia reicula depretiare, modo ante limen culmen possidentis astabat, quia ambitio edocuit humilitatem mentiri, & superbum vultum deponere. De ambitoribus aiebat Tertullianus *lib. de Pœnitentiâ cap.* 11. ad omnem occursum maioris cuiuscumque decrescere, & indigna humilitate breuiari: *Ad omnem occursum maioris cuiuscumque personæ decrescentes.* Decrescunt, fastúmque deponunt, vt adulentur fastui, & blandiantur de humiliatione superbiæ. Desiderabat Heli oraculum, quod Samuël acceperat, scire, animaduertebat puerum ora silentio signare, vtque ab eo venaretur abstrusum, humanissimis allocutus est verbis puerum: *Samuël fili mi... oro te, ne celaueris me.* Qui iudex, qui summus Sacerdos alio in rerum statu impetiosè cum puero ageret, modò blandissimis verbis alloquitur, & humiliter deprecatur: *Oro te, ne celaueris me.* Puerum orat, non imperat, vtque desideratum noscat secretum, dignitatis deposuit fastum. Notauit Abulensis *quæst.* 5. *Hic rogat Heli Samuëlem: nam quamquam esset famulus eius, noluit imperare.* Imperaret, & superciliosè forsan, ni dependeret; ast supplex orat, séque summittit, vt assequatur vota, & agnoscat oracula. Et quidem in hac materia delineatum, in aliis sepesæpiùs animaduertes expressum. Si magnates quid assequi à priuato homine velint, eius domum adi-

NAXERA Lib. I. Regum. C. IV. 15

bunt, & verbis humanissimis salutabunt, & quem alias toruo vultu ferirent, & asperis verbis terrerent, modò allectant, & nimis vrbanè tractant. *Hic rogat Heli Samuëlem, nam quanquam esset famulus eius, noluit imperare.*

§. XLII.

Comitas, vrbanitasque gratam vim infert, vt desiderata obtineat, imò vt extorqueat.

Difficile est dictu (aiebat Cicero *lib. 2. de Officiis*) *quàm conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis.* Vrbanitas est honestum incantamentum laudabile fascinum: gaudent homines comiter, ac vrbanè tractari, præcipuè à magnatibus, & dignitate fulgentibus. Vrbanus Princeps animos sibi deuincit, & grata violentia trahit. Adnectit Cicero: *Extant Epistolæ & Philippi ad Alexandrum & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippum trium prudentissimorum (sic enim accepimus) quibus præcipiunt, vt oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant, militesque blandè appellendo sermone deliniant.* Politici, prudentesque Principes experti vrbanitatis, comitatisque ad deuinciendos animos efficaciam, & ad impetranda desiderata energiam, filios admonuerunt, vt quid fastui detraherent, & humanè se cum subiectis gererent, vt hac honesta arte, & laudes sibi æternarent, & à subiectis faciliùs desiderata obtinerent. Ob id Heli, cùm arcana oracula, quæ Samuël à Deo acceperat, scire vehementer desideraret, ad vrbanitatem confugit, & vrbanitatem sibi auxilium fuisse adinuenit: *Samuël fili mi ... Orote, ne celaueris me.* Blandis verbis allicit, vrbana comitate deuincit, qua Samuël oblectatus paruit, & desiderata aperuit: *Indicauit itaque ei Samuël vniuersos sermones Domini.* Si imperiosè præciperet, si asperis verbis vrgeret, forsitan Samuël supercilio, modóque exasperatus aut moras traheret, aut variis ambagibus veritatem occulteret: verùm humanitas, comitasque Principis, quod desiderabat, obtinuit, & Samuël obtemperauit. Accipe Abulensem *quæst. 5. Decuit vt oraret, nimis enim flectuntur, qui in minori gradu sunt, cùm viros magnos sibi supplices, & ad aliquid orantes cernunt.* Arbitrantur magnates, dignitateque fulgentes, vt desiderata obtineant, maiores sibi vires ab auctoritate, quàm à comitate inesse; falluntur tamen, nam inferioris ordinis homines, nesciunt comitati resistere, vt nouerunt aliquando supercilio exacerbari. Heli, quidquid volebat, obtinuit, quia comitate vsus, & grata vrbanitatis violentia armatus: *flectuntur, qui in minori gradu sunt, cùm viros magnos sibi supplices, & ad aliquid orantes cernunt.*

§. XLIII.

Veritas magnatibus aliquando dicitur, sed minuta, aut obscuris ambagibus tecta.

In altis, & dignitatum culmina possidentibus animaduertes deesse, nempè qui verum dicat, & sincerè veritatem aperiat. Inter magnatum seruos, assectasque adulandi certamen est, & hoc ferè omnium studium, quis blandis, gratisque elucretur gratiam, & expiscetur beneuolentiam: repetitis celebrant adulationibus placitura, absondunt, & excogitatis de industria ambagibus eludere conantur acerba. Philo de specialibus legibus existimabat solum apud diuinum tribunal veritatem apparere nullis præstigiis offuscatam, aut ambagibus tectam. *Aliquoties qui apud humanum tribunal euadunt modis variis, in naturæ iudicio adducti damnantur, vbi sola sincera veritas spectatur, nec offuscatur vllis verborum præstigiis.* Si testes contra altos, magnatesque à iudicibus interrogentur, scelerum euidentiam, veritatémque præstigiis eludunt, & ambagibus absondunt; timent ingratiam incurrere, & eligunt veritati aduersari: nec aliter accidit, quando ipsis existimant amaram fore veritatem, tunc enim aut minuunt, aut colorant, aut melliunt: nam cùm longa docuerit experientia, quanti steterit aliquibus sincerè veritatem dicere, malunt fallere. Rogauit Cambyses Præxaspem, quid de se Persæ sentirent? Ita Herodotus lib. 1. in Thalia: *Quemnam virum Persæ me esse censent?* Præxaspes veritatem candidè aperuit, illúmque aliquantulum vino indulgere; obmurmurari affirmauit. Veritate offensus capacioribus sciphis bibit, & in filium veracis hastam eiaculatus est, vt eius morte probaret, nec manum, nec oculos vino offendi. Accipe Erasmum *lib. 6. Apoph: O Regum cruentum, ô dignum, in quem omnium suorum arcus verterentur! Accessit ad numerum eorum Præxaspes, qui magnis cladibus ostenderunt, quanti constarent Regum amicis bona consilia.* Non ignorabat Heli altis, magnatibusque ob has causas veritatem abscondi: ergo Samuëlem iureiurando adstringit, ne veritatem dissimulet, aut coloret: *Hæc faciat tibi Dominus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi.* Ad iuramentum recurrit, vt qui nouerat veritatem, præcipuè acerbam ratò principibus denuntiari, sed tegi, aut minui. Notauit Abulensis *q. 5. Timebat, quòd aliquid absconderet, & propter hoc inducebat super eum imprecationes.* Longa illum experientia docuerat, quàm omnes, vt sibi caueant, veritatem Principibus amaram denuntiare refugiant. Adde, non solùm omnes detrectare aperire veritatem magnatibus superbis, sed moratis. Cùm Dauid & adulterium, & homicidium perpetrasset, Deus Prophetam delegat, qui factum exprobret, & supplicium denuntiet. Nathan ænigmaticis coloribus rem depingit, & viam sibi ad veritatem aperiendam humanissimo alloquio facit. *Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper, & c. 2. Reg. 12. vers. 1.* Quærunt Interpretes, cur Dei Propheta nec veritatem statim aperuerit, nec sententiam fulminarit, quandoquidem Dei nuntium decebat veritatem ænigmaticis coloribus non tegere, sed statim aperire. Iosephus 7. Antiquitatum *cap. 7.* existimat, Prophetam vti Vrbanum, sapientémque timuisse Dauidem exacerbandum, & ob id curasse, vt in se ipse proferret sententiam, arbitratus alienam causam. Accipe Iosephum: *Propheta, qui esset vir festiuus, ac prudens, reputans Reges, quoties suis affectibus rapiuntur, non magnum iuris respectum habere solere, comminatione Numinis ad tempus dissimulata, maluit illum blanda oratione aggredi.* Prudens Prophetæ cautela edocuit, quàm sit difficile moratis etiam Principibus veritatem nudam denuntiare, & eorum affectionibus contraire.

§. XLIV.

Sibi inuidet Dei minister, qui veritatem detinet, aut abscondit.

Dei minister veritatis patronus est virtutum causam prudenter tenetur agere, & acerba magnatum supercilia non pauere. *Si ad cuiuslibet negotium peragendum talis eligitur, qui consilio, & grauitate laudetur* (scribit Cassiodorus 7. variarum 11.) *quantò eo præstantior esse debet, qui suscipit negotia ciuitatis.* Adnectit: *Causa enim multorum benè acta nobilitat, quando totum bono proposito agere creditur, qui generalibus desiderijs adesse sentitur.* Benè acta virtutis causa nobilitat, & cui Deus veritatis tutelam commisit, nec vanis debet timoribus concuti, nec spebus allici. Sunt tamen nonnulli, quibus aut timor, aut imprudens amor suadet veritatem occulere, vt etiam criminibus non obuiare: hi vero sibi inuident, dum veritatem derinent, & dum non corripiunt aliena, peccata faciunt quodammodo propria. Acceperat Samuël à Deo sententiam contra Heli intimandam, & ne ab eo educatus, & austeritatem reueritus, veritatem celaret, testatur Heli grauem

in

incursurum pœnam, si veritatem absconderit, aut distulerit: *Hæc faciat tibi Dominus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem.* Hæc verba ad futurum referunt Interpretes; ac si dicat: Hæc faciet tibi Dominus, & hæc addet; nam cùm te delegerit, vt quæ oportet, denunties pœnam, & quidem grauem tibi conflabis, si veritatem absconderis, aut distuleris. Ita Hugo Cardinalis: *Est sensus: si absconderis mihi malum, quod locutus est Dominus de me, veniet super caput tuum.* Crimen esset electum ad veritatem prædicendam damnabili silentio detinere, aut fucis aliquibus colorare: ergo ne Samuël silentio contra se diuinam concitarit iram, admonuit eum Heli aperire veritatem nudam, ac nullis ambagibus obscuratam. Iosepho mandat Angelus ab Ægypto regredi, quia iam vitæ pueri insidiantes è vita decesserant. *Defuncti sunt enim, qui quærunt animam pueri. Matth. 2. v. 20.* Hieronymus ex hoc loco colligit Sacerdotes, & Scribas eo tempore necem Domini fuisse meditatos. *Ex hoc loco intelligimus* (inquit in Catena D. Thomæ) *non solum Herodem, sed etiam Sacerdotes, & Scribas eo tempore necem Domini fuisse meditatos.* Sed cùm ipsi nec innocentes abstulerint, nec gladium exemerint, non videbantur eandem, ac Herodes pœnam subituri, & tamen testatur Angelus, Sacerdotes, & Herodem cœlesti edicto mulctatos, mortéque correptos; & iure quidem, nam ab Herode consulti veritatem celarunt, & non Regem, sed ducem à Propheta denuntiari dixerunt. Audi eorum verba: *Sic enim scriptum est per Prophetam, &c. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. Matth. 2. v. 6.* Regem veriti, aut adulati Prophetam deprauarunt, veritatémque occuluerunt: ergo dum ad veritatem denuntiandam ob munus electi, veritati sunt refragati, non minus ac Herodes animam pueri quærunt, & similem pœnam subeunt. Accipe Chrysost. in Catena D. Thomæ. *Ipsam Prophetiam præcidentes interficiendorum parvulorum facti sunt causa; sic enim scriptum erat: ex te exiet Rex.* Itaque Herodes, & Sacerdos in Christum armati sunt; Herodes, dum ferrum prensat, & Sacerdos, dum veritatem adulterat: ergo simili pœna mulctantur, & insidias instruxisse recens nato referuntur. Quid enim aliud est veritatem deprauare, quàm in Christum arma sumere?

§. XLV.

Dignitas non debetur albicantibus canis, sed virtutibus maturis.

DIgnitas non debetur annorum tractibus, sed virtutibus. In florida ætate conspicitur aliquando prudentia cana, & vita matura; vt è contra, in annis iam defessis imprudens puericia, & iuuenilis insania: ergo conducibilius erit iuuenem præferre, & dignitatibus exornare. *Æquo gradu eloquentia tua, atque conscientia pariter incedebant* (aiebat Cassiodorus 8. *var.* 18.) *Nullus iudicum, quod in te corrigere posset, inuenit. Accessit enim venustas oris, & castitas animi. Iuuenem te solus decor ostendit: ab ore primæuo cana verbis manauerunt. Contendit flos ætatis, & maturitas mentis; quapropter aptamus munera nomini, & meritis tuis.* Non offuit maturis moribus ætas florida, vt prodesse non debet longa ætas per inertiam exacta, & moribus non exculta. Samuëlem Deus ad Prophetiæ dignitatem euexit, quando Heli potuit eo honore nobilitare: *Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te?* Quæres, cur Deus alloquio suo puerum dignetur, quando senilis ætas videbatur aptior, & opportunior? Prædicat ipsi Heli oraculum domui suæ futura, & grandæuo cœlestia reuelet arcana, quandoquidem senilis maturitas dictis conciliat auctoritatem, & fidem. O! expende, amabo te, Heli iacere, cæcutire, & munus iudicis non implere, Samuëlem verò ætatis impedimenta nescire, & virtutibus eximiis radiare: ergo licet senex, iuuenísque concurrerint, Numen ad Prophetiæ honorem non senem delegit, sed puerum, vt edoceat dignitates non dilargiendas annorum numero, sed virtutum merito. Audi Procopium: *Iuuenilem ætatem Samuelis antiquæ prætulit Deus, docens quantum canitie est melior iuuentus virtute ornata.* Queruntur aliquando senes se postponi, & iuuenes ad dignitates eleuari; debuissent tamen attendere dignitates non tam exigere annis prægrauatos, quàm moribus maturos. Quid iuuat, si iuuentutem sapiat canities, & quid nocet iuuentus florida, si virtutibus matura.

§. XLVI.

Turpius est senem nescire, quàm ab adolescente edoceri.

SEnex elementarius ætatem suam fugillat, & canitiem dehonorat; verùm turpius est salubria ignorare, quàm in senectute addiscere. Quàm benè Seneca *epist.* 76. *Philosophum audio, & quidem quintum iam diem habeo, ex quo in scholam eo, & ab octaua disputantem audio. Bona, inquis, ætate. Quid ni bona? Quid autem stultius, quam quia diu non didiceris, non discere? Quid ergo idem faciam, quod trosuli, & iuuenes? Benè mecum agitur, si hoc vnum senectutem mihi dedecet. Omnis ætatis homines hæc schola admittit, in hac senescamus, hanc vt iuuenes sequamur.* Adnectit: *Quæris quid doceam? Etiam seni esse discendum.* Seni etiam congruit veritatem discere, & philosophiæ studere; non debet impedire canities, quia canities ipsa philosophiæ studere suadet. Oppones, indecens esse senem à iuuene instrui, edocerique. Assentior, quia malè collocatum tempus arguitur, & ignauia apertis argumentis fugillatur: verùm scito turpius, indecentiúsque esse, senem philosophia ad mores concinnandos carere, quàm à iuuene auscultare. Heli senectute maturus non refugit Samuëlem iuramento obstringere, & ab eo, quid oraculum manifestarit, edoceri. *Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te?* Non erubuit interrogare, quia plus erubescebat nescire. Notauit opportunè Procopius: *Non puduit eum rogare adolescentem, vt ei declararet, quæ ei à Deo fuerant annuntiata.* Quæ Deus Samuëli reuelarat, pertinebant ad domus Heli frænandam audaciam, declarandúmque acerbam imminere sententiam: ergo maluit à iuuene edoceri, quam vtilem adeò Philosophiam ignorare; & quamvis inglorius sit senex elementarius, turpius est, si senex sit, & adhuc elementarius non sit.

§. XLVII.

Erubescendum est seni à puero redargui, & quod peius est, confundi.

SEnectus vt morum promittit maturitátem, sic exigit & honorem: à senibus debent iuuenes, & salubrem doctrinam accipere, & exemplis optimis informari. *Merito tibi* (aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 21.) *prolixior ætas optatur, in qua fama semper robustior inuenitur.* Adnectit: *Per hæc te florida iuuentus exercuit, sed nostris temporibus ætas matura seruauit. Consilio quidem plurimum vales, nec fractus tamen ætate cognosceris. Sic enim adeptus es senectutis bona, vt eius non subires incommoda. Hæc sunt, quæ in te æstimamus augenda: vt sicut es conscientia præditus, reddaris quoque honore reuerendus.* Senectute redditur reuerendus, qui prudentia, & dignis ætate actionibus fulget conspicuus: verùm, vt venerabilis est senectus defæcatissimis moribus exornata, sic summè est despicabilis, si adhuc agrestibus moribus immatura. Quid inglorius, quàm senem à iuuene corrigi, & moribus adolescentis confundi. Deus Heli grandæuum per Samuëlé

NAXERA Lib. I. Cap. III. 15

puerum correxit, quo maiori rubore suffunderet: *Vocauit ergo Heli Samuëlem.* Vt diuina oracula sciret, & puero reuelata à Numine agnosceret. Quod si inquiras, cur, vt cap. præcedenti, non per virum, sed per iuuenem instruat? respondebit Sanctus Ignatius Martyr, voluisse Deum senem confundere durius, & iuuenis modestia ferire grauius. *Samuël* (inquit) *cùm esset parvulus puellus nonagenarium Heli Sacerdotem redarguit, qui Deo præposuisset filios suos.* Quàm confusione Heli erat plenus dum puerum domum, patresque adspicit reliquisse, & & amore terrenorum abiecto, templo inseruire, & factis senilibus irradiare, cum ipse filiis plus iusto indulgeret, nec, quæ ad Deum pertinebant, solicita cura tractaret. Heli inertia collata cum Samuëlis vigilantia plus dissonabat, & puericia senectutem plus confundebat. Cùm Domini Angelus gladium haberet, quos senès illos Susannæ accusatores scinderet: *Manet Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos. Dan 13. vers. 59* Quærunt Interpretes cur inferre necem distulerit, & referire tardarit? Existimantque expectasse à puero Daniele castitatis cultore, puritatisque vindice senes confundi, & de spurcissimo appetitu redargui: *Cùm duceretur ad mortem suscitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel.* Quam erat senibus pudendum à puero castitatis amatore ad iudicium reuocari, argumentis non dubiis de adulterio conuinci, & de homicidio intentato sugillari. Inglorius erat quàm ab Angelo occidi, à casto iuuene redargui, & eius exemplo percuti. Notauit Veronensis Zeno *serm. 9 de Susanna: In puero sancto Daniele Spiritus sanctus ingressus ait, cùm illa ad supplicium duceretur: Reuertimini ad iudicium. Falsum enim isti contestati sunt de ea.* Adnectit: *Falsos testes pauor inuadit: tremuit diabolus, quod ipsius commenta nudentur. Gaudent Angeli, quòd oppressa veritas tandem defendatur in terris.* Non ferendus senibus erat pudor canitiem libidinibus inhiasse, & Danielem iuuentute floridum, puritate exornatum eos redarguisse: ergo à Samuële senex arguitur, quò grauiori confusione feriatur.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Indicauit itaque ei Samuël vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est, quod bonum est in oculis eius, faciat.

§. XLVIII.

Conformitas in aduersis dolorem lenit, & indignationem diuinam minuit.

CRiminum excessibus diuina iustitia ad inferendam mulctam quodammodo cogitur, & ad verbera infligenda compellitur, quæ, si reus impatienter sustineat, aggrauat; nam dum furore irritat, ad infligenda duriora verbera prouocat. Impatientia, vt origo criminis, sic & infelicitatis est mater. *Nunquam non* (aiebat Tertullian. *de Patientia cap. 5.*) *per impatientiam delinquendo perierunt.* Adnectit *Quod si patientiam iniissent, liberarentur.* Ad verberum dolorem sopiendum non erat medicina excandescere, & prouidentiam liuido dente mordere, sed humili confessione flagellorum merita agnoscere, & patientia, conformitateque diuinam indignationem sedare. Humilis subiectio opportunam adhibet medicinam, & patientia tacita infligentis supplicia confringit iram. Heli denuntiat Samuël impendentem stragem. Heli, vt erat virtute ornatus, sententiam humiliter acceptauit, & se totum Numinis voluntati commisit. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Si iracundia exardescret, supplicium non effugeret, sed augeret: ast dum conformis tolerantia subiicitur, & subiecta diuinæ voluntati patientia pœnam emeritam confitetur, sibi prouidit, & diuinam indignationem placauit. *Ex hoc videtur* (inquit Lira) *quòd licet in persona propria, & filius punitus fuerit ad pœnam temporalem, ipse tamen in persona propria euasit æternam, quia in acceptatione diuinæ iustitiæ videtur veraciter pœnituisse.* Dum dolore ingemuit ob culpam, & patiens latam admisit sententiam, deleuit culpam, & euasit delendo flammam. Digna fuit conformitas, laude, si culpa digna extiterat punitione. Notauit Procopius: *Cùm latam didicisset sententiam, laude dignam emisit vocem: Dominus faciet, quod in oculis suis placuerit.* Qui inuentus est ob inertiam supplicio dignus, ob conformitatem deprædicatur laudandus: pœnitens, & patientiæ clypeo se muniens imminuit infortunium, & sibi comparauit elogium.

§. XLIX.

Plus de diuinis honoris iactura iusti tristantur, quàm de propria calamitate tristentur.

VT est laudabile propriis doloribus adhibere patientiam; sic est glorioſum contra honoris diuini dedecus religioſam obarmare iracundiam. Quisquis heroïcis virtutibus expolitus, & ardenti erga Deum amore inflammatus, si quid sibi acerbum contigerit, animosè diglutiet, & calore fortitudinis concoquet: ast si Numini inferatur iniuria, ingemiscet, nec vlla dolorem sopiet medela. Accepta dæmon in Iobum potestate pessimis vlceribus repleuit, & doloribus viuidissimis visit; verum cum munitissima patientiæ arce videret firmum, ad duriora vertit ingenium. Siue per mulierem, siue mulieris persona adsumpta Dei prouidentiam obscurare contendit, & adaugere dolorem satagit: *Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Iob 2. vers. 9.* Simplicitatem vxor irridet, vt, qui adhuc Deum colat, durissima flagella infligentem, & amicitiæ iura violantem. Quid his verbis dæmon intenderit, quæstio est. Gregorius putat, dæmonem inuicta patientia conuulneratum ad recruciationis studium recurrisse, & quo grauius Iobum vreret, honorem diuinum infuscare tentasse. Gregorium audi 3. *Moral. cap. 6. In alto mentem fixerat, & idcircò hanc hostiles insidiæ irrumpere non valebant. Quæritur ergo ab aduersario, in hanc arcem munitissimam quibus gradibus ascendatur.* Præpilata tela in Iobum contorserat, sed casso euentu, nam Iobus ipsis ad speciem doloribus lætabatur: ergo inuenit astuta malignitas, quo ægrimoniam adaugeret, & dolorem exulceraret, iniqua scilicet prouidentiam suspicione obscurauit, & obmurmurans sæuiorem Iobo dolorem attulit maledica lingua, quàm præcedens calamitatum procella: *Quæritur ab aduersario, quibus gradibus ascendatur.* Quod in Heli notauit etiam Theodoretus; nam cùm acerba se, domúmque suam strage periturum accepisset, respondit: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Hic ipse, cùm Arcam Dei captam audiret, non ferendo dolore percussus ingemuit, & expirauit: *Cùm ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella, 1. Reg. 4. vers. 18.* Stragem propriam oculis serenis inspexit, Arcæ iniuriam ferre non potuit. Accipe Theodoretum: *Cùm filiorum suorum cognouisset cædem, non pusillo, & abiecto animo id tulit & pater, & senex. Cùm autem accepisset Arcam captam fuisse ab hostibus, ingenti animi mœrore confectus vitæ finem accepit.* Itaque aduersus propriam calamitatem stetit firmus, sed Arcæ non tulit inhonorationem zelotypus. Quam aliter solet accidere. Iniuriam Numinis non dolemus, ad leuem calamitatis ictum ingemiscimus.

TEXTVS

TEXTVS.

Vers. XIX. Creuit autem Samuël, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

§. L.

Admonitionis verba, si nugis intertexeris, eneruantur, corda eneruatis spiculis non feriuntur.

NI ab ore Sacerdotis concionatoris nugæ, facetiæque prorsus exularint, nec auditorum mores componet, nec virtutis causam decenter aget. Quidquid ratio suaserat, excitatus facetiis risus deperdet, & plausus detestabilis prorsus correctioni obuiabit. Malè alios corrigit, qui se nequit regere, qui dignitati suæ detrahens, si fas est dicere, scurrarum officium agit. Audi Senecam de quodam oratore, *epist.* 40. scribentem: *Quid quod hæc oratio, quæ sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet... Multum præterea habet inanitatis, & vani ... plus sonat, quam valet.* Vana seriis admiscere, facetias sacris interpolare oratorem Euangelicum dedecet, & auditoribus nocet. Sponsæ labia vittæ coccineæ comparantur: *Sicut vitta coccinea labia tua. Cant. 4. vers. 3.* Nam sic labia concionatoris decent grato splendore micare, vt audientium corda efficaciter alligent, sic alligare, vt grato eloquio delectent. Noster Delrius existimat hic ad funiculum Raab alludi: *Notus est* (inquit in litteris) *funiculus coccineus Raab, quem cum iussa vt signum professionis fidei suæ, de fenestra suspendisset, salutem sibi, cognationique sua attulit. Hic funiculus figura fuit fili coccinei, de quo nunc agimus.* Itaque vt Raab funiculus ipsi, & toti cognationi salutem attulit, & à periculis imminentibus eruit; sic concionatoris labia hostiles insidias debent eludere, sibique, & audientibus salutem afferre. Quod si aliter accidat, nec concionator munus implebit, nec discipulus proficiet. Deus Hebræorum misertus eis concionatorem prouidit, qui seria grauitate carperet vitia, nec sibi inania plausus sitiret oblectamenta: *Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram*, id est, non protulit verbum, quod terrena saperet, quod vanitatem redoleret; immò ea semper loquebatur, quæ mores componerent, & bellum vitiis inferrent: Innuit noster Sanctius: *Nullum Samuelis verbum, quod in statu teli fuit, errauit à vulnere, sed illos sine vllo errore sauciauit, in quos destinabatur prophetica petitio.* Consonat Glossa Moralis: *Non cecidit de verbis Samuelis, per quem significatur predicator, qui non debet loqui de terrenis.* Mihi crede. Plus aliquando nocet facetum verbum, quàm prosit ad corda vulneranda telum validum, & acutum.

TEXTVS.

Vers. XX. & XXI. Et cognouit vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuël Propheta esset Domini. Et addidit Dominus vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samuëli in Silo iuxtà verbum Domini. Et euenit sermo Samuëlis vniuerso Israëli.

§. LI.

Aliquid redolet diuinum, cuius nullum cassum est verbum.

ARduum est, aliquando linguam non labi, nam aut ardore inflammatur, aut leuitate mouetur. Vt salutis, infirmitatisque pulsus est indubius index, sic lingua est virtutis, aut leuitatis pulsus vbi prudens agnoscit internas qualitates, aut adfectiones. Si sermo semper decorus virtutem redoleat, & nulla leuitate nigrescat; animum prodit perfectionis celsa tenentem, & omnibus virtutibus exundantem. Si sermo præsumptionem redoleat, si terrena sapiat, animus nec virtutum perfectione resplendet, nec perfectionis nitore lucet. Cùm Moyses nescio quo linguæ impedimento laboraret, & subire legationem refugeret, promittit Deus ea verba prolaturum, quæ Deum saperent, & ori eius adesse manifestissimè ostenderent. *Ego ero in ore tuo: docebóque te quid loquaris. Exod. 4. v. 12.* Verbum, vt mentis frater menti est simile, & ex verbis quisque venatur, quod corde geritur. Licèt Moyses stupendis miraculis virtutem suam promeret, vel miraculis inspectis suspicax semper æmulatio de virtute eius ambigeret, ni, vt oportebat Deus labia eius gubernaret, & decora verba inderet. Audi Philonem *lib.* Quod deterius: *Opifex ait se scire, quod sermo, qui mentis est frater, loquetur. Fecit enim eum tanquam instrumentum.* Itaque quando Deus Moysis mentè ad quandam diuinitatem euexit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, sermonem mentis germanum addidit, vt siqui miraculis non flecterentur, verbis nequirent resistere, & virtutem Moysis cogerentur fateri. Itaque oratio animi est vultus, quo agnoscitur, & quid interius lateat, conjicitur. En omnes Samuëlem fidelissimum Dei Prophetam esse non dubitant: *Cognouit vniuersus Israël, quod fidelis Samuël Propheta esset Domini.* Et vnde hæc generalis orta notitia, & concors sententia? Iam retulit Textus: *Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram*: id est, nullum eius verbum inane, aut futile, nullum vanitatem redolens, nullum alterius defectum prodens: ergo quem decorus adeò sermo exornabat, prophetali spiritu omnes agnouerunt nobilitari, & diuinis virtutibus refulgere. Innuit noster Sanctius: *Quoniam Deus per Samuelem sæpiùs loquutus est, neque vllum ipsius verbum in terram cecidit, facilè populus cognoscere potuit in illo aliquid esse diuinum.* Licèt Deus per Samuëlem loqueretur, si eius verba aliquando redolerent superbiam, aut vanitatem spirarent, communi ideò plausu, nec celebraretur diuinus, nec cœlesti spiritu crederetur afflatus: verùm cùm ex vna parte non dubitarint promere oracula, & ex alia, nec leui culpa cognouerint infici verba, communi plausu Dei Propheta est habitus, & digna veneratione suspectus: *Quoniam neque vllum ipsius verbum in terram cecidit, facilè populus cognoscere potuit in illo aliquid esse diuinum.* Verba inania proferentes, & verbositate exundantes opinioni suæ nocent, quandoquidem virtutem suam reddunt suspectam, & præbent obmurmurantibus ansam. *Verbosos, ac loquaces auersamur* (addit Philo) *quia longas, sed inanes, atque adeò inanissimes, vt propriè dicam, orationes confarciunt.* Loquaces, futilésque omnes fugiunt & virtute carere credunt. In Samuële lingua fuit sanctitatis index, & interni spiritus testis.

§. LII.

Vlteriora beneficia promeruit, qui priora dignis actionibus honorauit.

ACceptis beneficiis benè vti, & electis moribus resplendere, est honestus ambitus, quando sine voce petit maiora sibi concedi, quem constat nullatenus concessis abuti. *Constat* (aiebat Cassiodorus 7. *var.* 38.) *incundum esse rerum bonarum saporem, & vtilem ambitum laudis, quia petitur per augmenta virtutis.* Adnectit: *Clarissimatus igitur honorem, ornamenta iudicij nostri regia tibi largitur auctoritas, quod præbeat, & exacta vitæ testimonium & futuræ prosperitatis polliceatur augmentum.* Benè gesta dignitas dignitates parit maiores, & à se ipso impetrat quodammodo præmia, qui dignis moribus se ad maiora promoueri cogit officia. Deus Samuëli apparens ad Heli delegat, vtà se decreta prædicat. Samuël fideliter à Domino accepta retulit, nec Heli dignitatem extimuit: *Indicauit ei Samuël vniuersos sermones, & non abscondit ab eo.* Quid tunc? *Et addidit Dominus, vt appareret in Silo,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quoniam reuelatus fuerat Dominus Samuëli in Silo. Prophetæ munus ritè executus, iteratis est reuelationibus decoratus; ni munus ritè peregisset, sibi inuideret, & augmentis obicem poneret. Profectò sibi iniuncta laudabiliter exequi est honestus ambitus, & ad altiora citatus gressus, immò & volatus. Cui peractum munus non præbet suffragium, sibi ad aliud obtinendum elaborauit impedimentum. Samuël, dum priora mandata diligenter exequitur, nouis reuelationibus honoratur: Innuit Caiet. *Multiplicatæ apparitiones diuinæ factæ in Silo scribuntur.* In Silo primam accepit reuelationem, iussúsque infausta Heli denuntiare, adeò exactè obediuit, vt nec Heli dignitatem extimesceret, nec coloratis causis veritatem celaret: ergo dum ritè munus absoluit, alias reuelationes promeruit.

§. LIII.

Virtutem comitatur gloria, & augusta apud omnes fama.

VIrtutis alumnus non solùm humanam gloriam non quærit, sed studio vigilantissimo fugit: verùm vt vmbra comitatur corpus, sic fama virtutem. Moyses, cùm esset Regis nepos, Ægyptum reliquit offensus incolarum audacia, & voluptatum licentia: verùm nobilius sibi regnum acquisiuit, dum Ægyptias opes, regnúmque contempsit. Ab ipso Deo in Israëlitarum Principem inauguratur, & Pharaonis Deus constituitur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis. Exod. 7. vers. 1.* Vti Deus immortali resplendet luce, sic Moyses laude. *Solus hic* (aiebat Philo *lib. 1. de vita Mosis*) *omnium, qui vnquam principatum gesserunt, non aurum, non argentum in thesauros condidit, non tributa exegit, non palatia, non latifundia, non greges, non famulitia, non reditus, non alias opes sibi comparauit.* Quid tunc? *Quoniam auaritiæ renunciauerat & diuitiis honoratis apud homines, perfectas, maximásque diuitias pro his Deus ei reddidit.* Omnibus renuntians omnia laudabiliter acquisiuit, & honesto ambitu diuinos honores comparauit. Samuël hanc etiam philosophiam assequutus, resplenduit ab omnibus celebratus: in Silo latebat, & nihilominus eius sanctitas vbique radiabat: *Cognouit vniuersus Israël à Dan vsq; Bersabee, quod fidelis Samuël Propheta esset Domini.* Latendo se prodidit, & fugiendo gloriam, adauxit. Ita Caietanus: *Summariè describit, & Deum fuisse cum ipso, & verba eius prophetica fuisse impleta, & effectum subsecutæ gloriæ.* Non poterat gloria virtutē nó comitari, vtque manente causa effloret etiam effectus, sic culta virtute ad remotissimas etiam terras eius inuolabat, plausus. Sunt namque gloria, & fama appēdices virtutis, & indiuidui comites honestatis.

CAPVT IV.

1. ET factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam, & egressus est Israël obuiam Philisthiim in prælium, & castrametatus est iuxtà lapidem adiutory. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec. 2. Et instruxerunt aciem contra Israël. Inito autem certamine, terga vertit Israël Philisthæis: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum. 3. Et reuersus est populus ad castra, dixerúntque maiores natu de Israël. Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo, Arcam fœderis Domini & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. 4. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim: erántque duo filij Heli cum Arca fœderis Dei, Ophni, & Phinees. 5. Cúmque venisset Arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra. 6. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixerúntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt, quod Arca Domini venisset in castra. 7. Timuerúntque Philisthiim dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes. 8. Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius: væ nobis: Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto. 9. Confortamini, & estote viri, Philisthiim: ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis: confortamini, & bellate. 10. Pugnauerunt ergo Philisthiim, & cæsus est Israël, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israël triginta millia peditum. 11. Et Arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt, Ophni, & Phinees. 12. Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus puluere caput. 13. Cúmque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor eius pauens pro Arca Dei. Vir autem ille, postquam ingressus est, nuntiauit vrbi, & vlulauit omnis ciuitas. 14. Et audiuit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinauit, & venit, & nuntiauit Heli. 15. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat. 16. Et dixit ad Heli: Ego sum, qui veni de prælio & ego, qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est, fili mi? 17. Respondens autem ille, qui nuntiabat: Fugit, inquit, Israël coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt, Ophni, & Phinees, & Arca Dei capta est. 18. Cúmque ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Senex enim erat vir, & grandæuus: & ipse iudicauit Israël quadraginta annis. 19. Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat, vicináque partui: & audito nuntio, quòd capta esset Arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se, & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti. 20. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei, quæ stabant circa eam. Ne timeas quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit 21. Et vocauit puerum Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israël, quia capta est Arca Dei & pro socero suo & pro viro suo. 22. Et ait Translata est gloria ab Israël, eo quòd capta esset Arca Dei.

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. I. Et factum est in diebus illis conuenerunt Philisthiim in pugnam, & egressus est Israël obviam Philisthiim in prælium, & castrametatus est iuxta lapidem adiutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.

§. I.

Nostra delicta valentiora aduersariorum sunt arma.

NIL adeò contra nos est vt admissum piaculum: inimicorum armis addit valentiam, & dum cœlestem in nos indignationem prouocat, fortunam inimicorum accumulat. *Anima infirma* (aiebat Philo *de Fortitudine*) *corpus quoque malè afficit, & inhabile reddit ad præsens negotium; eam ob rem non solùm tribunos, centurionesque, & cæteros ductores ordinum, verùm etiam singulos milites inspicit examinans tum robur corporis, tum mentis habitum.* Deus Moysi iubet, dum milites adlegit, non solùm dispicere attentis oculis corporis sanitatem, sed mentis etiam virtutem, nam si mens delictis sordescat, corporis robur non iuuat, quia interna tabe eneruatur, & spolium aduersariis obiicitur. Gigas ille monstruosa proceritate superbiens blasphemo ore in Deum, & Israëlitas audebat, tunc puerulus duellum admisit, & primo gigantem ictu prostrauit. *Præualuit, Dauid aduersus Philisthæum in funda, & lapide. 1. Reg. 17. vers. 50.* Quærunt Interpretes, quid Dauidi animos indiderit, vt certamen adeo difficile suspirarit? Respondentque sacrilegam linguam pro victoriæ pignore accepisse, nec de triumpho dubitasse. Audi Seleucienſem Basilium *orat. 15. Ipsum Deum contumelia lacessitum in auxilij numero, maledicam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo.* Euentus ostendit, quam parum iuuet corporis valentia, & armorum elegantia, si Deus iniuriis lacessitus oppugnet, & vires omnes eneruet. Gigas splendidis armis protectus puerili sternitur manu, quia interno vitiorum impetebatur ariete, & oppugnabatur scelerum multitudine. Philisthæi in campum contra Israëlitas procedunt, & vix conserunt manus, cùm Israëlita fugit, aut cadit: *in diebus illis conuenerunt Philisthiim in pugnam.* In pugnam conuenerunt, sed exiguo labore triumpharunt: *Inito autem certamine, terga vertit Israël.* Huius adeò celeris stragis causam indicasse Textum arbitrantur Interpretes illis verbis: *In diebus illis.* Quibus in diebus? Quando scilicet Sacerdotes sacra temerabant, & sacrificiis Hebræi placare Numen negligebant. Philisthæus assecutus est triumphum, quia Philisthæo vsus est Deus pro instrumento ad infligendam delictis pœnam, & sumendam dignam de Israëlicis vindictam. Adest Lira: *Descripto Heli, & filiorum eius peccato, hic consequenter describitur sequens punitio.* Non tam prosternebant Hebræos Philistinorum arma, quàm propria scelera: satis est exarmatus hostis si æther militet contortis telis. Miror Principes adeo solerter milites adlegere, exercitus adornare, armis instruere, cùm plus mores examinandi, corrigendique fuerint; nam scelera sine dubio retundunt arma, & virtus vel sine armis coronatur victoria.

§. II.

Dæmones acriora suscitant bella, dum studiosius diuina obseruantur mandata.

DÆmon ab exordio homini inuidens captiosas prætendit insidias, & insidiosas molitus est thecnas: verùm etsi contra omnes virtutis cultores inuidentiæ ardoribus inflammatus prodeat in campum, contra eos mouet præcipuè bellum, quos eximiis virtutibus dolet splendescere, & perfectioni inseruire. *Pernucacissimus hostis ille* (aiebat Tertullianus de Pœnitentia cap. 7.) *nunquam malitiæ suæ otium facit: at quin tunc maximè sæuit, cùm hominem plenè sentit liberatum.* Hominis libertas est aduersarij calamitas, vtque inuidentiæ dolorem temperet, versutus nihil omittit. *Vt enim subterraneus serpens,* (aiebat Ammianus lib. 15.) *foramen subsidens occultum, adsultu subito singulos transitores obseruans incessit.* Transitores omnes obseruat, eos tamen præcipuè, qui citatiori gressu contendunt, aut à terra remotiores alacriter viam carpunt. *Fiat Dan* (aiebat Iacob) *coluber in via, cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò. Gen. 40. vers. 17.* Cerastes colubro sæuior, & malignior: ergò licèt per latam viam gradientibus insidietur coluber, per arctiorem semitam ambulantibus cerastes insurgit, & acriori morsu, quam pedites, equites mordet. Ad rem Vverricus *in Allegor. Tilmani: Latrunculus spolians, homicida insidians, coluber in via, cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.* Omnibus disponit offendicula, sed à terra eleuatis, & arctiorem semitam ingressis grauiores molitur insidias, & occultiores disponit pedicas. Philisthiim vbi Israël iuxta lapidem Adiutorij castrametatur, in Aphec explicant signa, & vrgentissima mouent bella: *Castrametatus est iuxta lapidem Adiutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.* Non antea in Aphec venerunt, quam Israël Adiutorij diuini lapidi approximaret. Quod ad mores expendens Glossa sic ait: *Venerunt in Aphec, id est, furorem nouum: tunc quia fideles immundi spiritus diuinis legibus amplius insistere conspiciunt, ideoque acriora, & noua certamina construunt.* Cùm fidelium studium sacris legibus solicitius insistit, dæmonum furor vinidius inardescit: ergo Philisthæi dæmonum vmbræ ardentiori furore armati describuntur, cum Israëlitæ Adiutorij lapidi vicinantur.

§. III.

Indecorum est nomine promitti, quod constat actionibus euacuari.

REuerendum honorem sumit (aiebat Cassiodorus 6. variar. 6.) *quisquis magistri nomen acceperit. Quia hoc vocabulum semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur, quid agatur.* Nomen magistri promittit peritiam, sed aliquando vestit ignorantiam: inglorium est, si nominibus facta contradicant, & promissa fallant. O quot nomina splendent, & facta sordent! Adam mulieri nomen imposuit, quod vitam sonat: *Vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua. Gen. 3. vers. 20.* Mortis conciliatrix vita dicitur, & res nomini refragatur. *Vulgus humanum* (aiebat Philo de Cherubin) *nomina imponit rebus: vt aliud ipsa sint, aliud sonent earum vocabula.* Bellum videas inter facta, & nomina geri. Senatores aliquando iura corrumpunt, nobiles ignobilium factis sordescunt. Magistri ignorantia asperguntur, & cum nomine magna promiserint, spes falluntur, & euacuantur. Cum hoste confligit Israël, & cùm fortitudinem nomen promiserit, indecorè terga vertit: *Egressus est Israël obuiam Philisthiim. Terga vertit Israël Philisthæis.* Quàm alius fuit euentus, & nominis sonus. Putares fortem

fortem se Israëlem in certaminibus ostensurum, & hostes exerto animo & virili constantia devastaturum, sed nomen ostentauit ad gloriam, cùm intulerit nomini factis iniuriam. *Israël* (inquit Glossa Interlinearis) *vir videns Deum, vel fortis cum Deo.* Audisti nominis elogia, audi modo gerentis facta: *Terga vertit Israel Philisthæis.* Solùm nominis remansit sonus, quia contrarius fuit effectus.

§. IV.

Superbi, suisque viribus fisi facilè vincuntur, & detriumphantur.

ANima superbiam concipiens parit arrogantiam, quæ, dum vanè sibi fidit, & perit. *Prægnans facta* (inquit Philo *lib. de Cherubin*) *mox parturit, paritque maximum animæ malum arrogantiam.* De vipera fertur à fœtu disrumpi, & idem ei esse perire, ac parere. Hoc idem superbis, elatisque contingere aspicies, dum superbè audent, dum plus sibi fidentes turgent, & pereunt, & cadut. Israëlitæ acies contra Philisthinos explicant, certamine inito ad primum conflictum alij verterunt terga, alij miseranda ceciderunt ruina: *Egressus est Israël obviam Philisthiim.* Glossa sciscitatur, qui fuerint hoc certamine perculsi, & præ cæteris prostrati? existimátque in quatuor millibus cæsis: *Cæsa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum.* Designari nimium sibi fidentes, & de sapientia gloriantes. Glossam audi: *In suis viribus confidentes, & in humana sapientia gloriantes, ac per hoc gratiam Euangelij contemnentes quasi quatuor millia immundi spiritus facilè prostrauit.* Si suis viribus minus fiderent, cum vitiis congredi non auderent: aut dum arrogantia turgidi, & præsumptione elati sibi promisere victoriam, pertulere dignissimam pœnam. Saluti suæ consuluerunt terga vertentes, ceciderunt de suis viribus arrogantes. Satius est imbecillitatis suæ conscium criminum occasiones fugere, quàm acie cadere. Et quidem si plures se non arbitrarentur, & prudentes, & fortes, plus sapuissent, & miseram ruinam vitassent. *Lycurgus* (inquit Tertullianus *in Apologetico cap. 46.*) *apocarteresim optauit, quòd leges eius Lacones emendassèt.* Adeò vanus superbiebat, adeo sapientia sua fidens despiebat, vt inedia se ipsum interemerit, & dignas vanitatis pœnas tulerit. Redeat Tertullianus *cap. 4. Lycurgi leges à Lacedæmoniis emendatæ tantum auctori suo doloris incusserunt, vt in secessu inedia de semetipso iudicarit.* Non hostilis gladius vitam abstulit, sed arrogantia, & tumida vanitas interemit. Est enim nimia de se præsumptio calamitatis origo, conciliatrix discriminum, morborum genitrix, & patientiæ nuctrix.

§. V.

Satis non est, vt vincas virtutibus proximare, sed communiri.

SAtis non est, vt reportaueris triumphos, in virtutum confinio degere, satis non est virtutibus aspergi, sed opus intingi. Nauis, quantumvis portui proxima, naufragium subibit, ni adeò benè compacta, vt ventorum adsultibus queat resistere, & vndis impetètibus obuiare. *Nauis bona dicitur* (aiebat Seneca *epist. 76.*) *non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, aut aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore calata est, nec quæ fiscis, ac opibus regijs pressa est, sed stabilis, & firma, & inuicturis aquam excludentibus spissa.* Itaque necessarium est, etsi portui pxoxima sit, tabularum consensione, & trabium concordia vndam non admittere, alioquin proximitas nó iuvabit: Videas aliquos non longè à virtutibus distare, cúmque sibi de proximitate plaudant de possessione non curant, cùm satis non sit vicinitas, sed honestas. Israëlita, vt cum Philisthæis confligat, in campum prodit, & castra iuxta Adiutorij lapidem figit: *Castrametatus est iuxta lapidem Adiutorij.* Satius erat in ipso lapide stabili, & firmo consistere, & indè hostem designare; verùm dum satis visa est proximitas, illos oppressit calamitas: *Inito certamine terga vertit Israël.* Dauid lapidem apprehendens, & possidens gigantem detriumphauit; Israëlita castrametatus non in lapide, sed iuxta lapidem, periit. Accipe Glossam: *Castrametantur iuxta lapidem Adiutorij, id est, legem Christi, vbi lapis, id est, Christus inuenitur.* Contenti sunt legi proximare, sed noluerunt adimplere, si lapidem, id est, Christum possedissent, triumphassent; aut quia ignaui, inertésque, ante quàm ad lapidem perueniãt gressum sistunt, approximationis laborem perdunt. Quàm est stultum plura reliquisse, vt ad virtutem inuoles, & ne exiguos gressus addideris, in ipsa proximitate vitiis cedere, & labores exantlatos amittere.

§. VI.

Insudandum est, donec animæ inimicos penitus deleas, quia vrgebit periculum, si relinquas.

ALiquando hostis otium facit, bellum ad speciem recusat; verùm vt de ipsa securitate grauius periculum extruat, & incautos facilius opprimat, inuigilare oportet, nec tutum est arma deponere, donec penitus extincti inimici timorem nequeant incutere, aut solicitudine vrgere. Cassianus *lib. 6. cap. 7. de Agonistis* ait: *Non solùm interdictos escis, & ebrietate, omnique crapula eos necesse est abstinere; verùm etiam cuncta inertia, otio, atque desidia, vt quotidianis exercitiis, ingique meditatione virtus eorum possit accrescere.* Palæstra decertantes, quousque Agonistam prorsus subegerint, aut attriuerint, robur ædificant, & vigilanti studio laborant. Consonat Tertullianus *ad Martyras cap. 3. Etiam in pace labore, & incommodo bellum pati iam ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testitudim densitando.* Quamvis hostis inducias concedere videretur, ea non fidebant pace, vt arma deponerent, immò, ac si adesset hostis, se præparabant, & communiebant. Nec aliter contigit Philisthinis: nam cùm Israëlita non solùm bellum non adornaret, sed pacificè quiescceret, in campum instructis aciebus prodierunt: *Et factum est in diebus illis: conuenerunt Philisthiim in pugnam.* Si Israëlitæ armis abstinebant, nec hostes prouitabant, cur Philisthiim eligant periculoso bello insudare, quam placido otio indulgere? quia non ignorabant Philisthæi (inquit Abulensis *quæst. 2.*) Israëlitas eorum esse hostes: ergo etsi ab armis viderentur abstinere, noluerunt Philisthæi timore semper vexari. Israëlitarum otium habuerunt suspectum, maluerúntque suspicione molesta liberari, quàm inerti otio indulgere. *Quamquam Israëlitæ vellent pacificè viuere cum Philisthiim, non permittebantur, quia cùm Philisthiim cognoscerent Israëlitas esse hostes suos, inquieti erant, quousque eradicarent eos de terra, semper scientes sibi propinquum esse periculum.* Prudentiores sunt aliquando filij huius sæculi lucis filiis. Ecce Israëlita otium Philisthæis facit, armis non vrget, & tamen Philisthæus veretur, ne aliquando recrudescat feritas mitigata, nec quiescit, donec timorem non ingerat prorsus attrita. *Inquieti erant, quousque eradicarent eos de terra.* Quousque hostes prorsus attriti euanescant, Philisthini campo desudant, nam licèt tunc non premeret bellum, imminere verebantur periculum: ergo prudenter, ne semper angerentur periculo maluerunt rem definire, attrito aduersario. Dæmon ad tempus aliquando recedit, tentationibus non vrget, & otium ad speciem facit, sed vt imparatum, & imprudenter securum facilius opprimat, & euertat: ergo cautus hac pace non fidit, immò indicto vitiis bello, donec perfectam assequatur victoriam, ardenter prosequitur pugnam. Disce à Philisthæis cauere prouidenter periculum, & eradicare penitus aduersarium.

§. VII.

§. VII.

ob Principis scelera premi solet populus grandi ruina.

VT bonus, optimusque Princeps Dei munus in terra gerit, & pro salute laborat cunctorum, ita vitiis indulgens pestis est nocentissima. Nullum maius Reipublicæ donum: quam castus, sanctus, & Deo simillimus Princeps: nullum durius flagellum, quam superbus, potestate abusus, & vitiis intinctus: *Leorum gliens, & vrsus esuriens Princeps impius super populum pauperem* Prou. 28. *vers.* 15. Minorem cladem leo, vrsusque afferrent, quàm Principis vitia afferant; nam leo in vnum, aut alterum desæuiret; at Princeps totam Respublicam prorsus perdit. Philisthiim bellũ adornarunt, quia tempus opportunum sibi agnouerunt: *Factum est in diebus illis conuenerunt Philistiim in pugnam.* Quibus diebus; Quando scilicèt Principes, Sacerdotesque indulgebant intemperantiæ, quando eorum ministri studebant rapinæ, & quidem res è sententia Philisthæis cessit, nam populus partim cæsus iacuit, partim terga indecorè vertit. Generali suppliciõ Heli, eiusque filiorum sunt punita deliria, & castigata peccata. Opportunè Lira: *In diebus illis conuenerunt Philisthim in pugnam, quæ a Domino excitata est, vt per ipsam puniretur Heli, & filij eius.* Dum Heli, filiorumque peccata hostes adducunt, plures è populo pereunt, & generalis strages premit, quia Princeps delinquit. Priuatus sibi delinquendo nocet: Princeps nocet omnibus, si vitiis indulget. Non pateretur populus tunc hostes, ni sustineret impròbos Principes: ast dum ad Principis puniendam iniquitatem à Deo adducitur copiosus aduersariorum exercitus, atteritur ingentissima clade populus.

§. VIII.

Si aliquod vitio tributum pendas maius exiget, & imponet.

ISraelitæ vt fruerentur quiete, aliqua Philistæis pendebant tributa, illi verò ipsis tributis inescati durius vrgebant, vtque maiora penderent, divexabant: *Conuenerunt Philisthiim in pugnam.* Quietem sibi emisse putabant Israelitæ, quia tributis hostes subornarant, & armis abstenturos sibi persuadebant, verum falsi sunt, nam impenso auro viuidius inflammabatur cupiditas, vtque plus acquireret, desæuiebat magis crudelitas. Ita Abulensis *quæst.* 2. *Volebãt eos magis subijcere seruituti, vt imponerent maiora tributa.* Pensa tributa Israelitarum vires minuebant, & inimicorum incrementabant: ergo accipientium crescebat audacia, & impendentium miseria. In moralibus videas aliquos cum cupiditate, vitiisque pacisci, aliquod tributum pendunt, existimantes posse ita appetitum subornare, & durum bellum affugere: egregiè tamen falluntur, nam ipso quod conceditur, vt ampliora exigat, inflammatur. Duo occurrunt somnia huius veritatis elegantissima ænigmata. Abraham sacrificium offert, quod nocturnæ, ac tristes aues rostris satagunt defœdare, & vngulis quid auferre: *Descenderunt, volucres super cadauera, & abigebat eas Abram Gen.* 15. *vers.* 11. Dum nihil auibus permisit, triumphum sibi maturauit. Ecquis hoc ait? Ipse Deus arcana illa ænigmata enodans: *Egredietur cum magna substantia.* Vides populi felicitatem volucrum audacia non impediti, immò, dum nihil rapiunt, firmari. Transi modò ad Gen. 40. vbi cùm pistor ominosis illis auibus ad canistrum superius inuolantibus quid auferre iners permisit, earum ad diripiendas carnes famem irritauit: *Vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo.* Quid tunc Ioseph? *Lacerabunt volucres carnes tuas.* Inquires, cur Abrahami felicitatem aues præsignarint, pistoris verò decerpendas carnes volatu prædixerint? Quia Abrahamus (inquit Hugo de Foilleto) solerter curauit, ne quid diriperent: ergo solerter abactæ, & vigilanter expulsæ deseruierunt triumpho: at pistor, dum quid rostris diripere permisit, ne somnum rumperet, inescatas ad maiora tentanda armauit. *Abraham abigente* (inquit Hugo de Foilleto in Allegor. Tilmani) *defugiunt volucres, quia manus sanctæ discretionis intus fugat immundos spiritus, & peruersas cogitationes.* Abraham, dum nullum tributum pendit, triumphator deuicit; pistor, dum, ne somno priuetur, volucrum importunitatem subornat, calamitatem sibi conciliat. Israelitæ pensis tributis acriùs Philisthæos contra se inflammarunt, & maiora petere quodammodo persuaserunt. Ergo nil vitiis permittas, si cupis obtinere victoriam, nam si quid concesseris, eorum irritabis audaciam.

TEXTVS.

VERS. II. Et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis, & cæsa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum.

§. IX.

Qui ipso in periculo vires colligit, non semel miserabiliter perit.

VArius est euentus belli, sæpè namque benè consulta malè cedunt, & non adeo consulta feliciùs euadũt. *Belli* (aiebat Thucydides *lib.* 1.) *minimè certũ, aut præscriptum aliquid habet, sed ipsum per se multũ machinatur pro re nata* Adnectit: *Multa enim malè consulta, eò quod hostes incõsultiores fuerint, feliciter euenerũt, & plura, quæ rectè instituta videbantur, turpiter in contrariũ euẽtũ relapsa sunt.* Verum dixit: sed hinc sumendũ est argumentũ. Si benè consulta, & prudentia vigilanti disposita aliquãdo patiuntur casum, quẽ speras habitura incõsulta successum? Miserũ est, si strages nequeat euẽtui adscribi, sed ignauiæ, & imprudẽtiæ. Prouidenter armis instructi, & optima disciplina dispositi, validiùs, & audaciùs irruũt in hostes: verũ si explicatis iam aduersariorum signis, si vicinis aciebus, quæ ad bellũ necessaria quærantur, in ipsa negligẽtia hostiũ triũphi iam præuidentur, tũc nãq; ipse timor vires debilitat, ipsa animos perturbat improuidẽtia, & sagax vrget inimicorũ audacia. Inter Philisthinos Hebræosque anxia desudauere certamina, sed ad primũ congressum Israelitæ, aut verterunt terga, aut misera corruere ruina: *Cæsa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum.* Et si cælesti vindictæ ruina Israelitarũ sit adscribenda, iuvat nihilominus inquirere, cur Philisthæ iadeo cito prævaluerint, & Israelitæ statione desertarint, & fugerint? Si nõ referuntur numero hostes vicisse, cur tot Israelitarũ millia cæsa referãtur agros effuso sanguine defœdasse? Textus ipse, meo videri, causam insinuat; nam cum Philisthæus instructas acies iam explicaret, Israelita se opposuit, sed inopino bello obturbatus, & collectis, vt potuit, viribus nõ adeò instructus: *Instruxerunt aciem contra Israel, egressus est Israel obuiam Philisthiim in prœliũ.* Israelitæ non referũtur acies instruxisse, quo innuat Textus, imparatos, & inopino aduersariorũ adventu perculsos occurrisse discrimini, sed non adeo benè dispositos, & instructos; quia cùm adurgeret inimicus, nõ permittebat tẽpus rẽ bellicã tractare cõsultiùs, nec disponere cautiùs: ergo iacuerunt misere non solùm audentibus inimicorũ armis impetiti, sed sua etiã improuidentia obturbati. Innuit Abulensis *quæst.* 2. *Cùm*

NAXERA L. 6. I. Reg. 10. C. IV. 15

senserunt Israëlitæ Philisthiim contra se venire, ipsi quoque collectis agminibus suis exierunt eis obviam. Itaque iam inimicus propinquabat, cùm Israëlita animaduertit, & licèt vt obviam occurreret, vires vndequaque colligere sit conatus, ipsa obturbatio, & celeritas, vt fas erat, adornare exercitum non permisit, & ob id indecorè cessit. Hinc pro moribus magnum documentum est. Plures vitiis indulgentes, longo torpentes otio, dum insperatam mortem morborum armis cinctam approximare iam sentiunt, occurrere animæ periculo cupiunt; verùm discrimine obturbati, & temporum angustia impediti non se, vt decebat, disponunt, & inertiæ pœnas miserabiliter luunt. Videas sine testamento, sine Sacramentis discedere, & saluationis suæ dubios relinquere. Dæmonis acies irruunt instructissimæ, & ne salubri dolore, dignaque pœnitudine obarmetur ægrotus: mentem tunc assuetis deliciis peruertunt, attentionem doloribus minuunt. Hinc fit, vt miser imparatus occumbat, & pereat.

§. X.

Stragem suam maturat, qui inimicis cedit, triumphat, qui in statione persistit.

Avdendum est (aiebat Eurypides apud Stobæum *cap. 51.*) *labor enim tempestiuus multam parit felicitatem hominibus... Nullus ignauus in celebrem virum euasit, sed labores pariunt celebritatem.* Satiùs est gloriosè cadere, quàm turpiter fugere; & quidem plures, dum cedendo hosti arbitrantur vitæ consulere, inuenti sunt stragem sibi ingloriam maturare. Certamen inierunt Israëlitæ cum Philisthæis, Israelitarum plures, vt saluti prouiderent, fugam arripuerunt: *Terga vertit Israël Philisthæis:* verum dum ignaui stationem relinquunt, & resistere hostibus negligunt, per campos iacent sparsi, & ab hostibus occisi: *Cæsa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum.* Non tot periissent, si in statione fortiter perseueraſſent; ast dum ad primum inimicorum impetum ingloriè cedunt, & miserè cadunt. Ita Abulensis *quæst. 4. Quasi dicat: Non perierunt Israëlitæ in acie consistentes, sed inito certamine mox terga verterunt, & in ipsa fuga occisi sunt.* Dum turpem fugam eligunt, dum aduersariis resistere nolunt, mortem sibi indecoram maturarunt. Pro moribus casus vtilem nobis doctrinam parit. Oppugnat dæmon variis nos tentationibus vrgens, premit egestas, vrget infelicitas: qui aduersus has pestes animum exerit, & virtute armatus resistit, palmam rapit; ast qui virtutis deserit castra, & ad illicita inuolat, ne certaminis molestiam ferat, ipsa fuga & honorem lædere, & legem temerare, & incrementare pericula solet. Huc voco Philonem *lib. de Fortitudine: Audacia plana sit, ac fiducia sui compos, & contemptrix terroris: ad hæc honoris cupida, & honestam mortem vitæ ignominiosæ præferens. Hæc enim vel singula proculdubio valent plurimum: si verò in vnum conueniant, fortitudinem afferunt inexpugnabilem, adeò vt incruenta victoria potiri liceat.* Anima (inquit Philo) laudabili audacia, & prudenti fiducia innixa, dum inanes terrores contemnit, & virtuti vitam postponit, incruenta victoria fulget. Et quidem plures fœminæ, dum paupertati honestatis detrimento non cesserunt, inuenerunt maritos se dignos, & honoratos. Vt è contra quæ castitatis iactura infelicem victum, aut plausum quærunt, & legis stationem relinquunt, non semel ipsa voluptate sauciæ, & discriminibus, quæ inde oriri solent, circumuentæ vitæ tempus sibi breuiarunt, & strage luctuosa perierunt.

TEXTVS.

VERS. III. Et reuersus est populus ad castra, dixerúntque maiores natu de Israël. Quare percussit nos Dominus hodiè coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.

§. XI.

Quidquid nobis accidit, diuina prouidentia ordinatur, non cæca fortuna disponitur.

EA antiquos occupauit amentia, vt omnia fatis adscriberent, & fortunæ templa sacrarent, quasi eius arbitrio omnia constarent disposita, & acciderent ordinata: *Cùm maximi inter mortales potentatus, & imperia temerè impellerentur, colliderentúrque* (scribit Plutarchus *de Romanor. fortuna*) *quòd nullus rerum potiretur, vellent tamen omnes: immensa pernicies, error, & conuersio vndique rerum omnium extitit: quoad vrbe Roma imalescente, & increscente... afflauit ingens fortuna.* Fortunæ afflatu existimabant, Romam ad felicitatis culmen peruenisse, & nationes cæteras subiugasse. Itaque non verò Numini rerum adscribebant successus, sed fortunæ exoculatæ omnes attribuebant casus. Verùm prudentes, cùm sciant, Numen omnia disponere, & gubernare, quidquid contingit, superiore ordinatione agnoscunt dispositum, & fatentur ordinatum. Manus conseruerant cum Philisthinis Hebræi infelici euentu: natu maiores à Domino illatam stragem confessi sunt: *Quare percussit nos Dominus hodiè coram Philisthiim*, vt qui nouerant non tam aduersariorum robori, aut eorum armorum valentiæ victoriam adscribendam, quàm voluntati Numinis assignandam, quandoquidem nihil est, quod cœlesti nutu non disponatur, & sapienti prouidentia ordinetur. Ita Abulensis *quæst. 4. Quasi dicant: Non fecerunt hoc Philisthiim robore suo, sed Deus.* Inuisibili manu se deiectos agnoscunt, & Philisthæis vti instrumentis Deum vsum fuisse ingemiscunt. *Errant, mi Lucili* (aiebat Seneca *epist. 98.*) *qui aut boni aliquid nobis, aut mali iudicant tribuere fortunam.* Itaque fortuna merum figmentum est; volubilis rota voluitur, sed non manu cæca, & futuri euentus ignara. Fuerunt, qui fortunam magnis sumptibus sibi propitiam habere satagerent, mensamque apponerent: *Ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam. Isai. 65. v. 11.* Sed eorum Propheta delitium carpit, quandoquidem confitentes cæca omnia sorte euenire, satagebant magno dispendio diuidentis gratiam elucrari. Adest Hieronymus ad hunc locum: *Est in cunctis vrbibus, & maximè in Ægypto, & Alexandria idololatriæ vetus consuetudo, vt vltimo die anni, & mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refectam varij generis epulis. Et poculum musto mixtum, vel prateriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant Israëlitæ omnium simulacrorum portenta venerantes.* Christiani fortunæ portentum non venerantur, sed nihilominus aliquando de fortuna conqueruntur. Ergo disce ab Israëlitarum senibus omnia Numinis prouidentiæ adscribere, nec à fortuna quidquam credideris emanare.

§. XII.

Plures nullam in se inueniunt causam, cùm infelicitati suæ copiosam ministrarint materiam.

PEccatores ea cæcitate renentur, vt si quid illis aduersum accidat, nullam internam in se causam reperiant, sed externis imprudenter adscribant: Deum ad repetenda flagella enormium peccatorum compellunt excessibus, & ignorate affectant, cur aduersis premantur casibus.

casibus. Ad rem Seneca *epist.* 98. *Cæterùm tam improbi sunt, tamque obliti quò eant, quo illos singuli dies trahant, vt mirentur aliquid se amittere.* Libidinibus salutem consumunt, aleis diuitias perdunt, impatientia hostes sibi faciunt, & scelerum obliti, stupent calamitatem suam demirati. Si eos roges, an infirmitatis, aduersitatisque causam præstiterint, denegabunt, & de fortuna sua queruli, non se peccatores, sed infelices lugebunt. In Israëlitarum Republica temerabantur sacra, sine rubore committebantur stupra, exlex audebat rapina, quæ vt puniret Deus æquitatis vindex, Philisthæos adduxit, & instrumenta vindictæ fecit. Facilè ingenti clade Israëlitas contriuerunt, & campos fuso sanguine inebriarunt, & quasi nullam acceptæ stragis causam exhibuissent, Hebræi se se demirati rogabunt: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim?* Interrogatio nullam in se inuenire causam innuebat, dum soli Deo stragem illam applicabant. Vt repetat Seneca: *Tam improbi sunt, tamque obliti, vt mirentur aliquid se amittere.* Consonat Abulensis *q.* 4. *Id est, nunquid est aliqua iniquitas in nobis, quare hoc acciderit? Sciebant enim, quod quando ipsi peccabant, Deus tradebat eos in manus hostium, vt patet ex processu libri Iudicum: sed nunc non putabant aliquod peccatum se habere, propter quod traderentur in manus Philisthiim.* Enormia exundabant delicta, quibus stragem illam mererentur; nulla tamen in se reperiebant cæci peccata; se non carpebant, vt qui præstitissent causam, sed infaustam conquerebantur fortunam. Plures inuenies, qui se fateantur infelices, raros, qui se agnouerint peccatores.

§. XIII.

Qui ignauè aliquando deseruit stationem, animum non despondeat, sed ad castra animosus redeat.

HOmines, vt qui lutea vasa portamus, non semel tentationum adsultibus cedimus. Ille oculis capitur, ille ardore vindictæ aduritur; ille auaritiæ vinculis captivus tenetur; nulli tamen desperandum est, quia licet in integrum restitui, si non despondeas animũ, sed resumas. Doceat maiorẽ cautelã casus, solicitiorem vigilãtiã tentationum adsultus, sed non detrectet præsare in hostes arma animus spebus fraudatus. *Ille* (aiebat Seneca de athletis *epist.* 13.) *qui fudit sanguinem suum, cuius dentes crepuerunt sub pugno, ille, qui supplantatus aduersarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit, cõtumacior resurrexit, cum magna spe descẽdit ad pugnã. Ergo vt similitudinem istam prosequar, sæpè iam fortuna supra te fuit, nec tamen tradidisti te, sed subsilisti, & acrior restitisti.* Vt bonus athleta post casum contumacior resurgit, & victoria nititur inaurare ruinã; ita qui tentatione deuictus ruit, non debet se tradere, sed acriori animositate resurgere, & validiùs decertare, vt acceptis triumphis honori consulat, & virtuti. Israelitæ cũ hoste manus conserunt, cladem accipiunt, sed ad castra redeunt: *Reuersus est populus ad castra.* Stragem passi decernunt instaurare certamina, & ardent reportare trophæa *Israelitæ* (inquit Abulensis *q.* 4.) *redierunt ad castra sua.* Non desponderũt animum, non horruerunt iterum subire conflictum, imò vt à se iniuriam illam propulsarent, exeruerunt vires, & aduersarium impetere decreuerunt contumaciores. Pro spiritualibus certaminibus nobis exhibuerunt exemplũ, ne post casum desperemus, sed maiori animositate surgamus. Qui victus voluptatum præstigijs, qui cupiditatum irretitus fallaciis, ad castra redeat, & resumptis viribus certamen ineat, pluribus namque ipse casus salubrem contumaciam ad pugnandum admonuit, & inimicorum strage acceptam plagam solari consuluit.

Eman. de Naxera in Reg.

§. XIV.

Qui à Deo distat, se facilè ab inimicis vincendum credat.

VT à radice virgulta vigorem trahunt, & saporem fructus accipiunt; ita à Dei familiaritate, amicitiaque hominis dimanat prosperitas, & à distantia calamitas. Hinc est, quòd cùm populus à Philisthæis partim lugeret fugatus, partim iaceret occisus, adesse Arcam desiderarunt, & eius distantiæ cladem illam adscripserunt: *Afferamus ad nos de Silo Arcã fœderis Domini.* Vtiliter Arcæ præsentiã ambirent, si aliis moribus reluceret. *Manifestatio est conscientiæ bonæ* (aiebat Cassiodorus 7. *var.* 35.) *præsentiam iusti principis expetisse: quam solus ille desiderare potest, qui de magna mentis puritate confidit. Aspectum solis nisi clara lumina non requirunt: quia illa tantùm possunt rutilantes pati radios, quos constat oculos habere purissimos. Sic præsentiam Principis ambiunt, qui de cordis sinceritate præsumunt.* Vt à sole remoti tenebris obvolvuntur, & proximi claris luminibus illustrantur; ita qui Deo iustitiæ soli approximãt, puritate candicante rutilant, & de animæ aduersariis triumphum reportant: qui verò distant intervallis longis remoti, cladibus inveniuntur subiecti. Principis præsentia puris mentibus vigorem infundit, sordidis pœnam adauget, quando injuria est Principis eius oculis propinquare, & moribus inconcinnis sordescere. Prudenter Hebræi ambirent Arcæ præsentiam, si dignis moribus exornassent fiduciam: verum dum Arcam efferunt, & mores non corrigunt, ipsa præsentia, quæ exigebat moribus exornatos, durius puniuit indecoris factis obscuros. Notauit Caietanus: *Deuota intentio, ac commendanda spes, si facta respondissent intentioni, ac spei. Fiducia enim in Arcã Domini, quamuis in se bona, ac sancta sit, insufficiens tamen est, nisi bonis operibus comes probetur.* Vtiliter Arcæ fruerentur præsentia, & ob præsetiam victoria, ni indignis moribus exasperassent, & approximatione crimen auxissent: docuerunt tamen facilè ab hostibus vinci, qui à Deo distat, & consequi triumphum, qui pura conscientia approximat.

§. XV.

Nonnulli exactè student ceremoniis, incuriosè satis conscientiis.

SVnt qui ambitiosius suspirent exteriores ceremonias implere, quã bonis moribus rutilare; obseruantissimi sunt erga reculas, quæ parere possint opinionem, negligunt, quæ spectauere ad virtutem. *Illud te admoneo* (aiebat Seneca *epist.* 5.) *nè eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, faxias aliqua.* Peruersa via ambitio suspirat honorem, inanem affectans humilitatem. Quidquid externum lex iubet, solerti diligentia obseruatur, conscientia negligenter polluitur. Externa vestis congruit statui, interius auersatur animus legi. Optimè Tertullianus in Apologetico cap. 35. animadverit, ipsos, qui in Principũ natali studiosè ceremonias extrinsecas nitebantur obseruare, ipsi Imperatori animo contraire: *Grande officium focos, & thoros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere.* Ad Principum natalitium diem celebrandum, è fontibus promanabat vinum, ornabantur mensæ, lauro postes coronabantur, & quisque alios ceremonis vincere officiosior studebat, & ambitiosior solicitabat: verùm si illius impendentis honores animum internum dispiceres, odisse Cæsarem nosceres: à ceremonia discordabat conscientia, immò, vt lateret conscientia, solicitè obseruabatur ceremonia. Iã addit Tertullianus: *Si pectoribus ad transluendũ quandã specularẽ materiã natura obduxisset, cuius non præcordia insculpta apparerent, noui, ac noui*

Cæsaris scæna in congiario diuidendo præsidentis? Etiam illa hora, qua acclamant: De nostris annis tibi Iuppiter augeat annos. Præmiserat: *An alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana?* Itaque secretò lingua feriebant, odio æstuabant, cùm exterioribus ceremoniis, obsequiisque decertarent. Quod Israëlitis etiam accidisse videtur. Accepta à Philisthæis clade Arcam adduci ad castra decernunt debitis ceremoniis, & Sacerdotalibus humeris: *Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini.* Non satagunt veræ pœnitudine, ac dolore Numen placare; nolunt tamen aliquam in asserenda Arca ceremoniam omitti. Notauit Caietanus: *Recurrunt isti ad exteriorem ceremoniam, omittentes internam pœnitentiam peccatorum suorum, & in hoc peccauerunt relinquentes veram causam percussionis eorum.* Percussionis non tollebant causam, externam adimplebant ceremoniam. Sunt namque plures, qui externis festiuitatibus Deum colant, & interno animo offendant.

§. XVI.

Reipublicæ ministri, dum humana fidunt prudentia, incrementare solicitant damna.

PRudentia virtutum gubernaculum, & dux est, in portum ducit mentem variis casuum turbinibus agitatam, & ventorum adsultibus impetitam. *Prudentia certè* (scribit Philo de Numinum mutatione) *ipsius solius est Principatus.* Principari prudentia debet, & virtutes cæteras ordinare; verùm qui sua nimis fidit tumidus, errat ipso tumore obscuratus. Prudentia, si Numen attendat, ab eóque lumen ad regimen mutuetur, omnia fortunatè componet; si verò tenebras suas pro luce habet, quò audet citatior, offendit periculosior. Iacob in Israëlem nobiliter degenerauit, nec à felicis luctæ congressu anteà abstinuit, quàm prudentiam possideret lumine cœlesti illustratus, & bonis spebus fultus: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël. Gen. 32. vers. 28.* De luctatore ad videntem transiuit, & mentis visum sibi luctamine comparauit. Notauit datus Philo: *Istud non sine contentione, & labore consuuit fieri: sed tunc demum cum quis prudentia certamina agressus animi exercitationibus exercet se, & cum aduersis ratiocinationibus, quæ in ipsam mentem irruunt, luctatur. Verùm Deum videntis proprium est è sacro certamine non egredi, prius quam retulerit coronam.* Adnectit: *Quænam autem floridior, aptiorve corona victori animo necti posset, quam illa, per quam ea, quæ sunt, aperte videre valeat.* Prudentia à Deo accepta dirigit inoculata; quæ verò humanis ratiocinationibus innititur, sæpissimè fallitur. Maiores natu Israël acceptæ cladi medelam quærunt, & afferre Arcam disponunt: *Afferamus ad nos Arcam fœderis Domini.* Allata Arca maioris stragis occasio fuit, indè namque adauctum est damnum, vnde sperabatur remedium. Ecqua huius calamitatis fuit causa? Natu maiores, respondet Rabbi Leui, Deum non consuluisse, sed sua prudentia fisos Arcam asportasse: *Bellum in iussu Dei non indixerunt Hebræi, & graviter peccauerunt, quòd habentes Vrim, & Thumim Deum non consuluerunt.* Facillimum erat oraculum consulere, & iuxta responsum omnia disponere: ast seniores prudentia sua fisi detrectarunt Vrim, & Thumim consulere, & contigit calamitatem augere: nam humana prudentia incrementare solitat damna mediis, quibus certa sibi promittebat remedia.

§. XVII.

Ad sanctissimæ Virginis conspectum frænatur militaris etiam imprudentia, & exoculata audacia.

MIles ab omni lege sibi videtur exemptus, dum in campum prodit armatus. *Qui militaribus officiis assueti* (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 11.) *ciuilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc iustitiæ parere desiciunt, quoniam ad bella Martia semper intendunt.* Assiduè dimicantes difficilè morum norunt custodire mensuram, cùm fas esset moribus adornare valentiam. Verùm nescio, quæ Virgini ineat efficacia ad mores componendos, & milites refrænandos. Acceperat Hebræorum exercitus grauem cladem ob militum, vt seniores rebantur, scelera, vtque exercitum purificarent, decreuerunt adduci Arcam in castra: *Afferamus Arcam Domini.* Arcam Mariæ Virginis vmbram fuisse nemo est, qui nesciat. Ergo ad licentiam cohibendam, & militum temeritatem frænandam nullum opportunius remedium potuit excogitari, quàm Virginis simulacrum afferri. Innuit noster Sanctius: *Cùm statuerint secum afferre Arcam Dei ex Silo, aliquid indicant in castris fuisse, quod Arcæ conspectu purificari, aut confirmari debuerit. Aut enim videbant seniores illi aliqua inter milites esse peccata quæ clad:m, & mortem aduocant, quæ putebant ad Arcæ conspectum esse resecanda.* Quæ debeatur Mariæ imaginibus reuerentia, non obscurè seniores indicarunt, dum ad Arcæ conspectum militarem insolentiam crediderunt resecandam, & militiam laudabiliter peragendam. Quod si militaris etiam contumacia, insolentiáque ad Mariæ imaginis præsentiam componitur, sibi caueat, qui in eius presentia pudicitiæ insidias molitur.

§. XVIII.

Dum consules, magnatesque ad sacrata iurisdictionem extendunt, generalem calamitatem adsciscunt.

SVmmates, consulesque, quam à Republica acceperunt, iurisdictionem conantur extendere, & nullis se putant legibus coarctari; iustitiæ obsequium existimant se exhibere, si statos sibi terminos adnitantur ampliare. *Causarum vestrarum qualitas* (aiebat Sacerdotem alloquens Cassiodorus 3. *var.* 37.) *vobis debet iudicibus terminari, a quo est expectanda magis, quam imponenda iustitia.* Iudicium de Sacerdotum causis nullus nisi Sacerdos ferre debet, nec licitè in Deo sacrata laicus iurisdictioné præsumit: existimant tamen aliquando Reipublicæ Consules causam sub æquitate non definiri, & ad se spectare supplicis querelam, aut iniuriam amouere: verum dum æquitatis ad speciem patrocinium suscipiunt, & iurisdictionem prætextu iustitiæ extendunt, legibus violentiam, & Reipublicæ calamitatem adsciscunt. Accepta clade decernunt populi seniores, Consulesque Reipublicæ Arcam adferendam: *Afferamus Arcam Domini.* Arca eorum iussu allata non fuit calamitatis remedium, sed inimicorum auxilium. Quærunt Interpretes, cur Arca in campum veniens suorum non fuerit tuita causam, sed foueri it aduersariorum fortunam? Existimantque, decretum illud de Arca ferenda tumida præsumptione fanxisse, & ad sacra etiam iurisdictionem protelasse, ob idque populi fuisse calamitatem adauctam, & viuidius inflammatam indignationem diuinam. Innuit Rupertus: *Præsumptio stulta, & vana, quæ tunc decepit improuidos, & iustitiæ Dei ignaros.* Clarius Abulensis *q. 6. Non apparet aliqua causa expressa in lege, propter quam, manente sanctuario, Arca posset inde educi, vt portaretur in alium locũ, ideo non videbatur, quod deberet educi.* Itaque quamuis Arca à sanctuario nõ deberet asportari, natu maiores imperauerunt

runt educi, religioné vtilitatis cómunis prætextu temerantes, & potestatem vsque ad sacrata extendentes: ergo educta à sanctuario audaci imperio Arca, Deus temeratæ religionis expetiuit pœnas, & Israëlitarum incrementauit angustias, vt historia fuerit omnibus pro doctrina. Aliquando reus confugit ad sanctuarium, & iudex nulla habita loco reuerentia inde extrahit colore satisfaciendæ iustitiæ; verùm dum coloratam iusticiam contra debitam locis sacris armat reuerentiam, irrogat religioni iniuriam, & Deus honoris sui acerrimus vindex dignam violatoribus infert pœnam.

TEXTVS.

Vers. IV. & V. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubin: erántque duo filij Heli cum Arca fœderis Domini Ophni, & Phinees. Cúmque venisset Arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra.

§. XIX.

Deus dignè receptus affert salutem, sed indignè ingentem cladem.

DEus solis adinstar sanis oculis affert gaudium, humore tetro suffusis infert tormentum. Oportet Eucharistiæ accedenti conscientiam solicita indagatione discutere, & prudenti solicitudine virtutibus exornare. Iosias Phasè celebraturus statuas contriuit, lucos deuastauit, & ossibus mortuorum repleuit: *Succidit lucos, repleuitque loca eorum ossibus mortuorum*, 4. *Reg.* 23. *v.* 14. Quid tunc? Phasè disposuit: *Facite Phasè Domino Deo vestro.* Quod moribus adaptans Tilmanus sic ait: *Iosias faciturus Phasè purgauit terram, & templum, & eiecit figuras idolorum. Eodem modo accessuri ad Sacramentum corporis, & sanguinis Domini purgare debent terram, id est, carnem, & templum, id est, animam, & ejicere à corde figuras idolorum, id est, turpes imaginationes.* Si anima omnibus affectionibus repurgata, & solerti studio exculta Deum ad aram cordis attulerit, fructus percipiet vbertimos. Testis est Abraham, qui dum comitate, vrbanitateque Deum hospitio suscipit, sibi felicitatem adauget. Sara cui nil cum voluptate, panes conformat; senex ad armentum gressibus citatis contendit, cuius alacritate Deus delectatus & hæredem germanum largitur, & postularis annuere dignatur: *Habebit filium Sara vxor tua. Gen.* 18. *v.* 10. Sterilitas in fœcunditatem transiuit, tota familia fortunata refulsit, Abraham, quidquid precatus est, impetrauit. Notauit Philo *lib. de Abrahamo: Certè sic existimandum est ad eorum introitum partes omnes domus profeciisse in melius, afflatas aura quadam virtutis absolutissimæ.* Dignè ab Abrahamo receptus eius adauxit felicitatem, in Sodomitarum ciuitatem introiens ciaculatur flammarum torrentem. Nec aliter Hebræis accidit. Iam quatuor millia ab hostibus cæsa fuerant, cùm Arcam afferunt, vt discrimini impendenti subueniant: *Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam.* Cum Arca ingentissima clades aduenit: *Ceciderunt de Israël triginta millia peditum.* Si inquiras, cur misera adeò strages contigerit? Respondebit Abulensis *q.* 4. in causa fuisse recepisse Arcam mentibus pollutis, & animis maculatis. Ipsum audi: *Opinati sunt, quòd præsentia Dei specialis in Arca aliquid eis conferret, & sic verè futurum erat, nisi Israëlitæ offendissent Deum, & demeruissent istud auxilium: Fuit igitur eis infelicior casus.* Dum culpis infecti Arcam non afferunt, nonnulli pereunt; astdum afferunt, grauissima conteruntur ruina, quia ea dispositione afferre fuit impudentissima audacia. Iudicium (teste Paulo) sibi manducat, & bibit, qui pollutus ad Eucharistiam accedit: ergo probet se ipsum homo cœlesti nutriendus epulo, ne calamitatis addiderit vires auxilio.

§. XX.

Iuuant munera religiosè oblata, sed opus est, ne refragetur conscientia.

MVnera decenter oblata placant Dei iram, hominum alliciunt benevolentiam; verùm parum proderunt externa munera, si interna inuigorarint eorum efficaciam peccata. Dauid ad expetendam de Nabal vindictam inardescit, sed muneribus reuerenter oblatis furor ille sedatus est: *Suscepit Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam.* 1. *Reg.* 25. *v.* 35. Abigail muneribus emit gratiam, & prohibuit imminentem domui vindictam. Si Nabal crimine infectus post inurbanum responsum obtulisset, nullatenus indignationem placasset. Iosepho etiam fratres munera offerunt, quæ gratis oculis suscipit, & à minis, & terroribus abstinet: *Obtulerunt ei munera, tenentes in manibus suis, & adorauerunt proni in terram. At ille clementer resalutatis eis interrogauit eos.* *Gen.* 3. *v.* 26. Demutarunt antiquum odium in adorationis obsequium, & quia iam animi demutata sententia, oblata placuerunt munera. Adest Stephanus *in Allegor. Tilmani: Viro munera deferimus, quando cum virtutum odoribus conspectui Saluatoris ardentissimo nos affectu præsentare satagimus.* Si puræ, integræque conscientiæ in muneribus gratus odor spiret, & munus placet; si verò animus piaculis sordidetur, cœlestis indignatio externis solum muneribus non placatur. Cùm Arca deuenisset in castra, Israëlitæ non solùm promiserunt futuram sibi victoriam, sed celebrarunt quodammodo iam præsentem faustis, repetitísque acclamationibus palmam: *Cumque venisset Arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi.* Quærunt Interpretes, quo plaudentium inniterentur fiducia, vt indubia sibi expectarent trophæa? Respondéntque sperasse spolia, quia sanctuario obtulerunt munera. Ita Rupertus Abbas: *Decepti sunt, dum pro aureis simulacris sanctuarij diuinum sibi quasi debitum arrogant adiutorium.* Sanctuario aurea obtulerant, simulacra, & quia obtulerant, sibi indubia promittebant auxilia. Magna equidem fuisset munerum ad impetrandam victoriam efficacia, nisi aduersaretur offensa; verùm non potuerunt oblata munera victoriam parere, quia interna delicta inuenta sunt impedire.

TEXTVS.

Vers. VI. & VII. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixerúntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt, quòd Arca Domini venisset in castra, timuerúntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra.

§. XXI.

Prædicatorum vocem dæmones expauescunt, & fructum veriti contremiscunt.

IDem audienti, & concionatori esse debet propositum, alter prodesse, alter desiderare debet proficere. Qui ad templa veniunt candido animo concionem audituri, aliquid semper vtilitatis percipiunt. Hic reddit domum sanior, ille sanabilior; ea enim est verbi diuini vis, vt non solum prosit audire desiderantibus, sed etiam vel casu audientibus. Nam vt qui in Solem venit, licet non ad hoc venerit, incalescit; & qui in vnguentaria taberna

resedit aliquantulum commoratus, loci secum odorem defert; sic qui sacris concionibus adest, quo proficiat, aliquid sugit. Benè Seneca *epist.* 108. *Facile est auditorem concitare ad cupiditatem recti. Omnibus enim natura fundamenta dedit, seméque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus, cum irritator accessit, tunc illa animi bona, velut sopita excitantur.* Animis natura iecit virtutum semina, quæ verbo Domini vndarum instar rigantur, & amotis vitiorum spinis, vt proficiant, excoluntur. Ob id dæmones totis contendunt viribus homines ab audiendo Dei verbo auertere, & variis occupationibus irretire. Concionatoris vox est in dæmonem telum, & gladius biceps præcidens vitium. Hinc est, quod Philisthæi aduentante Arca ad clamoris vocem expauerint, & timuerint: *Quænam est hæc vox clamoris magni... timuerúntque Philisthiim.* Quod moribus adaptans Glossa sic ait: *A voce prædicationis sapientes sæculi, dæmones quoque ingemuerunt, timentes se superari.* Dæmon cupiditatum, fallaciarúmque armis gerit in homines bella, cúmque Dei verbum veritatis luce depellat fallacias, & gladij adinstar noxiam præcidat concupiscentiam, ingemit inimicus armis nudatus, & verbi Dei efficacia expertus. *Etiamsi nos* (aiebat Philo *de Somniis*) *conniventibus animæ oculis, aut non curauerimus, aut non potuerimus cernere, ipse sacrorum antistes summouet, addens animum, ne desperemus, donec nos introducat in penetralia, illatóque lumine ostendat mysteria pulcherrima.* Abactis ignorantiæ tenebris verbi Dei lux reluminat mentem, & ducit ad veritatem: ergo concionatoris clamor Philisthinorum est dolor: *Timuerúntque Philisthiim.*

§. XXII.

Percellit dæmonium, si plurimorum clamor diuinum implorarit auxilium.

ORatio aduersum dæmonis fatum est. Vt serpens fugit effumigatus, & incantatus; sic dæmon quærit latebras orationis odore, & fragrantia pulsus. Ob id Paulus ad Timoth. 2. aiebat: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes* 1. *ad Timot.* 2. *vers.* 1. Oratio de pectore pudico, de corde sano Deo grandis est victima, & quia Deo victima, æmuli eius miseria. *Ei offero* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.* 30.) *optimam, & maiorem hostiam, quam ipse mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam.* Oratio semper est grata Deo hostia, & dæmoni semper miseria; verùm si multorum clamor, charitatis concordia, & dulcis vnitatis melodia resonet, iam dæmon præpeditus ingemiscit. Angelus Tobiam monet, vt cum coniuge orationi incumbat: obtemperauit ille, & cum Sara orans, non solùm dæmonem expulit, sed ligauit: *Deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras. Tob.* 8. *vers.* 4. Quid tunc? Fumo dæmon effugatur, & ligatus oratione constringitur: *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud.* Quæres, cur Sara orante non fuerit constrictus, & ingemiscat modò illigatus? Respondeo, modò non solùm Saræ, sed Tobiæ etiam orationem ascendisse, & iam quasi manu facta dæmonem vinculis colligasse. *Vbi fortior supervenit* (inquit Isaac Abbas in Allegor. Tilmani *ejicitur, ligatur, fugatur.* Superuenit oratio vnitate obarmata, concordia munita, & iam captiuam duxit captiuitatem, & vinculis constrinxit dæmonem. Hinc est, quod ad vocem clamoris Israëlitarum Philisthæi ingemiscant timore perculsi, & solicitudine perturbati: *Quænam est hæc vox clamoris magni?... Timuerúntque Philisthiim.* Magnus erat clamor non clamantium multitudine, sed animorum conformitate: ergo vt conformem multorum audierunt clamorem, se vincendos existimarunt, & quidem ni clamori clamantium obstitisset peccatum, miserũ Philisthæus pateretur excidium. Ita Abulensis *quæst.* 11. *Omnes Israëlitæ vno animo invocauerunt Deum, vt eriperet eos de manu hostium, sed non eripuit, quia peccata eorum demeruerunt.* Iure Philisthæi clamore percellebãtur, nam nisi clamorem euigorassent scelera, Israëlitæ reportata coronarentur victoria: multorum namque oratio gratam Deo vim infert, & dæmonibus cladem affert.

§. XXIII.

Expertus dux inimicorum prouidenter callebit studia, vt adhibere possit remedia

NIhil solicitiùs optimus dux curabit, quam hostium prouidenter callere machinamenta, vt frustrare possit studia. *Chabrias* (refert Plutarchus *in Apophthegmatis*) *summum esse dixit ducis officium habere explorata hostium consilia.* Qui non habet hostium consilia explorata, opportuna nequibit adhibere remedia: verum si, quid aduersarius tentet, maturè cognouerit, facilè consilia eludit. Elisæus Syriæ Regis insidias detegit, & iam Rex conturbatur, & proditorem latere queritur: *Conturbatum est cor Regis Syriæ pro hac re.* 4. *Reg.* 6. *vers.* 11. Non defuit, qui Elisæum eius consilia detegere asserit, & iam exercitus robur, vt consilia prodentem caperent, misit: *Misit illuc equos, & currus, & robur exercitus.* Si contra Regẽ insidias solùm struxerat: *In loco illo & illo ponamus insidias*, cur contra Elisæum exercitum adeò magnum adornat: *Et robur exercitus?* Quia nocentiorẽ sibi agnouit Elisæum aperientem consilia, quàm Regem opponentem sibi castra: nam vt nihil est vtilius, quàm aduersariorum studia præcallere, ita nil pernicioſius, quàm prodi. Hanc militaris artis solertiam, etsi victoria potiti, non omiserunt Philisthæi, nam statim ac peruenit in campum Arca, certa cognouerunt notitia: *Cognouerunt quia Arca Dei venisset in castra.* Quomodo citò adeò cognouerint, inquirunt Patres, quando interuallum impediebat, & auditus clamor Arcam aduentasse non denuntiabat? Abulensis *quæst.* 11. putat habuisse vigilantissimos exploratores, qui solicitè satagerent præcallere quidquid apud aduersarios, aut casu accideret, aut prouidentia disponeret, per eosque celeriter aduentus Arcæ accepisse notitiam, qua accepta, se ipsos adhortati sunt ad acrius tractanda bella. *Quomodo cognouerunt Philisthiim, quòd venerit Arca in castra? Dicendum, quod hoc cognouerunt illi, qui erant in insidiis, quos posuerant Philisthiim. Nam erant discurrentes vndique circa castra Iudæorum, vt viderent, si quid moueretur contra Philisthiim.* Post reportatam victoriam periculosa ignauia non dormitarunt, immò prouidenti cautela quid hostes molirentur, solicitè indagauerunt. Vt discas post acceptum etiam à dæmone triumphum tibi non dormitandum, sed ad acriores conflictus animum solertia vigilantissima communiendum.

TEXTVS.

VERS. VIII. Et ingemuerunt dicentes: Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius: væ nobis. Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum? Hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.

XXIV.

Sæpè excellens, æstimatur pluris apud extraneos, & minoris apud proprios.

SÆpè qui sibi coniunctum, si eximiis facinoribus clareat, magni debuissent æstimare, & elogiis dignissimis efferre; inuidẽtia stimulati, & liuore perculsi molliuntur

molliuntur lucem tenebris obscurare, & egregia facta minuere. Exteri demittantur sæpè virtutem, & proprij exhibere recusant laudem. Ioseph à fratribus exiguo pretio venditur : *Vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis. Gen. 37. vers. 28.* Ismaëlitæ iterum reuendunt, sed maiori pretio, nec enim emerant, vt perderent, sed vt lucra incrementarent : *Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Putiphari.* Putiphar eximias iuuenis dotes demiratus eum seruis aliis præfecit, & familiæ, diuitiarúmque administrationem tradidit : *Præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum.* Ecce Ægyptij non detrectant à mancipio gubernari, cùm fratres noluerint subiici. Putiphar dignus virtutis æstimator cæteris præficit, frater ob virtutem & vendit, & odit. Notauit Philo *lib. de Ioseph* : *Herus multis argumentis collegerat eum non sine diuina prouidentia singula tum dicere, tum facere. Ergo in speciem ab emptore suo domui præfectus est.* Vides ingenuum à fratribus instar mancipij exiguo pretio æstimari, & vendi, vides mancipium ab Ismaëlitis pluris æstimari, & cæteris à Putiphare præponi. Nec aliter Arcæ videtur contigisse. In ea Philisthæus clamat Dei virtutem residere, Ægyptiósque forti manu puniuisse. *Hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum.* Si oculos vertas *ad Exod. 32.* inuenies ab Hebræis adscriptam vitulo libertatem, & celebratam holocaustis fortitudinem : *Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Exod. 32. vers. 4.* Philisthæi exertis vocibus publicant Hebræorum Deum per immensa recurrentium fluctuum volumina sicco vestigio Israëlitas transuexisse, & eorum contrarios Ægyptios prorsus debellasse, & Hebræi patrata mirabilia vitulo adscribunt, & victimas in testimonium gratitudinis offerunt. *Manifesti* (inquit Caietanus) *apud Philisthinos timoris verba sunt propter fortitudinem Heloim Israel, quam confitentur ex percussione Ægyptiorum in deserto.* Dei fortitudinem fatentur Allophyli, vitulo adscripserunt Hebræi ; vt videas, Deum apud suos minoris haberi, & apud Allophylos pluris æstimari.

§. XXV.

Timor cordatus est sæpè pater consilij, & vires exerit animi.

EXoculatus timor, inconsultúsque angor vires debilitat, & cordis robur expectorat. Acri timore Cain concutitur, & seipsum fugiens insequitur. Notaui Philo de Præmiis: *Altera mala insita est penitus mœstitia tranquilitatis expers, & timor nulla securitate dilutus : ait enim sacra Scriptura eam execrationem inflictam fratricidæ vt semper gemeret, ac tremeret.* Itaque timor, si inconsultus, & acer, est prudentiæ nubilum, rationis impedimentum, tranquillitatis exilium. Non valebat Cain quiescere, quia nequibat non formidare ; verùm timor perspicax, & prudentiæ filius animum exerit, & consilium prouidum capit. Philisthæi auditò Arcæ aduentu timore quatiuntur : *Væ nobis.* Quid timor pepererit, Scriptura non tacuit. *Confortamini* (inquiunt) *& estote viri Philisthiim, ne seruiatis Hebræis.* Eligunt certamine cadere, ne Hebræis contigerit inseruire : imminentis periculi timor consulebat eligendam gloriosam mortem non ignobilem seruitutem: vires ipso exacuebantur timore : *Confortamini*, non ignaua eneruabantur timiditate. Sine timore præcipitatur audacia, nimio timore debilitatur valentia ; prudens verò timor refrænat timiditatem, & exacuit fortitudinem. Notauit Caietanus *Potest ista vox esse eorundem timentium, vt timor ipse, qui est pater consilij, induxerit eos ad exhortandum omnes ad viriliter agendum.* Non suasit indecoram fugam, sed prouidentiorem timor cautelam; dum timore prudenti ad virilius acriúsque certamen ineundum hortantur, victoriam de hostibus assequuntur. Iacob prudenter timet, ne dum benedictionem exambit, maledictionem incurrat : *Si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione. Gen. 27. vers. 12.* Si absque timore ad benedictionem inuolasset, fortassis maledictum incurrisset ; si nimio timore præpeditus detrectasset benedictionem ambire, non contingeret coronari: verùm dum prudenti timore periculum veretur, hædinis pellibus, & fragrantibus vestibus obarmatur, & dum timor docet cautelam, affert timenti victoriam. *Rebecca* (inquit Glossa Moralis) *benedictionem Esau impediuit, & sic Iacob illam accepit.* Timor peperit non ignauiam, sed cautelam, & dum prudenti timore Iacob occurrit periculo, benedictionis coronatur trophæo.

TEXTVS.

VERS. IX. Confortamini, & estote viri, Philisthiim, ne seruiatis Hebræis sicut & illi seruierunt vobis : confortamini, & bellate.

§. XXVI.

Sæpè cum aliena infelicitas suadeat prudentiam, temeritas inspirat audaciam.

FOrtitudinem, & prouidentiam *in paucis admodum reperiri existimo* (verba sunt Platonis *lib. 21. de Fortitudine*) *ferocitatem verò, & audaciam metu carentem absque prouidentia in multis* Ferocia, temeritásque fortitudo aliquando habetur, & pro virtute laudatur. *Quæ igitur* (adnectit) *multi fortia nominant, ego ferocia nuncupo; fortia verò quæ prudenter discernunt, quæ audacia, & quæ metu sint digna.* Pensandum est, an, quæ aggredimur, assequi possimus prudenti audacia, ne nobis periculum procreemus temeritate cæca. Imprudens est qui alieno detrimento non sapit, & præuiso offendiculo corruit. Ecce Philisthæi non ignorant ea Deum Hebræorum fortitudine pollere, vt Ægyptiorum potentiam contriuerit, & vastarit, & aliena calamitate eruditi, bellum nihilominus adornant temeritate inflammati : *Confortamini, & bellate.* Qui arma contra Hebræorum Deum arripuerunt Ægyptij, confusis vndarum voluminibus sunt demersi, & tamen tentant Philisthæi in campum prodire, & contra triumphatorem bellare. Notauit Abulensis quæst. 11. *Timuerunt ibi esse aliquam virtutem, quæ posset eos disperdere, potissimè cum audiuissent magnalia de Deo Hebræorum.* Temerarium erat cum aduersario adeò forti confligere, alienæ suadebat calamitas certamina detrectare ; verùm Philisthæi ea tumebant arrogantia, vt se minus fortes, virósque putarent, ni aperta adeò pericula adirent. Adnectit Abulensis *quæst. 14. Erant quasi desperantes propter fortitudinem Dei Hebræorum, ideò dixerunt, quod confortarentur, & viriliter pugnarent.* Non viriliter, sed temerariè pugnabant, Ægyptiorum calamitatem, Numinis potentiam edocti pericula contempserunt & cæco ardore bella tentarunt. Audaciam, viilem crediderunt fortitudinem, & robur exoculatam temeritatem. Sæpesæpiùs intemperantiam sequutus violentam oppetiit mortem, & dum alieno honori tetendit insidias, luit dignissimas pœnas : nec deest, qui ipsa difficultate irritatus, & aliena clade edoctus eadem tentet, & consequi temeritate adlaboret. Missus contra Eliam quinquagenarius, flammarum vorticibus cinerescit consumptus, & nihilominus non deest, qui eadem aggrediatur, quinquagenarius : *Rursum misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. 4. Reg. 1. vers. 11.* Strages ab illo auertebat proposito, & nihilominus secundus quinquagenarius fortitudini duxit, flammas despicere, & ad montem inuolare ; flammis etiam iste consumptus

consumptus est, vt constaret, quantum interesset inter cæcam temeritatem, & laudandam fortitudinem. Huc voco Ambrosium *lib.1. de offic. cap.37. In omnibus, quæ agimus, non solum quid honestum, sed & quid possibile sit, quærimus, ne fortè aggrediamur aliquid, quod non possimus assequi* Etsi honestas non retraheret, debuisset auertere difficultas; verum dum temerarius ausus fortitudinis habetur effectus, vrgent pericula, & effligunt detrimenta.

§. XXVII.

Conducibilior est mors honesta, quàm vita ingloria.

SOlet ferè bellum (aiebat Eurypides apud Stobæum *cap. 50.*) *non per omnia feliciter succedere, sed fortium gaudet casu iuuenum; odit autem timidos. Quod ciuitati quidem calamitosum existit, at ipsis defunctis glorioſum.* Glorioſum est fortiter dimicare, & mortis vmbras honestæ fulgoribus famæ præferre. *Bellum honestum* (aiebat Demosthenes *vbi suprà*) *turpi paci præferendum est.* Hanc Philosophiam Philisthæi sequuti, cum non ambigerent in eas se difficultates deuenisse, vt mors esset oppetenda, aut seruitus subeunda, elegerunt honestè potius decertando moti, quam ignobiliter inseruire: *Estote viri Philisthiim, ne seruiatis Hebræis.* Non timent in bello cadere, sed infame iugum subire. Notauit Abulensis *quæst. 14. Ideo dixerunt, quod confortarentur, vt viriliter pugnarent, quia etiamsi succumbere necesse esset, melius erat hoc viriliter moriendo, quam seruituti se subiiciendo.* O quanta ab hoc Philisthinorum decreto moribus documenta proueniunt! Premit aliquando paupertas, nec facilè est sine castitatis detrimento egestati subuenire. Quid tunc? Satius est honestatem colendo mortem oppetere, quam spurcis vitiis sordidari. Imitemur laudabiliter Philisthinos, qui, ne inhonestum subirent iugum, salutis elegerunt dispendium. Fortis in bello Iudas, cum aduersariorum vrgerent arma, & socij fugæ cogitarent auxilia, sic ait: *Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. 1. Machab. 9. vers.10.* Crimen arbitratus est inhonestam fugam, & laudabilem intrepidam contra mortem audaciam. *Commune hoc bonum est ciuitati, & toti populo* (aiebat Tyrtæus apud Stobæum *cap.51.*) *si quis vir progressus inter pugnantes in prima acie maneat constanter: turpis autem fugæ prorsus obliuiscatur, vitam, & animum patienter periculo obiiciens, & astantem sibi virum ad mortem obeundam animet: hic sanè bonus vir existit in bello.* Bellum Iudæ virtutem ostendit, dum sociis indidit vires, & contempta morte adorsus est inimicorum phalanges: ergo si mors cincta incommodis constantiam nitatur subruere, elige pro virtute pugnare.

§. XXVIII.

Si iam emarcuit dignitas, & potentia, consurget, contra olim plausibus celebratum audacia.

ALtos, & dignitatum infulis decoratos omnes submisso vsque ad terram vultu venerantur, & certatim promereri gratiam repetitis faustisque acclamationibus adnituntur: verum si in contrarium fortuna inclinet, clientes transeunt in hostes, & qui olim deuota exhibebant obsequia, iam Martia adornauere certamina. Pharao, dum Iosephum ad dignitatis culmen euexit, torque aurea nobilitauit: *Collo torquem auream circumposuit. Genes. 41. vers.42.* Philo *lib.* de Ioseph torquem ait, si prosperitas arrideat, ab omnibus venerandam; si verò demutetur fortuna, pro fune, vt ad terram trahatur, habendam. Ipsum audi: *Hanc torquem donaui tibi ornamentum in prosperitate, vinculum in aduersitate.* In ipsam torquem manum plures iniicerent, vt Iosephum deturbarent, si aureus ille mutaretur status, nam cum statu mutatur & cultus. *Torques aurea* (præmiserat Philo) *non ad gloriam solum, sed & ad pœnam pertinere videtur; quandiu enim res ciuiles ei benè procedunt, placet sibi honoratus à ciuibus: cum autem aduersitas accidit non volenti (quod damnandum esset) sed fortuito quod meretur veniam, nihilominus iniecta in torquem manu trahitur.* Manum iniicient, qui adorarant, vt premant, & iam erit in aduersa fortuna vinculum, quod in prospera erat celebratum plausibus ornamentum. Philisthæi Hebræorum Deum in Ægyptiis clade inferenda magnam virtutem ostendisse confitentur: *Hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga*, & tamen ad certamina contra illum mutuis adhortationibus excitantur: *Confortamini, & bellate.* Profecto prudentia de mentis arce deturbabatur, dum adornant bellum, & agnoscunt Ægyptiorum excidium; errore ducti, respondet Lira, existimabant iam non posse infligere plagam, quia contra Ægyptios omnem suam consumpsit potentiam: ergo arma in ipsum arripiunt, & penitus debellare contendunt. Hunc penitiorem esse horum verborum sensum edocet Lira: *Alij erant nullam habentes reuerentiam ad Arcam, nec per consequens timorem, & isti, vt excluderent timorem ab aliis, dicebant: Hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, id est, eis possibili. Quasi dicant: Fecerunt tunc totum posse suum, & ideo non poterunt nunc nobis nocere.* Si antiqua frui potestate deos illos, sibi suaderent, eis non auderent bellum inferre, sed ambirent gratis obsequiis eorum beneuolentiam lucrari: ast dum imprudenter sibi suadent olim magnos, nil iam valere, viribus prorsus destitutos, audent contra eos insurgere, & discupiunt debellare. O quam & morale, & frequēs hoc est! Dum quis consulatu floret, dum dignitate, & potestate resplendet, repetitis plausibus celebratur, & humillimis obsequiis colitur; ast si fors in contrarium vergat, si munere iam functus, aut amandatus, contra ipsum variæ insurgunt querelæ, & armantur factitiæ causæ: contra Arcam olim celebrem insurgunt, quia potestate carere credunt.

§. XXIX.

Durissimum est inseruire, cui consueueras imperare.

SEruire, & colla alterius iugo subdere semper homini amarum fuit. Ab exordio Eua, ne vni viro subiiceretur, serpentinis commentis facilè credidit, & diuinitatem omnis subiectionis expertem ardenter ambiuit: verum licet omnis seruitus, subiectióque hominibus sit ingrata, ea videtur nullatenus sustinenda, quæ compellit obedire, quibus consueueras imperare. *Illud aliquoties accidit* (scribit Philo lib. Quod omnis probus) *vt versis rerum vicibus emptitij suis heris non tam seruirent, quam dominarentur.* Seruitutis miseriam præcedens auget fortuna, & ipsa morte habetur durius ei obtemperare, cui consueueras olim præcipere. Testantur id Philisthæi, qui cum ex alia parte, si cum Deo Hebræorum confligerent, vererentur mortem, & si non confligerent, impendendam Hebræis, quibus olim dominati, crederent seruitutem, elegerunt pugnando, cadere, ne suis olim seruis contingeret inseruire: *Estote viri, Philisthiim, ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis.* Pulchrior seruitute mors visa est, & ne Hebræis suis olim seruis cogerentur modò seruitutis tributa pendere, accerrimè de creuerunt confligere. Audi Ambulensem *q. 12. Reputabant Philisthiim pessimam conditionem viri esse seruitutem, nec*

nec aliquid peius fortunam inducere posse, & cùm infelicissima sors ista sit, adhuc infelicior est cum quis efficitur seruus eius, cuius antea erat Dominus. Nil calamitosius posse icato Numine accidere existimabant, quam suis olim seruis subjici, & eorum præceptis obtemperare: ergo decreuerunt viriliter mortem oppetere, ne contingeret inseruire.

TEXTVS.

VERS. X. Pugnauerunt ergo Philisthiim, & cæsus est Israël, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis, & ceciderunt de Israël triginta millia peditum, & Arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt Ophni, & Phinees.

§. XXX

Qui frequenter cadit aliquando spem resurgendi amittit.

OMnibus licet in integrum restitui, & qui vitiorum diu seruus, si viriliter pugnet, triumphum arripiet, & dæmones, à quibus vincebatur, prosternet. Diabolus; qui viuos homines anteà condiderat in sepulchris, Christo homini auxiliante iam trahitur, & ad Domini pedes deuolutus prosternitur: *Cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit. Quid mihi, & tibi, Iesu Fili Dei altissimi?* Cucurrit non spôtè obsequutus, sed cœlesti imperio tractus. Notauit Chrysologus *serm. 16. Exhibiti non volentes venerunt imperantis iussu, non suo ausu, attracti sunt inuiti, non sua sponte currentes.* Attentius audi, quæ subjicit: *Denique ad præsentiam Christi homines exeunt de monumentis, & versa vice captiuos ferunt, à quibus fuerant captiuati: sistunt pœnis, quorum cruciatibus torquebantur, aptant ad sententiam, à quibus addicti fuerant iam sepulchris.* Miseri illi homines iam sepulchris quodammodo amandati, & extra omnem salutis spem videbantur positi; verum Dei gratia adspirante iam pœnis sistûr dæmones, à quibus anteà ipsi ingemuerunt captiui, & multiplicibus vitiorum vinculis illigati. Itaque dum vita supereſt, omnibus patet ad salutem via, & si aspirante gratia viriliter decertarint, quibunt coronari victoria; verùm qui sæpesæpiùs tentationibus cedit, qui illectus voluptatibus frequenter cadit, ita solet animum despondere, vt in pugnam detrectarit exire: quia impossibilem arbitratur victoriam recusat inire pugnam, & iam vitiorum prorsus captivus, spebus ingemit denudatus; lamentabili desperatione iugum non molitur excutere, immò se perpetua seruitute patitur premi. Pugnarant Hebræi cum Philisthinis, sed infelici euentu, nam quatuor millia occisi iacuerunt: *Cæsa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum.* Accepta clade non desperarunt, sed acriores animos resumpserunt: *Reuersus est populus ad castra.* Ad castra redierûr, sperantes iniuriam illam aduersariorum sanguine abstergendam, & ignominiam triumphis propulsandam. Acer vndique iterum initur conflictus, & luctuosior Israëlitas opprimit casus: *Facta est plaga magna nimis.* Quid tunc? Iam castra deserunt, & ad tabernacula fugiunt: *Fugit vnusquisque in tabernaculum suum.* Quærit Abulensis *quæst.* 15. cur modò non redierint in castra, nec adorsi sint noua bella? Respondétque, repetitis casibus omnem ab animo spem projecisse, & miseram seruitutem non recusasse: *Erant nunc desperata res Hebræorum ad restaurandum bellum . . . bis superati non confidebant se posse tueri.* Repetitus casus omne adeò robur expectorauit, vt iam iterare bellum non tentarint, immò posse se excutere iugum diffiderint: *Non confidebant se posse tueri.* Non erat grauius detrimentum clades accepta, sed spes victoriæ prorsus amandata, nam cùm sibi suaderent semper casuros, nolebant tempus terere, & certaminis laborem subire. Quod in moralibus non semel accidit. Imbecillis homo semel, & iterum tentationi succubuit, & iam ipsa casus experientia manus miserabiliter tradit, quia posse se disrumpere vincula iam non credit. Hinc est, quòd plures infelicissimam oppetierunt mortem, de salute animæ desperantes, & se non posse victoriam reportare credentes. Verendum est peccatori, ne, dum sæpesæpiùs vitiis, voluptatibúsque se ignauè subiectat, posse vinculum disrumpi diffidat, & vitiorum prorsus captiuus nolit ad castra redire, nec certamen iterare.

§. XXXI.

Satius est imbelli occasiones fugere, quàm miserabiliter cadere.

PLures se ipsos fallunt, dum imprudenti victori spe certaminis occasionem non fugiunt. Inglorium est Martiali in campo terga hosti vertere, fugámque arripere, glorioſum verò in spirituali pugna, ne misere corruas, vertere occasioni terga. Periculosum stultúmque est post infelicis stragis experientiam audacter præsumere, & voluptatis occasionibus obuiare. Nónulli hsii ipsis imponunt, vtque imprudenter apperitibus adulentur, promittunt sibi victoriam, si cum occasione iniuerint pugnam, sed dum audacter, stultéque promiserunt sibi palmam, miseram pertulere ruinam. Opportunè Philo *lib. Resipuit: Quemadmodum vis ignis, diu materia caret, quiescit, qua accedente incenditur; sic, quæ sunt in anima, potentiæ extinguuntur destitutæ opportunitatibus, fortuitis autem excandescunt occasionibus.* Experientia edocet lignum igni proximum incalescere, & tandem conceptis flammis aduri: ergo, vt stultum esset, lignum, si igni approximaret, vrendum nullatenus credere, sic est insanus, qui nullis virtutibus obarmatus non casurum sibi promittit, & occasionis vires spernit. Audi Ouidium *lib.* 2. de remedio amoris.

Vt penè extinctum cinerem, si sulphure tangas,
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit:
Sic nisi vitaris, quidquid reuocarit amorem,
Flamma redardescet, quomodo nulla fuit.

Ne exurgat viuidior flamma, extinguenda est leuis occasionis scintilla. Hebræi cum Philisthæis congressi, prostrati sunt; verùm ad castra redeuntes, iterum adornant bellum, & iterum patiuntur excidium. Quid tunc? *Fugit vnusquisque in tabernaculum suum.* Imbecillitatis suæ conscij maluerunt vertere terga, quàm misera, ac maiori debellari ruina. Et quidem post repetitam experientiam fugere fuit prudentia, insistere esset exoculatissima contumacia. Adest Abulensis *quæst.* 15. *Mouit eos* (Deus) *vt redirent in tabernacula sua, nam si rediissent in castra iterum instauraretur bellum, & sic perirent adhuc plures de eis.* Ni fugerunt, disperirent: ergo salubre fuit occasionem expauescere, & incolumitati fuga consulere. Discant congrediendi occasionem cum tentationibus fugere, qui suam imbecillitatem experti, quique à vitiis sunt sæpesæpiùs vulnerati.

§. XXXII.

Peccatores malunt Deo bellum ingerere, quàm vtiliter inseruire.

QVi vitiis inseruiens sæpesæpiùs ingentissima expertus est detrimenta, si ad virtutum castra transiret saluberrima sentiret commoda: malunt tamen peccatores cauterio aduri, & inter medici manus gemere, quàm salute, & tranquillitate frui. *Iuxta serpentem positus* (aiebat Isidorus *lib.* 2. *soliloquij.*) *non eris diu illæsus, & ante ignem consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolueris.*

dissolueris. Ferrea constantia libidinis flammis dissoluitur, & fortitudo eneruatur. Ludo labefactantur diuitiæ & pro diuitiis premunt miseriæ. *Ad rabiem* (aiebat Seneca *epist.47.*) *cogunt venire deliciæ.* Deliciæ morbos advocant, vires debilitant, diuitias consumunt, tabiem gignunt, & nihilominus eligunt homines ingenti detrimento voluptatibus inseruire, quàm certis commodis virtutibus famulari. Philisthæi ad Arcæ conspectum trepidant, & ne contingat illis, quod Ægyptiis olim formidant; nihilominus quando prudentia consulebat honestis pactis arma deponere, decernunt mortem oppetere: *Confortamini, & bellate. 1. Reg.4.vers.9.* Ac si dicant: quantumvis honestis pactis, non deponatis arma, sed tractate acriter bella. Mori elegerunt, & Deo vtilissimis pactis subjici detrectarunt. Ita Abulensis *quæst. 12. Exhortantur se inuicem, quod etiamsi Deus Israël subiecerit eos Hebræis, non permittant se capi, vt seruiant, vel quòd non tradant se sub aliquo pacto, sed magis moriantur.* Et si magna illis Deus promiserit commoda, si ad eius transierint castra, & si mors immineat, si opposita sequantur vexilla, decernunt Deo non inseruire, sed contra ipsum bellum inferre. Hanc Philisthinorum insaniam imitantur plures: non dubitant si ad virtutum castra transierint, salutem reparandam, facultatem augendam, & fortunam processuram; ea tamen tenacitate vitiis addicuntur, vt malint morbis, & infortuniis consumi, quàm virtuti, ac legi parere. Oculorum lux ob nimiam intemperantiam aduolat, & nihilominus præponunt cæcitatem virtuti: *Exhortantur quod non tradant se sub aliquo pacto, sed magis moriantur.* Proh hominum amentiam! Sibi ipsis aduersantur, vt vitiis nocentissimis adulentur.

§. XXXIII.

Qui admonitus mores non mutat, Dei contra se indignationem inflammat.

DElinquere, & cæcis affectionibus rapi est fragilitatis humanæ. Consilia spernere, & admonitiones despicere non solùm vertendum est imprudentiæ, sed contumaciæ. Sine excusatione delinquit admonitus, & consiliis salubribus eruditus. Qui admonitionū remedia contemnit, punientis seueritatem commendat, & sibi stragem maturat. *Nec indigni sunt venia* (aiebat Philo *lib.* Quod Deus) *qui peccant per ignorantiam, vt qui peccata sua parum pensitant: interdum etiam grauiter peccando putant se rectè facere: quando autem ad nos ingreditur ille Sacerdos verus redargutor tanquam lux clarissima, nunc produntur animæ nostræ scelesta consilia per actiones fontes, & culpabiles.* Admonitio est veluti vitiorum circumcisio, quia ignorantiæ euersio. Qui post notitiam salutarium disciplinarum prosequitur scelesta vota, duplicat quodammodo scelera, & grauiora sibi maturauit supplicia. Semel, & iterum Deus admonuit Heli filios, & dum minis corrigere improba adlaborat facta, auertere desiderat impendentia supplicia; verùm illi admonitionem spernentes, & edicta sacra calcantes, vitiis indulserunt, sed dum audire nolunt pientissimum monitorem experiuntur seuerum iudicem: *Mortui sunt Ophni, & Phinees.* Inimicorum armis fratres occubuerunt, vt quos associauerat culpa, dura coniungeret etiam pœna. Adest Tertullianus: *In acie ruunt, nurus expirat in partu, hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens.* Si præmoniti verecundia suffunderentur, à sceleribusque se abstinuissent, supplicium etiam vitassent: verùm dum impudenter post patris, & viri à Numine delegati admonitionem, post accepta à Samuële oracula antiqua prosequuntur scelera, seuera puniuntur mulcta: in acie ruunt mucronibus aduersariorum occisi, quia noluerunt periculum anteuertere admoniti. Non sunt (vt aiebat Philo) indigni venia, qui ignorantiæ tenebris impediti cortuerunt vitiorum laqueis implicati: sunt tamen rigida seueritate digni, qui semel, & iterum deliquerunt admoniti.

§. XXXIV.

Si Sacerdotes audeant impurè sacra tractare, nouerint mortem sibi infelicissimam imminere

TAntò diuinitati plurima Sacerdotes debemus, quantò à cæteris mortalibus maiora suscepimus. Quid simile rependat Deo, qui resplendet Sacerdotio? Sed licet pro tanto munere nihil possit æquale rependere, ipsius muneris lege tenetur Sacerdos floridissimis virtutibus emicare. Qui sacra, Dominicique corporis contrectauere libamina, purissima tenentur resplendere cōscientia. *Magnum scelus est* (aiebat Cassiod. S. *var.24.*) *crimen admittere, quos nec conuersationem decet habere sæcularem. Professio vestra vita cœlestis est. Nolite ad mortalium vota humilia, & errores descendere. Mundani coërceantur humano iure, vos sanctis moribus obedite.* Sacerdotum vita Angelicos mores debet æmulari, & Angelicam puritatem referre. Seraphin apud Isaiam cum oppansis alis Deum amplecteretur: *Duabus velabant faciem eius, Isai. 6.v.2.* carbonem illum fulgentissimum, quia Eucharistiæ symbolum, aurea forcipe de altari tulit, *Forcipe tu'erat de altari.* Numen sacramentalibus speciebus contectum ad speciem timuit tangere, qui throno insidentem Deum volatu laudabiliter ambitioso conabatur amplecti. Quod si vel Seraphin Eucharistiam contrectare verentur, nouerint Sacerdotes, quibus legibus teneantur: iam si eximia adeò requiritur puritas, quàm erit scelestum manibus pollutis accedere, & ausu detestabili contrectare. Oblata Numini hostia delictorum est medicina; verùm si pollutis manibus contrectetur, debita Numini reuerentia violatur. Grauius inde oritur detrimentum, vnde opportunius sperabatur auxilium. Filij Heli hostili gladio conuulnerantur, & repetitis vulneribus occidūtur: *Mortui sunt Ophni, & Phinees.* Dum Arcam impuris contrectant manibus, sibi maturauērunt stragem, & elegit Arca apud allophylos degere, ante quàm à sordidis Sacerdotum manibus contrectari. *Quis scit* (inquit noster Sanctius) *an impura Sacerdotum manus, quæ Arcam minus, quàm decebat, religiosè tractauerant, non tam auerterint, quàm adduxerint, aut auxerint illam funestam cladem.* Dum sordidè accedunt, ardorem indignationis flauellant, & infelicissimam sibi mortem conciliant. O! expauescant, trepidéntque Sacerdotes impuri ad Eucharistiam accedere, ni velint miserrima clade perire.

§. XXXV.

Dignitatis labor frequenter detrectatur, honor, & splendor ambitur.

OMnia sudore constant, & quæ diuinitatis honore fruebantur idola, thronum ascendebant post runcinæ, & scobinæ martyria. *Quod simulachrum* (aiebat Tertull. in Apologet. *cap.12.*) *non prius argilla deformat cruci, & stipiti superstructa? In patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur. Vngulis deraditis latera Christianorū, at in deos vestros per omnia membra validius incumbunt ascia, & runcinæ, & scobinæ.* Itaque vt cultus, adorationisque honore fruatur, prius idolum runcina expolitur, ascia læuigatur, scobinis detergitur. *Deus ligneus* (aiebat Minutius Felix in Octauio) *rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio suspenditur, caditur, dolatur, runcinatur.* Honor ille labore constabat, nec inscendebatur thronus, ante quam diuexaret cruciatus. Hinc miranda est aliquorum amentia, qui cum thronum, & dignitatis fulgorem sitienter exambiant, adnexum, & inuisceratum

laborem

laborem recusant, Heli filij Sacerdotali, iudicialique dignitate fruebantur; verùm nec ritè munus exercebant nec expedire negotia curabant. Cùm Arca esset in castra ducenda, non subiecerunt humeros, vt portarent, astiterunt tamen proximi, vt præluceret: *Erant duo filij Heli cum Arca fœderis Dei Ophni, & Phinees.* Arcæ proximi honorem à munere prouenientem non omittebant, & rapinæ, libidiníque studentes muneris leges proculcabant: ergo dum honorem solùm exambiunt, & quidquid molestum fugiunt, violenta morte diffluxerunt. *Mortui sunt.* Notauit noster Sanctius: *Cùm pudorem anteà, & bonam famam abiecissent, abjicere tamen noluerunt Sacerdotale nomen.* Arcam humeris deferre erat labor, Arcæ assistere erat honoris splendor: ergo Arcæ assistunt honoris auidi; labores recusant appetitui solùm addicti: *Abjicere noluerunt Sacerdotale nomen.* Non pauci horum exempla sequuntur, obligationem muneris adimplere non curant, honoris splendorem adfectant. Itaque inueniuntur plures, qui honorem, vtilitatémque à muneribus, & officiis promanantem ardenter exambiant, & annexas curas, & labores studiosè diffugiant.

§. XXXVI.

Fides Principi, religionique debita numquam violanda, etsi aliàs culpis fordescat vita.

QVi dignitatis infulis decorantur, omnium virtutum fulgore splendere tenentur. Digna merita splendidis dignitatibus associata eximia venustate pulchrescunt & subiectorum mores componunt: verùm nescias, quo fato qui cæteris eminuerunt altiores, indignis actionibus fordidentur, & cupiditati blandiantur. Inglorium est muneri actionibus contraire, sed apud omnes est detestabile fidem violare. Fides religioni, Principíque debita inconcussa debet lucere, & inter aduersitatum tenebras; emicare. *Accessit meritis tuis* (aiebat Cassiod. 5. var. 40.) *cunctis laudibus pretiosior fides, quam diuina diligunt, mortalia venerantur.* Fides, quæ virtutum caput, & origo est, Deo, Principíque pura integritate consulit famulari & debitam reuerentiam impendere. Filij Heli, etsi cupiditate corrupti, & libidine sordidati constanter Arcæ adstiterũt, & cum alij fugam arriperent, elegerunt anteà mortem oppetere, quam relinquere: *Arca Dei capta est duo quoque filij Heli mortui sunt.* Erant in Arcæ custodia muneris lege: ergo vsque ad mortem perstiterunt & debitã fidelitatem seruarunt. Notauit noster Sanctius: *Cùm pudorem anteà, & bonam famam abiecissent; abjicere tamen noluerunt Sacerdotale nomen, quod ab illis exigebat fidelem Arcæ, sedulámque custodiam.* Nec hostilis gladius, nec præsens mors, vel tantillum à latere Arcæ discedere persuaserunt, sed pro fide, ac religione pugnarunt.

TEXTVS.

VERS. XII. & XIII. Currens autem vir de Beniamin ex acie venit in Silo in die illa, & conspersus pulvere caput. Cúmque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor eius pauens pro Arca Dei. Vir autem ille, postquam ingressus est, nuntiauit vrbi, & vlulauit omnis ciuitas.

§. XXXVII.

Ni exterior concordet habitus, simulatus probatur luctus.

AD aliorum infortunia plangenda plures aliquando cõcurrunt, sed nonnulli mera ceremonia, & vrbana

Eman. de Naxera in Reg.

politia: non assumunt dolentium faciem, nec vel mentitum ostendunt cordis dolorem: eo habitu, vultúque aliquando accedunt, vt videantur non compati, sed gaudere, condolentis habitus est tempori, & occasioni adaptandus, non contrarius assumendus. Amici Iob audita calamitate, vt consolentur afflictum, inuolant, & cinere caput defœdant: *Exclamantes ploranerunt, scissísque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum.* Iob. 2. vers. 12. Si nitidis capillis, & festiuo ornatu accederent, amici acerbum non delinirent dolorem, sed augerent calamitatem; nam quamvis verba essent ad speciem dolentium, ornatus esset lætantium. Adest Gregorius *lib. 3. Moral. cap. 10. Ordo consolationis est, vt cùm volumus afflictum quempiam à mœrore suspendere, studeamus prius merendo eius luctui concordare. Dolentem namque non potest consolari, qui non concordat dolori, quia eo ipso quo à merentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, à quo mentis qualitate separatur.* Qui, quam ore profert, mœstitiam habitu denegat, aut quam profert habitu, verborum modis impugnat, dolenti videtur insultare, non doloris acerbitatem lenire. Cùm Beniaminita Heli filiorum mortem, & Arcæ captiuitatem denuntiaturus aduenisset, eo accessit habitu, qui dolorem exprimeret, nec ceremoniam vanam publicaret. *Venit in die illa scissa veste, & conspersus pulvere caput.* Venit, vt fas erat, venit pulvere decenter sordidus; venit laudabiliter obscuratus. Notauit Abulensis q. 18. *Annuntiaturus calamitatem Israël scidit vestimenta sua, & sparsit cinerem super caput suum: hoc autem faciebat ad significandum magnũ dolorem.* Irrisor videretur, si accederet nitidus, & mentiretur dolorem ore iucundus: aſt dum externus habitus anxietatem evulgat, dum internus dolor cum habitu externo concordat, compatientis implet officium, & aliquã le calamitatis est leuamentum.

§. XXXVIII.

Dei absentia vniuersali luctu est plangenda, & cordis, amaritudine deploranda.

OMnia nobis bona à Deo inexhausto liberalitatis fonte promanant; ipse lucis florem spargit, & elementorum nobiliter tributa nobis impendit. Vt corpus absente anima tabescit sordidum, & omni vsu sensuum mulctatum; ita Deo absente omnia turbãtur, & confunduntur. *Deus* (aiebat Philo *lib. 1. leg. Alleg.*) *anima huius vniuersitatis intelligitur.* Vires vniuersitati inspirat, concordiam elementorum disponit, & mira confœderatione qualitates diuersas vnit. Si absit, omnia marcent si præsens aderit, florent (non loquor de immensitatis præsentia, quæ rebus omnibus adest, sed de ea benigna, benevolaque, quam progignit amicitia.) Hinc est quòd populus, vt audiuit Arcam auolasse, eo dolore contabuit, vt nec reprimere gemitum, nec continere valuerit visceribus eiulatum. Defecerat ad consilia oraculum ad infirmitates remedium, ad calamitatem auxilium: ergo nefas esset modum imponere luctui, quando non erat facilè inuenire medelam calamitati. *Vlulauit omnis ciuitas.* Etsi magnas clades acceperint, constanter adeò tulerunt, vt nec acrem cordis dolorem tristibus suspiriis prodiderint, nec dolorosis gemitibus publicarint: aſt vbi se ab Arca derelictos agnoscunt, copiosis lachrymis ingemiscunt. Notauit Abulensis *quæst. 18. Erat istud malum vniuersalis calamitas, ideo omnes vlulauerunt in cœlum putantes se penitus fuisse consumptos.* Se penitus arbitrantur consumptos, dum Deus, qui vti specialis populi Princeps, Arcáque regali throno insidens recessit iratus, & sua eos præsentia mulctauit indignatione commotus. Et quidem nullum grauius malum hominibus potest accidere, quàm Dei præsentia, & optimi Principis gubernatione priuari. *Pone me* (aiebat Iobus) *iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me. Iob. 17. vers. 3.* Expertus erat duros

dæmonis conflictus, filios ruina doluerat oppressos, voraci flamma greges vastatos, armenta aduersarius tulerat, vermis foraminosam carnem depascebat, & nihilominus solam Dei absentiam extimescit: *Pone me iuxta te.* Ac si dicat: Quævis acerba, si adsit Deus, graue non afferent nocumentum; ast si abfuerint, fortuna quantumvis florida, salus quantumvis firma, familia quantumvis splendida solidum non afferent gaudium. *Quasi diceret* (scribit Lira) *ibi non debeo timere de insultu cuiuscunque hominis, vel dæmonis.* Non timet Deo proximus malignitate hominũ, aut dæmonum impugnari, à Deo distans gemeret, etsi opulentissima fortuna ei adniteretur blandiri.

TEXTVS.

Vers. XIV. & XV. Et audiuit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinauit, & venit, & nuntiauit Heli. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat.

§. XXXIX.

Ad occasum vergit Respublica, si Princeps oculis non vtatur, & solùm auribus moderetur.

AD Principem turba solet adulantium concurrere, & gratis aures mendaciis implere. Quòd si audita solicitæ prudentiæ lance non examinauit, se errandi periculo exponet. Agnus ille à Ioanne throno regali conspectus, multiplicibus, perspicacibúsque oculis refertur instructus: *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem. Apoc. 5. vers. 6.* In throno non solùm auribus, sed oculis vtitur, & licèt nequeat mẽdaciis falli; aut à veritate adulatione seduci, ad nostram tamen eruditionem oculorum multiplicat perspicaciam, quo feliciter gubernarit Rempublicam. *Solent* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 16.) *venientes ad aulicas dignitates diutina exploratione trutinari, ne imperiale iudicium aliquid probare videatur ambiguum.* Ne regale iudicium aliorum solùm relationibus informatum quid ambiguum contingeret approbare, per se ipsum diutina exploratione voluit admittendos expendere. Proximus est errori, qui relatis solùm dirigitur, & adinstar cæci regitur. Cùm in sacro Textu nihil non sit arcanum, expendere iuvat, cur accuratè exprimatur Hebræorum Rempublicam funestam tulisse cladem, cùm Princeps non vteretur oculis, sed solùm auribus. *Audiuit Heli sonitum clamoris.* Et eodem capite: *Oculi eius caligauerant, & videre non poterat.* Quomodo feliciter vti valuit Respublica, quando eius Princeps carebat aspectu, & solum vtebatur auditu? Sub cæco Principe Hebræus ingemuit, & aduersarius triumphauit. Indicat Abulensis *quæst.* 18. *Cùm venit nuntius ante ipsum non vidit eum, nec dixit ei: Quis es, & vnde venis? Sed ipse nuntius cognoscens cæcitatem Heli præuenit eum in verbis.* Quasi non attineret ad Heli clades adstantem de bello non interrogabat, nec quid contigerit, inquirebat: ergo populus luxit, & cæcutiente gubernatore Philisthæus risit. Prouidus Princeps ad futura perspicacem visum extendit, & periculis opportuno consilio occurrit; at cæcus, & improuidus anteà auribus percipit casum quàm ad vitandum casum prudentiæ extenderit visum.

§. XL.

Omnes recusant aduersa Principibus denuntiare, & infausta timent prædicere.

CVnctorum votum est Principum inire gratiam, & elucrari beneuolentiam; quidquid asperum, quidquid molestùm differunt, aut excusant referre, quia indignationem verentur incurrere. Rarus fuit Atalaricus cùm 7. *variar.* 13. sic dictatorem alloquitur: *Renouamus certè dictum illud celeberrimum Traiani. Sume dictationem si bona fuero, pro Republica, & me: si malus, pro Republica in me.* Vt insolitum est velle Principem audire ingrata; sic magnum elogium audire non recusare. molesta. Quid faciet adulatio, quando vel integritas ora fugillat, aut denuntiandi infausta tempus protelat? E castris Israël miles fugit cladem denuntiaturus, cúmque fas esset ad Heli Reipublicæ Principem accurrere, notitiam, vt apparet, studuit differre. Tota ciuitas eiulatibus perstrepebat, & refuga Heli nihil denuntiabat: eiulatus ad Principis anteà pervenit auditum, quàm retulerit miles casum. *Quis est hic* (rogat Heli) *sonitus tumultus huius?* Si inquires, cur non, vt exigebat ratio, priùs Principi, quàm ciuitati cladem denuntiarit: Respondebit Abulensis *quæst.* 18. hac vsum fuisse sagacitate, vt Heli clamore perculsus priùs inquireret, stragémque nosceret, quam ab ipso infortunium audiret: *Ille, qui venerat de bello, venit ad Heli nuntiaturus ista tanquam Principi Israël; priùs autem, quàm ad eum venisset nuntius, tota ciuitas vlulauit, quia mox vt ille ingressus est vrbem, clamauit bellicum infortunium.* Antè quàm ad Principem ipse veniret, præmisit ciuitatis clamorem, aut dilatione adulatus, aut incurrere ingratiam veritus, nam cùm Principes auersentur ingratam sibi veritatem audire, omnes aut silentio premunt, aut referre differunt.

TEXTVS.

Vers. XVI. XVII. & XVIII. Et dixit ad Heli: Ego sum, qui veni de prælio, & ego, qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est, fili mi? Respondens autem ille, qui nuntiabat. Fugit, inquit, Israël coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt Ophni, & Phinees, & Arca Dei capta est. Cúmque ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsùm iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Senex enim erat, vir, & grandævus, & ipse iudicauit Israël quadraginta annis.

§. XLI.

Religionis iniuria præ aliis incommodis est dolenda, & irremediabilibus lachrymis lamentanda.

VT serpens prudentiæ symbolum solicitiùs curæ caput custodire, si cõtigerit vulnerari; sic verè fidelis fidei gloriã, religionis decus illæsa desiderat custodiri, si à veritatis æmulis contigerit impugnari, quod si aliter acciderit, luctui nescit modum imponere: acri vir religiosus dolore concutitur, si sacris simulacris, religioniq; aliqua injuria inferatur. Ad salutem publicam, ad communem vtilitatẽ pertinet inuiolata religio, quia nequit Reipublicæ status consistere, si religionem publicè contigerit defœdari. *Antiquius* (aiebat Plutarchus *in vita Marcelli*) *ad salutem publicam rati, si magistratus Deos suspicerent, quàm hostes superarent.* Et si hostes aliquando

reportassent

reportassent triumphum, resumebant vires magistratus, vt ingenti hostium detrimento emendarent damnum: verum si religio ab allophylis deprehenditur, si Dei simulacrum sordidis manibus polluatur, iam cor dolore fatiscit, & vita deficit. Infaustum nuntium ad Heli peruenit, scilicet exercitum contritum, vtrumque filium violenta morte sublatum, & nihilominus Principis animus aduersus fortunam perstat immotus, & constantia virili armatus: ast vbi nouit Arcam ab allophylis in religionis contemptum duci captiuam, intimo perculsus dolore ruens efflauit animam: *Cecidit de sella retrorsum.* Arcæ captiuitas, religionis iniuria eo Heli acri dolore perculit, vt vitam citò finierit. Notauit Caietanus: *Aduerte sanctam mentem Heli in hoc, quod nec audita ruina populi, nec audita morte filiorum motus est, sed audita Arca Dei capta, vsque adeo commotus est, vt rueret retro.* Consonat Abulensis *qu.* 18. *Erat desiderium illius sanctissimum circa Dei religionem; nam cum audiuisset filios suos occubuisse, quasi nihil motus est: expectat quid diceretur de Arca. Cum verò audiuit Arcam captam fuisse, elanguit cor eius, & non remansit in eo spiritus, atque totus velut palpitans defecit.* Palpitans defecit Numinis audita offensa, qui audita acerba filiorum strage perstiterat virili constantia. Suis nos factis Heli edocuit religionem rebus cæteris præponendam, eiusque iniuriam irremediabilibus lachrymis deplorandam.

§. XLII.

Rarus est, qui plus doleat spiritualibus carere, quàm commodis humanis priuari.

EA homines tenet cæcitas, vt cupiditatum deliramentis turbati: vilia pretiosis anteponant delusi. Qui Dei gratiam culpis amisit, cuius conscientiam exoculatus repetitis scelerum ictibus appetitus vulnerauit, placido somno quiescit, & quietè dormit: quòd si dignitate exauguretur, si maneat decedentibus filiis orbus, aut facultatibus dispoliatus, intimo dolore aduritur, & vrgetur. *Inter causas malorum nostrorum est* (aiebat Seneca *epist.* 123.) *quod viuimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur*: Adnectit: *Claudendæ sunt aures malis vocibus, & quidem primis; nam cum initium fecerunt, admissaque sunt, plus audent. Inde ad hæc peruenitur verba: Virtus, & philosophia, & iustitia verborum inanium crepitus est.* In eam virtutis desuetudine homines deuenerunt amentiam, vt despexerint, & iustitiam, & philosophiã, ferè inania nomina arbitrantur, quæ virtutem, & conscientiæ venustatem designant. Quod si scire cupis, quæ apud hos in magno pretio habeantur, audi ab ipso Seneca: *Vna felicitas est, bona vita, facere omnia liberè, frui patrimonio.* Vnicam felicitatem existimant bonam vitam, non ea bonitate, quam solidæ secum virtutes afferunt; sed quam euanidæ voluptates offerunt. Ne hac priuentur vita, denudari virtutibus malunt. Hinc mirandus est Heli, qui audita filiorum strage fortunam adeo acerbam sereno vultu aspexit, & fortis constitit; ast dum Arca se spoliatum agnouit, altissimo perculsus dolore ruit: *Cum nominasset Arcam Dei, cecidit de sella.* Dolorem ob Arcæ absentiam dolori amissorum filiorum prætulit, & virtutem animi commendauit. Notauit Abulensis q. 18. *Prælegisset vir iste sibi mortem, etiamsi in ætate iuuenili fuisset, quam Arcam captam fore: ideo nemini dubitandum est circa statum Heli.* Eximiis Heli resplenduisse virtutibus comprobatur, dum plus ob Arcæ absentiam ingemuit, & ob filiorum cladem minus indoluit. Edocuit, Deo possesso, inuulnerata conscientia, parum, aut nihil ob cæterorum iacturam dolendum, si tamen cœlestia desint, copiosis singultibus deplorandum. Et quidem in hoc à multorum Heli moribus discordauit, nam frequenter homines diuinæ gratiæ paruipendunt absentiam, & terrenorum deplorare solent iacturam.

§. XLIII.

Non verentur plures Deum amittere, si amittendo quiuerint temporalibus commodis prouidere.

FAteor insitum esse nobis corporis nostri amorem; fateor nobis à natura salutis demandatam tutelam; fateor honoris, diuitiarumque cupidinem innatam, nec negauerim his prudenter, & temperatè studendum, inseruiendum tamen inficiabor. Qui corpori seruit, qui nimium paupertatem timet, qui honorem sitienter exambit, multis se criminibus implicat; nam si contingat honestatem deserendam, aut commoditatem fore amandandam, commoditas honestati præferetur, & virtus parui æstimabitur. Disertè Seneca *epist.* 14. *Huius nos nimius amor timoribus inquietat, solicitudinibus onerat, contumeliis obicit. Honestum ei vile est, cui corpus nimis charum est. Agatur eius diligentissimè cura; ita tamen vt cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem sit.* Itaque corporis detrimento fides, iustitia, & religio tuenda est. Quam vero non rarò contrarium accidat, edocuit nuntius, qui ad Heli relaturus infausta venit. *Fugit Israël coram Philistæis.* Adnectit: *Et Arca Dei capta est.* Capta est Arca, quia ab omnibus derelicta. *Fugit Israël.* Iam si inquitas, cur nullus curarit Arcam tueri, aut, ne in hostium manus deueniret, gestare, quando exigebat ratio, pretiosa adeo sarcina, aut prægrauari, aut in eius tutelam vitam profundere? Dubio respondebit Abulensis *quæst.* 18. maluisse omnes expedita, ac celeri fuga saluti cõsulere, quam Arcam deferendo vitam discrimini exponere. Si Arcam deferrent, lentiori incederent gradu, & possent hostes fugientes premere, si eo non grauarentur onere; quibant ciratiori gressu inuolare, & periculum effugere; ergo maluerunt Arcam deserere, quam periculum vitæ subire: *Nemo eam ducere potuit, nec curauit, quia erat impeditiua fugæ.* Si secum Arcam ducerent, aliquod imminebat periculum; si desererent, promittebant sibi securius salutis commodum: ergo contempserunt Arcam vt seruauerint vitam. Profecto eleganti historiæ penicillo, quod frequenter accidit, adumbratum est: ni pudicitiæ fiat iniuria, premet inopia, & ne adurgeat inopia, admittitur castitatis iniuria. Nimius honoris, vtilitatis, corporis amor æquitati inimicus est, & dum nos timoribus inquietat, virtute denudat. O vtinam minus vera nostra esset thesis; plures scilicet virtutem parui pendere, vt commodis consulant, & corpori indulgeant.

§. XLIV.

Iacent in morte inglorij, qui potestate ad rapinam, & voluptatem abusi.

SAcer Textus nos tacendo instruit, vt etiam eloquendo edocet. Filiorum Heli mortem retulit, & arcanè sepulchrum tacuit. Nullus curauit eorum corpora sepelire, & honesto funere tumulare, cum Samsonis fratres periculum animosè contempserint, vt eius cadauer sepulchro nobili collocarint: *Descendentes autem fratres eius, & vniuersa cognatio tulerunt corpus eius, & sepelierunt inter Saraa, & Sthaol in sepulchro patris sui Manue. Iudic. 16. vers. 31.* Rogabis, cur nullus Ophni, & Phinees corpora sepelire tentarit, cum Samsonis cognatio despectis periculis honorare studuerit? Sed ipsa historia respondet. Samson vsus est robore, ac potestate ad suos tuendos, inimicosque debellandos: ergo dum gloriosè occubuit, sepulchri honore non caruit. Ast Heli filij dignitate, potestatéque abutebantur ad indecoram rapinam, ad exoculatam intemperantiam, ad legis irreuerentiam: ergo etsi fatigata subiectorum patientia, dum potestate fulgebant, tulerit, iam occisos despexit,

nec enim poterant ingloriè non mori, & communi despectu puniri, quos constabat tot criminibus obscurari: *Duo filij tui mortui sunt.* In campo iacuerunt hostili mucrone occisi, & sepulchri honore priuati. Innuit Tertullianus: *Hanc meruerat à Deo plagam domus impudens, sacrificiorum carnalium defraudatrix.* Stragis Reipublicæ acerbitatem quodammodo deliniebat Ophni, & Phinees casus, quia se tyranni de gaudebant liberos, violentiæque exemptos. Tantùm aberant ab funeris honore solicitando, vt mirum fuerit in cadauera non desæuisse, & acceptas iniurias membratim trucidando non vindicasse: infelici morte soluerunt rapinas, & quas abusi potestate in alios perpetrarunt offensas. Nam licèt in supremos, altosque non audeat imbecillitas humana, æquitas acerbè punit diuina.

§. XLV.

Thronus titubat, ni prouidentia firmetur, & honestis actionibus suffulciatur.

QVidquid splendet, inuidentiæ, oculis est expositum, & ambitionis, telis obiectum: ob id, opus est magna fortuna vsis, & ad dignitates elatis, firmis obarmari clypeis, quibus frequentia aduersariorum eludant tela, & frustrentur odia. Contra iudicem nulla venalitate pollutum, nulla auaritia sordidatum, nulla vitiorum labe corruptum non audet inuidia, quia veretur inde sibi odium conflare, vnde adnitebatur solatium quærere. Importuni Patritij filiis patritiatus honor captiosam non conflauit inuidiam, quia morum splendore omnium sibi conciliauerant gratiam. Ita Cassiodorus *3. variar. 5. Modernis saculis moribus ornabantur antiquis: bonitate praditi, constantia gloriosi, in amicitia proni, ad odia sumenda difficiles. Ita, quod maximum felicitatis genus est, cum multæ probarentur esse potentiæ inuidiam illos persequentium contigit non habere.* Importunus & filij dignis adeò moribus radiabant, & gloriosis adeò actionibus prælucebant, vt nullus factitiis querelis adniteretur impetere, aut à dignitatibus deturbare. Econtra qui dignitatis apice fulget, ni virtutibus suffulciat, & prouidis fulcimentis defendat, facillimè ruet aut aduersariorum spiculis impetitus, aut quia ipsemet thronus titubat virtutibus non firmatus. Heli amaro nuntio perculsus cadit, & obit: *Cecidit de sella retrorsum, & fractis seruicibus mortuus est.* Sella nullis fulcimentis firmabatur, & ob id facilè fuit à tergo pati ruinam, & experiri miseriam. Hanc casus occasionem fuisse tradit Abulensis *qua. 18. Destitutus viribus corruit per partem posteriorem sedis, cum nullum haberet retinaculum: si verò sedes fuissei aliter fabricata, non potuisset corruere Heli, vel saltem corruisset per partem anteriorem sedis, quod non erat ita facilè.* Si sedes firmo adhæreret parieti, aut solidis stabiliretur fulcris, miseris non exponeretur ruinis; aut nec parieti vicina, nec artis industria bene fundata casibus inuenitur exposita, & quidem ipse casus altis, magnatibusque vtilissima est eruditio. Ipsi aliquando, qui blandiuntur, qui faustis acclamationibus adulantur, à tergo captiosas prætendunt insidias, & fraudulenter contectas disponunt pedicas. Opus est dignitatis culmine prælucenti, ea solicitudine vti, ac si in hostili regione degeret: nulla fulcra inueniuntur otiosa, nulla cautela superflua. Heli non adeo facilè corruisset, si sellam cautius firmasset: *Si sedes fuisset aliter fabricata, non potuisset corruere Heli.*

§. XLVI.

Gaudet sedes vacua, si ab indigno ingemuit possessa.

DIgnitas decenti possessore fulget, indigno sordescit. Conducibilius est diu sedem manere vacuam, quam lugere possessam. *Delectat* (aiebat Cassiodorus *3. variar. 6.*) *peregrini germinis viros gremio libertatis inferere, vt variis frondescat Senatus aula virtutibus. Ornat enim talis multitudo conuentum, & lætam reddit faciem publicam honorata frequentia.* Dignitatis sedes frondescit, si eam adiens virtutum omnium grato concentu refulgeat. Honoratur fastigium, quoties à laudabili possidetur, & econtra, ingemiscit indignis artibus aditum, & obscuris moribus sordidum. Heli familia digni. rate aburebatur detestandis lucris inhians, & libidinosis appetitibus obsecundans: diu pertulit diuina patientia; verum grauissima clade tarditatem compensauit iustitia. Heli de sella ruit, & seruicibus fractis perit: *Cecidit de sella retrorsum.* Non est sella atrita, sed Heli corruente remansit vacua. Notauit Glossa: *Ruente Heli de sella Pontificis, sedes remanet vacua.* Gaudebat sedes vacuitate, quia ingemuerat possessore, & conducibilius erat Reipublicæ indigno possessore sellam carere, quam occupari. Ipsa sedes excussit indignum, quia sustinere nequibat cæcitatibus prægrauatum. Iob in noctem illam infelicitatis matrem inuectus sic aiebat: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Iob. 3. vers. 6.* Qui nocti inceperat maledicere, mensi videtur etiam tristia nuntiare; nam si illa nox exularit expuncta, mensis etiam summa inuenietur vacua, & quod nox illa temporis occupabat, spatium mensi deficiet ad complementum: ergo mensi non deprecetur infausta, etsi in nocte congesserit maledicta. Immo (inquit Gregorius *lib. 4. Moral. cap. 18.*) mensi precatur felicia, quando erit fortunatior illa nocte vacuus, quam eius turbine obscurus. *Dies virtutum* (verba sunt Gregorij) *iam non lucent, si hos in conspectu tuo annumeratæ nostræ noctis tenebrosa confusio obscuret.* Si nox numeretur, mensis splendor obscuratur: ergo felicior erat mensi illa vacuitas, quam turbulentæ noctis tenebrositas.

§. XLVII.

Externus opus non est ad ruinam impulsus, si eam sibi sollicitarit æquitatis defectus.

NOn negarim altos, magnatesque passos sæpè fuisse ruinam, quia eos deturbare adnititur astutia, & conflictis causis accusare procurat maleuolentia. Quisquis resplenduit, æmulationem adussit, & inuidentiæ, quo telum collimaret: ostendit verum inficiandum non est sæpè dignitatem internis fortius delictis concuti, quam malignis externis artibus labi. *Diu & varia persecutione iactatus* (scribit Cassiodorus *3. variar. 27.*) *ad pietatis nostræ remedia haud irritè conuolasti, asserens, eminentissimam præfecturam tibimet esse terrori, ne priuata, in te odia satiarentur, per publicam disciplinam.* Cum veritas, disciplinaque partat frequenter infestum odium, cordatus ille pertimescebat incendere dignitatis fastigium; nam si publicam, vt fas erat, florere satageret disciplinam, armandam non dubitabat maleuolentiam. Princeps animos indidit, & contra factiosas querelas vallum muniminis spopondit. *Seu nos* (addit) *qui donatas dignitates iustitiæ parere cupimus, non dolori, contra illicitas præsumptiones nostra te tuitione vallamus. Vt regiæ maiestatis obiectu feruentior furor animorum in suis conatibus elidatur.* Itaque non semel temeraria præsumptio, effrænis æmulatio, & æmulorum vnio culmen concutit & culmine fulgentem deturbare contendit: frequentius tamen est propriis sceleribus ruere, quam alienis

alienis ausibus deturbari. Heli acerbo nuntio accepto de sella cecidit,& fractis ceruicibus expirauit: *Cecidit de sella retrorsum.* Nullus impulit,nullus prostrauit, ipse Heli sellam traxit ad terrã,& miseram est perpessus ruinam.Notauit Abulensis *q.* 18. *Suo pondere pressus occubuit.*Quo pondere?oculorum cæcitate,in corrigendo ignauia,in puniendo negligentia:ruit de sede suo põdere concussus,non alienis impulsibus deturbatus. *Tãdiù enim* (adnectit Cassiodorus) *iudex dicitur,quamdiù & iustus putatur: quia nomen, quod ab æquitate sumitur,per superbiam non tenetur.* Non tenetur nomen, quod impugnant facta,& perpetrata innubilant crimina.

§. XLVIII

Quò dignitas altior, casui inuenitur proximior.

Nil concupiscamus (aiebat Seneca *epist.* 14.) *vnde vixa est inter competitores: deinde nihil habeamus, quod cũ magno emolumento insidiantis eripi possit.* Eo passu crescit alta occupantis periculum,quo deturbantis accrescit emolumentum.Quisquis sibi promisit de alterius rui na cõmoda,ei extruet studiosè pericula;& quò altior thronus,miserabilior est casus.Heli de sella ruens fractis ceruicibus morte oppetiit inopinam: *Cecidit de sella retrorsum iuxtà ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Quærunt Interpretes, cur tam cito expirarit, quando è sella casus non videbatur celeri adeo morti vicinus?sine violento impulsu ceruix frangitur.& conteritur:nam sella eminebat alta, & quia alijs eminentior,fuit casui,& aduersitati vicinior. Abulensis q.48.existimat, ipsam sellæ celsitudinem morti auxiliatam fuisse, & ruinæ. Ipsum audi: *Ruptum est caput, quod fuit, quia sedes erat alta, aliquin non cecidisset totus super caput.* Si sedes nõ esset adeo sublimis,nec casus esset fatalis;verùm ipsa altitudo calamitati inseruiuit, & laborem ruentis adauxit. Christus nascitur, & licet pastores pulcherrimum puerum præsepi inclusum non sine gaudio spectasse publicarint,Herodes nullatenus obturbatus,nec inuidentia ictus refertur:ast vbi à Magis Rex conclamatur,iam captiosas insidias nuntio perculsus molitur: *Turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.* Vbi in astro splendere nouit, vbi possidere thronum audiuit, inuidentia flammescit, ambitioneque furit. *Occultè vocat Magos* (inquit Chrysologus *serm.* 158) *quia fur amat noctem, latro in occultotendit insidias.* Insidias tendit thronum possidenti,non tetẽderat in præsepio ploranti.Altitudo, quia discruciat inuidiam,patitur semper insidiosam fraudulentiam. Quisquis altus eminuit, æmulorum sustinuit bella, nec rarò ingemuit deturbatus inuidia.Si Heli adeo altum nõ occuparet thronum,miserum adeò non pateretur excidium: *Ruptum est caput, quia sedes erat alta.*

§. XLIX.

Miserum est Dei domum diù inhabitare, & mortem absente Numine oppetere.

QVi Dei militiæ ardenter desiderarunt adscribi,aliquando per humanam fragilitatem à recta via deflectunt tepidi,& licèt teneantur velut sidera in religionis cœlo radiare,sæcularibus inueniuntur moribus viuere,intra domus claustra corpore tenentur, sed extra cupiditatibus diuagantur.O quàm est miserum plures annos in Dei domo,interque eius seruos posuisse,& absente Deo infelici clausula vitam cõsummasse!Irridebat Seneca aliquos Philosophorum scholam cursitantes,& otio ibi indulgentes. *Non nouimus quosdam* (inquit *epist.* 108.) *qui multis apud Philosophum annis perfederint,& ne colorem quidem duxerint ... Magnam hanc auditorij partem videbis, cui Philosophi schola diuersorum otij sit.* In schola otiantur,& solum numero adduntur. Hi profectò,dum non virtute proficiunt, sed tempus terunt, vereri debuissent,ne illis infausta mors accidat,& inexorabilis flamma adurat.Horum in Heli morte infelicitatem adumbrauit Sacra Scriptura; nam cum plurimis annis templo deguerit, Arcæque adstiterit, tandem Arca absente vitam finiuit: *Cùm ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* In Heli casu miris historiæ coloribus delineatum est,quod Deo dicatis aliquando contingit.Inter religiosos, Sacerdotesque plurimis annis degentes, nec vixerunt cœlo,nec mundo;tulerunt iugum,sed virtutum non acquisiuere profectum : ergo retrorsum cadunt,& miserè pereunt.Innuit Interlinearis: *Quicumque retrorsum conuertitur à fide,& veritate, necesse est, vt cadat,& moriatur.* Pulchra mors non est fructus religiosæ habitationis,sed exactæ,& expolitæ virtutis.Parum profuit Heli in templo mori,ne mors esset infortunata,& ad speciem miserrima.

§. L.

Dignitatis splendor oblectat,sed in ignem conuersus aliquando discruciat.

DE *Pompeij capite* (inquit Seneca *epist.* 4.) *pupillus, & spado tulere sententiam. De Crasso crudelis,& insolens Parthus. Caius Cæsar iussit Lepidum Decimo Tribuno præbere ceruicem.* Prudens volatico dignitatum splendori non fidit;nam vt tranquillum mare momento vertitur,& quæ paulò antea deaurata resplenduerant nauigia,misera pertulere naufragia; sic qui culmine modò eminebat,deturbatus luget,&perit.Heli fruitus suprema dignitate resplenduit, sed dum vitia non carpit, dum ignauiæ cæcus indulget,fastigio deturbatur, & inopina morte punitur : *Fractis ceruicibus mortuus est ... Ipse iudicauit Israel quadraginta annis.* Tempus euanuit ad plausum,sed remansit ad tormentum;numerantur anni, sed vt ratio reddatur regiminis,qui iam viduati splendoribus dignitatis : ipsa sella,qua eminuerat, pœnæ fuit exordium, & attulit ipsa casum. Notauit Tertullianus: *Eliditur pro templi foribus senior Helisilij eius in acte ruunt, nurus expirat in partu. Hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens sacrificiorum carnalium defraudatrix.* Sella frangitur,& extincta iam dignitatis gloria diuturna remanet pœna.Ea flamma, quæ inualidum rubum nitebatur adurere,Pharaonem, Ægyptiosque signari testatur Philo lib. 1. de vita Mosis,aitque Pharaonis potentiam, & splendorem transiisse in ignem, qui ipsum consumeret,& cremaret. Ipsum Ægyptios alloquentem audi : *Crudeles,& igni voraci similes, ne nimium confidatis vestris viribus, cogitate inuictissimas opes aliquando deletas, & respiscite. Ecce flamma suapte natura orens vt lignum vritur.* Si tunc Pharaonem spectares,videres plausibus celebratum, purpura, & familia splendidum; verùm Deus Moysi iam ostendebat splendorem in ignem voracissimum conuertendum, quo Pharao arderet punitus,& sine fine puniretur mulctatus. Vt notum omnibus fuerit dignitatis splendorem posse in flammam transire, & durissimè discruciare.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XIX. Nurus autem eius vxor Phinees prægnans erat, vicinaque partui, & audito nuntio, quod capta esset Arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se, & peperit; irruerant enim in eam dolores subiti.

§. LI.

Aliena calamitas edocet tempus redimere, & virtutum fructibus studere.

PRudentibus afferunt labores vtilitatem, imprudentibus perniciem: exasperantur plures rebus aduersis, & cum debuissent resipiscere, contumacius solitant obcæcari. Prudens vasa colligit, & redimere tempus studet; de alienis infortuniis elaborat sibi commodum, & ad virtutem promouet gressum. *Respice in illo* (aiebat Cassiodorus Albienum alloquens 8. *variar.* 20.) *odium publicum, & tu amorem affecta cunctorum. Tanti tuis moribus gratiàs agant, quanti illius acerbitatem actionis accusant. Animare igitur dedecore præcedentis.* Adnectit post aliqua: *Graue est sapienti offendere, vbi alterum reperit incidisse.* Albieni prædecessor meruerat plecti, & dignitatis insulis denudari: ergo alienum dedecus ad virtutem erat incentiuum, & efficax hortamentum. Heli nurus septimestrem fructum vtero gerens, audito infortunio, se incuruauit, & peperit: *Incuruauit se, & peperit.* Septimestrem peperisse filium tradunt Iosephus, & Rabbanus: *Peperit filium septem mensium.* Glossa Moralis historiam moribus aptans ait, in Phinees vxore adumbrari prudentes, qui aliena calamitate edocti humanam felicitatem contemnunt, & præcoces fructus proferunt: *Per hoc quod vxor Phinees audita morte viri sui, & captione Arca incuruauit se, & peperit, significantur illi, qui ex auditu repentina contritionis gloriosiorem in hoc mundo concipiunt timorem, & incuruantur per veram humiliationem, reputantes gloriam mundi nullius esse momenti, & sic pariunt fructum operis meritorij.* Magnatum repentinus casus, inopina alterum mors edocet, quam caducis fidamus, & quam euanidis inhiemus: ergo prudens caduca contemnit, & redimere tempus satagit. Non expectauit mulier nouem mensium maturitatem, sed statim peperit, & fructum de alieno tempore maturauit. O nos cæcos, qui cum quotidiè audiamus, videamusque inspiratas repentinasque mortes, fortunas euersas, strages inopinas, non solum non curamus tempus redimere, & virtutes concinnare, sed relicta ab aliis ambimus, & inscendere vacuas sedes anheliis desideriis solicitamus.

§. LII.

Raro aduersitas venit sola, sed aliis calamitatibus associata.

INfortunium alterius infortunij videtur præsagium, & calamitas alterius calamitatis illicium. Vt in catena alter nexus alteri copulatur, sic in aduersa fortuna calamitas calamitati coniungitur, & de præcedenti subsequens procreatur. Vidit pistor ille, quos ferebat, cibos ab alitibus discerpi, rapique: *Aueſque comedere ex eo. Genes.* 40. *vers.* 17. Etiam Iosephus disertissimus coniectator corporis membra prædicit dilaceranda, & ab auibus diripienda: *Lacerabunt volucres carnes tuas.* Inquires, quibus argumentis carnes nouerit lacerandas, cum pistor solum retulerit escas direptas? Ad quod respondebit Philo *lib.* de Ioseph, in ea calamitate aliam vidisse: *Somnium valdè omineſum erat.* Videbantur aues cibos solum diripere, sed ea calamitas aliam prænuntiabat, quam cælesti luce illustratus interpres vidit, & asseruit. Hanc veritatem noster etiam edocet Textus. Israëlitæ fugiunt, Ophni, & Phinees cadunt, Arca capitur, Heli acerbo nuntio elliditur, murus audita strage doloribus immanitis premitur, & vita dolorum acerbitate finitur: *Irruant in eam dolores subiti.* Insperati dolores infelicem nuntium sequuti sunt, dolores mortem attulerunt, & ex alia calamitas nascebatur. Notauit Abulensis *quæst.* 19. *Quia ista erant sibi auditu durissima, supra quam dici potest, nimio dolore commota est: & tunc quia ipsa erat vicina partui, ex illo nimio motu dolores partus insurrexerunt.* Stragis durum nuntium perculit senem, obturbatio attulit casum, casus dolores partus maturauit, & partus vitam abscidit. Itaque dolor dolorem procreabat, & calamitas calamitatem pariebat; vt verum sit, raro singulare infortunium premere, & frequenter alterum secum adducere.

TEXTVS.

VERS. XX. In ipso autem momento mortis eius dixerunt ei, quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti, quæ non respondit eis, neque animaduertit.

§. LIII.

Eo tempore aliquando accedunt prospera, vt dolorem augeant relicta, non gaudium possessa.

DIgnitas, munus, diuitiæ ingenti labore quæruntur, & prolixis annorum spatiis solicitantur, & cum diu vexarit ambitio, eis circunstantiis accidere solet possessio, vt solum deseruiat dolori exulcerando, & tormento augendo. Ad consulatum ille euectus est, sed morti vicinus, & occasui proximus; ille diuitias tandem acquisiuit, sed vt aliis traderet; post anxios militiæ labores, & prolixos annos ille assequutus est præmium, sed cum iam mors appeteret, & dereliquendi præmij dolor exiguum vitæ spatium breuiaret. Huc voco, quod aliorsum scribit Plutarchus lib. An seni: *Imitatur gubernatorem nauis, qui postquam diu in cursu cum fluctibus, & ventis aduersis est luctatus periculosè, simul atque extitit tranquillitas, & sopitum est mare, portum respicit: ille, qui longo spatio cum inuidia colluctatus, vt ea comicuit, & placata est, recipit se ex Republica, deserens vna cum rerum actu contubernia, & sodalitates.* Ambitiosus mari procellosissimo iactatus diu, tandem assequutus est desiderium, sed cum prolixos posuerit annos ambiendo, iam decliui ætati imminet sepulchrum, & fugit gaudium. Iam respicit vitæ portum, & opus est deferere, quod post varia cum æmulatione, liuoréque certamina contigerat impetrare. Vxor Phinees longo tempore vteri molestias passa, tandem filium luci edidit, sed morti proxima, *Ne timeas, quia filium peperisti.* De partu gratulabantur, sed cùm iam nec dolor fructus permitteret gaudium, nec mors pateretur potiri fructu: *Non respondit eis, neque attendit.* Adest Abulensis 9. 19. *Quamquam intellexisset illa, quomodo astantes conabantur eam consolari, tamen non respondit eis, nec aduertere voluit, consolari renuens.* Renuit consolari, & iure, quandoquidem pulcher fructus citissimè deserendus non afferebat lætitiam, sed addebat nouam molestiam. Iam si historiam aliis rebus adaptaueris, inuenies, honores, dignitates, plausus, eo frequenter tempore aduentare, quo salus fracta, quo mors vicina, quo senectus doloribus diuexata: possessionis gaudium exacerbat amissionis tormentum. Post gestandi filium molestias,

post

post acres partus angustias filium assequuta est, non tam vt possessio compensaret dolores, quam vt amissio exacueret anxietates.

§. LIV.

Consulum, Magistratuumque viduæ ærumnis inuoluuntur expositæ, & plurium maleuolentiæ subiectæ.

QVæuis vidua multis laboribus inuenitur obnoxia; coloratis causis cupiditas diuitiis insidiatur, & iniquis litibus auferre molitur. Orphanus filius despicitur, vidua iniuriis exposita anxietatibus adurgetur. Ob id Deus viduarum defensoris gloriatur titulo, & sibi blanditur elogio: *Nec dedignatur esse iudex in causa inquilini, pupilli, & viduæ* (inquit Philo lib. de Victimis) *sed posthabitis Regibus, tyrannisque, & magnatibus humiles dignatur hoc priuilegio.* Adiicit: *Pupillorum autem, viduarumque tutelam profitetur, quia hæ maritis, illi parentibus orbati sunt, quibus humana ope destitutis nullam præterea relinquitur auxilium. Ideò maxima in diuino spes superest, quia propitium. Numen non aduersatus huius generis patrocinium.* Propitio Numinis patrocinio indigent viduæ, quia frequenter non solum humana ope destituuntur, sed etiam quia multimodis fraudibus, iniuriisque diuexantur. Verum etsi viduitatis statui hæc calamitas sit propria, viduis Consulum, iudicumque speciali titulo videtur agnata. Quisquis se à marito accepisse iniuriam existimauit, aut finxit, arma contra viduam, filiosque retorquet, & quod potestate retardatus dissimulerat, ablato iam obice ardenti furore tentat. Huius veritatis non ignara vxor Phinees nullum solatium admisit, immo viuere respuit: nouerat Phinees rapinis inhiasse, nouerat insidias honori aliorum obtendisse, & viuere noluit, verita vitam sibi fore amarissimam, & multis difficultatibus plenam. *Ne timeas* (aiebant adstantes) *quia filium peperisti.* Ipsum solatium anxietatis erat augmentum, quando aduersariorum telis orphanus nascebatur expositus, & matris dolor adauctus: *Non respondit eis.* Non admisit solatium, suspicata de ipso solatio doloris accrescendum augmentum. Innuit Abulensis q. 19. *Erat iam sibi amara vita ducenda, ideo quamquam ei viuere daretur, non elegisset superuiuere.* Expende illud: *Non elegisset superuiuere*, quia vita multis anxietatibus angeret plena, & præ ipsa morte amara. Quam acerbum esset matri variis calumniis filium impeti, iniuriosis verbis feriri, indecoris ausibus dehonestari. Nouerat, quàm esset amaritudinibus plenum pati aduersariorum calumnias, æmulorum audacias: ergo etsi daretur superuiuere, maluisset mori: *Erat iam sibi amara vita ducenda. ideo quamquam ei viuere daretur, non elegisset superuiuere.*

TEXTVS.

VERS. XXI. & XXII. Et vocauit puerum Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israël, quia capta est Arca Dei, & pro socero suo, & pro viro suo, & ait: Translata est gloria ab Israël, eo quod capta esset Arca Dei.

§. LV.

Virtutis fructus perfectus lucet, imperfectus citò marcescit.

VIrtutis fructus perfectionis luce resplendens parturit gloriam, si vero debita perfectione, circunstantiisque nudus nec laudem creat, nec laboris molestiam excusat. *Cæterum* (aiebat de ignaua anima Philo *lib. 1. de Eman. de Naxera in Reg.* gis) *cum parturit, nondum parit; ideo non est apta ad gignendum quicquam perfectum ignaua anima: quod si quando videtur fœtus gignere, abortiui deprehenduntur, denotantes dimidium eius carnium partes morti animæ.* Si temporis deficiat opportunitas; si in actione desideretur prudentia; si omnibus circunstantiis virtus non resplenduerit conspicua, actionem non comitatur elogium, quia ad elogium deficit complementum. Vxor Phinees acerbis, subitisque doloribus impetita filium peperit, cui Ichabod nomen indidit: *Vocauit puerum Ichabod.* Idem ac inglorium nominauit. *Interpretatur Ichabod* (verba sunt Abulensis q. 19.) *inglorius, id est, sine honore.* Huius appellationis rationem reddit Abulensis, scilicet, quia cum immaturus esset fructus, & imperfectus, cito euanuit, & solum partus dolori inseruiuit. Si fructus floreret, si perfecta maturitate micaret, enitentis esset & elogium, & gaudium; verum immaturus, & marcidus vertebatur in probrum. Accipe Abulensem: *Fortè dicetur, quod non supervixerit, quia erat partus immaturus, non enim tunc paritura erat mater eius; sed præ angustia narratorum irruerant in eam dolores subiti.* Acres mater dolores tulit, & post dolores abortum fecit: ergo fructus ille iure dicebatur inglorius, honoréque nudus. Quod si ad mores transferamus, videbis nonnullas animas virile desiderium concipere, quod aliquando aut abortum faciunt, aut si pariant, nec fouent, nec nutriunt: incipiunt ædificare, renuunt perficere: eiusmodi filij parentibus sunt inglorij, cum nec perueniant ad maturitatem, nec excusarint laborem. Iob in diem natiuitatis suæ arcana maledicta congerens sic aiebat: *Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis; occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Iob. 3. vers. 5.* Dignus plausu est dies conspicua solis claritate resplendens, & placida aëris serenitate refulgens; verum si impetitus vmbris lucendi tempus decurtetur, si procellis amarissimis inuoluatur, non meretur plausum, sed incutit metum. Inglorius est dies tenebris deturpatus, & mortis vmbra possessus. Sanctus Gregorius in hoc die existimat adumbrari Luciferum illum, qui cum resplendere cœperit, in tenebras execrandas degenerauit. Ipsum audi *lib. 4. Moral. cap. 10. Per vmbram mortis obliuio debet intelligi; quia sicut mors interimit vitam, ita obliuio extinguit memoriam. Quia ergo apostata Angelus æternæ obliuioni traditur, vmbra mortis obscuratur.* Spiritus purissimus resplendere incepit, sed quam cito splendorem tetris tumidæ superbiæ tenebris obscurauit: ergo non fuit laude dignus, sed obliuioni tradendus. Et nota, superbum, tumidumque vmbra mortis tunc premi, cum obliuioni traditur, & despicitur.

§. LVI.

Ingens Reipublicæ est calamitas sapienti priuari consiliario, integerrimoque ministro.

MInister prudentia exornatus, & integritate præditus magnum est Reipublicæ commodum, ambigua explicat, litigia componit, & aduersa prouidenter auertit. Iacob Israëlis pastorem, & lapidem Iosephum sibi charissimum appellauit: *Inde pastor egressus est lapis Israël. Genes. 49. vers. 24.* In vno Iosepho habebat Respublica contra annorum sterilitatem abundantissimam prouidentiam, & ad mostra prosternenda, vt Dauidis tempore, petram durissimam: ergo magnum Reipublicæ ornamentum fuit tali ministro potiri, & magnum esset detrimentum priuari. Huc voco, quod aiebat Cassiodorus 9. *variar. 24. Beneficia nulla abominabili taxatione vendebas: vt honor tibi ad opinionis diuitias proficeret, dum minimè pretio subiaceret. Hinc est, quod videbaris aquissimo Principi gloriosa dilectione sociatus, quia eras à vitiis probabili sequestratione diuisus.* Quid Reipublicæ gloriosius, quam habere ministrum à vitiis prorsus alienum, & eximiis virturibus adornatū? In vno

Ioseph habebat Ægyptus ad dubia magistrum, ad ambigua oraculum, ad calamitatem remedium. Hinc est, quod Deus Israëlitarum sceleribus prouocatus eos non solum Arca priuauit, sed Angelo, qui insidebat propitiatorio, etiam interdixit, & iam translatam de Israël gloriam Heli nurus repetito clamore ingemuit: *Translata est gloria de Israël.* Etsi magna clades populum presserit, etsi fratres, Principes, Sacerdotesque in acie occubuerint, gloria non deplorabatur translata: ast vbi populus, Absente Arca, caruit Angelo, qui in assumpto corpore ad interrogata respondebat, & implicita explicabat, omnis ab Israële translata gloria refertur, & copiosis lachrymis deploratur. Ita Abulensis *quæst.* 19. *Translata est gloria de Israël, quoniam super propitiatorium Arcæ inter duos Cherubin erat Angelus Domini in assumpto corpore de aëre, & respondebat ad omnia, quæ inquirebat summus Sacerdos ingrediens in Sancta Sanctorum, vt declaratum est Exod.* 25. Magna erat populi gloria Angelum sortiri ministrum sapientia præditum, & omni integritate exornatum: ergo cum capta Arca hoc consiliario, & ministro caruerit, iam pro gloria ardens successit vindicta, & ingemuit Respublica salubri adeo ministro, & consiliario priuata.

CAPVT V.

1 PHILISTHIIM *autem tulerunt Arcam Dei, & asportauerunt eam à lapide Adiutorij in Azotum.* 2. *Tuleruntque Philisthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon.* 3. *Cumque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.* 4. *Rursumque manè die altera consurgentes, inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.* 5. *Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius super limen Dagon in Azoto, vsque in hodiernum diem.* 6. *Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos, & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.* 7. *Videntes autem viri Azotij huiuscemodi plagam, dixerunt. Non maneat Arca Dei Israël apud nos: quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.* 8. *Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas Philistinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de Arca Dei Israël? Responderuntque Gethæi: Circumducatur Arca Dei Israël. Et circumduxerunt Arcam Dei Israël.* 9. *Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros vniuscuiusque vrbis, à paruo vsque ad maiorem, & computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.* 10. *Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron. Cumque venisset Arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populum nostrum.* 11. *Miserunt itaque, & congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum, qui dixerunt: Dimittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro.* 12. *Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valdè manus Dei: viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in cælum.*

TEXTVS.

VERS. I. Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei, & asportauerunt eam à lapide Adiutorij in Azotum.

§. I.

Miserum est in Deum præualere, & de virtute triumphare.

MVLTA nos fallunt, & fucata pulchritudine illudunt: errori nostro plaudimus, & ipsa infelicitate gaudemus. *Rident* (aiebat Seneca *lib. 2. de Ira c. 5.*) *gaudentque, & voluptate multa perfruuntur, plurimùmque ab iratorum vultu absunt per otium sæui.* Sæui, truculentique homines, quique à feris parum ingenio distant, innoxium sanguinem fundunt, & quia fuderint lætantur, quasi feritas digna sit plausu. Maxima nostrarum infelicitatum est, ea cæcitate premi, vt ipsam miseriam lætissimam arbitremur fortunam. Gaudet impudicus tulisse de castitate victoriam; gaudet latro copiosam abstulisse pecuniam; truculentus gaudet per otium abstulisse violenter vitam: cúmque omnia ista triste deposcant lamentum, ex eis quæritur infelicissimum gaudium. Cain occiso fratre sibi plaudebat, & tulisse triumphum putabat: *Interfecit eum. Genes. 4. vers. 9.* Quam digna supplicio fuit illa victoria; gaudebat tamen intulisse innocenti mortem, arbitratus sibi adauxisse felicitatem; verum infelicior fuit detriumphator occiso, æterni fuit triumphus lamenti causa, & anxia semper trepidationis materia. *Extitit quidam fratricida* (aiebat Philo de Præmiis) *mox ab initio, nondum multiplicato humano genere: hic est ille primus sceleſtus, qui primus puram terram cruore hominis imbuit, qui primus corruptionem generationi, mortem vitæ, luctum gaudio, mala bonis opposuit.* Detestabilior fuit

fuit victoria, quam plaga. Delusus existimabat Cain penitus abstulisse planctum (Abel namque luctus interpretatur) sed sibi æternauit gemitum: *Vagus, & profugus eris super terram.* Septuaginta habent: *Gemens, & tremens eris super terram.* Honestum luctum abstulit: vt gaudio frueretur; inuenit tamen irremediabile tormentum; vbi indignum solicitabat solatium. Nec aliter accidit Philisthæis: Detritis Israëlitarum phalangibus Dei Arcam tulerunt vti victoriæ spolium, nec videbant sibi præter opinionem ipsa victoria parare excidium: *Tulerunt Arcam Dei.* Fortunæ suæ adulabantur de Arca ad speciem triumphatores: verum infelix victoria funestæ calamitatis fuit causa. Dagon præcipitatus iacet, & attritus, desæuit vniuersalis plaga, mors deuastat ciuitates, & festinat deuorare victores. Infeliciores fuerunt victoria, quam existerent fuga. Innuit Abulensis *quæst. 2. Fuit conueniens, vt Philisthiim percuterentur, existente Arca in terra eorum, & hoc propter duo. Primò, ne ipsi adscriberent victoriam contra Iudæos, & Arcam Domini, fortitudini suæ, & deorum suorum, & quod tenebant eum captum; nam putabant illam Arcam esse Deum Israël.* Arbitrati de Israël Deo tulisse triumphum, procreauere sibi lamentum; nam Arca victores attriuit, & quàm sit miserrimum in Deum præualere, inflictis plagis ostendit.

§. II.

Aliquando decentius tractant sacrata populares, quam Sacerdotes.

EXhibita sacratis rebus reuerentia inter humanas procellas est portus securus, quam si homines cæca ignorantia, aut impietate exoculata contemnant, vndosis errorum fluctibus facilè rapiuntur, & criminibus inuoluti iactantur. *Acer sui numinis Vindex Apollo* (scribit Valerius Maximus *libr. 1.*) *qui, Carthagine a Romanis oppressa, veste aurea nudatus id egit, vt sacrilegæ manus inter fragmenta eius abstisse inuenirentur.* Nullam Apollo, vtpotè vanum figmentum, exercere potuit vindictam: ast quia Deum arbitrati, impiam exercuere rapinam, meritissimam tulere pœnam. Verum etsi omnibus incumbat sacrata Numini religiosè tractare, ad Sacerdotes, Deóque dicatos speciali iure agnoscitur pertinere. Ipsi initiantur, vt Numen sacrificiis oblatis hominibus reconcilient, vt populum erudiant, vt inter Deum, hominesque commercium laudabili studiositate stabiliant: inuenies tamen aliquando Deo dicatum cupiditati inseruientem, & quæ ad pietatem pertinent, minus decenter tractantem. Audi Cassiodorum 4. *variar.* 18. *Ad nos multorum suggestione peruenit Laurentium Presbyterum effossis cineribus funestas diuitias inter hominum cadauera perscrutatum, concussionemque mortuis intulisse, quem oportet viuentibus quietem prædicare. Non abstinuisse perhibetur tam crudeli contagio piis dicata consecrationibus manus, auum execrabili quæstisse fertur affectu, quem suam desuisset egentibus dare substantiam, vel sub æquitate collectam.* Æquitas, & muneris lex exigebant, vt Sacerdos diuitias hæreditario iure acquisitas, aut honestis titulis collectas liberali manu erogaret mendicis, & Sacerdos auara rapacitate diuitias exigebat à mortuis. Manus, quæ purissima innocentia tenebatur altaribus inseruire, inuenta est sacrilega cupiditate religionem sepulchrorum violare: quod laicus religiosè funus composuit, Sacerdos euertit, & qui debuisset pietate, impia populares vicit cupidine. Ecce Philisthæi Dei Arcam ad speciem captiuam asportarunt: *Philisthiim tulerunt Arcam.* Postea ostensis suæ maiestatis signis reuersa est ad Bethsamitas. *Leuitæ autem deposuerunt Arcam Dei. 1. Reg. 6. vers. 15.* Quam alius fuerit apud Philisthæos Bethsamitasque cultus, textus non tacuit, imò Bethsamitas ob audaciam pœnas dignissimas dedisse retulit: *Percussit de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini.* Non dedere pœnas, quia Arcam viderunt, sed quia, vt curiosius adspicerent, denudarunt. Ecce Philisthæi Arcæ integumenta non audent auferre, nec audacibus oculis, quæ interius latebant, curiosè inspicere, cum Leuitæ, Bethsamitæque veriti non sint Arcam sacris tegumentis exuere, & interna audaci curiositate spectare. Audi Abulensem *quæst. 1.* sic de Philisthæis scribentem: *Respondebit aliquis, quod non perierunt, quia ipsi non discooperuerunt Arcam, sed sicut inuenerunt eam velatam, ita portauerunt in terram suam: Bethsamitæ autem discooperuerunt eam, & viderunt nudam, ideò mortui sunt.* Itaque Leuitæ, Bethsamitæque tentarunt, quod allophyli nullatenus præsumpserunt: Philisthæus velatam suspicit, Leuita & denudat, & oculis curiosis examinat. Vt agnoueris, quam sit verum Deo sacrata religiosa veneratione à popularibus suspici, & non adeo reuerenter à Dei ministris aliquando tractari: verum sibi caueant, ne vt Bethsamitæ acerbam persolvant pœnam, & indignationem experiantur diuinam.

§. III.

Sæpè Deus sceleris grauiora dissimulat; suos verò ob leuiora diuerberat.

RArus est, qui voluptate seductus, aut cupiditate non offenderit inescatus: magnum tamen inter peccatores discrimen est; nam alij legibus surdi, & præceptis, rationique aduersi detestanda committunt, & multiplicibus se criminibus polluunt; alij leuius delinquunt edicta veriti, & transgredi præcepta non ausi, & tamen hos rigida ad speciem seueritate Deus solet corrigere, illos dissimulantius, & patientius tolerare. Hinc humana cæcitas contra prouidentiam armatur, & queritur, quasi alios non adeo seuere debeat punire, nec alios dissimulanter adeo tolerare: verum si quæ videtur sibi sapiens argumentatrix, ignorantia oculos aperiret, humana, domesticis documentis erudita agnosceret, vernulas minus seuere tractari, filios studiosius erudiri. Audi Senecam *lib. de Prouidentia cap. 1. Cum videris bonos viros, acceptosque diis laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia: illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat: bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat sibi illum præparat.* Quos sibi Deus præparat, animo paterno castigat, vtque statuas altaribus collocandas runcinæ, & scobinæ studiosius perpoliunt, & accuratius, quidquid displicere potest, detergunt; ita Deus, quos sui imagines cœlo inserendos decreuit, attentius expolit. Murmurat populus ardenti siti inflammatus, & impatientia delitus: *Versi in seditionem dixerunt: Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino. Num. 20. vers. 30.* Deus audaces linguas tolerat, & Moysi limpidissimos è silice latices elicere imperat; ille populi seditione tantisper obturbatus repetito, ictu petram percussit, & vt Interpretibus placet, leuiter tantum offendit. Quid tunc? Deus seuerè Moysem castigat, & populos in promissionis terram introducere vetat: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Quæres, cur grauis populi offensa dissimuletur, & leuis Moysis culpa puniatur, cum Moysi ob eum Deo familiaritatem videatur leue erratum tolerandum, & linguaci populo, supplicium durissimum infligendum? Verum si datum Senecam audias, quæstionis, enodationem inuenies. *Inter bonos viros, ac Deum* (inquit) *amicitia est conciliante virtute. Amicitiam dico? immo etiam necessitudo, & similitudo:*

NAXERA
Lib. I.
Reg. 10.
Cap. V.
15

quoniam quidem bonus ipso tempore tantum à Deo differt, discipulus eius, æmulatorque, & vera progenies: quem parens ille magnificus virtutum non lenis exactor, sicut severi patres durius educat. Vt bonum virum sibi assimilet, quidquid impedit, diligenter abradit: ergo qualiscumque fuerit Moysis culpa, severè detersit, & detergendo expoliuit. Idem Bethsamitis accidisse videbis. Philisthæi captam Arcam impuris manibus contrectant, suóque Dagoni veluti manubias dicant, & tamen ob contactum incutisse mortem non legitur: *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Bethsamita moritur, quia curiosè inspexit, & non adeò religiosè contrectauit: *Percussit de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini.* Bethsamitis plagam attulit visus, cùm Philisthæis non attulerit tactus. Ecqua huius discriminis causa est: Quia Bethsamita Dei legibus obtemperabat, & ipso nomine cœlestem splendorem præferebat. Bethsames namque interpretatur domus Solis: at Philisthæus idololatriæ cæcitate possessus, nec diuinis legibus obtemperabat, nec veritatem noscebat: ergo allophyli error dissimulatur, & Bethsamitæ irreuerentia punitur. Audi Abulensem *quæst.* 1. *Bethsamitæ peccabant, quoniam ipsis data fuerat lex, cùm essent de Iudæis, & ligabat illos, ideò non debebant videre Arcam, nec tangere eam.* Itaque Philisthæos longè à Deo distantes dissimulatione despexit, Bethsamitas Solis filios sibi correptione parauit. Vt noueris vel leuem culparum puluerem à suis Deum abstergere, vitiorum vernulas agere licentiùs permittere.

§. IV.

Non adeò est durum minus reuerenter tractari, quàm nimis curiosè discuti.

CVriositas vetustum malum, serpentinum venenum, primæuæ matris scandalum. Curiositas omnibus parit fastidium, & sibi imprudenter solicitat detrimentum. Prudens, & benè politicus patienter suffert aliquando inurbanum, ægrè curiosum. Ignorantiæ verti solet inciuilitas, malignitati curiositas. *Omnia rimatur negotia* (aiebat Plutarchus *de Curiositate*) *hospitum, præsidum. Nec scrutatur hæc securè, verum, vt si quis aconitum gustauerit, argutè indagans eius proprietatem, repentè, antequam senserit, præuerterit letho, illud præsentientem. Sic illi, qui magnatum indagant mala, ante quam perueniant ad eorum cognitionem, semetipsos perditum eunt.* Impertinens, detestandáque curiositas, dum patientiam lædit, sibi calamitatem adscisçit. Si curiosiùs Sol adspiciatur, quodammodò si fas est dicere, offenditur, & fulgentibus radiis castigat audaciam, vt factam sibi examinis vindicarit offensam. Philisthæi Arcam veluti captiuam asportant, & Dagoni manubias dicant: *Tulerunt Arcam Dei.* Inurbanos sustinuit, & Dagonis strage prius admonuit: ast, dum Bethsamitæ Arcam intuentur, grauissimis pœnis feriuntur: *Percussit de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini.* 1. *Reg.* 6. *vers.* 19. Acriùs videbatur ira inflammanda ob inurbanum contactum, quàm ob vanum curiositatis pruritum, & tamen Bethsamita percutitur, Philisthæus patienter fertur. Quod si inquiras causam, respondebit Abulensis *quæst.* 1. fuisse Bethsamitas nimis curiosos, Philisthæos minus vrbanos. Ipsum audi: *Bethsamitæ discooperuerunt eam, & viderunt eam nudã, ideò mortui sunt.* An quid ex asseruatis intus deesset, indagarunt, externas Arcæ cælaturas inspicere per otium voluerunt: ergo Deus, vt quàm defatiget patientiam nimia curiositas, edocuerit, inciuiles initio patienter tulit, nimis curiosos iusto supplicio mulctauit. Fuge, quæ ad te non spectant, nimia curiositate indagare, & aliorum facta perquirere, nam odiosa cunctis curiositas in se indignationem obarmat, & iræ flammas ministrat.

§. V.

Sacris rebus exhibita reuerentia Dei sopit iram, & inferendam auertit plagam.

VIrtuti, Deóque sacratis exhibita reuerentia, dum pietati inseruit, indignationi sopiendæ proficit. Dum primus, & secundus quinquagenarius Eliam Dei seruum irridet, anhelantibus flammis consumptus perit. Tertius, dum genua curvat, dum reuerenter accedit, dum virtutem suspicit, & periculum evadit: *Curuauit genua contra Eliam, & precatus est eum.* 4. *Regum* 1. *vers.* 13. Exhibita reuerentia ardentem frænauit flammam, & dignam Prophetæ sopiuit iram: qui se irreuerenter gesserunt, contra se incendium armarunt: *Cognouit Elias per reuelationẽ, quòd irrisoriè vocabat eum hominem Dei... propter quod diuinam sententiam pronuntiauit, dicens: Si homo Dei sum, &c.* Si primus, secundúsque quinquagenarius (inquit Lira) genua curuassent, & reuerenter, vt tertius, Regis ad Prophetam mandata protulissent, voraces flammas vitassent. Idem mandatum exequi omnes tentarunt, sed diuersimodè se gesserunt. Ergo vt noueris quantum audacia indignationem exulceret, & quàm reuerentia deuota frænet, qui reuerenter ad Eliam accessit, euasit pœnam, qui irreuerenter succendit contra se flammam. Bethsamitæ, dum Arcam minus reuerenter aspiciunt, incurrunt mortem: *Percussit de viris Bethsamitibus, eo quòd vidissent Arcam Domini.* Philisthæi aspiciunt, asportant, & tamen tunc cladem non patiuntur. Quòd si discrimen inuenire desideras, respondebit Abulensis *quæst.* 1, Philisthæos reuerenter Arcam tractasse, & exhibita reuerentia pœnas satis tunc meritas effugisse. Audi Abulensem: *Philisthiini non erant digni pœna, quia erant nimis deuoti circa venerationem Arcæ; quod patet, quia impenderunt ei maximum honorem, quem impendere poterant, scilicet, quia posuerunt eam in loco sacratissimo totius terræ suæ, scilicet in templo Dei magni Dagon.* Impensa Arcæ reuerentia indignationem diuinam temperauit, & quam Bethsamita tulit, Philisthæus reuerenti cultu plagam antevertit. O quoties honor sanctis exhibitus, cultus sacris imaginibus impensus cœlestis indignationis sopiuit ardorem, & cultoribus impendentem vitauit stragem.

§. VI.

Dei, Principisque præsentia vires inspirat, absentia sæpius eneruat.

DIuinus oculus mentis abstergit caliginem, & solis adinstar adducit secum felicitatem. Cúmque Princeps, Prælatúsque cœlestis Numinis sint vicarij, eius quodammodò proprietates sortiuntur: eorum aspectus subditos in officio continet, & nescias, quam actionibus energiam inspiret, qua robur virtute inflammet. *Securitas te* (aiebat Cassiodorus 7. *variarum* 18.) *nostra non inducat absentia. Quidquid feceris, nos videmus, qui vsu ipso subtilissimæ perquisitionis & errores artificum possumus prima fronte deprehendere, & laudabiliter opera iudicare.* Absentia Principis diligentiam eneruat, nec decenti sedulitate perficitur, quod à Principe ignorari putatur. Hinc est, quòd Philistæi cùm à Dei Arca oracula proferri noscerent, & Israelitarum Deum, ac Principem crederent, eam tulerint, & secum habere studio pertinaci tentarint: *Tulerunt Arcam Dei.* Non exigua incommoda experti, adhuc retinere obstinatissimè sunt conati. Quod si inquiras causam, respondebit Abulensis *quæstione* 5. putasse Philisthæos Principis, Deíque absentia Israelitarum vires debilitandas, & præsentia suffulciendas. Ergo, vt ardentissimo in Israelitas æstuabant odio, ne illis Princeps, Deúsque adesset,

adesset, diligentissimo adnitebantur desiderio, quia ob eius absentiam miserabili consumendos credebant excidio. Adest Abulensis: *Hoc faciebant, vt nimis dominarentur Iudæis: erant enim Philisthiim hostes Iudæorum ab antiquo, idèo desiderabant delere totum genus eorum, vel subiicere illos in seruitutem.* Adiungit: *Licet Iudæi scirẽt, Arcam non esse Deum suum, tamen ex præsentia eius magnam habebant fiduciam* Itaque cùm Arca esset in bellis dux, in pace gubernator, existimarunt Philisthæi, si abesset, facillimè deterendos, aut subiugandos; & licet errarent Arcam Deum arbitrati, vtilem nobis doctrinam tradiderunt politici, scilicet superioris præsentia subditos ad egregia inflammari facinora, eiusque absentia inerti marcescere ignauia.

TEXTVS.

VERS. II. Tuleruntque Philisthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxtà Dagon.

§. VII.

Voluptas ab hominibus colitur, & cœlestibus antefertur.

FRagilis natura voluptati succumbit. Annibalem Campaniæ oblectamenta enervarunt, & deliciæ Samsonem hostibus subiecerunt. Rarus est, qui has non experiatur deliciarum præstigias, & oblectamentorum insanias. Qui sui compos rationi inseruiuit, & cupiditates frænauit, Hercule fortior est. *Nec laudauerim ego* (aiebat Plinius in Panegyrico) *magnopere duritiem corporis, & lacertorum, sed si his validior, toto corpore animus imperiet, quẽ non fortuna indulgentia molliant, non copiæ principales ad segnitiem, luxumque detorqueant. Tunc ego seu montibus, seu mari exerceatur, & latum opere corpus, & crescentia laboribus membra mirabor.* Mirandus est, qui inter deliciarum exercitum euasit illæsus, qui voluptates rationi subiecit cordatus, cùm frequenter homines voluptatem præferant, & ipsis cælestibus anteponant. Philisthæi diuinitatem in Arca Israelitarum reidere arbitrati sunt: *Venit Deus* (aiebãt) *in castra.* Cumque à suis derelictam caperent, in templum Dagon intulerunt, & veluti Dagoni spolium dicarunt: *Intulerunt eam in templum Dagon.* Dagon, vt nostro Sanctio placet, veneris erat imago. Ipsum audi: *Mihi non displicet quod visum est Serario quæst. 26. cap. 16. Iudicum, vbi venerem esse putat,* Itaque Dei Arcam ad Veneris triumphum in eius templum intulerunt, & ad plausum veluti captiuam dicarunt. Et quidem plures etsi religione discordes, factis videntur quàm similes. Non solùm aurum, salutem, vitamque suam Veneri consecrant, sed quæ Deo sacrata non semel dicant. Gaudet Venus consecratis Numini exornari, & prouentibus Ecclesiasticis splendere, columbas gestit sibi dicari, cùm columbæ Spiritus Sanctus candorem ad ornamentum delegit. Sumptuosiorem triumphum Dagon ostentabat, cùm Dei Arcam veluti captiuam habebat. Impius ille Balthasar contentus non est meretriculis cœnam instruere, sed etiam sacrata Numini vasa impuris labris aggressus est temerare: *Præcipit iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Hierusalem, vt biberet in eis Rex, & optimates eius, vxores, & concubinæ illius.* Dan. 5. vers. 2. Ni Deo sacratis ad impiam libidinis pompam abutereturinsania, non videretur splendida satis cœna. Ambiuit meretricula Deo dicatum, vt detestandum augeret gaudium, & triumphum. Prodest Theodoretus ad hunc locum: *Ebrietatis instrumenta fecit, diuini ministerij instrumenta; præcepitque, vt quæ suam explebant lasciuiam, per hæc vino frueretur.* Lasciuiæ addictæ solicitarunt pellices eis vasis bibere, & sacra in profanos vsus convertere. Sæpè Ecclesiæ prouentus Dei acquisiti sanguine fructus meretriculis, mulierculis impenduntur, & dilapidantur.

§. VIII.

Qui decreuit voluptatibus inseruire, nouerit contra se ignem ardentissimum insufflare.

VOluptas (inquit Philo lib. de Mundi, &c.) *prius appellat, pertentatque sensus, per quos id, quod principale est, mentem illicit.* Adnectit: *Ratio porrò inescata, iamque ex regina facta subdita, & serua ex domina, & exul ex ciue, mortalis sit, quæ immortalis antè fuerat.* Sensus voluptatis beneficijs rectum dediscunt vsum, & exhibere solùm indignum norunt obsequium. Iam oculus turbatus deerrat, iam mens pestifero æstu flagrat, iam auris infelicem surditatem affectat. A ciuitate illa voluptuosa non sine aliqua violentia, extraxerunt Angeli Lothum, & ad montẽ fugere, si sibi velit consulere, persuaserunt: *In monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Gen. 19. vers. 17. Si Angelus ab æstuanti in camino pueros non extraxit, sed ibi illæsos protexit, cur vnus, & alter Angelus in Sodoma Lothum non protegãt, sed educant? Nihil Deo arduum, sed Loth ad nostrum eductus est documentum. In Sodoma vigebat luxuria, in camino æstuabat flamma: ergo vt, quam sit difficilius inter delicias, voluptatesque non pati detrimentum, agnoscere tur, ab Angelis Lothus extrahitur. Huc voco, quod aiebat Philo lib. Quod Deus: *Non est possibile nisi sublimi, ac montano itinere vitatis rebus mortalibus euadere ad immortalia.* Non potest fœdis non aduri flammis, non potest tetris non sordidari fumis circumfusus deliciarum præstigiis, & appetitus pulchris ad speciem fallaciis. In Azotum defertur Arca, vbi Dagon ab incolis sacrilego venerationis cultu adoratur, & colitur: *Asportauerunt eam à lapide Adiutorij in Azotum, tuleruntque Philisthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon.* In Azoto colitur; Azotus interpretatur incẽdium. Nec enim, qui Dagonem, id est, venerem colebant, poterãt non flagrare fœdissimo incendio, & continuo vrgeri periculo. Rabbanum audi: *Azotus interpretatur ignis patris, vel incendiũ.* Expende, amabo te, quàm sedem Dagon, id est, Venus elegerit, ignem videlicet, & incendim, vt quisquis venerem culturus accesserit, se acri flamma adurendum non dubitarit. Quàm venerem charè colerent, quàm infeliciter lasciuiæ inseruirent, ipse locus iam prænuntiabat, nec enim quiuerant non vri, qui Veneri decreuerant famulari. *Azotus interpretatur incendium.* O quàm fallũtur, qui vt incendium sopiant, Veneris domos frequentant, cùm ipso vsu & incendium crescat, & dammum. Venus in Azoto colitur, & quisquis accedit, vritur.

§. IX.

Veneris est facies pulchra, cætera cruentis aculeis, & spinis acutissimis sunt implexa.

VEnus fucis illita & mentita venustate intuentium oculos allicit, & per oculos animum vinculis duris irretit. Extra faciem in Dagone cætera membra tribulis, & spinis contexta sunt, & qui specie abductus se se Veneri tradidit, iugem materiam perturbationis inuenit. Audi Plutarchum de tarda Dei, &c. *Lysimachum proditum est memoriæ siti subactum dedisse in Getharum potestatem corpus, & exercitum suum: atque vt bibit iam captiuus, dixisse: Heu me hominem turpem, qui voluptatis causa adeò temporariæ tanto regno sum orbatus.* Adnectit: *Vbi verò vel pecuniæ quærendæ causa homo*

vel ciuilis gloriæ, & potentiæ inuidia, vel ob libidinem Veneris facinus terrum, & atrox commisit : inde motus illius restincta siti, & furore conspicit spatia interposito turpes, & terribiles maleficij sui perturbationes durare. Tetro obcæcatus Veneris fumo oculo non considerat famam lædi, salutem consumi, diuitias dilapidari, & sæpesæpius ferrum vitæ insidias studiosè moliri: verùm siti iam sedata agnoscit, quàm magnis luenda appetierit exigua. In Azoto erat quoddam figmentum Dagonis nomine appellatum: *Intulerunt Arcam in templum Dagon.* Iam vidimus veneris fuisse idolum: ergo hoc monstrum facie micabat pulcherrima, reliquum corporis piscem referebat. *Dagon* (inquit Rabbanus) *interpretatur piscis tristitiæ.* Ipsa idoli constructio deseruiebat veritati, & doctrinæ. Placebat Veneris facies mentitis coloribus pulchra, & artificiosè compta, eoque fallaci splendore animos sibi deuinciebat; verùm cum duris spinis, sentibúsque cruentis reliquæ, præter faciem, partes corporis scaterent, qui accessit seductus, ingemuit sæpè spinis altissimis vulneratus. *Dagon piscis tristitiæ*: Spinis vulnerabat, fucata venustate alliciebat. O quàm hoc est verum, experientiáque comprobatum. Sedato iam ardore vulnerans sentitur spina, & tardè agnoscitur, quàm ingenti pretio steterit venustatis illecebra. Si homines adspicerent cruentas spinas gratas fugerent oris fallacias, & eligerent salubrem vim inferre cupiditati, ne periculum saluti, & dedecus imprudenter solicitarent honori. In patibulis Principes suspenduntur, dum Moabitarum specie captivantur : *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis. Num. 25. vers. 4.* Quis crederet populi primores infami morte mulctandos, & crucibus affigendos? Quis crederet campos effuso proximorum manu sanguine defœdandos? & tamen eam intulit cladem momento euaporata luxuria, & oculos decipiens fallacia. *Voluptas* (aiebat Philo de Mundi opificio) *tanquam lasciua meretricula amatorem appetit, quærens stupri conciliatores.* Adjicit: *Continuò autem mercedem voluptatis habuerunt, qui primi se se in seruitutem dediderunt molesto huic morbo, & insanabili.* Principes honorem cum vita amiserunt; & effuso violenter sanguine campi exundarunt, vt videas quantas secum spinas afferat illa breuis facies mutuatis coloribus pulchra, & superstructis fucis colorata.

TEXTVS.

VERS. III. Cúmque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini, & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.

§. X.

Maria sanctissima est impuritatis excidium, & diabolicæ fraudis tormentum

MAria ineluctabile dæmonis fatum, eius fraudes detegit, & libidinis flammas extinguit. Fonti purissimo comparatur Maria: *Fons hortorum. Cant. 4. v. 15.* Nam vt vnda flammas extinguit; sic Maria insanos ardores sopit. Vbi Maria circumfusa luce resplendet, tota dæmonis fraus euanuit & quos longo tempore homines possederat, dolet vinculis iam solutos, & ad veritatis castra translatos. Magi siderum scrutatores tot diis, quot sideribus inseruientes, & erroribus famulantes, vbi stellam Mariæ vmbram oppansis oculis inspexerunt, erroribus renuntiarunt: *Vidimus stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. vers. 2.* Iam videt Magus, qui antè errorem sectabatur delusus *Chaldæos siderum scrutatores* (aiebat Chrysologus *ser. 156.*) *errantes per astra Magos, cœli negotia in tenebris noctium perquirentes, nascendi, moriendi causas stellarum cursibus adscribentes, bona, malæve hominum de arbitrio luminarium firmantes. Euangelista hodiè ortum Christi absconditum sæculis stella duce docuit inuenisse.* Magus ipsa sapientia obcæcatus, & peritia ipsa delusus facilè ad veritatis agnitionem transfertur, & inuenisse Christum lætatur. Iam stellam illam Virginis imaginem fuisse tradit Richardus Laurentinus *lib. 1. col. 25. Signatur per stellam, quæ Magos duxit ad Christum.* Ingemuit diabolus artes suas periisse, & stellæ splendore ad Christum homines inuolasse. Nec aliter contigit in Azoto. Ibi homines colebant figmentum dignitatis titulo honorantes, & execrandis hostiis colentes. Hoc in templum Arca introducta est, & iam ad Arcæ præsentiam Dagon corruit capite mutilus, & manibus detruncatus: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Aduentante Arca perseuerauit loci vocabulum, sed in contrarium mutatum est exercitium. Azotus interpretatur incendium: ante Arcæ aduentum libidinosis flammis impetita deperibat honestas, sed ad Arcæ aduentum iam detrusa Veneris iacebat impuritas: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Dagon honestatem dehonestabat, sed Arca Dagonem deturbatum consumebat. Notauit Rabbanus: *Aduentus Arcæ in Azotum erat incendium diaboli patris omnium inimicorum, vel iniquorum.* Arca Mariæ vmbra fuit contra Dagonem ardentissima flamma, & impuritatis ruina.

§. XI.

Maria sic, ab omni originali labe est exempta, vt in primo naturali instanti singulari resplenduerit victoria.

NEcesse est (aiebat Seneca *epist. 71.*) *multum in vita nostra casus possit, quia viuimus casu.* Viuere casu incipimus, & quos patimur in vitæ tractu, ex illo primo casu originem trahunt: verùm commune cæteris mortalibus naufragium Mariæ Virginis singulare commendauit elogium quandoquidem in primo instanti naturalis vitæ gratiæ tranquillum inuenit portum, cùm cæteri miserum subierint naufragium. *Non mirum est* (verba sunt dati iam Senecæ) *in tranquillitate non concuti: illud mirare ibi extolli aliquem vbi omnes deprimuntur, ibi stare, vbi omnes iacent.* Stetit gratiæ luminibus coronata, vbi omnis Adami soboles iacuit originalis culpæ compedibus irretita, quod & noster Textus non obscurè comprobat. In Azoto Dagon dominabatur, vt ei parerent, miserandúmque incolæ iugum subirent. Vndè dæmoni hoc imperandi infelicissimum promanarit ius, ipsum Azoti nomen exprimebat. *Azotus* namque, vt Rabbano placet, *interpretatur ignis patris, vel incendium.* Adamus ignem accendit, cuius obscurus fumus omnes posteros infecit, & sordidauit: ergo Dagoni subiciebantur miserrimi, quia ab Adamo exorti. In Azoto ergo, vbi in cæteros Dagon exercebat imperium, ante Arcam iacuit prostratus, & eius immunitatem ipso habitu fateri compulsus: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Iacuisse in modum reuerentiam exhibentis testatur Lira: *Quasi faciens ei reuerentiam.* Itaque vbi reliqui omnes patris experti incendium, & infelicissimum Dagonis iugum ingemiscebant, Arca Dei verbum, & cœleste manna continens triumphale erexit vexillum, & singulare tulit de aduersario trophæum. Non tetigit Arcam Azoti incendium, immò aduaxit celebrem plausum, vt notum fuerit, Mariam non solùm ab omni paterni incendij fumo prorsus resplenduisse intactam, sed opimis etiam de aduersario spoliis redimitam. Sponsus suæ dilectæ eximias prærogatiuas euulgás equitatui suo de Pharaonis temeritate derriumphanti comparauit : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui*

assimilauit te, amica mea. Cantic. 1. vers. 8. Nos ducit ad Pharaonis stragem vorticum voluminibus inflictam. Recens natos vniuersali edicto aquis suffocarat; illic ergo Dei virga, quæ pro equitatu Numini fuit, Pharaonem demersit, & vndarum impetu irruentium vorticibus sepeliuit. *Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus, & equites eorum. Exod. 14. vers. 16.* Ad quæ Seleucienſis Basilius *orat. 9. Virga percussum mare his iter, illis sepulchrum fuerit.* Itaque virga Pharaonem deuicit eis ipsis aquis, quibus Pharao recens natos submersit: ergo testatur sponsus dilectam suam triumphali virgæ similem extitisse, & in primo vitæ instanti, in quo diabolicum Pharaonem constat omnes subiugasse, eodem ab sponsa deuictum, & proculcatum ingemuisse, vt iam omnibus notum sit, Mariam singularem reportasse triumphum, vbi Adami filij miserum patiebantur incendium.

§. XII.

Sæpè qui ad speciem videtur triumphus, reuera miserandus est casus.

QVi insanis votis, & cæcis concupiscentis inseruiunt, si infelicissima assequantur desideria, sibi blandiuntur, & fortunæ suæ gratulantur. Si verò perspicacibus oculis quid sub illa felicitatis bractea lateret, inspicerent, copiosis lachrymis vota assequi dolerent, & plangerent. Si virtus exulat, felicitas est infortunata, & quod prima specie placet, nocentissimi adinstar veneni nocet. *Socrates* (inquit Democritus apud Stobæum de Felicitate *cap. 103.*) *interrogantibus quinam essent felices, respondit: Illi, qui mentem bonam, & rationem possident.* Malè mentis gaudia meristima sunt infortunia, & qui putabatur portus, inuenitur non semel pelagus. Philisthæi fastis, iteratisque acclamationibus celebrarunt Arcam cepisse; verùm quam lætam existimauere victoriam, miseram sunt experti ruinam. Dagon iacet, & totus Azotus luget: *Inuenerunt Dagon iacentem.* Non iaceret mutilus, ni cum Arca, Dei imagine fuisset congressus. In idolo de Arca ad speciem triumphatore miris coloribus videas delineatum, quod idoli assecla, & voluptatis proselytis sæpissimè contingere solitum. Gaudent pulchritudine frui, iniustè possessis diuitiis exundare, ad dignitatis culmen itineribus obliquis ascendere, cùm sæpè inter manus medici miserum promanant ciulatum, qui voluptatum potiti sunt euaporatum momentum, & præcipiti casu ruant, qui occupauere fastigium. *Intulerunt eam* (inquit Lira) *in templum Dagon, attribuentes sibi victoriam, & Arcæ captionem, propter quod Dominus ostendit contrarium. Vnde subditur: Ecce Dagon iacebat.* Cythara illis in luctum conuersa est, & extrema gaudij luctus occupauit, vt infelices experirentur vmbratilem illam, de qua sibi plaudebant, victoriam, amaram fuisse ruinam. O quoties imprudentes gaudent opportunam inuenisse occasionem cupiditatis, cùm materia fuerit doloris, & indè pullulauerit gemitus, vnde sperabatur risus.

§. XIII.

Plures adnituntur opposita associare, & contraria vnire.

NOn est vlla Belial amicitia cum virtute: ab ingenio discrepant vanitas, & veritas; adò tamen homines aliquando delirant, vt quæ manifestè discrepant, adnitantur amico fœdere copulare, & irrito labore vnire. *Ecce* (aiebat Seneca *epist. 45.*) *tota mihi vita mentitur: hanc coargue, hanc ad veriam, si acutus es, redige. Necessaria iudicat, quorum magna pars supervacua est.* Superflua, euanidáque necessaria homines iudicant, & quia deprauato ducuntur affectu, adulterato etiam exercuere iudicio. Philisthæi Arcam cum Dagone coniungunt: *Statuerunt eam iuxta Dagon.* Conati sunt inter Arcam, Dagonémque concordiam stabilire, & ita Arcam honorare, vt inseruirent Dagoni: ita Dagonem colere, vt reuerentiam Arcæ exhiberent; itaque solicitum illorum studium erat Arcam, Dagonémque eodem loco coniungere, & coniuncta colere. Innuit Caietanus: *Ad latus Dagon iuxta Hebraicam veritatem posuerunt eam.* Verùm ostendit effectus vanitatem, veritatémque eodem loco non posse coniungi, nec inimicitias deponere. Iacuit Dagon non solùm prostratus, sed attritus: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Aut Arca, aut Dagon eo loco poterant cultum recipere, nam vtrumque coniungere erat erroris delirium, & cæcitatis commentum. Verùm etsi hæc veritas sit experientia confirmata, & ratione indubia suffulta, inuenies plures, qui in cordis ara irrito studio adlaborent vnire vanitatem, & virtutem. Sacramenta frequentant, & quidquid ad corporis oblectamentum pertinet, non sine anxietate procurant, diserta mensa oblectantur, non parcunt linguæ, non exulant à concursibus, & vt dixi, Arcam, & Dagonem eodem in corde satagunt concordare, & virtutes, ac voluptates vnire.

§. XIV.

Vel in aduersis casibus decenter tractandus, qui agnoscitur eximiis dotibus reuerendus.

VT varia est sors, qui sæpè de inimicis triumphum tulit, aliquando captus ingemuit; tunc politices vel captiuo impendit honorem, & suspicit dignitatem. Neptunum asperos tulisse casus fabulantur antiqui & nihilominus ei fanum erigebant, & honorem casibus in aduersis præstabant. Ita Plutarchus in Quæstionibus conuiua. *Aggrega te Neptuno. Hic* (Sophocles) *describere solet nobis subinde succumbentem Mineruæ, Delphis Apollini, Argis Iunoni, Æginæ Ioui, Naxi Libero patri, lenem tamen vbique, in durioribus casibus, & sedatum. Atque hic etiam Fanum habet cum Minerua commune, in quo ara est oblionis erecta.* Itaque Neptunus, etsi victus, honoribus non est mulctatus; immò illi cultus exhibitus, vt è fabulis discat politices magnis viris etiam in calamitate honorem impendere, & reuerenter tractare. Existimabant Philisthæi Arcam Hebræorum esse Deum: nec dubitabant confusis irruentium vorticum voluminibus Ægyptios sepeliisse; nouerant vndarum inconstantiam murorum instar durasse: ergo etsi eam veluti captiuam duxerint, honorem tamen impenderunt, & in templo collocarunt. *Statuerunt eam iuxta Dagon.* Iuxta Dagon collocarunt eius potentiam reueriti, & triumphorum eius recordati. Notauit Abulensis *q. 6. Iste casus non fecit eos existimare Arcam esse minoris voloris.* Quam tot triumphis nouerunt nobilitatam, non depretiarunt tunc ad speciem captiuam, vt sua nos politica edoceant, viris nobilitate conspicuis, victoriis claris, dignitatum luminibus exornatis in aduersa etiam fortuna honorem impendendum, & reuerentiæ obsequium nullatenus denegandum.

§. XV.

Casus rebus sacratis aduersus non est impotentiæ Numinis assignandus, sed culpis hominum adscribendus.

EA aliquando templis, imaginibus, personisque Deo sacratis accidunt, vt imprudentes occasionem rapiant ad prouidentiam fugillandam, immò ad inferendam omnipotentiæ notam, quasi cæco fœo omnia contingant, & casu accidant. Nolunt vitiorum tenebris cæci hominum culpis calamitatem adscribere, sed ne adscripserint, prouidentiam audent fugillare. Medicus ad speciem obarmatur sæuitia, vrit radit, abscindit, sed ne pestis serpat, ne sanguis fluat. Non aliter Deus animarum medicus aduersitatis oculos vngit collyrio, vt cæcitatis liberet morbo; abstergere desiderat calamitatis lixiuio pientissimus culpam, aut infert iustus dignam sceleribus pœnam. *Difficillimum* (aiebat Seneca *lib. de Prouidentia cap.* 13.) *ex omnibus, quæ proposui, videtur, quod primum dixi, pro ipsis esse, quibus eueniunt ista, quæ horremus, ac tremimus. Pro ipsis est* (inquis) *in exilium projici, in egestatem deduci, liberos, coniugem efferre, ignominia affici, debilitari?* Admirationi, dubitationique discrtè satis respondet Stoicus: *Si miraris hoc pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro, & igne cruciari, nec minus fame, ac siti.* Medicus, vt ægrotantis saluti prospiciat, cauterio inurit, siti affligit, remedij causa quibusdam ossa raduntur, membra amputantur, quæ sine totius corporis detrimento hærere non poterant: ergo Deus optimus medicus, vt peccata amoueat, aut puniat permittit infortunia, & hominibus acerba. Deliquerant Israëlitæ, & Deus Arcam ab allophylis capi permisit *Tulerunt Philisthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon.* Si quæras, quomodò acerbus adeò casus, Israëlitarum scilicet debellatio, Arcæ, quam existimabant Deum, captiuitas, apud Philisthinos eius auctoritatem non minuerit? Respondebit Abulensis *quæst.* 6. illatam Hebræis cladem, & à se reportatam victoriam non adscripsisse Arcæ impotentiæ, sed Hebræorum culpæ. *Iste casus non fecit eos existimare Arcam esse minoris valoris, nam non crediderunt hoc euenisse ex impotentia Dei Hebræorum.* Adnectit post pauca: *Crediderunt igitur Philisthiim, quòd hoc accidisset Iudæis, quia Deus eorum erat iratus eis, quia forte non colebatur, vt insserat.* Itaque vel barbari Arcæ captiuitatem, Hebræorum ruinam non attribuerunt Numinis infirmitati, sed suorum crimini. Iuxta Dagonem statuerunt Arcam, vt potentem, & diuinam, & prudenter maluerunt existimare stragem illam ortam fuisse, non ab impotentia, sed ira. O si à barbaris nonnulli Christiani discerent! Vident Dei templa ab religionis hostibus violata, & adusta; vident aliquando Eucharistiam proculcatam, & circa prouidentiam vacillant, cúmque deberent sceleribus, culpísque calamitatem adscribere, audent temerè prouidentiam fugillare. Deus eodem tempore Dagonis excidio suam omnipotentiam asseruit, & iram in suos illorum strage manifestauit.

§. XVI.

Virtus auctorem fulgore prodat, sed actor plausum non quærat.

HOnestum est virtutibus solicito studio inseruire, vt stultum laborem siti plausus, aut euanidæ laudis cupidine defœdare. Opus te prodat, quantumvis latebris delitescentem, non quæras operibus conciliare sibi populum adulantem. *Illud te admoneo* (aiebat Seneca *epist.* 5.) *ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum, & intonsum cupas, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud ambitionem peruersa via sequitur, deuita.* Si ambitio, & euanidæ laudis studium virtutem coluit, oleum, & operam perdidit; si vero animus sui admirationem non quærat, nec plausum ambiat, ipsa virtus afferet sine inuidia gloriam, & famam. Dei Arca Dagonem semel, & iterum deturbat è throno, nec enim fas erat, vt eodem culmine splenderent solida veritas, & meritissima vanitas: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Cum Arca in omnium oculis detrudere posset idolum quærunt Interpretes, cur altum noctis expectarit silentium? Dejiciat in omnium oculis, quod cæteri adorauerunt idolum, vt respiscentes facilius agnoscere possint erratum; immò expectauit noctem (inquit Abulensis) vt vtile nobis præstiterit documentum. Id fuit miraculum, vt nec liuor quiuerit occultare, ea Arcæ modestia, vt expectari noluerit. Accipe Abulensem *quæst.* 12. *Dicet aliquis: Quare cum Dagon hic fuerit bis in terram dejectus, non fuerit factum per diem, sed semper per noctem, vt patet in littera?* Iam dubitationi respondet: *Hoc fiebat, vt non viderent Philisthini, quomodo fiebat miraculum, sed postea illud factum tenerent.* Arca proculcabat dæmonem, conterebat vanitatem, operabatur miranda, non tamen quærebat vana plausus oblectamenta. Facta eximiam Arcæ publicabant virtutem; nox fugisse testabatur vanitatem: despexit plausum operata prodigium, vt noueris virtutibus resplendere, & spectari oculis non ambire.

§. XVII.

Deus oculos quodammodò fugit illatarus supplicia, largiturus non fugit dona.

BEnefacere, naufragio etipere, calamitatibus liberare, regium, ac generosum animum prodit. *Generaliter quidem* (aiebat Cassiodorus 12. *variar* 5.) *amplissimum cognitorem decet beneficia dilatare: quoniam qui omnibus præsse cognoscitur, cunctis impendere profutura censetur.* Ferrum arripere aliquando est necessarium, sed tunc manus titubet inflictura supplicium, & fugiat oculos veluti commissura piaculum. *Non ira* (aiebat Seneca *de Clementia cap.* 1.) *me ad iniqua supplicia compulit, non iuuenilis impetus, non temeritas hominum, & contumacia, quæ sæpè tranquillissimis pectoribus quoque patientiam extorsit: non ipsa ostentanda per terrores potentia, dira, sed frequens magnis imperiis gloria... Seueritatem abditam, clementiam in procinctu habeo.* Beneficentia, largitásque ea sit, vt notitiam fugere nequeat; seueritas talis, vt lege, iuréque compulsa intuentium oculos erubeat. Exigit aliquando hominum audacia pœnam, sed de supplicio sibi plaudere arguit in punitore sæuitiam. Hinc disces, cur Arca idolum deturbatura tenebrarum tempus elegerit, cùm beneficia impertiens oculos non vitauit: *Cùm surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat.* Digna supplicia intulit, maluit tamen tenebris occulere, quam rigorem ostentare. Notauit Abulensis *quæst.* 12. *Dicet aliquis: Quare cùm Dagon hic fuerit bis in terram dejectus, non fuerit factum per diem, sed semper per noctem?* Iam rationem reddit: *Hoc fiebat, vt non viderent Philisthini.* Oculos quodammodò erubuit, cùm infligenda fuit pœna, & detumenda vindicta. Lapis statuam percussit, sed cùm Nabuchodonosoris oculos somnus clauserat: *Vidit Nabuchodonosor somnium. Dan.* 2. *vers.* 1. Hic idem lapis humana forma Nabuchodonosori in fornace ostenditur: *Ecce ego video*

quatuor

quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei. Dan. 3. vers. 92. Eundem fuisse, qui lapis percussit, & à flammarum voracitate defendit, in confesso est apud omnes. Sed hic difficultas oritur, cur scilicet statuam percutiens refugerit spectari, & pueros defendens non detrectarit videri? Verùm facilis est solutio: Statuam cuertens infligebat pœnam, flammam excutiens conseruabat puerorum vitam: ergo benefaciens oculos non erubuit, puniens oculos illigari somno expectauit. Innuit Zeno Veronensis *serm. 6. de tribus pueris*: *Deum vident: mors transit in vitam, metus in gloriam.* Vbi mors in vitam transit conspicitur; vbi statua conteritur, occultatur; quasi fugiat oculos illaturus supplicia, & non fugiat larga manu concedens dona.

§. XVIII.

Sæpè socius manum abscondit, & socium deturbare contendit.

HOnestis sæpè actionibus nostri mores degeneres exprimuntur, & versutiæ satis dolosè signantur. In curia, regióque palatio coæquales exteriori facie videntur amici; interius tamen non semel opponuntur aduersi. Ambitio, vt singularis possit lucere, admittit alteros deturbare, ea tamen arte, vt nullatenus ipsi possit adscribi, quod totis viribus certissimum est conari. *In amicitiæ planta* (aiebat Philo *lib. de Plantatione, &c.*) *similes stolones amputandi sunt, vt potiores eius partes conseruentur. Sunt autem hi meretricum præstigiæ, quibus in amatores vtuntur, & fraudes adulatorum.* Adnectit: *Adulatores nonnunquam ineffabile odium celantes apud eos, quibus obsequuntur.* Odium absconditur, amicitia externis fucis coloratur. *Etenim homo pacis meæ* (aiebat Psaltes) *in quo sperani: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Psal. 40. vers. 10.* Euthymius ad hunc locum putat ab stadio desumptam esse metaphoram, vbi cursorum quisque, vt ad brauium solus quiuerit peruenire, alterum adnititur supplantare: ergo qui se Dauidi venditabat amicum, internè fouebat odium. *Ex metaphora eorum dictum est, qui inter currendum calcaneo aliquem dolosè supplantant.* O quot mimicè gerunt amicitiam, & reuera fouent dolosissimam inuidentiam, occultè disponunt dolosas technas, captiosas prætendunt insidias; nolunt videri aduersarij, cùm reuera insidientur æmuli! Arca, & Dagon eodem tempore fulgebant; Arca, vt fas erat, Dagonem deiecit, sed ad nostram eruditionem manum abscondit: *Cùm surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat.* Honestis factis in Sacra Scriptura dubium non est versutias (vt dicebam) aliquando adumbrari, vt etiam indignis actionibus virtutes exprimi. Arca collateralem Dagonem deiecit, nec enim fas erat, vt veritati adæquaretur mendacium; verùm dum inuisa manu deiecit, dum nocturnum tempus expectauit, politicorum mores depinxit. Sollicitant alterius ruinam, sed adeò cautè, vt effugiat dolus notitiam, & solum testem habeat conscientiam. Innuit Abulensis *quæst. 12. Si per diem fieret, oportebat, vt aliqui viderent saltem de Sacerdotibus; Deus autem nolebat eis monstrare modum miraculi.* Si per diem Arca Dagonem dejicerer, nullus dubitaret non tulisse collateralem, deturbato vero Dagone, nocte, videbant casum, sed nequibant scire modum. Quod Arca laudabiliter exercuit, ambitio, & liuor ingloriè sæpè disposuit. Socij, competitorisque animitus solicitatur ruina, sed solicitudo tegitur sagaci cautela.

§. XIX.

Solicitare indigno honorem indebitum, est maturare miserum casum.

NAtura rerum est (aiebat Cassiodorus *11. var. 1.*) *amare collegam. Laudes quinimò vestras extollitis, si honorem, qui senatori datus est, erigatis.* Collegæ collegas amant, vtque honori proprio quid accrescat, socium erigere solicitudo festinat; verum priùs circa merita debebat ferri iudicium, quam inflammaretur desiderium, & præberetur suffragium. Quidquid digno confertur, ad multorum vtilitatem collatum esse sentitur; vt è contra quidquid accipientis supergreditur meritū, in electoris, & electi vertitur probrum. Verùm vt cæca est affectio, non præuidet fastigium indignè occupatum esse præcipitio proximum; anhelat dilectum honoribus adaugere, sed dum transgreditur metam, maturare solet ruinam. Captam Arcam iuxta Dagonem Philisthini collocarunt: *Statuerunt eam iuxta Dagon,* & hoc, vt Dagon honore non videretur inferior, aut vt spolio illo resplenderet honoratior. Quid tunc? Dagon corruit, & fractis ceruicibus periit: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Ipsum honorandi, euehendique studium Dagoni maturauit miserum casum; non poterat non cadere, quem constabat adeò tumere. *Posuerant Philisthini* (inquit Abulensis *q. 11.*) *ad laudem Dagon, Deus autem voluit ostendere Dagon nihil esse, & Arcam suam esse gloriosiorem Dagon.* Arca longissimis interuallis à Dagone distabat, & miris facinoribus præfulgebat. Azotij verò erga Dagonem inclinati cæcis ausibus Arcæ prætulerunt, & ipsa prælatione calamitatem sibi, & Dagoni maturarunt, nam vbi digno antelatus, fastigium occupauit immeritus, nec ipse potest fixè consistere, nec auctores calamitas non vrgere. Isaac cæcutiens Esaü ad dignitatem discupit eleuare. Rebecca accepto cœlesti oraculo Iacob prætulit, & candidatum dignitatis infulis exornauit: *Vestibus Esaü valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum. Gen. 27. v. 15.* Ambrosius *lib. 2. de Iacob, & vita beata c. 2.* ait, Rebeccam prætulisse dignum immeritò, vt vtrique consuleret filio, & politico nos instrueret documento. Vtile erat indigno dignitatis non occupare fastigium, vnde sustinere poterat casum. Ergo dignum prætulit, vt Iacob honoraret merita, & ab Esaü ad ruinā remoueret scandala. Accipe Ambrosium: *Rebecca non quasi filium filio, sed quasi iustum præferebat iniusto.* Adnectit: *In quo & alteri consulebat, quem diuinæ subducebat offensæ, ne grauiori implicaretur reatu, si acceptæ gratiam benedictionis amitteret.* Prærogatiuis nudus non se gereret, vt fas erat, in culmine dignitatis: ergo ei consuluit ruinæ occasionem auferendo, & dignitatem nobilitauit resplendentem meritis eleuando.

§. XX.

Quas iniustè exegit adorationes culmine elatus, meritò pendit detrusus.

DIgnitatum luminibus refulgentes copiosa clientū turba prosequitur, indebitúmque adorationis tributum fastui, ac superbiæ quodammodo cogitur exhibere, si velit gratiā inire. Alti, culminéque celsi à se ipsis desciscunt, & quadam iam se diuinitate donatos, & naturæ metas arbitrantur supergressos: verùm vt est varia fortuna, qui elatus dignitatis culmine tumuit, deturbatus non semel ingemuit. Ad aliorum genua videas procumbentem, & submisso vultu adorantem ipsum, quem modo cultus exterior adorabat, & mentitus plausus extollebat. *Putas* (aiebat Philo *lib.* Quod Deus sit) *mortalem rem vllam verè esse, ac subsistere, & non tanquam in suggestu quodam ab inani, & incerta opinione non*

NAXERA L. 6. I. Reg. 10. C. IV. 15

aliter quàm somniorum ludicra. Adnectit post pauca: *Inclyta fuerat Persarum felicitas, sed vna dies tam ingenti regno finem attulit, & nunc Persæ, penes quos paulo ante fuerat imperium, sunt Parthorum provincia.* Quibus antea pendebatur adorationis tributum, iam Persæ soluebant Parthis venerationis obsequium, & qui ad eorum genua plures despexerant prouolutos, iam se ingemiscebant supplices, & despectos. Arcam Dei in Dagonis templum introduxerunt Azotij quasi victoriæ spolium, & certaminis trophæum. Tumebat Dagon de Arcæ captiuitate gloriatus, sed compulsus est Arcam adorare deiectus: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Iacebat in modum supplicis, invitè gerebat habitum adorantis, & indignè antea possessa altitudo erat infelicitatis auctarium, & calamitatis augmentum: *Iacebat ante Arcam* (inquit Lira) *quasi faciens ei reuerentiam.* Iam demisso vultu Arcæ deosculatur vestigia, qui heri Dagon superbè tumidus humillima exigebat obsequia, & indigna adorationis tributa. Sic res humanæ volvuntur, sic sortes mutantur.

§. XXI.

Vtilitas adnititur indignum culmine stabilire, & defectus eius abscondere.

Quidquid digno creditur (aiebat Cassiod. 11. *var.* 1.) *hoc multus sine dubio collocatum esse sentitur.* Vt è contra quidquid indigno applicatur, in Reipublicæ detrimentum esse dignoscitur: ea tamen est aut auida lucri cupiditas, aut contumax semel decretum tuendi vanitas, vt studiosè plures adnitantur stabilire, quem sibi vtilem ad fastigium dignitatis decreuerunt efferre. Desunt dignitatem gerenti merita, sed copiosa conseruanti, aut extollenti proueniunt lucra & mirum in modum adlaborant ob lucrum conseruare fastigio immeritum. Arca Dagonem culmine indignum deturbat, honoréque dignitatis exaugurat; verùm Sacerdotes primo manè deiectum restituerunt, & in culmine conseruare adlaborarunt: *Tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.* Ne populus ruina cognita depretiaret idolum, restituere quàm citò Sacerdotum procurauit studium. Iam si quæras, cur imbecillitate cognita, indignitatéque experta adnitantur euehere, & antiquo culmine conseruare? Respondebit Lira, feciſſe hoc Sacerdotes, quibus magna vtilitas ab illo culmine proueniebat, & non exigua de sacrificiis Dagoni oblatis pars spectabat. Ergo licet indignum testaretur ruina, & imbecillum agnosceret experientia, conseruare, stabilireque adnitebatur lucri cupiditas, & victimarum voracitas. *Tulerunt* (verba sunt Liræ) *scilicet Sacerdotes, antè quàm populus perciperet.* Si populus videret deiectum, depretiaret, eiusque aram onerare victimis nolet. Si altare sorderet victimis viduatum, magnum Sacerdotibus deficeret lucrum: ergo, vt amplos perciperent fructus, abscondere solicitauere defectus: *Antè quam populus perciperet.* Non attendebant sedis honorem, sed suam ipsorum sitiebant vtilitatem: ergo ne deesset indignum lucrum, dignitatis dehonorare non verebantur suggestum. Qui Abimelech extulerunt, vtilitatem suam, non Reipublicæ, considerarunt: *Quid vobis est melius, vt dominentur vestri septuaginta viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vnus vir? Iudic. 9. vers.* 2. Ex filiis Ierobaal vnus, qui meritis ornatior, potuit deligi; nec timendum erat omnes cæteros; dominari verùm sic coloruere delirium, quia vtilitatis propriæ suspirauerunt augmentum. Non expendunt, quis Reipublicæ salubrior, sed quis sibi futurus commodior, & quia vtilitas spectata, dignitas ingemuit ab immerito possessa. *Denotatur, quod inter filios Gedeonis* (inquit Lira) *fuit minus nobilis, & minoris reputationis.* Minus dignus ad regiminis culmen promouetur, cùm solùm vtilitas propria ab eligentibus spectatur.

§. XXII.

Mulierculæ si venustæ, semper sortiuntur tutelares, & defensores.

Mvlierculæ libidinum victimæ, Reipublicæ honestatisque sunt nocentissimæ pestes; quas si vigilans iudicum solicitudo, & solicita ministrorum vigilantia conetur exilio mulctare aut supplicio afficere, non facilè assequitur, quia infamis venustas plurimos patronos sortitur. *Miser* (aiebat Philo *lib. de Profugis*) *maturè se ostendet aut sordidum appensorem obolorum, & illiberalem fœneratorem, aut luxu perditum, aut pronum magis, quàm condum, meretricum, leonum, productorum, & huiusmodi sodalitij patronum, fautorémque profusissimum.* Vel obolorum appensor, & fœnerator aurum profundet, vt meretricem protegat, & à suppliciis defendat. Nulli vitio defuit patronus, sed eiusmodi pestis grandis est tutelarium numerus. Diximus iam Dagonem Veneris effigiem fuisse, hanc Dei Arca deiecit, & digna pœna mulctauit: *Inuenerunt Dagon iacentem.* Quid tunc? *Restituerunt eum in locum suum.* Non vnus, aut alter protegere, & patrocinari gestiuit, sed copiosa tutelarium turba Arcæ se opposuit, & Venerem in locum suum restituere solicitè studuit. Notauit Interlinearis: *Multi fuerunt defensores idololatriæ.* Ne venustas illa exularet loco pulsa, & seueritate meritissima castigata, plures suscepere patrocinium restituendi, retinendique solicitum desiderium. Nunquam vitium inuenitur sine patrono, & qui pro bene merito detrectaret aliquam molestiam subire, pro mulierculis defendendis nullum refugiet laborem amplecti sumptúmque facere. Achior veridicus eruditam sententiam profert, & veritas præmium vincula tulit: *Ligauerunt Achior ad arborem manibus, & pedibus.* Iudith 6. *vers.* 9. Iudith laudabiliter expincta, & ornata Holofernum adit, & iam pulchritudine eius captus thesauros pandit, & de conuiuio suo opipare. Iuditham ali decernit: *Iussit eam introire, vbi repositi erant thesauri eius, & iussit illic manere eam, & constituit quid daretur illi de conuiuio suo.* Iudith 12. *vers.* 1. Quàm alium inuenit Principem vtilis veritas, & laudabiliter dolosa venustas. Iudith tentabat mortem inferre, Achior pericula propulsare, & verax inuenit supplicium fraus pulchra obsequium: *Et constituit quid daretur illi de conuiuio suo; solicitus de ea* (inquit Lira) *tanquam de corpore proprio.* Pulchræ curam egit, veridicum religauit Iudith mulierum honor fortitudinis miraculum, castitatis resplenduit elogium; verùm dum ob venustatem patrocinium inuenit, quàm diuersum obtineat locum apud homines, salubris veritas, aut venustas nociua edocuit. Et ne longè à nostro Textu diuagemur, nullus ex Israëlitis pro eripienda Arca laborauit, sed in hostium potestate reliquit, cùm deiecta, oppressáque Venus plures habuerit fautores, & tutelares: *Multi fuerunt defensores idololatriæ.*

§. XXIII.

Miserum est dignitatis culmine deturbari, sed miserius, ad reuerentiam deturbanti exhibendam compelli.

Acris dolor est post culminis splendorem, post plausus obsequium, post ambitiosum adorationis tributum omnibus dispoliari, & mutata sorte destitui: verùm si contingat ad ipsius deturbatoris, æmulique genua devolui, & adorationis obsequium pendere, iam cor geminatis incendiis aduritur, & animus dolore intolerabili distorquetur. Dæmones gehennales flammas experti, & prædam, quam nacti fuerant, Domino restituere compulsi, lamentabili eiulatu, ne adeò duram in eos pœnam exerceret, Christum precabantur: *Adiuro te per Deum*

Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Marc. 5. v. 7. Ecquod dæmonis erat tormentum à Christo hoc tempore illatum? Cogi ad æmulum adorandum, & deturbanti parendum: *Cucurrit, & adoravit.* De gehennali tacet flamma; & de inflicta modò queritur pœna? Expende è cœlo deiectum, & modo deferere prædam compulsum ad adorationis obsequiũ trahi, & ad æmuli genua provolui: *Cucurrit, & adoravit.* Durum adeò tormentum dæmoni erat adorare de culmine deturbantem, & à possessa præda expellentem, vt præ ipsa gehenna excruciarit, & ad dolorem gemitibus manifestandum compulerit. *Quem promissione regni* (inquit Chrysologus *serm. 17.*) *vt te adoraret subdolus ambiebas, nunc tremens, & miserandus prolaberis, & adoras.* Præmiserat *serm. 16. Venerunt imperantis iussu, non suo ausu, attracti sunt inuiti, non sua sponte currentes.* Qui adorari exambierat, ipsi deturbatori obsequi compellebatur: ergo exhibita adoratione præ gehennali flamma aduritur. Dagon etiam ab Arca detrusus non solùm patitur ruinam, sed vt calamitas recrudesceret, Arcæ compellitur exhibere reuerentiam: *Iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Aliquale solatium esset, si post casum non exhiberet adorationis obsequium; verùm vt intolerandum adurgeret tormentum, compulsus est casum sustinere, & deturbanti obsequium venerationis præstare. *Dicitur, quòd erat pronus* (verba sunt Abulensis *quæst. 12.*) *quia non solùm erat iacens, sed etiam super os suum iacebat, vt poneretur tanquam adorans Arcam Dei.* Aliquod esset doloris leuamentum, si conceptum corde aliquando quiret euomere, aut manifestare odium; ast, pati extremam ruinam & Arcæ impendere reuerentiam, erat grauius supplicium, & durius ipsa trucidatione tormentum.

TEXTVS.

Vers. IV. Rursúmque manè die altera consurgentes inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.

§. XXIV.

Non habet caput, qui præstaturus obsequium, aduersum indicat animum.

BEnè politicus, quod nequit excusare, sic faciet, vt non appareat inuitus, sed spontaneus; alioquin obsequio præstito exasperat, & indignationem sibi conciliat. *Stipendium est, quod subiectum facit munificum dici* (aiebat Cassiodorus 11. *variarum 7.*) *& offerentis nomen accipit, qui se, quod penditur, debere cognouit.* Adnectit: *Inhonorum est enim omne, quod cogitur, nec offerentis habet gratiam, qui damnis suis perducitur ad tributum.* Prudens tributarius hilari adeò facie soluit, vt offerentis potius nomen acquirat, nec reluctanti animo venustatem obsequij perdat. Imprudens contra se inflammat odium, dum nolentis facie impendit obsequium. Dagon compulsus ad exhibendam Arcæ reuerentiam exhibuit, sed eo modo, vt deuenustaret obsequium, & ipso obsequio incrementaret sibi supplicium. Non habuit caput, qui animum non celauit, dum negare obsequium nequiuit: *Caput Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.* Prius durum adeò non fuit expertus supplicium, modò durius tulit tormentum. Et quare? Quia sic desipuit (inquit Abulensis *quæst. 13.*) vt cùm Arcam non venerari nequiret ipsa adoratione, animi reluctantiam ostenderit: *Abscissæ sunt illæ partes, quæ ad adorationem pertinent, scilicet caput, quia illud non benè curuauit, & manus, quia illas non benè eleuauit coram Domino.* Capite punitus est, sed ante inflictam pœnam carebat capite, qui illud sic inclinauit, vt inclinatione offenderet, & reluctantiam animi proderet. Arcam venerari compulsus, ipsa veneratione iram in se prouocauit cæcissimus. Si quantumvis animus dissideret, debito modo adoraret, pœnam effugeret; ast dum adorans animum prodit aduersum, incrementauit sibi supplicium. Vt discas in alieno capite sic agere, quæ excusare nequis, vt obliges spontaneus, nec indignationem mereatis inuitus.

§. XXV.

Quæ animo inuito exhibentur, exhibendi modo agnoscuntur.

PLura præstant homines inuiti, & politicè coacti, quæ animus refugit, & animitus contradicit: & licèt sæpè conetur industria tegere, & spontaneè exhibentium vultu peragere, rarò assequitur; nam mendacium, si perspexeris, lucet, & ipso exhibendi modo se veritas prodit, Caïn Deo sacrificium litat, vt Abelus etiam consecrat; verùm Deus animorum inspector Abeli munus approbauit, Caïni reiecit: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Caïn verò, & ad munera illius non respexit. Gen. 4. vers. 5.* Et cur Caïni sacrificium non elucretur beneuolentiam, & Abelis holocaustum inueniat gratiam? Nonne obsequium est promerendi artificium, dum accipientis oblectat animum? Ergo Deus, vt Abelum, Caïnum honore dignetur, dum ara religiosis vaporibus honoratur. O expende, amabo te, huius obsequij circunstantias, & inuenies animum ab operibus dissidere, & voluntatem à manibus discordare. Obtulit Caïn, sed post multos dies; obtulit, sed de inanimatis fructibus; obtulit aræ onera, sed non munera. Abelus ipsis sacrificij circunstantiis ostendit animum placendi cupidum, & Domini gratiam promerendi laudabiliter ambitiosum: ergo hic obsequiis placuit, ille sacrificiis offendit. *Non concilias tibi Deum* (aiebat Bernardus *in Allegor. Tilmani*) *discors tecum. Non placas, sed peccas.* Adnectit: *Nunquid rectus, vel quando manum porrigis Deo, cuius cor in terram trahit liuor, & fraternum odium?* Concinit Philo *lib. de Sacrificiis: Infelices volentes, nolentes vix serò ad Deum, qui solus seruare potest, se recipiunt: ille non ignarus parum valere, quæ exorta sunt, non omnibus pariter est facilis, sed his, in quos benè collocatur beneficium.* Adjicit: *Cur de fructibus, & non de primis fructibus offert primitias? Fortassè hanc ob causam, vt primatum creaturæ det, secundarium honorem reddat Numini.* Caïn ad speciem Numinis maiestatem videtur oblatis muneribus confiteri, sed ipso offerendi modo honori inuenitur detrahere: ergo honorando deliquit, & pœnam sacrificando commeruit. Nec aliter Dagoni accidit: Arcam venerati compulsus caput inclinauit, sed parum; leuauit manus, sed modicè; ipse adorationis modus adorationem publicabat prorsus inuitam, & animo reluctanti coactam: ergo licèt astutia conata fuerit reluctantiam adoratione exhibita tegere, ipse exhibendi modus non potuit non aperire: *Caput Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.* Inflicta pœna prodidit animi reluctantiam, etsi artificiosa cautela Dagon deuotam mentitus sit reuerentiam. Adest Abulensis *q. 13. Abscissæ sunt illæ partes, quæ ad adorationem pertinent, scilicet caput, quia illud non benè curuauit, & manus, quia illas non benè eleuauit coram Domino.* Dagon capite potiùs deiecto, quàm inclinato deuotum affectabat obsequium, sed modus ipse prodebat animum: nam quæ inuito, reluctantique corde geruntur, difficulter adhibito etiam studiosè artificio celantur.

§. XXVI.

Malunt nonnulli ministri otio indulgere, quàm Reipublicæ periculum propulsare.

OMnis vtilitas publica fideli debet actione compleri, quia totum vitiosum geritur, vbi solicitudinis vigilantia deprecietur. Vnius otium multorum aliquando esse inuenitur periculum, & enormiter delinquit, qui ad vniuersale commodum inuigilaturus, obdormit. *Quis patiatur* (aiebat Cassiod. 7. *var.* 32.) *vnius esse commodum dispendia sceleſta cunctorum.* Gloriosum, honorificúmque nomen acquirere suspirat ambitio, sed post acquisitionem inerti indulgere solitat otio. *Præfectos vigilibus* (aiebat Cassiod. 7. *var.* 8. *appellare voluere, qui pro generali quiete discurrunt. Tibi enim commissa est fortunarum securitas, ciuitatis ornatus, vtilitas omnium.* Adjicit: *Securus somnus te vigilante carpitur, & molestia nulla sentitur.* Nulla molestia sentitur, si vigiliarum Præfectus per ciuitatem vagatur; verùm si cæteri eius vigilantia confidant, & ipse somni dulcedine captus, & otij oblectatione irretitus solicitas non gerat excubias, Respublica subibit periculum, & grassator fouebit ausum. Azotij deliri Dagonem merum figmentum pro Numine colebant, & ab eo Reipublicæ salutem sperabant. Dei Arca in figmento exercuit pœnam, vt ipsa pœna cæcis attulerit medicinam: *Cúmque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Sacerdotes casum demirati Dei sui ignominiam tegere, & culmini restituere sunt moliti: *Restituerunt eum in locum suum.* Dum indignum stabilire contendunt, calamitatem suffulciunt: *Rursúmque manè die altera consurgentes inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam.* Quem diuina indignatio decreuerat deturbare, patronorum manus non valuerunt defendere. Sed secundus casus ministrorum videtur otium fugillare, ignauiámque arguere. Nonne fas esset Dagonis sacrificulos, ministróque sequenti nocte solicitas in templo excubias agere, & periculum vigilantia depellere? Dum Textus refert iteratam ruinam manè spectasse, non obscurè innuit sequenti post casum nocte somno indulsisse. Et cur indulgeat somno minister, cùm munus, ratio, iúsque exigerent Reipublicæ, Principíque prouidere, & periculis vigilantibus oculis obviare? Cur à templo recesserint, qui à Dagone victimarum stipendia accipiebant, & infulis honorandis radiabant? Certè deseruerunt templum, ne amitterent somnum: nequibāt ignorare posse nocte sequenti iterandæ imminere deiectionis periculum; recesserunt tamen, ne placidum amitterent otium. *In die sequenti* (inquit Abulensis *q.* 12.) *postquam iacuit Dagon coram Arca, inuenerunt id, quod dicit hic.* Si excubias agerent, ad speciem occurrebant periculo, sed dulci carebant somno: si caperent somnum, appetebat periculum; ipsi verò maluerunt somno indulgere, quàm periculis vigilando obviare, vt suis factis adinstar colorum exprimerent, quod aliis in materiis non semel accidit. Honoribus, copiosíque stipendiis munerati, ad Reipublicæ tuitionem, incolumitatémque procurandam aliquando non tam student generalitatis periculis obuiare, quàm commodis indulgere.

§. XXVII.

Qui punitus reincidit, acriorem contra se seueritatis flammam accendit.

ERrare humanæ est fragilitatis, inflictis verò non cohiberi suppliciis, durissimæ obstinationis. Saluti suæ prouidet correctione frænatus, sibi inuidet errorem post correctionem sequutus. *Non habet venia locum* (aiebat Cassiod. 4. *variar.* 29.) *qui delinquit admonitus.* Ante admonitionem delinquere ignorantiæ potest adscribi, post admonitionem malitiæ nequit non applicari. Cainus mortis aperuit ianuam, vt contra fratrem exerceret inuidiam, & iam maledictionis pœnam incurrit, & vti servus fugillatus incedit: *Nunc igitur maledictus eris super terram. Gen.* 4. *vers.* 11. Illud, *Nunc*, quia continere videtur arcanum, est ponderatione dignissimum. Quid addit illud, *Nunc*, vt grauior affligat mulcta, & seuerior adurgeat pœna? Iam Textus præmisit. Se Cain culpis sacrificando infecerat, & malè obsequendo deliquerat: verùm Deus, cui cordi est non desæuire in vindictam, leni patientia admonitionem adhibuit, & cæcutientem dirigere procurauit: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè statim in foribus peccatum aderit?* Ni præcessisset admonitionis remedium; graue adeò non videretur piaculum, ipsa verò lenis patientia aggrauabat quodammodo culpam, seuerioremque adurgebat ad pœnam; nam post admonitionem delinquere est patientiam exasperare, immò ad supplicium infligendū vrgere. Dagon huius veritatis nobis submínistrat exemplum. Coram Arca superbiébat elatus, & efferebatur superbus; ad terram deiecit Arca extollentiam, vt deiectione frænaret exoculatam audaciam: verùm Dagon auxiliares manus sortitus, antiquam repetiuit sedem elatus. Quid tunc? Caput abscinditur, manus trucidantur: *Caput Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.* Si prima correctione stilum verteret, non periret; ast dum castigatus eundem tenorem seruat, viuidiùs contra se indignationem inflammat. Allegoricè in rebus inanimatis ad conciuandos mores documenta quærimus, & animatis aptamus. Igitur in Dagon vita carenti expressit Textus, quod homini accidere solet rationali. Et quidem plures demutarent mores prudenti admonitione, aut leni castigatione correcti, graue non subirent supplicium miseri, sed dum correctionem contumaces despectant, grauissimam pœnam, immò aliquando violentam sibi mortem solicitant. Innuit datus Abulensis *q.* 12. *In die sequenti postquam iacuit Dagon coram Arca, inuenerunt id, quod dicit hic.* Non prima die, sed sequenti; si locum, à quo abactus fuerat, non repeteret, si contumaciter non insisteret, violenter detruncatus capite non iaceret; aſt trucidatus iacuit, quia periculum, & admonitionem contempsit.

§. XXVIII.

Reipublicæ est commodum dignitatibus interdicere, quos constat capite, & prudentia carere.

GRaue Reipublicæ est detrimentum minister prudentia, & capite destitutus, & auctoritate obarmatus; nam auctoritas audet, & prudentia non dirigit. *Decet quidem* (aiebat Cassiodor. 4. *var.* 30.) *cunctos patriæ suæ augmenta cogitare, sed eos maximè, quos Respublica sibi summis honoribus obligauit. Quia ratio rerum est, vt eum necesse sit plus debere, qui visus est maiora suscipere.* Augmenta debet Reipublicæ cogitare, quem constat dignitatis infulis refulgere: quod si contingat ad Reipublicæ prospiciendum carere capite, & dignitatis lucere culmine, lugebit Respublica, & aures continua diuerberabit querela. Grandi impendio elegerunt sibi Israëlitæ ducem, aureum scilicet vitulum: verùm dum prudentia caruit, & potestate resplenduit, ingentissimam adduxit calamitatem. *Ceciderunt in die illa quasi viginti tria millia hominū. Exo.* 32. *v.* 28. Quàm pius fuit Moyses, dum confregit vitulū, ne prudentia prorsus nudus potestatis haberet clavū. *Arripiens vitulū, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad pulverem.* Adest Interlinearis: *Cōbussit igne cœli, & Spiritus Sancti.* Verum erga Israëlitas ostendit

ostendit amorem, cùm celsam abstulit insipienti potestatem. Quod & Arcam fecisse in hominum, commodum Scriptura testatur. Truncum rationis prorsus expertem adorabant, & vti Numen detestandis ostiis colebant. Et cùm merces adorationis futura esset Reipublicæ vtilitas, præmium erat ingens calamitas. Ergo Arca culmine detrudit, & non solum capite, sed manibus etiam priuauit. Iacuit Dagon capite, & manibus mutilatus: *Caput Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscisſæ erant super limen.* Inquires, cur capite truncatum manibus solùm dispoliarit, cùm aliis partibus dispoliare potuerit? Non fuit (respondet noster Sanctius) abscindere tunc manus tam ira, quàm misericordia, immo grauissimum esset Reipublicæ supplicium, si quà exerceret potestatem, haberet manum, quem carere capite erat compertum: ergo manum abstulit, & Reipublicæ prouidit: *Cùm ex eodem loco* (inquit doctus Interpres) *iterum deturbatus fuerit, vtramque manum, & caput amisit.* Grauior Azotios calamitas adurgeret, si capite carens Superioris teneret locum, & manum.

§. XXIX.

Ni aliqua spes, timórve suadeat, nec penditur cultus, nec plausus.

SPes effectus (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 17.) *tædium laboris excludit, & magnum genus incitamenti credere desiderata compleri.* Ferè omnes spei suæ inseruiunt, dum altis & magnatibus adulantur. Tolle spem, & cuncta cessabunt. Quæ circa cuersos conspicitur solitudo, eloquenti silentio ostendit prosequutos fuisse omnes non personam, sed fortunam; quandoquidem auolante fortuna traditur obliuioni persona. Idem de timore censè: Timor obsequium consulit, & plausum. Versutus humani generis hostis ad pedes Christi Domini prolapsus plausibus celebrat, & adorat: *Cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi Iesu Fili Dei altissimi. Marc.* 5. *v.* 7. Cum eundem Dominum deserto prouocarit ad lapsum, & à famelico tentauerit extorquere adorationis obsequium, inquirunt Patres, cur modò ad genua procubuerit & adorarit? *Quid est diabole* (aiebat Chrysologus *ser.* 17.) *quem trina tentatione prouocabas ad lapsum, quem promissione regni, vt te adoraret subdolus ambiebas, nunc tremens, & miseraudus prolaberis, & adoras?* Iam interrogationi respondet: *Vt adulator, non vt deuotus, & obsequens hic adorat euadere cupiens pœnam, prædam perdere pertimescens.* Timor præstabat obsequium, & spes prædæ exhibere consuluit plausum. Suæ adorans ambitioni inseruiuit timori suo paruit: *Adorat euadere cupiens pœnam, prædam perdere pertimescens.* Hinc disces, cur Azotij Dagonem throno, restituere sint conati, cùm nec capite, nec manibus dispoliatus iacuit; & cur iam manibus dispoliatum venerari fuerint obliti? *Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscisſæ erant super limen.* Si cum manu caret, non legitur culmini restitutus, cur restitutus legitur semel deiectus, aut si deiectus colitur, cur manibus orbus non adoratur? Quia antea (inquit noster Sanctius) aliquid spes sibi ab illo promittebat, & omni potestate nudum non existimabat; ast cùm modò nec manum habeat ad infligendum pœnam, nec ad præstandam gratiam, cessauit plausus, & cultus. Audi ex nostro Sanctio: *Dum seorsum spectas caput & manus, id planè doceris, nihil in illo esse quod suspiciaſ, & ames, nihil, quod timeas, aut etiã quod speres ab eo, qui manus non habet.* Dum habebat manũ, quã suppliciũ infligeret, aut munera daret, eius inire gratiam exambiebant Azotijas quem suspiciebant antea vt diuinum, vbi auolauit timor, vbi spes prorsus euanuit, nec eleuare deiectum, nec antiquo loco curarunt restituere deturbatum. Vt noueris venerationis cultum, & laudis plausum frequenter à timore, aut spe exhiberi, & præstari. Nabuchodonosor, dum viguit, & florùit, aues conspexit quæ cantibus floridum celebrarent, & vsqua ad fastidiũ assisterent: at vbi se conspexit deiectum, à volucribus etiam aspexit se destitutum: *Dispergite fructus eius, fugiant bestiæ, quæ super eam sunt, & volucres de ramis eius. Dan.* 4. *v.* 11. Illud, *Fugiant*, idem valet *ac Fugient*, vt verùm sit, quod aiebat Zeno *serm.* de Spe: *Tol'e spem, & cuncta cessabunt.* Plaudebant cantibus aues, non tam vt celebrarent, quàm vt comederent. Copiosa bestiarum aderat circunstantia, vt protectionis fruerentur vmbra. Ergo recesserunt bestiæ, quia defecerat vmbra, & auolarunt aues, quia defecerat etiam mensa.

§. XXX

Mendacium, si perspexeris, lucet quantumvis fucis illitum, & artificio protectum.

ADlaborant homines aliquando figmenta sua eo artificio tegere, eis coloribus adumbrare, vt oculis illudant, & prudentes etiam fallant; non possunt tamen diù permanere, quæ nulla certum est soliditate firmari. Mendacio conuenit, quod aiebat Seneca *epist.* 11. *Lenitur arte non vincitur.* Imponit oculis artificium, sed tandem nequit perseuerare figmentum. Dagonis Sacerdotes merum figmentum, & contrarietatibus temperatum eximia potestate, diuinitatéque asserebant præditum: Arca eius infirmitatem ostendit, de fastigio Dagonem deturbans; & licet ruina imbecillitatem manifestè testaretur, Sacerdotes conati sunt veritatem occultare, & antiquo figmentum culmini restituere. Quid tunc? Ipso in templi limine caput apparet truncatum, & manus abscissæ: *Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscisſæ erant super limen.* Aliquamdiù veritas latuit, sed tandem ipso in templi limine luxit. Non potuerunt iam Sacerdotes deiectionem tegere, & casum dissimulare. Notauit Abulensis *quæst.* 12. *Fuit istud factum, vt non possent occultare Sacerdotes populo deiectionem Dei sui coram Arca.* Desudauit astutia, vt conseruaret figmentum & Dagonem attestaretur diuinum: aliquo tempore durauit artificium, & fefellit dissimulatum mendacium, verùm quantumvis ars studuerit occulere, non valuit diù tegere, quia ipse Dagon deiectus, & mutilus publicauit. Existimant nonulli in remotiori, secretioríque loco perpetrata nullatenus agnoscenda, falluntur tamen, nam ipsa vitia se produnt, & industriam omnem eludunt. Quod Dagoni noctu, & absque teste contigerat, limen publicabat, nec enim poterat diù mendacium colorari, aut delictum tegi, etsi potuerit tantisper dissimulari industria, & ignori cautela.

TEXTVS.

VERS. V. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius super limen Dagon in Azoto vsque in hodiernum diem.

§. XXXI.

Vel trunco exhibetur reuerentia, si dignitatis possideat culmina.

QVi culmine dignitatis eminuit, etsi prærogatiuis noscatur nudus, ab omnibus colitur celebratus. Sedi exhibetur cultus, etsi sit possidens virtutibus viduatus. Tertullianus irridebat gentiles, quia quos altaribus sublimatos videbant, quantumvis scatuisse criminibus noscerent, ad aram deuoluti adorabant, & eorum mercari gratiam muneribus exambiebant. *Quantumigitur, de diis vestris* (scribit in Apologetico *cap.* 12.) *nomina solummodo video quorundam veterum mortuorum,*

& fabulas audio, & sacra de fabulis recognosco. Adnectit ingenioſè ſatis: *Quantum autem de ſimulacris ipſis nihil aliud deprehendo, quam materias ſorores eſſe vaſculorum, inſtrumentorumque communium, vel ex iiſdem vaſculis, & inſtrumentis quaſi fatum conſecratione mutantes, licentia artis transfigurante.* Ex eodem luto vaſculum efformatur, & idolum: verum, quia idolum altaris culmen inſcendit, & adoratores habuit, materia eadem, quæ in vaſculo contemnitur, in altaribus adoratur, & cultus penditur ſtipiti, quia iam Deus conſecratione. Conſonat Minutius: *Imagines conſecratas vulgus dicit publicè colere, dum opinio, & mens imperitorum artis concinnata decipitur auri fulgore, perſtringitur argenti nitore, & candor eboris hebetatur.* Faſtigium quidquid tenebroſum celat, & defectus omnes inaurat. Rogabis, quomodo Sacerdotes Dagon mutilatum intuiti reuerentiam præſtiterint, & exhibere cultum deſiderarint? Reſpondeo: Quia in antiquo loco adhuc remanſit: ergo loci ſublimitas mutilo etiam veneratione negotiabatur: *Caput Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen: porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.* Attentius audi, quæ Textus adnectit: *Propter hanc cauſam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius ſuper limen.* Quam ob cauſam non audent limen veſtigio premere, ſed quodam ſaltu affectant reuerentiæ honorem præſtare? Quia remanſerat in loco ſuo, id eſt, in antiquo altari, vt Hugoni placet. Ipſum audi: *Truncus ſolus remanſerat in loco ſuo, contra ſupradictum eſt. Inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam. Reſponſio, ſinedochicè dictum eſt illud, quaſi dicat: Caput inuenerunt iacens ſuper faciem ſuam.* Non fero de littera ſententiam. Hugo tamen, vt vides, ſentit truncum capite, manibuſque mutilatum honorabili altaris loco remanſiſſe: ergo ob hanc cauſam exhibebant reuerentiam trunco, quia edito adhuc eminebat in loco: decapitatus, & mancus erat, ſed licèt defectus ſuaderent depretiationem, perſuadebat locus laudem, & loci beneficio fruebatur truncus, eiſdem plauſibus ac ſi luceret eximiis dotibus exornatus. Vt noſtra theſis ſit vera, ſcilicet vel trunco exhiberi officioſa obſequia, ſi dignitatis poſſideat culmina.

§. XXXII.

Latere antiquam non ſinit infamiam, qui ſuis indebitam honoris ſolicitat reuerentiam.

LOnga annorum ſeries, dum abſcondit antiqua, celare ſolet ingloria: ni memoriæ irritator accedat, temporum tenebris ignobilis ſepelitur nota, & ignoratur infamia: verum nonnulli, dum imprudenti affectu, aut ambitioſo conatu ſibi, ſuiſque indebitos honores ſolicitant, ſepultæ iam infamiæ memoriam renouant. Adam de puluere effectus eſt, Eua de hominis latere efformata nobiliter degenerauit, & pulueris obſcuritatem tantiſper texit; aſt dum indebitum honorem ambiuit, originis obſcuritatem detexit: *In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Geneſ. 3. verſ. 19.* Imaginis honor pulueris ignobilitatem inaurarat: Eua de latere conſtructa, à pulueréque remotior fulgebat; verum dum indebitam honoris ambiuit gloriam, ſuſcitauit originis ignominiam. Ad rem Tertullianus *lib. de Reſurrect. cap. 6. Origo recenſetur ... Datum eſt eſſe aliquid origine generoſius, & demutatione felicius.* Datum fuerat Adamo de imaginis elogio pulueris ignominiam tegere; datum fuerat Euæ originem feliciter honeſtare; verum dum tumet, dum ſuperbit, dum diuinitati ſe inſerere exambit, origo recenſetur, & in memoriam puluis reuocatur. *Origo recenſetur.* Idem Dagoni accidiſſe videtur. Iacuit à culmine deturbatus, quia honoris ambitioſus Dei Arcæ, aut exæquari voluit, aut ſupergredi tentauit. Ambitio iacuit dei ecta, & digna mulcta punita; verum eius Sacerdotes reſtituere adlaborant culmini, & Arcæ pertinaci imprudentia adnituntur exæquare, quo factum eſt, vt in limine appareret manifeſtior ignominia, & legeretur ſententia. Si ab ambitu deſiſterent, ſi limen tererent, longo annorum tractu ibi manus, caputque præſciſſum extitiſſe omnes, aut ſaltem plures ignorarent; aſt dum indebitam ſolicitant reuerentiam, renouant ignominiæ memoriam: *Non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius ſuper limen.* Imprudenti ambitione opprobrium latere non ſinunt, quando temporis tractus ſtragis memoriam ſepeliret, & annorum obliuione tumularet. Notauit noſter Sanctius: *Tranſiliunt limen, ne pedibus terant locum illum, quem diſſipatis membris ſuis initiaſſe videbatur Dagon: quo teſtimonio non obſcurabant, aut obterebant, ſed potius augebant, æternamque reddebant Dagonis infamiam.* Si Sacerdotes infamiam illam tempori permitterent tegere, obliuione ab hominum notitia auolaret; aſt dum indebitam exambiunt Dagoni gloriam, eius non permittunt latere ruinam; itaque honori aduerſantur imprudenter honoris cupidi, & ſuo Dagoni culminis ambitioſi. Aliquorum maiores hanc, aut illam honoris tulerunt notam, quam iam longum tempus obliuioni tradiderat, & à memoria elapſam contexerat. Horum poſteri dum exambiunt nobilibus ſe æquiparare, & magnatibus ſe immiſcere, auſu exaſperant, & antiquæ infamiæ memoriam renouant. Negotiatio eſt honorem indebitum non ambire, ſed modeſtiæ, & humilitatis limitibus contineri.

§. XXXIII.

A Venere, nec aliena clades arcet, nec labor cohibet.

SIc hominum delirat amentia, vt Veneri inſeruire adnitantur, etiam cum recedere aliena ſtrage admonentur. Periculum imminere, alterius vociferatur ſupplicium, & nihilominus contumax, ſurdumque perſeuerat ſtudium. Nouerunt plures fœminæ ob iniuriam marito illatam non paucas violenta morte peremptas, & nihilominus inhiant has infames, & periculoſas delicias obſcuri ignis vaporibus cæcæ, aut rabido furore deliræ. *Libentiſſimè effugi libidinem* (aiebat Sophocles apud Stobæum de Intemperantia *cap. 6.*) *tanquam rabidū, & ferum dominum.* Exoculatus hic affectus ſic hominibus dominatur, vt abrumpant fræna, & contemnant grandia diſcrimina. Dagon, id eſt, Venus, vt ſæpè iam vidimus, adoratores plures admittebat; non tamen tulit impunè, nam manus, & caput iacuerunt in limine detruncata. Crederes omnes viſa ſtrage eam domum auerſaturos, & tamen ingredi adlaborabant non greſſu, ſed ſaltu: *Non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius ſuper limen Dagon.* Limen horribili caſu arcebat greſſum, ſed contra ſtragis monita ardens limen tranſiliebat delirium. Eam conabantur domum ingredi, vbi ſtragem accidiſſe miſerrimam non poterant ignorare. Notauit noſter Sanctius: *amens omnino eſt Venus, & ambitio, quæ neque quid res ipſa poſtulet, aut portendat, conſiderant, neque ab ipſo etiam Deo ſe doceri ſinunt. Hæc videtur Deus docere voluiſſe, Dagonis caput, & manus calcandas potius eſſe, quam religioſo cultu veneranda: at illi non ſolum laborioſè, ſed indecorè ingrediuntur templum, tranſiliuntque limen.* Præciſſæ manus, detruncatum caput, quæ arcere debuiſſent ingreſſum, calcar videbantur celeriorem ad ſaltum. Frequenter in meretricum domibus infortunia contingunt, ſe riuales vulneribus feriunt, aut occidunt: cumque effuſus ſanguis clamet ab illius domo abſtinendum ingreſſu,

ingressu, sunt, qui velociori ingredi conentur saltu.

§. XXXIV.

Pulchra Venus, etsi aliquo tempore celebretur plausu, habetur tandem ludibrio.

FOemina gloriæ animal est, sitienter exambit plausum, libenter pulchritudinis audit encomium. Vt equus manuum sonitu velociorem incitatur ad cursum, vt clangoribus miles inardescit ad bellum; sic fœmina adulationibus incitatur, & euanido plausu allicitur. Nonnullæ non adeo libidinis aduruntur stimulis, vt gratis capiuntur elogiis; pudicitiæ contemnunt iactu-ram, si iactura futilem plausus coemerint gloriam; vt eis aprare possis, quæ aliorsum Cassiodorus 3. *var.* 15. *scribebat: Si frequenter victor per diuersorum ora volitauit plus vectis fauore, quam curribus.* Adnectit: *Frequentia palmarum eum alci faciebat maleficum, inter quos magnum præconium videtur esse ad talia crimina peruenire.* Per crimina sitiunt peruenire ad elogia, & honestatem euacuant, ne euanidam amiserint laudum gloriolam: verum, ni prudentiam abiurassent, plausus desiderium non intemperantiæ, sed honestatis existeret incentiuum Quandoquidem etsi aliquo tempore inser-uientes libidini superbiant laudibus celebratæ, quam cito sordent ludibrio despectæ, & ipse, quem venustas habebat plausum, transit quã cito in contemptũ. Dagon facie, vt vidimus, Venerem repræsentans, in Azoto, id est, in incendio à plurimis colebatur; tumebat Venus plausibus celebrata, & vanissimis elogiis superba; sed iam ipsa facies iacuit in limine, vt haberetur ludibrio, & cõculcaretur despectu: *Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Iam facies illa, quæ alliciebat, tempore elanguit, & olim fugiendo plausu celebrata, despectui, & ludibrio iacet exposita. Notauit noster Sanctius: *Non poterat omnibus non esse ludibrio, cum esset in limine, quod omnium hominum vestigia calcabant, sed amens omnino est Venus.* Ni venus esset amens, non ambiret plausum indecoro postea ludibrio soluendum, quandoquidem grauius, quam volaticum lucrum, erat honoris dispendium: verum attendit solum fauoris plausum, nec futurum cogitauit ludibrium.

TEXTVS.

VERS. VI. Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos, & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.

§. XXXV.

Qui strage noluit erudiri aliena, ingemiscere solet propria.

FEliciter eruditur, qui alieno in capite præmonetur, nam excusat periculi incommodum, & admonitionis demetit fructum. *Graue est* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 20.) *sapienti offendere, vbi alterum reperit incidisse.* Alienus casus, dum ostendit scandalum, est gradientibus documentum; quod si imprudentia obsurdescat, & aliena calamitate non sapiat, quod alienis noluit addiscere, propriis solet calamitatibus edoceri. Retenta ab Azotiis Dei Arca Dagonem contriuit, vt pœna trunco insensibili inflicta rationalibus restitutionem suaderet, & caligantes indignis affectionibus oculos aperiret. Illi resplendentem in ipsa vindicta misericordiam non attenderunt, & Arcam remittere imprudenter detrectarunt: ergo internis acutissimisque doloribus excruciantur, vt edocerentur calamitate propria, qui eruditi noluerant aliena: *Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* Non ingemiscerent internis anxietatibus pressi, si Dagonis ruina oculos aperirent admoniti; verum dum aliena in calamitate suo nolunt prouidere periculo, graui diserucciantur tormento. O quantam euitassent anxietatem, si percipere voluissent admonitionem! Iuste manus Domini est aggrauata, dum obsurdescere affectauit imprudentia. Notauit noster Sanctius: *Sæuierat Dominus prius in Dagonem, quem Philisthini vero Deo, & illius Arcæ prætulerant. Quo facilè cognoscere potuit populus ille gentilicus in suo Dagone nihil esse honoris, nihil virtutis. Nunc aliud edidit suæ virtutis argumentum.* Secundum diuinæ seueritatis non experirentur supplicium, si Dagonis absque detrimento proprio expendere voluissent casum; verum dum alieno in capite non resipiunt, excruciati sæuis doloribus gemunt.

§. XXXVI.

Imprudentia est ita præsens vitare incommodum, vt grauius tibi adaggeres detrimentum.

ALiorum error vtilem nobis parit doctrinam, & edocet salubrem cautelam. Negotiatio est aliqua animosè pati, ne cogaris postea grauissima sustinere; expendendum est futurum detrimentum, vt præsens viriliter feras incommodum; nam prouidentia vires inspirat, & ædificat robur ad sustinenda præsentia mala. *Si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis, & animæ vigore* (aiebat Tertullianus *ad Martyras cap.* 4.) *vt gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmium laudis humanæ, possum dicere, modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis, & diuinæ mercedis. Tanti vitrum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso.* Prudens vitabit præsenti dolori subuenire, si remedio nouerit grauius sibi malum comparare. Pati malebant Ethnici tormenta, quam æternanda amittere elogia, & ne subirent imbecillitatis notam, indurabantur ad pœnam. *Cessit carnifici meretrix Athenien sis* (verba sunt dati Tertulliani) *quæ conscia coniurationis cum propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos, & nouissimè linguam suam comestam in faciem tyranni exput, vt nihil agere se scirent tormenta, etsi vltra perseueravent.* Expendit se ipsa grandior, & fortior, si coniurationis confiteretur notitiam, ob secretum, turpi morte plectendam, & maluit graui dolore redimere vitam, & exputa lingua famam. Itaque noluit grauiori damno præsens vitare tormentum, sed fortiter tulit tormentum, ne infame subiret postea supplicium. Hunc ipsam Philosophiam Philisthæi videntur sequuti, sæuissimis, internisque doloribus cruciabantur: *Aggrauata est manus Domini super Azotios.* Non ignorabant posse doloribus subuenire, si Arca, quam delusi credebant Deum, à se vellent amandare; vrebantur tamen, si ad suos rediret vires, quibus in ipsos prævalerent, indituram, & doloris redemptione morte plectendos: ergo maluerent vrgentem sustinere dolorem, ne grauiorem subirent calamitatem. Opportunè Abulensis *q.* 6. *Crediderũt, quod hoc acciderat, quia Deus erat iratus Hebræis: posset tamen eis iterum reconciliari, & si maneret Arca apud eos, adiuuaret illos, & redirent omnia inconuenientia, quæ supra dicebantur contra Philisthiim: quamquam accidisset iste casus, Philisthiim semper desiderabant apud se tenere Arcam.* Videbant, amandata Arca, posse præsentibus

LAXERA
Lib. I.
Reg. 4 ND.
C. IV
15

præsentibus incommodis liberari, sed timebant, ad suos remeante, ab Hebræis clade grauissima premi: ergo vt futuram vitarint cladem, præsentem elegerunt sustinere dolorem: *Ideò quamquam accidisset iste casus, Philisthiim semper desiderabant apud se tenere Arcam.* O si Christiani à Philisthæis eruditi hac uterentur salubri prouidentia, & prouidenti politica! vrgentur aliquando inopia, premuntur nuditate; vtque his incommodis prouideant, Deum à se amandant: castitatis iniuria quæritur ornatus, conscientiæ vulnere cultus, nec expendunt præsentis incommoditatis remedium luēdum immortali supplicio. Discamus à Philisthæis præsentia sustinere incommoda, ne postea incurramus grauiora supplicia.

§. XXXVII.

Calamitosum est Dei offensa quærere sibi volaticam splendorem, & carissimam vanitatem.

VOlatica gloria, & in futura tempora fama sic ardentem hominum inflammat sitim, vt prudentiam fascinet, & contumaciam inspiret. *Hodiè* (aiebat Tertullianus ad Martyras *cap. 4.*) *apud Lacedæmonas solemnitas maxima est, id est, flagellatio. In quo sacro ante aras nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus, & propinquis, & vti perseuerent adhortantibus.* Iniquæ huius patientiæ rationem subdit: *Ornamentum enim, & gloria deputabitur maiore quidem titulo si anima potius cesserit plagis, quàm corpus . . . Tantum terrenæ gloriæ licet de corporis, & animi vigore.* Vt Dianæ adolescentes inirent gratiam, pertinaci patientia exponebant flagellis vitam. Contumaci constantia friuolam emebant gloriam ante Dianæ cadentes Aram. Dolor acerrimus consulebat cedere, sed euanidæ gloriæ studium suadebat persequare. *Lacedæmonij pueri* (inquit Plutarchus de Laconicis institutis) *per integrum diem flagellis cæsi, sæpenumerò ad mortem vsque ad Dianæ orthiæ aram læti, alacresque tolerant, atque inter se de victoria certant, in eo posita, quis diutius, magisque perferat verbera, victoremque summa consequitur gloria.* Certabant hi adolescentes, quis eorum plus pulcherrimæ Dianæ placeret, sibique alliceret, non stabat illis parui inanis hæc gloria, & præ aliis, fauoris gratia; verùm eos perducebat cæcitas, vt vulneribus emerent beneuolentiam, & nunquam sibi fruendam conquirerent morte famam. Hoc delirium etiam imitati sunt Philisthæi; quia Dei Arcam apud se retinebant, grauissimis doloribus torquebantur: *Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* Cùm facilè adeò fuerit Arcam restituere, & cruciatus sæuos adeo vitare, quærunt Interpretes, quid fuerit in causa, ne Arcam dimiserint, & dolores pertinaciter tolerarint? Abulensis q. 6. putat, retinuisse vt victoriæ testimonium, ne dimissa semel Arca elogium illud maneret obliuione sepultum: ergo ne amitterent illam gloriam, obstinatè ferebant plagam. Accipe Abulensem: *Hoc faciebant ad demonstrandum magnam gloriam suam inter gentes scilicet quia bello superauerant Israelitas, & captiuauerant Deū Israel.* Retenta Arca florebat victoriæ gloria, & æternabatur fama: ergo ut volaticæ consulerent gloriæ, exposuerunt vitam discrimini, & dum cæci Arcæ offensa elucrari discupiunt famam, exponunt confusis calamitatum vorticibus vitam. Eodem tempore audis Arcam offensam, regionem destructam, & vitam discriminibus expositam; nam quisquis Dei offensa quærit plausum, maturabit sibi supplicium.

§. XXXVIII.

Qui Dei Arcæ captiuitatem tentarunt, confusi pœnas dederunt.

THermarum fabrica gloriabatur Roma, vti de singulari orbis miraculo: per has virgo Aqua nullis sordibus infecta, aut saporibus ingratis adulterata excurrens ciuitati afferebat salubre oblectamentum, & perenne commodum: verum cum succrescentes arbores hanc ciuitatis gloriam viderentur minuere, caurum est competenti studio frænare. Audi Cassiodorum *7. variar. 6. Thermarum illa pulchritudo quid esset, si dulcissima quædam æquora non haberet? Currit Aqua virgo sub delectatione purissima, quæ ideò sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur. Nam cum aliæ pluuiarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aërem perpetuò serenum purissimè habens vnda mentitur.* Aliæ vndæ terrena commixtione violatæ saporem adulterabant, hæ verò tempestatum iniurias non sentiebant, sed aduersus tempora saporem semper virgineum seruabant. Aduectit Cassiodorus: *Hæc non superflua commemoratione narrauimus: vt possis aduertere qualis ære diligentia perquiratur, cui pulchritudo tantæ committitur . . . In primis noxias arbores, quæ inferunt fabricarum ruinas, dum sunt quidam importabiles arietes, censemus radicitus amputari: quia nulla lasio remouetur, cuius origo non tollitur.* Arbores, quæ nisi purissimæ aquæ detrimentum conarentur afferre, virenti floriditate micarent, suspiciendo semper decreto emarcuere frænatæ, & regali auctoritate depressæ. Et quod inanimatis arboribus contigit, Philisthinis etiam accidit. Intrauit Dei Arca Azotum (interpretatur patris incendium) vt ibi singulari radiaret victoria, vbi hæreditaria cæteri lugebāt pœna. Ibi Dagon ad Arcæ pedes prostratus coactus est exhibere reuerentiam, & singularem fateri gloriam. Verùm Philisthæi, dum captiuam Arcam instituerunt asserere, grauissimis pœnis coacti sunt sententiam mutare: *Aggrauata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* Indignam de Arca existimationem dignissima soluerunt pœna, nec cessauit calamitas, quoúsque Arcæ triumphum agnouerunt, & oblatis muneribus publicarunt. Adest Abulensis *quæst. 6. Alia causa huius* (calamitatis) *esse potuit, scilicèt quòd Philisthiim hoc faciebant ad demonstrandam magnam gloriam suam inter gentes, quia bello superauerant Israelitas, & captiuauerant Deū Israel.* Dum captiuam putabant Arcam, Deum Israel existimabant captiuum, quasi idem fuerit Arcam dehonestare, & captiuitatis notam Numini impingere: verùm grandi suo detrimento experti sunt Arcam nullatenus fuisse captiuam, sed in ipso incendio resplenduisse triumphis de Dagone immortalibus coronatam.

§. XXXIX.

Communis culpa plecti debet communi pœna.

NOn debent à consimili pœna eximi quos constat eisdem criminibus denigrari. Generalis culpa generali districtione punienda est. Aurum, aut dignitas aliquibus non conferat priuilegium si æquales cæteris fecit peccatum. *Si quis in tantam raptus amentiam* (aiebat Athalaricus *9. variar 18.*) *tyrannico spiritu iuri publico parere neglexerit, viribusque præpotens destinati officij seruerit paucitatem, relatione iudicis nostris auribus ingeratur, vt indulta executione Saxonum vltionem sentiat vigoris regij, qui obedire noluit cognitori.* Non passus est Athalaricus dignitatis prærogatiua, aurive eloquentia debitū eluisse supplicium, quem constaret sceleratum perpetrasse paccatum. Vt etiam auri opulentia, & dignitatis

præstantia

præstantia non profuit Satrapis, ne communi punirentur vindicta, dum generali denigrabantur offensa. Azotij Arcam veluti victoriæ trophæum suam asportauerunt in ciuitatem; didicerunt tamen ingenti detrimento, quàm existimabant, victam, lucere Arcam etiam in Dagonis ditione triumphis coronatam: *Aggrauata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* Nobiles, populariséque eodem mulctantur supplicio, quia simili deliquerunt errato: à Deo licuit inflictum fuisse supplicium, quando nullum exemit dignitatis, aurive priuilegium: *Aggrauata est manus Domini super Azotios.* Non diuites exempti, non nobiles impunitate donati; nam cœleste iudicium, quos criminibus inuenit æquales, & verberibus fecit consimiles. Terrenus iudex forsitan auro concederet priuilegia, aut in magnatibus non inueniret delicta. Ast Deus, dum inuenit omnes Azotios Dagonis adorasse figmentum, generale inflixit supplicium. Notauit Glossa: *Vt plaga communis esset, quoniam culpa communis erat.* Quos similes fecerat culpa, & cœlestis adurit pœna. Vt diuites, nobiléque agnoscant parum suaue effugisse districtionem humanam, quando eludere nequeunt diuinam. Cœleste edictum omnibus iudicibus imitandum præbuit documentum, scilicet æquali puniendos pœna, quos æquali sordidatos inuenerint culpa.

§. XL.

Maria Sanctissima Dei iram temperat, & peccatores cum Numine reconciliat.

SAnctissima Virgo solicitam adeò se matrem peccatorum constituit, vt matres vincat pietate: non adeò solicita matres auxietate filiorum commoda satagunt, non ardentiori studio propulsare pericula cupiunt. Quod parentibus persuasit natura, hoc à Maria Sanctissima obtinuit misericordia. *Filiorum causas* (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 21.) *iure ad patrum cognoscamus remississe personas, vt ipsi de illorum proiectu debeant cogitare.* Felix causa, quæ ad matrem remittitur, quandoquidem ipsa natura, vt filiis consulat, admonetur. Hinc est, quod humani generis hostis nullum aliud infestius vereatur fatum, quàm Virginis pro hominibus patrocinium. Maria Numinis desæuientem continet iram, & tempus impetrat ad salubriorem pœnitentiam. Quibus lactauit, Christo Domino ostendit vbera, & matri donet, quod iniqua hominum non permittebant scelera. Quem Mariæ protegit vmbra, letifer anguis non lædit, nec ardor detestandus consumit. Ob id Philisthæi dæmonum gerentes personas malebant, vt in Israëlitas concepto adularentur odio, quam Arcam ad suos remittere, graui adurgeri tormento: *Aggrauata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* Cum remittendo ad suos Arcam ad manum tormentorum haberent remedium, quærunt Interpretes, cur adeò pertinax perdurarit studium? Abulensis *quæst.* 6. existimat voluisse Arcam ab Israëlitis abesse, ne Dei ira in Hebræos desineret desæuire. Ipsum audi: *Crediderunt, quòd hoc acciderat, quia Deus erat iratus Hebræis, posset tamen eis iterum reconciliari, & si maneret Arca apud eos, adiuuaret illos.* Desiderabant Philisthini Dei iram Israëlitas atterere, verebantúrque si eos Arcæ præsentia tueretur, indignationem sopiendam, & eius patrocinio Israëlitarum caulam prosperandam: ergo admitebantur salubri eos dispoliare tutela, quo desæuiret Numinis ira. Irritus fuit Philisthinorum conatus, sed non timuisse sine causa manifestè ostendit euentus; nam reduce iam ad suos Arca in Numinis gratiam redierunt, & Philisthinos repetitis cladibus deuastarunt. Cùm Christus Dominus tumidos maris fluctus firmo posset vestigio calcare, nauis ductus auxilium tulit homini iam quodammodo desperato, & à dæmone tyrannica violentia possesso: *Exeunti ei de naui statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. Marc. 5. v. 2.* Homo ad Christum inuolat, & vice versa graue adeò dæmonem tormentum discruciat, vt anxiis aërem clamoribus repleat: *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Quæramus, cur nauim insciderit, nec, vt alias, labiles fluctus calcarit? Si Israëlitas mare sicco vestigio fecit transire, si stupentes vndæ iter reliquerunt Hebræis, cur Dominus mulcit naui fluctus tranare, quàm vestigio, vt ad Gerasenos peruenerit, maris tumorem reprimere? Iam respondet Chrysolog. *serm.* 16. *Desperatos videbat, quibus ibat diuina remedia largiturus: ibat ad eorum curam, quibus humana iam defecerat cura.* Cùm nauis, quæ Christum recipit, Matris Virginis fuerit symbolum voluit ostendere, quantum peccatoribus profuerit vel vmbra: nauis aduehit celeriter Christum, vt desperatis etiam subueniat, & dæmonis vincula soluat. Nec enim vbi Mariæ imago peccatoribus propinquauit, potuerunt non frui cœlesti misericordia, & tyrannica dæmonis liberari violentia. O quàm profuit multis secum gerere Virginis simulacrum ad abigendum dæmonium, & ad eludendum digna pœnitudine, quod ob scelera appetebat supplicium.

§. XLI.

Ab ipsa voluptate procreatur tormentum, & delicti acceleratur supplicium.

QVisquis fœdæ inseruiuit voluptati, annexo se exposuit etiam discrimini. Cursus iste in præcipitia deducit, & periculosas solicitudines affert; animus euigoratur, intellectus obtunditur, visus adeò deprauatur, vt quæ celeri volatu debuissent effugi, contingat discrimina maturari. Ex ipsis voluptatibus dolor nascitur, & gemitus oritur. *Ipsæ voluptates* (aiebat Seneca *epist.* 24.) *in tormenta vertuntur.* Ex epularum nimietate cruditas, ex vino neruorum prauitas, ex libidine omnium articulorum resultat debilitas. Exulcerata, & ægra corporis membra medicorum patiuntur manus, & euaporata luxuriæ momenta longa compensantur angustia; alios adurit cauterium, aliis os raditur, aliis aliquod membrum præciditur. Cæca adeò est libido, vt non solùm non intueatur futura, sed nec præsentia; non videt subfallaci oblectamenti bractea latere saniem, & immaturam non semel mortem. Azotij fœdam, pudendámque plagam sustinere coguntur, & internis, ac sæuissimis doloribus discruciantur: *Percussit in secretiori parte natium Azotum.* Vnde Azotiis ortus gemitus, vnde eiulatus, quærunt Interpretes; asseruntque infanda, & propudiosa oblectamenta attulisse anxia adeò suspiria, & sæuissimis doloribus vrxisse viscera. Qua parte infandum exercebant oblectamentum, ignominiosum tulere supplicium, vt ibi iustum desæuiret supplicium, vbi detestabile libidinis exarsit incendium. Ira Glossa Interlinearis: *Percussit in secretiori parte, quoniam Sodomitæ erat.* Breuis, propudendáque libido sic corpora infecit, vt internis discruciarentur doloribus, & fœtidis replerétur vlceribus. Ipsa voluptas sauciat, & cruciat. Ægyptiorum optimates, vt Principi adularentur, Saræ ibi tunc peregrinæ pulchritudinem certatim laudibus extulerunt, & vt sibi raperet, incitarunt. Fors sperabant magnæ præmia, quia eiusmodi exhibuerant officia. Pharao tulit fœminam, & cum fœmina ingentissimam etiam plagam. *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram. Gen. 12. v. 17.* Libidinosus affectus eos attulit cruciatus, vt iam diuersas ageret curas, & solum præsentes fugere cogitarit miserias. Adest Philo *lib. de Abrahamo*: *Graues pœnas, & cruciatus magnos* (Deus) *inflixit Regi, ita vt animo, corpóreque laboraret morbo simplici.* Hoc modo consultū fuisse mulieris pudicitiæ, & mariti honori, arbitrantur Interpretes; verùm etsi illæsa, intactáque ad maritum redierit

NAXERA
LIB. I.
REG. CAP. V.
C. LI
15

Sara, raptorem interna, extemáque discruciauere tormenta: vt historiæ penicillo adumbraret Textus, quantis se inuoluant doloribus, qui carè luendis addicuntur voluptatibus.

§. XLII.

Veneris cultores non solum doloribus atteruntur, sed etiam facultatibus denudantur.

DIximus supià dolorem libidini esse immixtum, tormentumque frequenter annexum. Videamus modo, quàm afferat facultatum iacturam, & honori imprimat notàm. Quisquis se libidini tradidit, & pauperrati subiecit. *Debilitatem* (aiebat Seneca *epist.* 55.) *nobis indixere delicia.* Addit de Varia: *Sibi non vixit, sed (quod est turpissimum) ventri, somno, libidini.* Iam mortuus erat famæ, qui indulgebat luxuriæ. Ad hæc: cum fœminis hanc rem tractantibus studium acquirendi, & placendi sit, ornatus floriditatem, & splendorem affectant, & vt æquantur, dispoliant. Notauit Tertullianus de Pallio *cap.* 4. *Tales igitur habitus, qui de natura, & modestia transferunt, & acie figere, & digito destinare, & nutu tradere merito sit. Prorsus si quis Mæandrico fluxu delicatam vestem humo protrahat, audiat pone se quod & comicus. Qualem demens iste clamydem disperdit.* Clamys disperditur, cùm ad clamydem nigrescenti purpuræ rubore tingendam aurum expendatur. Reipublicæ patres non permittebant homines ornatu libidinem spirante vestiri, nec fœminas nimio, ac luxurioso cultu exornari, vt qui non ignorarent, magnas in laciniosis, acuque pictis ornamentis diuitias consumi, & Rempublicam depauperari. *Conuerte* (prosequitur Tertullianus) *& ad fœminas. Habes expectare, quod Cæcina Seuerus grauiter Senatui impressit. Matrona sine stola in publico, denique Lentuli Auguris consultis. Quæ ita se exauthorasset, pro stupro erat pœna. Quoniam idem indices, custodesque dignitatis habitus, vt lenocinij facilitandi impedimenta sedulo quadam desuefecerant.* Habitus modestiam, munditiarum temperantiam auersatæ fuerant, quæ exercere discupiebant luxuriam. Exprobrauit Consul ille Cæcina Senatoribus non curasse, nec scueris legibus coëgisse ad ornatus modestiam, & temperantiam. O tempora, ô mores! Quàm miser est maritus, qui imprudenter artifex suæ ignominiæ expendit diuitias, vt vxor maiorem circumferat splendoris pompam, cum sæpè ipsa pompa honori prætendat insidias. *At nunc* (iterum Tertullianus) *in senetipsas lenocinando, quo planius adeantur, & stolam, & supparum, & crepidulum, & caliendrum eierauere.* Repudiarunt quidquid sapiebat modestiam, & ornatu gestarunt quidquid olebat luxuriam. Totum patrimonium margarito vno expenditur, vt pompaticæ, & euanidæ gloriæ inseruiatur. Adnectit: *Immundierem loco cernicem monilibus consolatur, & armillis, quas ex virorum fortium donis, ipsa quoque matrona temerè vsurpassent, omnium pudendorum conscias manus inserit* Margaritum, quo nobilis fœmina etiam ex mariti dono ornari non auderet, propudiosa lupa inuerecundè ostentat, & amasius patrimonium, vt ei placuerit, dilapidat. Adde: hæc negotia consciis aliquibus peragi, quorum silentium auro emitur, vt auxilium etiam muneratur. Azotij, vt sæpè vidimus, Venerem colebant: hi non solum tuletunt plagas, sed muribus deuastantibus amiserunt etiam diuitias: *Nati sunt mures.* Mures corroserunt vites, & segetes, quia in murium cibum expendebatur seges, & vitis. Per murem sordes vitiorum significari testatur Lauretus Ceruariensis in Allegor. *Sordes vitiorum significat.* Quam sordidis ministeriis negotia carnis tractantur, & quanta ad ciusmodi ministeria impenduntur. Veneris studiosi sæpè indigent mulierculis, & homuncionibus, qui proxenetarum adinstar occasiones concinnent, partesque concordent: ergo ad hos fœdissimos mures adipandos opus est repetitis muneribus, quo fit, facultatem aut dilapidari, aut imminui. *Immisit Deus murium multitudinem* (inquit Theodoretus) *in vites & segetes, qui omnes fructus eorum perdiderunt.* Vbi culta Venus refertur, & vitis fructibus viduata conspicitur: nam Venus & salutem minuit, & diuitias semper abrodit.

§. XLIII.

Ad puniendos scelerum artifices ipsa delicta extorquere solent miracula.

EA aliquando peccatoribus accidunt, quæ communem rerum tenorem excedunt, & quamuis omnia decretis constet cœlestibus euenire, videntur prodigia ad puniendum auctores, ab ipsis quodammodo sceleribus extorqueri. Solitas culpas temerè supergressi, fas est discrucientur supplicijs prodigiosis puniti. Plinius minor lib. de Prodigiis agros refert truculentos luporum grege dissipatos, & Gracchum in Auentino violenter occisum, vt non communi supplicio solueret, quod auaritia non communi acquisiuit. *Grex luporum limites, qui in agrorum diuisione per C. Gracchum depositi erant dissipauit. Ipse Gracchus in Auentino occisus.* Gracchum limites agrorum deposuisse, idem est, ac dissipasse, euertisseque: ergo mortem, & lupinam voracitatem contra se excitit, qui voraci cupiditate præfixos limites deposuit, & rupit. Nec aliter Philisthæis accidit. De viris in fœminas transibant, & delictis propudiosissimis naturam dehonestabant. *Sodomitæ erant,* inquit Interlinearis: ergo copiosus murium exercitus in campum prodit, & fructus omnes consumit: *Ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magna in ciuitate.* Mors magna ciues vorabat, & mirabiliter ingeminabantur supplicia, quia vltra modum crescebant etiam scelera. Murium copia non est naturaliter procreata, sed miraculosè producta, nam vt fœda libido naturæ ignorabat leges; ita supplicium etiam vires euincebat naturæ, inuisa retrò prodigia extorserunt contra se inusitata peccata. Notauit Abulensis *q.* 15. *Isti fuerunt supernaturaliter producti, quia licet esset aliquid naturale in terra, ex quo gignerentur, non erat tamen aliqua virtus naturalis, quæ tot mures, & ita velociter genuisset.* Aliquos terra mures in fructus armaret; verum cum naturæ limites peccata excederent ad infamiam, ingentem sustinuerunt productam supernaturaliter murium copiam, & additæ sunt naturæ vires, vt mirabiliter discruciarent etiam dolores. Vsque ad miraculum in Azotios perpetrata militauere delicta, & miranda insolescentem turpitudinem adurserunt etiam tormenta.

§. XLIV.

Minutissimis rebus de hostibus Deus reportare solet victoriam, vt durius puniat insolescentem superbiam.

SAtis Deo est pro armis ad hostes deterendos locusta, satis est mus ad reportanda trophæa. Quo debilium militum manu obtinetur victoria, durius detriumphati detorquetur superbia. Virga Moysis quierem percutit, & scinphes, vt Ægyptios seuerè puniat, educit: *Extendit Aaron manum virgam tenens, percussitque pulueremterræ, & facti sunt sciniphes in hominibus, & in iumentis. Exod.* 8. *vers.* 17. Putares iustitiæ, æquitatisque virgam toruos producturam leones, aut voraces, velocesque tigres; sed cum posset eadem facilitate truculenta armare animalia, produxit satis exigua. Et cur? Quia hoc animal alta petit, & morsibus vrit. *Hoc animal* (inquit Stephanus in Alleg. Tilmani ad Exod. 8.) *molestum est, & inquietum, magna impetit, & acriter pungit.* Pœnæ dolorem adauxit

adduxit non solùm prolixitas temporis, sed exilitas tortoris. Nec aliter cum Philisthinis est actum: maluit Deus quàm truculentas feras immittere, corrosivam murium copiam armare, & mortis sæuissimæ confusionem inuehere, vt experimento discerent, quàm Deo satis essent exigua ad de hostibus reportanda trophæa. *Facta est confusio mortis magna in ciuitate.* Adest Abulensis *quæst.* 15. *Tam in locis habitatis, quàm non habitatis erant mures, ne possent Philisthini confugere ad aliqua, in quibus agritudinum suarum haberent aliqua linimenta.* Quocumque Philisthini se verterent, murium patiebantur morsus, nec erat ars, aut industria, vt sæuos euitarent cruciatus: minuta animalia incrementabant tormenta, & erat dolor immanis à muribus abrodi, & à sordidis discruciari.

§. XLV.

Quantumvis leues, si multiplicentur culpæ, virtutis pulchritudinem deuenustant, & animi vim enervant.

QVantumvis leuia, si multiplicentur errata, imminebunt grauia pericula: non auferent per se amicitiam cum Numine: verum vt repetitæ guttæ lapides excauant; sic, si leues succrescant culpæ, debilitant cordis vigorem, & virtutis devenustant pulchritudinem. Imbelles robustis cedimus, imprudentes exigua despicimus, nec animaduertimus scintillas in incendium aliquando flauellari, & valida robora tinea abrodente consumi. *Lata, atque diffusa est operatio mali* (inquit Tertullianus *de Patientia cap.* 11.) *multiplicia spiritus incitamenta iaculantis, & modo parvula, modo maxima: sed parvula de sua mediocritate contemnas, maximis de sua exuberantia cedas.* Dæmon, qui malum antonomasticè à Tertulliano appellatur, nunquam facit otium nos incitandi; exiguis impetit, vt contemnas, in campum producit magna, vt animo cadas; vbi facilè ad magna scelera trahere non posse animaduertit, exiguis aggreditur robur debilitare, vt paulatim si vigorem animi debilitarit, semel debilitatum faciliùs possit subigere. *Capite nobis vulpes parvulas* (aiebat Sponsus) *quæ demoliuntur vineas. Cant. 2. vers.* 15. Vulpes parvula parum nocumentum afferet, verùm de numero præualet, & fertilem vineam abrodit. *Foueas fodientes* (inquit noster Delrius in littera) *denudant radices, & faciunt exarescere.* Radix tecta temporum resistit iniuriis, denudata patet offensis: ergo vulpes, etsi vitem radicitùs non euellat, facit arescere, dum denudat. Magna mortis confusio Azotios adurgebat: *Facta est confusio mortis magna in ciuitate.* Et vnde hæc magna mors procreata? Ex exiguis profectò muribus: *Nati sunt mures.* Vnicus mus mortem non adduceret; ast dum grandi armatur numero, grauissimo Philisthæus adurgetur tormento. His Scriptura symbolis delineat, quid negligentibus accidat. Dum studio solicito exigua vitantur, virtutes florent, & nitent; ast si per ignauiam animus multiplicatis exiguis culpis eneruetur, facilè graui impetente tentatione subruitur, & qui hosti resisteret fortis, cedit minutis culpis eneruis. Adest Hugo: *Facta est confusio mortis magna; quia mures comedebant fruges, & extales corrodebant.* Corrosis repetito morsu extalibus mortem subibant, & desticuti viribus infirmitati cedebant.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. VII. Videntes autem viri Azotij huiuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat Arca Dei Israël apud nos, quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.

§. XLVI.

Parum iuvat, ni causam mitaris auferre, calamitatis occasionem aliquantulum separare.

PEccatores voluptatibus irretiti, & suppliciorum metu perterriti adnituntur artem inuenire, qua & conscientiam aliquantulum sopiant, & culpam radicitus non abscindant. Intellectui suo contumeliam faciunt, dum videntes nolunt videre, & sibi prorsus aduersantia saragunt amico fœdere concordare. Notauit Tertullianus *de Pœnitentiâ cap.* 5. *Despicit porrò, qui bonorum, ac malorum intellectum ab illo consequutus, quod intelligit fugiendum quodque iam fugit resumens intellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit.* Contumeliam facit intellectui, qui renitente ratione sibi persuadet, satis esse radicem mali permittere, si contingat aliquantulum separari. Adnectit Tertull. *Itaque se salvo metu, & fide peccare, hoc est, salua castitate matrimonia violare, salua pietate parenti venenum temperare. Sic ergo & ipsi salua venia in gehennam detrudentur, dum salvo metu peccant.* Hanc peccatorum sententiam Azotij videntur amplexi: Arca retenta magnis afflictationibus cruciabantur; diuisi tamen inter retinendi studium, & suppliciorum metum, decreuerunt non Hebræis restituere, sed à se aliquantulum amouere: *Non maneat Arca Dei Israël apud nos.* Contenti sunt ab occasione tantisper discedere, noluerunt tamen prorsus abscindere. Ità Theodoret. *Fuit Arca Dei in agro alienigenarum septem mensibus.* Aliquo interuallo Arca à se remouentes, putabant adhibuisse calamitati remedium, sed erat manifestum delirium, nam dum discriminis origo non amputatur, dimanans inde anxietudo non tollitur. Manente in agro Arca non cessarunt mures arrodere, frugésque consumere. Vt hinc pro moribus vtilissimum documentum accipias. Solent peccatores, aut mortis metu perculsi, aut præscripto ad exomologesim tempore persuasi peccandi occasionem tantisper remouere, & conscientiam prorsus sic arbitrantur sopire; falluntur tamen, nam manente causâ nequit non perseuerare ruina.

§. XLVII.

Quæ iustè patimur, rigidæ seueritati, & iudicì adscribimus.

NEcesse est (aiebat Cassiodor. 4. *var.* 49.) *vindicta subiaceat, qui prauis moribus obsecundat.* Districtio piè debet in crimina desequire, si delicta contigerit exundare. Sæpè comminatio delinquentes nõ continet, quos pœna componit. Seueritas clementer coërcet, dum sceleratos ausus abscindit: verùm sæpè delictis fœdis denigrati, & criminibus non ferendis obstricti tragædias excitant, & querulî nimia seueritate plecti reclamant. Nolunt infligtam pœnam excessibus delictorum adscribere, sed intractabili, duróque punientis ingenio, quod patiuntur, applicare. Philisthæi non solùm Dagonem merum adorauere figmentum, sed adnisi sunt Dei Arcam Dagonis publicare trophæum. Deus pro sua pietate Dagonis strage admissam ostendit culpam, vt resipiscentes prudenter demutarent sententiam. Illi pertinaciter obdurati, & multa caligine cæci, adhuc deliquerunt admoniti, & quia sæpius homines grauius ferunt

diuitiarum iacturam,quam Numinis sui offensam, fœtidum murium immisit exercitum,si fortè vertant stilũ. Illi verò contra dolores, calamitatésque indurati Dei intractabile, ac durum ingenium criminabantur stultè queruli : *Dura est manus eius super nos.* Non aiunt: Grauissima sunt nostra scelera, sed Deus implacabili nos punit sæuitia : clementia erat in exanimi idolo exercere vindictam, & metu eos allicere ad salubrem resipiscentiam. Quid indulgentius, quàm exigua animalia contra fructus terræ producere, ne cogatur vitas demetere ? Verùm adeò Philisthæi desipiebant, vt suis scelcribus pœnam non adscriberent, & punientis seueritatem durissimam infamarent: *Dura est manus eius.* Notauit Abulensis *quæst.*15. *Hoc refertur ad Deum Israël, scilicet manus Dei est dura super nos graviter nos affligens.* Deum querebantur in affligendo durum, cum deberent Philisthæi agnoscere delictorum excessum. Plures inuenies Philisthinorum discipulos, cùm Deus sua sibi patientia quodammodo detrahat, & tempus peccatoribus ad pœnitendum indulgeat, si eorum contumaciam morbo aut calamitate coërceat, conqueruntur, & vltra patientiam se affligi vociferantur. Quod adscribendum esset crimini, adscribunt punientis seueritati, & malunt Deum delinquere, quàm se agnoscere.

§. XLVIII.

Non adeò dolent homines Numinis offensam, quàm salutis, aut diuitiarum iacturam.

PAtienter ferunt homines Numinis cœlestis iniurias, nec satagunt flammanti zelo eius offensas auertere, aut vindicare, si tamen salutis, aut diuitiarum iacturam subeant, solerter satagunt sibi consulere, & prouidere. Apud homines minoris habetur, quàm facultas, honestas. Opportunè Theogenes apud Stobæum *cap.* 91. *Non frustrate, ò Plute diuitiis præfecte magis quàm reliquos deos colunt.* Non tam attendebant in Plutone diuinitatem, quàm aurum, & licet inferior aliis fabulosis haberetur figmentis, ob diuitias sumptuosioribus colebatur sacrificiis, quia homines plus sitiunt periculosam diuitiarum copiam, quam immortalem virtutis famam, Dei Arca, vt quo fas erat, honore haberetur, potentiæ suæ vim in Dagone semel, & iterum ostentauit: verùm Azotij non demutauere sententiam, immò visa strage obdurauerunt ad pertinaciam. Decertabant Dei benignitas, & Philisthinorum obstinata peruersitas. Quid tunc: Mures immisit, & fructibus Azotios priuauit: *Nati sunt mures.* Profectò alicui ordo vindictæ videatur inuersus, priùs erat fructibus dispoliare, & posteà, vt dolor cresceret, Dagonem, quem venerabantur, ferire. Si visa Numinis ruina non resipuerunt, nec camporum conspecta devastatione resipient. Quando tolerabilius est diuitiis depauperari, quàm tõtumeliam Numinis intueri: ergo minus ab eis obtinebit inopia, quàm Dagonis iniuria. Immò, inquit datus iam Theodoretus, solùm tunc de Arca remittenda cogitarunt, cùm salutem, & diuitias labefactari senserunt: *Non maneat Arca Dei Israël apud nos.* Quare? *Quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.* Dagonem sibi postposuerunt, nec adeò duram Dei manum confessi sunt Dagone dejecto, quàm campo fructibus viduato. Accipe Theodoretum: *Immisit Deus murium multitudinem in vites, & segetes, qui omnes fructus eorum perdiderunt.* Nisi ipsi paterentur inopiam, non remitterent ob cladem sui Numinis Arcam: nam homines non sic dolent Numinis probrum, ac diuitiarum, & salutis detrimentum.

§. XLIX.

Euanida, fugitiuáque gloria graui compensari solet angustia.

SItibunda semper ambitio, dum euanidum inhiat applausum, grande subire solet incommodum. Carè splendor emitur, & cariùs sæpissimè conseruatur. *Quo die* (aiebat Seneca de Seiano *lib. de Tranquillitate cap.*12.) *illum Senatus deduxerat, populus in frusta diuisit: in quem, quidquid congeri poterat, dij, hominésque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret.* Scianus summo honore à Senatu ductus resplenduit, sed dum populo ob acceptas iniurias dissplicet, in frusta concisus iacet. Vires contra se incrementat fortunæ, quisquis euanidæ se intemperanter commisit gloriæ. Opus est ad tranquillitatem modestia, nam quisquis supervacua exambiuit multis se anxietatibus tradidit; nam vt assequatur, solicitudinibus angitur, & assequutus amittendi periculis distorquetur; itaque ambitiosi est annexus labor, possessioni timor. Azotij Dei Arcam retinere studuerunt, vt suprà cæteros Philisthinos ea triumphali splenderent gloria, & vigerent fama: verùm dum supra cæteros tumidi adnitũtur efferri, suprà cæteros etiam accidit ingemiscere: *Aggranata est manus Domini super Azotios.* Philisthæi omnes cœlestem indignationem senserunt; verum Azotij & maturiùs, & grauiùs. Quòd si inquiras causam, Abulensis *quæst.* 15. respondebit, eis molestiis emisse infelicem gloriolam: non potuerunt anxietatibus non adurgeri, dum exambiũt suprà cæteros eleuari. De renuntiando illo honore prudenter posteà cogitarunt, qui aliter molestiam non posse euadere cognouerunt: *Non maneat Arca Dei Israël apud nos.* Audi Abulensem: *Ista dixerunt viri Azoti inter se inito consilio: nam ad eos tanquam ad nimis glorioſos in tota terra Philisthinorum translata fuerat Arca de terra Hebræorum: ipsi autem nunc volebant renuntiare huic priuilegio.* Experiebantur nihil aliud esse honorabili excedere priuilegio, quàm labore vrgeri solicito: ergo vt vitarent incommodum, curarunt à se abjicere priuilegium: *Volebant renuntiare huic priuilegio.* Pro comperto habe, mundialem plausum, volaticum splendorem nequire à molestia separari, nec ab anxietate disiungi.

TEXTVS.

Vers. VIII. Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt : Quid faciemus de Arca Dei Israël? Respondérúntque Gethæi: Circumducatur Arca Dei Israël.

§. L.

Prudens suo iudicio non fidit, sed alios exornatos prudentia consulit.

LIcet ad propria negotia tractanda se quis experiatur ingenij acumine præditum, & perspicacis prudentiæ dotibus exornatum, congruit alios consulere, & quid senserint, indagare. *Magna est* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.*9.) *infinitáque prudentia, quam nemo sic assequitur, vt eam non necessariè, & per alios quærere videatur. Senes ipsi consiliis sapientiam discunt, & a maturis in communi quæritur, quod pro omnium vtilitate tractatur.* Noua lux solet consulentibus affulgere, & quæ ipsi affectionum vaporibus impediti non adeò clarè quibant adspicere, alieno solẽt lumine præcallere. Azotij cùm de remittẽda Arca cogitarent, & doloribus afflictati seriò apud se non mansuetã decernerent: *Non maneat Arca Dei Israël apud nos,* nihilominus Satrapas ob sapientiam celebres consulunt,

consulunt, & quid circa Arcam facere conueniat, inquirunt: *Quid faciemus de Arca Dei Israël?* Calamitas vrgebat, dolor acerrimus diuexabat, Satraparum tamen expectauere iudicium, ne dum propria prudentia fidunt, aliquod committant erratum. Notauit Abulensis *q.15. Nolebant enim soli aliquid de Arca definire.* Cùm ibi sit salus, vbi multa consilia, in re adeo graui noluerunt sibi adulari, & propriam sententiam sequi; nam sæpè qui proprio iudicio regitur, errandi periculo exponitur. Si prudentes consulantur, licet non succedat negotium, est consuluisse solatium: *Nolebant soli aliquid de Arca definire.* Decreuerat Deus detestandis Sodomitarum excessibus prouocatus, vltricibus flammis naturam vindicare, & execrandos consumere, & tamen sui decreti conscium facit Abrahamum: *Num celare potero, quæ facturus sum, Abrahamo? Gen. 18. v.17.* Non fecit suæ sententiæ participem humana prudentia indigens, sed nobis vtilissimam formam exhibens, ne nimium nostro iudicio fidamus tumidi, quando infinita Sapientia ad speciem naturam consulit senectutem, & si fas est dicere, expectat approbationem. Accipe Lyppomanum: *Sic amicis, præsertim familiaribus, & prædignis secreta à Deo reuelari solent: sic viri perfecti, & amici Dei per donum Sapientiæ consummatæ, quasi eius consiliarij efficiuntur.* Ipse, qui ad speciem consulebat, consummatam prudentiam consulto subministrabat, voluit tamen edocere, quam expediat cum senibus, maturisque viris facienda tractare, nec propria nimis prudentia fidere.

§. LI.

Consilium à quouis non est requirendum, sed à moratis, & sapientibus expectandum.

PRouerbium est: *Tractent fabrilia fabri.* Consulere namque circa fabrilia eius artis prorsus ignaros, est tempus terere, & sibi imponere. Ab strenuo duce circa res bellicas est consilium petendum, & à iuris perito placitum erga litigia expectandum. *Aruspices consulebat* (scribit Plin. *6. epist. 22.*) *de actionis euentu.* Superstitiosus adibat aruspices Regulus, sed quia habebantur futurorũ coniectores, consulebat aruspices. Quid enim iuuaret ad prænoscendum euentum consulere alia in materia prudentes. Ob id Azotij, vt qui anxiè desiderarent se à tantis calamitatibus expedire, & negotium illud arduum feliciter absoluere, diuinos, & Satrapas consuluerunt, & magnis sumptibus congregarunt: *Mittentes congregauerunt omnes Satrapas.* Cum Satrapis res publicæ essent commissæ, & diuinis res sacræ, ad quos spectabat materia, consuluerunt, & eorum placitum expectarunt. Notauit noster Sanctius: *Aduocantur Satrapæ, quorum consilio res administrabantur publicæ, & quid facto opus sit, illorum consultatione decernitur.* In re adeo implexa, & difficultatibus plena consilio erat opus: ergo ab eis expetitum est, qui & sapientia conspicui, & experientia ornati. Roboam prudentiæ notam, & imperij subiuit ruinam, dum adolescentes consuluit, senesque spreuit: *Dixerunt ei iuuenes, qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic ... Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue: ego autem addam super iugum vestrum. 3. Reg. 12. v.10.* Consilium quæsiuit, sed ab eis consiliariis, qui graue regno attulerunt detrimentum, & coronæ periculum. Miris coloribus ostendit Scriptura consiliarios eligendos virtute conspicuos, senectute maturos. Consulti senes salubre dederunt consilium, iuuenes consulti prudentiæ, & Reipublicæ maturauere naufragium. *Quod hoc sapienter respondit* (inquit Hugo) *quia voluit habere consilium, sed postea stultè secutus est consilium iuuenum, spreto consilio seniorum.* Prudenter se gesserat, dum petentibus oneris releuationem ex tempore non respondit, sed consilium adhibere decreuit; errauit tamen, dum ab inexpertis, & iudicio immaturis petiuit. Plus Roboamo nocuerunt consiliarij, quàm nocerent inimici. Seriò perpende, à quo tibi expetendum fuerit consilium, ne imprudenter incrementaueris damnum.

§. LII.

Aliquando à quibus erat Reipublicæ calamitas depellenda, ingeminatur adaucta.

INter eos, quibus cõmendata est Respublica inueniri solent, qui iudicij errore, aut cæca propriæ vtilitatis cupidine, quam deberent depellere, calamitati vires addiderint, & dolorem incrementarint. Azotij graui calamitate oppressi, & à Domini Arca repetitis calamitatibus diuexati Satrapas, Diuinósque consulunt, quid faciendum sit circa Arcam: *Quid faciemus de Arca Dei Israël?* Satrapæ circumducendam respondent: *Circumducatur Arca Dei Israël.* Consiliũ executioni mandatur: Arca per alias ciuitates circumducitur, sed circumducta suppliciũ aggrauauit, & duris plagis attriuit: *Illis autem circumducentibus eam fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis.* Vides addidisse vires calamitati, qui debuissent mederi dolori. Grauius ipso laborauere remedio: desperata erat illius plagæ medela, quando sic Deus Satrapas excæcabat, vt morbo ministrarent auxilia: dum iudex, ministérque Reipublicæ perspicacibus oculis opportuna remedia adhibet, spes felicioris fortunæ floret, verùm si à quo sperabatur auxilium, adauxerit detrimentum, nullum remanebit effugium. Adest Abulensis *q. 15. Hic ponitur percussio totius populi, nam postquam viri Azoti percussi fuerunt, fecerunt traduci Arcam per alias ciuitates, & similiter in illis fiebat percussio.* Consilium Satrapæ inierunt, vt vnius ciuitatis calamitatem depellerent, & sic à prudentia, & veritate aberrarunt, vt ad alias etiam detrimentum extenderint, & calamitati robur addiderint. Iustissimis querelis ciues Iericho fontanos latices infamarũt, & calamitatis grauitatem non sine animi mœrore Prophetæ Elisæo explicuerunt: *Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse, Domine, perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis 4. Reg. 2. vers. 19.* Elisæus miraculum patrat, & sale aquæ qualitates immutat: *Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has.* Vnde terræ fœcunditatem afferunt & crystallinis laticibus irrigata emicat fructu copiosa: verùm miraculo opus fuit ad calamitatem illam depellendam, quia indè promanabat damnum, vndè anxiis votis sperabatur auxilium. Adest Hugo Cardinalis: *Optima quoad situm loci, sterilis propter aquas malas.* Quam miseranda erat Iericho Respublica, dũ aquæ, quæ plantis, frugibus, floribus infundere debebant vigorem, afferebant calamitatem. Repetitis clamoribus querebatur olim Principi populus ab ipsis ministris, à quibus mensura, & pondus debebãt æquitati adaptari, auara calliditate corrumpi, & quidem graue scelus erat mensuras imminui, & libras æquissimi ponderis iustitiam non habere. *Milites sedis nostræ* (aiebat Cassiodorus 11. *variar. 16.*) *necnon exactores, atque susceptores, à quibus grauia vobis inferri dispendia suspirastis, præceptis nostris fecimus conueniri, vt deductis ad liquidum ratiociniis, si quid fraudis potuerit inueniri, sine aliqua dilatione persoluat.* Si vẽditoris cupiditas, mẽsuras, ac põdera fraudulenta adulteraret, adhuc Reipublicæ salutis spes maneret; quandoquidem iudices, & ministri ad æquitatem redigerent; verùm dum ab ipsis cognitoribus fraus dimanabat, & Respublica ingemiscebat: quæ enim Reipublicæ grauior calamitas, quam indè promanare incommodum, vndè sperabatur auxilium.

§. LIII.

Dum liuor, æmulatióque, alienæ gloriæ adnituntur obsistere, solent imprudenter augere.

GLoriæ ambitio, & alieni fulgoris æmulatio peregrinas architectatur insidias, & tetras offundere solet tenebras; veritati resistit, & agnitionis præuaricatrix sibi inuidet, & adlaborat ignorare, quæ nequit nescire. Opportunè Cassiodorus 10. *variar.* 28. *Nihil enim securum, nihil poterit stabile reperiri, si semper inuidentium vota ad illicitas accedere permittantur insidias.* Azotij ab Arca Domini repercussi sic oculos claudebant, vt iniquis suspicionibus Arcæ innubilarent gloriam, & aliis causis adscribere adniterentur vindictam. Arcam Dagonis fuisse captiuam, & Dagoni aliquando subiectam, attestabantur, verum Deus de Dagone in Dagonis iurisdictione reportasse triumphos inflictis suppliciis clarissimè ostendit, & miraculis confirmauit. Viderant Dagonem capite, & manibus orbum, & nihilominus contra Arcam perseuerabat delirium: ergo durius eos percussit flagellum. Aggrauata est Domini manus, vt, quæ resistebat miraculis, cederet contumacia suppliciis. Adhuc restitit duritia, & consulitur adhuc Satrapa. Arca circumducitur, & eius virtus nouis argumentis claratur: *Circumducatur Arca Dei Israël.* Cur Satrapæ Arcam circumduci decreuerint, quærunt Interpretes; respondentque, adhuc visa Dagonis ruina, adhuc Azotiis inflicta plaga renuisse Arcæ virtutem confiteri, & procurasse nouis suspicionibus obscurare: cæca pertinacia, & pertinax illorum duritia sibi calamitatem adauxit, & Arcæ clariùs virtutem micare fecit: *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis.* Dum Arcæ gloriam obscurare studiosius adnituntur, triumphis amplioribus famulantur. Adest Procopius: *Suspicati sunt Gethæi illam plagam non immissam diuinitus, sed morbum ex pestilente quadam affectione ortum esse. Arcam igitur ad se transferentes eadem patiuntur.* Consonat Lyra: *Circumducatur Arca ad videndum, si propter eius præsentiam contingeret dicta plaga, quod apparuit per effectum.* Veritas clarius enituit suspicionibus impetita, & virtus triumphauit immarcescendis laudibus coronata. Hæc est enim virtutis, ac veritatis natura, vt clariorib⁹ fulgeat luminibus, dum malignis impetitur suspicionibus.

TEXTVS.

VERS. IX. Illis autem circumducentibus eam fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis, & percutiebat viros vniuscuiusque vrbis à paruo vsque ad maiorem, & computrescebant prominentes extales eorum, inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.

§. LIV.

Qui pessimum exhibuere consilium, consilij experiri solitant detrimentum.

CONsilium à prudentia debet oriri, à candida intentione manare. Sunt tamen, qui consulti leges despiciant, & solum humanas adfectiones attendant: consilia præbent suis adfectionibus adaptata, quantumuis legibus æquitatis aduersa: verum sic diuina prouidentia astutiæ arma contra ipsam astutiam vertit, vt miseros consiliorum demetat fructus, & cogatur edere lamentabiles eiulatus. Gethæi circa Arcam consulti, quod ratio, fasque suadebant, nullatenus responderunt, immo malè erga Arcam, & Israëlitas affecti maluerunt maleuolentiæ blandiri, quam saluti populi prouidere. Circumduci Arcam consuluerunt: ergo vt peruenit ad Gethæos, dignam de eis tulit vindictam, vt consiliorum suorum soluerent meritissimam pœnam: *Computrescebant prominentes extales eorum, inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.* Quid salutis aut vtilitatis eorum consilia pepererint, propriis experimentis didicerunt, & pelliceis sedibus declararunt. Notauit Abulensis *quæst.* 16. *Sustinuerunt nimis Gethæi istam plagam, quia ipsi dederant consilium, vt Arca circumduceretur per vrbes; & non remitteretur in terram suam.* Dum liuori consilium attemperant; sibi ipsis excidium parant; nam qui in consulendo non æquitatis edicta, sed affectionum sequitur placita, fas est, vt sustineat ingentissima detrimenta. Balaam consilium dat non æquitati consonum, sed Balac desiderio attemperatum: *Dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. Num.* 24. *vers.* 14. Huius consilij præmium mors fuit; nam Israëlitæ in consilij vltionem gladio interfecerunt, & detruncarunt: *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. Num.* 31. *vers.* 8. Cædes consiliorum fuit fructus; & quia consilium Principis voluptati attemperauit, violentam sibi mortem asciuit. Adest Glossa: *Patet consilio Balaam subornatas esse mulieres Madianitarum, quæ deceperant Israël: vnde hic velut auctor sceleris interficitur.* Videant, qui consilia præbent, ne, dum à lege, ac ratione decisunt, sibi calamitatem maturauerint, & dignissimam pœnam tulerint.

§. LV.

Pertinax odium mauult aliquando perire, ne æmulo contigerit, resplendere.

PLures odij cæcitate insaniunt, & in se ipsos videntur furere, dum cæcis adlaborant adfectionibus adulari. *Plerumque veritas* (aiebat Gregorius Nazianzenus *orat.* 1.) *subripi odio solet.* Consonat Constantinus Magnus apud Eusebium *lib.* 3. loquens de odio, quo Iudæi deflagrabant in Christianos: *Cæco animarum errore sordidati meritò tenentur.* Plutarchus de Iside ait, Sacerdotes adeò mare fuisse auersatos, vt salem sibi interdixerint, & à suis mensis amandarint: *Hinc mare Sacerdotes detestantur, salémque Typhonis appellant spumam, & ex interdictis in mensa salem nefas est apponere.* Sal Sapientiæ symbolum sibi vetabant, & odium non posse vti prudentia ostendebant. Comprobant thesim nostram Gethæi, qui eo odio aduersus Israëlitas flagrabant, vt maluerint circumducta Arca acerrimis doloribus vti, quam ad Hebræos amandare: *Illis autem circumducentibus eam fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis.* Malebant cadere, quàm desistere. *Quare Philisthiim* (rogat Abulensis *quæst.* 16.) *non miserunt Arcam Hebræis, cùm reciperent propter eam tot mala?* Quæsito respondet: *Quia si apud Hebræos esset, quanto potentior esset, tanto magis adiuuaret Hebræos.* Verebantur Arca remissa, Hebræos meliorem adepturos fortunam, experiebantur retenta perpeti se ingentissimam plagam, & elegit odium plagam, ne Hebræus feliciorem obtineret fortunam. Cæcitate odij malebant disperire, quàm æmulorum gloriam spectare. Saul à dæmone agitatus in Dauidis lyra medelam inuenit: *Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul.* 1. *Reg.* 16. *vers.* 23. Postea: vt Dauidem vidit plausibus acclamatum, eo odio exarsit, vt in eum hastam contorserit: *Inuasit Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ. Dauid autem psallebat manu sua sicut per singulos dies, tenebatque*

Saul

Saul lanceam, & misit eam putans, quod configere posset Dauid cum pariete. 1. *Reg.* 18. *vers.* 10. Si Dauid pereat, nullum Saüli restat remedium; & liberè cum distorquebit dæmonium: nihilominus eis odij flammis aduretur, vt elegerit sustinere tormentum, ante quàm Dauidem aspicere faustis, iteratisque acclamationibus celebratum. Adest Basilius Seleucensis *orat.* 15. *Quo pacto Saul audes talia? Quid in te ipsum hastam vocas? Si Dauidem sustuleris, quomodo dæmonem persequeris? Quid eum mori cogis, qui tibi vnicum salutis remedium superest?* Vnicum erat Dauid salutis remedium, sed Saül elegit carere remedio, vt inuido inseruiat odio.

§. LVI.

Solicitè curant homines corporis commodis prouidere, despiciunt animæ periculis obuiare.

SApiens (aiebat Seneca *epist.* 65.) *assectatorque Sapientiæ adhæret quidem in corpore suo, sed optimâ sui parte abest, & cogitationes suas ad sublimia intendit.* Verùm dixit; sed cùm stultorum infinitus sit numerus, non extendunt cogitationes suas ad sublimia, sed toti sunt in exambiendo terrena: corpori indulgent, & si quid corpori aduersum, solicitè repellere, aut delinire procurant. Circa res animæ, aut dormiunt obliti, aut eas despiciunt miseranda caligine cæci. Conscientia ægrotat, & non quæritur medicina: corpus infirmatur, & solicita anxietate suspiratur medela. Hanc veritatem Philisthæi factis comprobauere: deliquerant Arcam retinentes, & dum sceleribus inficiuntur, sæuis doloribus afflictantur: *Computrescebant prominentes extales eorum.* Quid tunc? Gethæi eorum sapientiores consilium ineunt, & sedes pelliceas faciunt: *Ieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.* Eodem tempore corpus, & anima laborabat: cúmque anima potior sit corpore, toti sunt in quærendo læsis corporis partibus aliquod delinimentum, & contra dolorem auxilium: de animæ vlceribus non curarunt, ad corporis emolliendos dolores consilium inierunt. Ita noster Sanctius: *Quidam sedes esse putant mollius substratas, pulullis, è pellicea materia, pluma, aut aliquo mitiori tormento infertis, vt sine dolore commodius sederent.* Ad intestina, quæ defluebant, retinenda aliqua blanda retinacula excogitarunt, quibus parti illi decliui aliquod afferrent subsidium & doloris delinimentum. Animæ, conscientiæque morbis nullum quæsierunt remedium ad corporis commoda excogitauere artificium. O verum! ex quo corpus in magno pretio est habitum, virtuti honor haberi desiit: non expendunt homines animum æternandum, & corpus quàm breuiter in fœtidos cineres redigendum, sed toti sunt in commodis corpori procurandis, & adaugendis. Hanc infelicem hæreditatem à parentibus accepimus; nam cùm eodem tempore ob vetitum cibum, & anima gratia denudata sorderet, & corpus nudum temporis iniurias subiret, de ornando corpore cogitarunt, & curam de animæ nuditate prorsus omiserunt: *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Gen.* 3. *vers.* 6. Primum artificiosum studium est corpori dedicatum, animæ ornamentum nullatenus est quæsitum: *Circa arborem præuaricati* (aiebat Basilius Seleucensis *orat.* 3.) *ab arbore regumentum mutuantur.* Corpori artificiosè ornatum texunt, animam nudam relinquunt.

TEXTVS.

VERS. X. Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron, cúmque venisset Arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ dicentes: Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populum nostrum.

§. LVII.

Non potest non inuri gubernatoribus nota, si communis de regimine aures referiat querela.

REipublicæ gubernatores, moderatoresque aliquorum semper sustinent factiosas querelas, & mordaces patiuntur linguas. Sunt, qui per otium superiores abrodant: sunt, qui correctionis dolorem obmurmurando lenire satagant; verùm si aures diuerberet generalis querela, semper à magna exoritur causa; nec enim omnes exertis vocibus quererentur, ni desidia gubernantium displiceret, aut iniuria diuexaret. *Inuidiosa est* (inquit Cassiodorus 4. *variar.* 44.) *contra eum querela, cui sunt reuerentiæ iura seruanda, quia nescio quid admissum graue creditur, vbi contra tales silentium non tenetur.* Cùm gubernatoribus debeatur reuerentia, graui dolore exulcerata creduntur, si silentium ruperint labia. Gethæi Arcam ad Accaronitas remittunt, qui coacti tot cladium causam recipere, cœperunt regimen exertis clamoribus infamare: *Exclamauerunt Accaronitæ dicentes: Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos.* Experiebantur gubernatores, qui debuissent periculis obuiare, Arcam ad Accaronitas mittendo, eos generali clade consumere: ergo non potuerunt non clamare, & generalis clamor non potuit notam gubernatoribus non inurere. Audi Abulensem *quæst.* 19. *Conquerebantur de malo regimine regni, quia cùm illa Arca manifestè tantas inferret clades, vbicumque esset, non debebat teneri in aliquo loco, sed mitti in terram suam.* Facilè erat Arcam in terram suam remittere, & tot calamitatibus obuiare: ergo contrarium à gubernatoribus decerni intuiti, eorum regimen generali querela inceperunt abrodere, & generalis clamor gubernatores damnabat, & rebus publicis non consulere apertissimè persuadebat.

TEXTVS.

VERS. XI. & XII. Miserunt itaque, & congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum, qui dixerunt: Dimittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro. Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valdè manus Dei. Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium, & ascendebat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in cœlum.

§. LVIII.

Aliquando longa Numinis patientia abusi mortem oppetunt mente, & ratione priuati.

IN quacumque hora amara culparum detestatione ingemuerit peccator, adest diuina misericordia, & vera contritione deletur culpa. Cúmque appetente

iam

LAXENA
Lib. I.
Reg. 4 10.
C. V.
15

iam morte futuræ sortis vrgeat periculum, mentis compos artipere conatur remedium. Verum si mentem illigarit insania, si iudicium peruerterit delirij violentia, dum non relinquitur locus, aut tempus scelerum retractationi, peccator omni priuatur remedio, & irreparabili perit excidio. *Cæcum sensum* (aiebat Philo *lib. 2. legis, &c.*) *voluptas fallit, quo minus res percipiat; sic idem vetat, ne se ad mentem, a qua regi poterat, recipiat, regaturque ab ea, seducens illum ad sensibilia, illicienſque suis operibus: vt cæcus sensus sequatur cæcum ducem, rem sensibilem. Ibi mens, cum ambos cæcos duces sequitur, impotens sui abit in præcipitium.* Sensus voluptatis præstigiis illusus, aut ægrimoniæ anxietatibus occupatus caliginem menti offundit, & eius vsum peruertit. Mens siue voluptate illecta, siue sensus deprauatione impedita, si sui compos non sit, quantumuis adurgeat præsens periculum, nequibit prouidere remedium. Eiusmodi infortunium, & irreparabile in morte naufragium nonnulli patiuntur, præcipuè tamen infelicem hanc mortem solent oppetere rationis luce priuati, qui longa Dei patientia inueniuntur abusi. Et quidem fas erat, vt qui rationem sensibus subiecit, delirium instante morte subiret, nec ad manum haberet profugium, qui toties spreuerat amenter concessum pœnitudini spatium. Philisthæi Arcam ad Dagonis triumphum eius templo collocant, verum Deus pro sua benignitate Dagonem merum esse figmentum clarissimè ostendit; illi contumaces prosequuntur deiectum adorate, & etiam Deus prosequitur Dagonem deiicere: cum veritate se oculis ingerente luctabatur pertinax duritia & pertinax contumacia: ergo Deus murium immittit tempestatem: mures ebulliunt, & omnes fructus arrodunt, adhuc repetita calamitate Philisthæi indurantur percussi, & Dei benignitatem aspernantur indurati: ægritudo ad resipiscendum cogit, & adhuc pertinacia resistit. Quid tunc? Iam non solum doloribus corpus atteritur, sed ratio stuporis vinculis illigatur: *Fiebat pauor mortis in singulis vrbibus.* Hunc pauorem existimat Caietanus fuisse rationis eclypsim, qua obscurati, prudentiaque orbi è vita excedebant, & æternam pœnam inchoabant. *Iuxta Hebræum* (inquit) *scribitur passio quædam, qua homines fiunt attoniti, & scribitur hæc passio non qualiscumque, sed mortalis.* Tunc manus Dei grauissimum exercuit supplicium. *Erat grauissima valde manus Dei*, cum ne sibi consulerent, vetabat impedimentum. Iam si inquiras, cur imminente morte hanc Deus Philisthæis pœnam inflixerit? Respondeo, vt timorem omnibus incutiat, & aliena strage ostendat eos, qui longa Dei patientia spectante fuerint abusi, obire miseram mentem morte, & ratione priuatos, nec (quod fortè promiserant) habuisse ad resipiscendum tempus, quia tempus occupauit mentis delirium: *Fiebat pauor mortis: passio quædam, qua homines fiunt attoniti.*

§. LIX.

Ad repentinæ mortis conspectum obstinata etiam cæcitas vertit stilum.

MOrs prudenter considerata vitæ inuenitur magistra; non semel ad corporis & animæ profuit salutem, quæ iam dura falce videbatur demetere sanitatem: de ipso periculo oriri solet remedium. Nihil adeo versuto serpenti curæ fuit, vt mortem ab hominum cogitatione amouere, & diuturnum tempus promittere: *Dixit serpens ad mulierem: Nequaquam: morte moriemini. Gen. 3. vers. 4.* Mortis timorem procurauit adimere, quo facilè ad legis præuaricationem, & voluptatem posset impellere. Notauit Basilius Seleucienſis *orat. 3. Pro ligno vitæ vana spe diuinitatis subito erigit, vt soluto metu eaque spe proposita, mandati vim prorsus extenuet, siquæ paradisus officina præuaricationis:* Præmiserat: *Furtim demit mortis terrorem, vt legis munimenta deprædetur: pœnam adulterat, quoad legem perstringendam propellat: excusso timore, pœnaque sublata contra Deum bellum conflat.* Mortis metus est munimentum legis, & auxilium salutis: ergo vaferrimus mortis ademit metum, vt introduceret mortis casum. Ob id Deus, dum vulneri medelam adhiberi properat, Adamo in puluerem conuertendum in memoriam reuocat, vt, quam mors obliuioni mandata infixerat plagam, prospecta adhiberet efficaciſſimam medicinam, & esset vitæ patrona, quæ habebatur salutis æmula: verum etsi mors sit appetitus frænum, voluptatis excidium, rationis & prudentiæ fomentum, ea præcipuè, quæ inopinè, repentèque accidit, salubri aspicientes timore concutit, & vel pertinaciam flectit. Viderant Philisthæi Dagonis ruinam, viderant fructuum copiam à muribus deuastatam, pertulerant pudendam, ac fœtidam ægrimoniam, nec tamen retinendi Arcam demutauere sententiam: verum iam Arcam remitti clamant mortis pauore salubriter perculsi, & prudenter attoniti: *Dimittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum.* Has voces extorsisse mortis pauorem non tacuit Sacer Textus: *Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valdè manus Dei.* Cum plures anteà mortem oppetiissent ab Arca puniti, placet inquirere, quid peculiare eos modo anxiis solicitudinibus conturbarit, & quodammodo ad sententiam demutandam compulerit? Frequens modo mors ante oculos obuersabatur, sed etiam antea obuersata fuerat ante conspectum. Cur ergo qui tot vilis mortuis pertinaciter tuebantur propositum, modo verterunt prudenter stilum? Quia non solum spectabant (inquit noster Sanctius) homines mortuos, sed morte repentina correptos, adeóque acri timore est pertinacia perculsa, vt ab antiqua discesserit iam sententia: Sanctium audi: *Quasi dicat historicus Sacer, Philisthinorum alios subita fuisse morte sublatos.* Subitanea, improuisaque mors eo anteà contumaces pauore repleuit, vt ad resipiscendum compulerit. O nos miseros, qui quotidiè subitanea, improuisaque morte correptos intuiti, ad virtutes non confugimus obstinati!

§. LX.

Sapientis est emendare erratum; & demutare consilium.

OMnia illi (aiebat de sapiente Seneca *lib. 4. de Beneficiis cap. 34.*) *succedere dicimus, & nihil contra opinionem accidere, quia præsumit animo posse aliquid interuenire, quod destinata prohibeat. Imprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere, sapiens vtramque partem eius cogitat. Scit quantum liceat errori, quam incerta sint humana, quàm multæ consiliis obstent.* Sapiens retractat antea decretum, si noua lux ostenderit demutandum; scit circunstantias sæpè mutari, & ad emendandum, quod decreuerat, rebus variatis teneri. Superbum facti sui nunquam pœniteret, & dum tuetur contra rationem sententiam, stultam manifestat contumaciam. Aduocati Philisthinorum Satrapæ, & circa Arcam consulti, decreuerunt circumduci: *Circumducatur Arca.* Circumductione calamitas aggrauata est. Iterum Satrapas miseri consulunt: *Miserunt itaque, & congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum*, & iam demutant sententiam, & remittendam decernunt Arcam: *Dixerunt: Dimittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum.* Satraparum elogio videbantur mulctandi, quandoquidem nociuo consilio denigrati, & ad errorem agnoscendum compulsi, & tamen Satraparum honorantur elogiis, & honorandis splendent titulis: *Congregauerunt omnes Satrapas.* Dum consilium mutarunt, sapientes se prodiderunt. Definierant antea Arcam circumduc-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

circumducendam arbitrati remedium; ast ingraueſcente calamitate agnouerunt erratum: ergo demutauere conſilium. Notauit Abulenſis *q.* 19. *Fuit bis facta congregatio Satraparum Philiſthinorum ſuper ſtatu Arcæ, & primò decreuerunt eam circumducendam, per omnes ciuitates: Secundò definierunt eam dimittendam eſſe in terram ſuam.* Experientia oſtendit conſilij errorem, & prudentia mutare emendare erratum, quàm tueri ſemel decretum. Remiſſa Arca calamitas ceſſauit, & prudentia ipſa ſententiæ demutatione reſplenduit. Eſt namque prudentis, ſi agnoſcat erratum demutare conſilium.

§. LXI.

Deus vtraque benefacit, & vnica manu punit.

Æqualia ſunt in Deo iuſtitiæ, & miſericordiæ attributa; experimur tamen rarò dura iuſtitiæ flagella, frequenter miſericordiæ ingentiſſima beneficia: florem lucis ſuæ omnibus impertitur, ingratos ſuſtinet, exerrantes quærit, & dum hac in vita affligit, non eſt affligendi ſtudio, ſed corripiendi homines deſiderio. *Cæterum* (aiebat Philo *de Somniis*) *beneficæ potentiæ Deus nomen eſt, regiæ verò Dominus.* Nomen factis oſtendit, & elogium diuinitatis beneficiorum tempeſtate ſalubri implet. Ad ſupplicium venit noſtris ſceleribus compulſus, ad benefaciendum ſuo ipſo ingenio illectus, & prouocatus. Hinc eſt, quod totus benefacit, & ſi dicere licet, non totus punit. *Manus tuæ* (aiebat Iobus) *fecerunt me, & plaſmauerunt me totũ in circuitu. Iob.* 10. *v.* 8. Audis vtramque manum ad formandum Iobum laborare, audi, quid æmulus depoſcat, cùm Iobum ardenter ambiat perire: *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem. Iob.* 2. *v.* 5. Si nouit diabolus vtramque manum in conſtruendo Iobo laboraſſe, cur vnicam tantum expetat, vt vulnera infligat? Poſtulet liuore inflammatus, & odij flammis aduſtus Iobum vtraque manu affligi, & vtramque ad incutienda vulnera deſudare. Liuori ſuo detrahit, cùm vnicam tantum ad Iobum affligendum manum extendi, & exorat, & diſcupit. Nouerat dæmon manus in Iobi conſtructione occupatas, ſed ad affligendum nunquam ſperabat fore extendendas: ergo vnam extendi petiuit, quia extendendas ambas deſperauit. Accipe Gregorium *lib.* 3. *Moralium cap.* 2. *eius carnem feriendam poſtulat, dicens: Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem.* Quod obtinere non poſſe agnouit, expoſcere recuſauit. Hoc idem experti ſunt Philiſthæi. *Fiebat* (inquit Textus) *pauor mortis in ſingulis vrbibus, & grauiſſima valdè manus Dei.* Vnicam audis manum ad incutienda flagella, cùm ambæ occupentur ad largienda beneficia. Vt certa ſit noſtra theſis Deum ſcilicet vtraque manu benefacere, & vnica tantum punire. Prodeſt Abulenſis *q.* 19. *Non dicitur manus hic niſi propter potentiam puniendi.* Punitio exercetur vnica, liberalitas profunditur manu gemina.

CAPVT VI.

1. EGIT ergo Arca Domini in regione Philiſthinorum ſeptem menſibus. 2. Et vocauerunt Philiſthiim Sacerdotes, & Diuinos, dicentes: *Quid faciemus de Arca Domini? indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum ſuum.* Qui dixerunt. 3. *Si remittitis Arcam Dei Iſraël, nolite dimittere eam vacuam, ſed quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini, & ſcietis quare non recedat manus eius à vobis.* 4. *Qui dixerunt: Quid eſt, quod pro delicto reddere debeamus ei.* Reſponderúntque illi. 5. *Iuxta numerum Prouinciarum Philiſthinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & Satrapis veſtris. Facietiſque ſimilitudinem anorum veſtrorum, & ſimilitudinem murium, qui demoliti ſunt terram, & dabitis Deo Iſraël gloriam, ſi forte releuet manum ſuam à vobis, & à diis veſtris, & à terra veſtra.* 6. *Quare aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor ſuum? Nonne poſtquam percuſſus eſt, tunc dimiſit eos, & abierunt?* 7. *Nunc ergo arripite, & facite plauſtrum novum vnum, & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro, & recludite vitulos earum domi.* 8. *Tolletiſque Arcam Domini, & ponetis in plauſtro, & vaſa aurea, quæ exoluiſtis ei pro delicto, ponetis in capſellam ad latus eius, & dimittite eam, vt vadat.* 9. *Et aſpicietis: & ſiquidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande: ſin autem, minimè: ſciemus, quia nequaquam manus eius tetigit nos, ſed caſu accidit.* 10. *Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum, vitulóſque earum concluſerunt domi.* 11. *Et poſuerunt Arcam Dei ſuper plauſtrum, & capſellam, quæ habebat mures aureos, & ſimilitudines anorum.* 12. *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes: & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſed & Satrapæ Philiſthiim ſequebantur vſque ad terminos Bethſames.* 13. *Porrò Bethſamitæ metebant triticum in valle, & eleuantes oculos ſuos, viderunt Arcam, & gauiſi ſunt, cùm videſſent.* 14. *Et plauſtrum venit in agrum Ioſuë Bethſamitæ, & ſtetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plauſtri, vaccáſque impoſuerunt ſuper ea holocauſtum Domino.* 15. *Leuitæ autem depoſuerunt Arcam Dei, & capſellam, quæ erat iuxta eam, in qua erant vaſa aurea, & poſuerunt ſuper lapidem grandem. Viri autem Bethſamitæ obtulerunt holocauſta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.* 16. *Et quinque Satrapæ Philiſthinorum viderunt, & reuerſi ſunt in Accaron in die illa.* 17. *Hi ſunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philiſthiim pro delicto, Domino:*

NAXERA Lib. I. Reg. Cap. VI. 15

Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon vnum, Geth vnum, Accaron vnum. 18. *Et mures aureos secundum numerum vrbium Philisthiim, quinque Prouinciarum, ab vrbe murata vsque ad villam, quæ erat absque muro, & vsque ad Abel magnum, super quem posuerunt Arcam Domini, quæ erat vsque in illum diem in agro Iosuæ Bethsamitis.* 19. *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quòd vidissent Arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.* 20. *Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis?* 21. *Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim Arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.*

TEXTVS.

VERS. I. & II. Fuit ergo Arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus, & vocauerunt Philisthiim Sacerdotes, & Diuinos, dicentes: Quid faciemus de Arca Domini? Indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum.

§. I.

Virtutis alumni, etsi aliquando contingat delinquere, quàm citò satagunt culpam detergere.

INTER virtutis asseclas, & sceleribus imbutos discrimen est: hi aliquando resipiunt, sed ad scelera consueta citissimè redeunt: illi aliquando humana fragilitate labuntur, sed studiosè culpam detergunt, immò ne iterum inficiantur, prorsus abscindunt. *Quid nos decipimus* (aiebat Seneca *epist.* 50.) *Non est extrinsecum malum nostrum: intra nos est, in visceribus ipsis sedet, & ideò difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus. Si curari cœperimus quando tot morbos, tantásve ægritudines discutiemus? Nunc verò ne quærimus quidem medicum, qui minus negotij haberet, si adhiberetur ad recens vitium, sequerentur teneri, & rudes animi recta monstrantem.* Quisquis suæ salutis curam habet, ad medicum inuolat, veritus, ne morbus augescat, & induratus acrius medicamentum requirat: qui salutem contemnit, periculosa stupiditate serpere morbum permittit, & iam tenaciter inhærenti adhibere remedium horret. Hanc veritatem Dei Arcæ confirmat historia. Plurimis apud suos annis demorata ad Philisthinos transiuit offensa; apud Philisthinos septem mensibus mansit, sed eis in perpetuum derelictis ad suos rediit: *Fuit Arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.* Quàm citò Philisthæi Numinis caruerunt præsentia, quam anxiis suspiriis Israëlitæ priuari doluerunt Arca. *Istud fuit totũ tempus* (inquit Abulensis *q.* 1.) *quo Arca Dei absens fuit à terra Israël.* Israëlita Arca viduatus ingemuit; Philisthæus consultis Diuinis Arcam à se amandare procurauit. Vt hinc agnoscas virtutis asseclas, si per humanam fragilitatem labantur, in integrum citò restitui, vitiis, sceleribúsque intinctos Deum non sustinere, & ad antiqua scelera anxiis conatibus inuolare. Addiderim: id inter vitiis assuetos, & virtutis studiosos discrimen inueniri; alij quam citò à veritatis via deflectunt, diu erroribus immorantur; alij diu virtutibus immorantur, exiguo tẽpore maculis inficiuntur. Nabuchodonosor veritatem agnouit: *Verè Deus vester Deus deorum est, Dan.* 2. *v.* 7. Sed agnitã veritatem quàm citò desertit, & statuam auream superbissimus fabricauit: *Fecit statuam auream. Dan.* 3. *v.* 1. In Deorum numerum se retulit, & nouis erroribus veritatem prorsus expunxit. Audi Theodoretum *orat.* 3. *Auctorem omnium rerum Deum esse confessus est, sed breui interiecto tempore ad ingenium suum rediit, quemadmodum canis ad proprium vomitum.* Breuissimè à veritate resiluit, & ad inuisceratos errores rediit, quia consuetudo contra rationem præualuit. E contra accidit Israëlitis: Vitulum conflarunt: *Fecit ex eis vitulum conflatilem, Exo.* 32. *v.* 4. Sed breuiter redactũ in cineres spreuerunt: *Dedit ex eo potum filiis Israël.* Filij Israël resipuerunt quam citò, quia virtutibus assuefactis Nabuchodonosor citò ad ingenium rediit, quia superbiam semper fouit. Opportunè Hieron. *epist. ad Fauiolam: Vituli pulnerem, quem adorauerat Israël, in contemptum superstitionis in potum accipit.* Itaque Israëlita ad virtutis castra, quæ reliquerat, rediit. Nabuchodonosor errorem, quem respuerat, è vestigio repetiuit, & eadem in vtroque ratio, scilicet consuetudo. Vt noueris, quàm sit periculosum scelera inuisserari, & quàm vtile virtutibus innutriri.

§. II.

Satius tibi est, si Deum habeas, duris laboribus adurgeri, quàm si careas, multis commodis exundare.

MAgna seruitus est addici fortunæ: sequitur vita anxia, suspiciosa, & virtuti sæpius aduersa. Difficulter potest Deo parere, & quod virtus demonstrat, iter arripere: qui cupiditati inseruit, voluptati obtemperat, diuitiis inhiat. Qui oculis liberis vtitur, scit summum bonum virtute constare, nec à fortuna pendere. Mavult prudens, si Deum sequatur, laboribus diuexari, quam Deo carens commoditatibus circumfundi. *In virtute* (aiebat Seneca *de Vita beata cap.* 16.) *posita est vera felicitas. Quid hæc tibi suadebit? Ne quid aut bonum, aut malum existimes, quod nec virtute, nec malitia contingat. Deinde vt sis immobilis contra malum ex bono, vt qua fas est, Deum effingas. Quid tibi pro hac expeditione promittitur? Ingentia, & æqua diuinis. Nihil cogeris: nullo indigebis: liber eris, tutus, indemnis.* Hanc Philosophiam non callent, qui amplectuntur stercora, & suspirauere caduca: beatos se existimant, si diuitiis affluant, si nil aduersum sustineant, si voluptatibus, ac ventri inseruiant: si detur optio inter honesta, & commoda; commoda præferent, & honesta semper postponent. Philisthini, licet Dei Arcam suspicarentur Numen, Diuinos consulunt, vt remittant, & hoc, quia laboribus pressi & terræ fructibus viduati: *Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum.* Videbant, retenta Arca, commodis viduari, amandata, salute, & diuitiis frui: ergo de amandanda Arca cogitarunt, & Diuinos consuluerunt. *Sciendum, quod Philisthiim voluissent eam semper apud se detinere* (sunt Abulensis verba *q.* 2.) *& semper detinuissent, nisi Deus percussisset eos.* Si Arca nullum salutis, diuitiarúmve attulisset detrimentum, retinerent; ast experti laborem, maluerunt commodis indulgere, quàm in retinendo Numine insistere. Sunt, qui virtutem colant, dum fames non premit, dum egestas non vrget, dum aliqua incommoditas non imminet; verùm si aliter accidat, virtutis detrimento egestati occurrunt, & pudicitiæ, honestatísque damno famis molestiam auertunt. O quot mulierculæ malunt viuere sordidæ, quàm famelicæ, cùm debuissent eligere fame potiùs perire, quàm honestate carere! Ad Michæ domum Leuites peruenit, interrogatúsque vnde venisset, respondit: *Leuita sum de Bethlehem Iuda, & vado, vt habitem vbi potuero. & vtile mihi esse perspexero. Iudic.* 17. *v.* 9. Non ait, vbi virtutibus

tutibus consulam, sed vbi vtilitati insertuiam. Quid tunc? Promittit Michas, si idolorum fuerit Sacerdos, argenteos, vestem, & victum: *Esto mihi parens, ac Sacerdos: dabeque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, & quæ ad victum sunt necessaria.* Censeres electurum inuiolata virtute famescere, quàm admissa culpa differta mensa frui, & pretiosa veste radiare: vetum elegit solari famem, & abiurare virtutem: *Acquieuit, & mansit apud hominem.* Apud hominem mansit, Deum abiecit. Notauit Theodoretus hic: *Manufactis idolis (hoc enim significat sculptile, & fusile) offerebat sacrificia.* Commodum præelegit, Deum parui æstimauit; & vtinam hac in re singularis esset Leuita, nec tot eius sequerentur exempla.

§. III.

Sic homines Deus amat, vt, passus offensam, ipse solicitet amicitiam.

MAteria est gloriæ principalis (aiebat Cassiodorus 3. variar. 46.) *delinquentis reatus, quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietas non haberet.* Lucet pietas, dum delinquenti blandè medetur; ast amoris tutilat flamma, si roget, qui exasperatus offensa. Illius Euangelici patris amor enituit, dum prodigum benignè excepit, sed maiori viuacitate, dum offensus, filium contumacem ad amicitiam allexit. Aduenientis remisit culpam, texit nuditatem; maioris non solum obmurmurationis offensam tulit, sed egressus, vt intraret domum, rogauit: *Indignatus est autem, & nolebat introire Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. Luc. 15. vers. 28.* Rogandus rogat, & ad amicitiam, mensamque prolectat. Notauit Chrysologus *serm. 4. O quid facit vis amoris! quamuis malo filio non esse nescit, non esse non potest pater: fundet affectum, ad gratiam, vel ipsem reuocat largitatis, dicendo: Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Etsi maior remaneret exclusus, nil patris detraheretur felicitati; ea tamen adurgebatur amoris vi, vt degenerem ad amicitiam prouocaret offensus, & audaci lingua percussus. O quoties adeò desipit homo, vt nec Dei solicitet amicitiam, nec offensæ precetur veniam, immò otietur lætus, & tranquillitate fallaci vsus; & tamen Deus prouocat ad amicitiam, & obliuioni tradit offensam! Luxit patris pietas occasione adolescentis reatus, sed valde emicuit amor, dum seniorem rogat offensus. Dei Arcam à se recedere ingeminatis criminibus Hebræi coëgerunt: *Fuit Arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.* Nulli labori parcendum erat, vt amissam ad se reuocarent Arcam, & abolerent offensam. Illi verò ac si nullam iactum passi de recuperanda non cogitabant, sed humanis commodis studebant. Quid tunc? Deus ipse afflictis Philisthinis ad suos rediit; & ad amicitiam iterandam humanissimè (si fas est dicere) compulit. Non fuit necessarius auriga, quia flagrans amor plaustrum ducebat, & ad suos festinis gressibus inuolabat. Notauit Abulensis *quæst. 2. Deus prouidit in hoc, quoniam hoc modo manssissent Israëlitæ sine Arca Dei magno tempore.* Nisi Arca aduentasset, Israëlitæ non quærerent; ea tamen Deus erga Hebræos adurgebatur amoris flamma, vt laboriosa non recusarit itinera: persuaserat sibi Hebræus posse sine Deo viuere, & persuasit Numini amor sine homine non posse degere, vt repetat datus Chrysologus: *O quid facit vis amoris!* Recogita Christum ad ludæ pedes aduolutum, eius sordes abluentem, & ad amicitiam officiis humanissimis prouocantem; vt noscas, quam amoris arserit flamma, dum rogat proditionis exasperatus iniuria.

§. IV.

Diuinus Spiritus gemitibus pro nobis exorat, & cœlestem sopire indignationem solicitat.

VEtus amor (aiebat Gillebertus *in Allegor. Tilm. ad Cant. 5.*) *non tantum blanditur, & applaudit dilecto præsenti, sed etiam in absentem inardescunt vota ipsius.* Cum Dei Spiritus, amorque absentia videbatur tepefaciendus, ipsa absentia inardescere solet viuidius; videt hominem iteratis criminibus recedentem, & contra se iram Numinis prouocantem, & recurrit ad gemitus, vt cœlestem sopiat indignationem, lucemque infundit, qua humanam deterat cæcitatem. Hebræi Arcam recedere repetitis criminibus compulerunt; verum vt mensis septimus affuit, Arca rediit, & Israëlita resipuit: *Fuit ergo Arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.* Cum Scriptura notanter exprimat tempore triticeæ messis rediisse, recessus, redituque supputatis temporibus, existimant Interpretes eo rediisse tempore, quo Pentecostes festum celebrabatur. Accipe nostrum Sanctium: *Sub festum Pentecostes septem interiecti sunt menses.* Cum ea feracissima regione triticeæ messes citius ad maturitatem perueniant, sub Maij fine demetuntur, eoque circiter tempore Pentecostes festum agitur. Ergo tempus expressum est: vt noueris Spiritum sanctum Arcæ restitutionem procurasse, & amicitiam inter Deum, & homines stabilire studuisse. Quid enim Spiritui sancto propius, quam iram auertere, & ad antiquam felicitatem torpentem hominem reuocare? Vnde Paulus aiebat: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ad quæ verba sic Anselmus: *Adiutorium Spiritus sancti sic expressum est.* Nos adiuuat, infirmitatem nostram suffulcit, gemere decenter edocet, & eis gemitibus Deum nobis reconciliare contendit: ergo sub Pentecostes festo redit ad Bethsamitas Arca, & Bethsamitæ religiosa offerunt sacrificia; nam Spiritus sancti negotium est diuinam indignationem sopire, & frigescentia corda inflammare.

§. V.

Heroica, eximiáque virtus reuerentiam sibi inter virtutis hostes conciliat, & æstimationis plausum conseruat.

BOnum progeminant fructum (aiebat Bacchil. apud Stobæum cap. 1.) *probi, castique mores.* Eximia virtus ea luce micat, vt sibi venerationem vel inter virtutis æmulos pariat; nec solum venerationem, sed honestam affert etiam voluptatem. *Consideramus ne* (scribit Plutarchus lib. Anseni) *quam magnas voluptates cultoribus suis virtutes ex honestis actibus, & operibus popularibus, & benignis parent?* Magna voluptas est vel à virtutis æmulis suspici, & veneratione haberi. Magna voluptas est aduersitates subigere, fortunam calcare, & animum semper liberum, ac intrepidum gerere. Dei Arca inter hostes septem mensibus veluti captiua degit, & nihilominus eam non despiciunt, immò quanta tractare debeant veneratione, Diuinos, ac Sacerdotes consulunt: *Vocauerunt Philisthiim Sacerdotes, & Diuinos dicentes: Quid faciemus de Arca Domini?* Nouerant Arcam Ægyptios vndarum voluminibus sepeliisse; nouerant mira per desertum patrasse; nouerant Dagonem Veneris referentem formam protriuisse: ergo vel captiuam suspiciunt, & veneratione colunt. Notauit Abulensis *q. 2. Sciendum, quod in toto tempore isto, quo Arca Dei fuit in terra Philisthiim, non fecerunt Philisthini circa eam aliquid inhonestum scilicet vt caperent ex ea tabulas, aperientes illam, vel*

NAXERA Lib. I. Reg. Cap. VI. 15

vrnam cum manna, vel virgam Aaron, quæ intus posita erant. Non enim aperuerunt Arcam toto illo tempore, nec audebant tangere eam nisi cum magna reuerentia. Nec rapax cupiditas, nec cæca temeritas, nec audax semper procacitas quid irreuerenter tentarunt, sed Arcæ maiestate frænatæ se continuerunt. Mira res! Inter virtutis aduersarios nil Arca amisit, imò magnis nobilitata prouentibus rediit. Vt noueris eximiam virtutem in Arca Numinis domicilio adumbratam inter confusa calamitatum volumina nil amittere, sed augeri. Ioseph à fratribus venditus, & in Ægyptum ductus, eis virtutibus præluxit, vt domini sui beneuolam sibi gratiam conciliarit: *Inuenit Ioseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum. Gen.39. vers.4.* Si quæras, cur cæteris fuerit præpositus, qui seruus erat emptitius? Respondebit Textus miris virtutibus effulsisse. *Habitauit in domo domini sui, qui optimè nouerat Dominum esse cum eo.* Vel Ægyptius voluptatum sectator, & vitiorum cultor Iosephum suspexit, aliisque præposuit. Notauit Philo *lib. de Ioseph: Adolescens in Ægyptum abductus, & eunucho, vt diximus, in seruitutem traditus, cùm intra paucos dies generositatis, & honestatis dedisset specimen, conseruis est præpositus curator totius familiæ.* Vel in Ægypto tenebrarum regione virtus sibi parauit principatum, & venerationis cultum, nec enim potest eximia virtus contemni, nec ab aduersariis etiam non suspici.

§. VI.

Plures, vt cupiditatibus adulentur, vanissimis coniecturis contra euidentiam vtuntur.

PLures tetro cupiditatum fumo obcæcati, & studiosè cæci nolunt, quæ sunt, videre, & quæ non sunt, sibi persuadent aspicere. *Cæcitatis* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.9.*) *duæ species facilè concurrunt, vt qui non vident, quæ sunt, videre videantur, quæ non sunt.* Veritas se oculis ingerit, sed oculis de industria clausis prætereunt, ne veritate impediti cupiditati non seruiant, aut erroribus non studeant. Dei Arca apud Philisthinos detenta Dagonem detriuit, & miracula stupenda patrauit: ea tamen amentia delirabant Philisthæi, vt calamitates variis causis adscriberent, ne Arcæ virtutem agnoscerent, & ab erroribus resilirent: *Vocauerunt Philisthiim Sacerdotes, & Diuinos, dicentes: Quid faciemus de Arca Domini?* Si inquiras, ad quid iterata consultatio, & iterum quæsitum consilium? Respondebit Abulensis *quæst.15.* fuisse inter Satrapas, qui Arcæ potestatem negarent, & illatas aliis causis plagas adscriberent. Nolebant abiurare Dagonem, nolebant detestandum cultum relinquere: ergo contra euidentiam pugnabant, & vanis coniecturis credebant. Audi Abulensem: *Satrapæ Philisthinorum inter se disceptabant, quibusdam dicentibus, quòd Arca Dei remittenda esset, quia ipsa infligerat omne malum istud: aliis autem dicentibus, quod istæ erant passiones naturales potentes accidere ex causis naturalibus secundùm temporum varietatem, quod Arca nihil horum faceret.* Contra lucem cæcutiebant vanis coniecturis vsi, & infirmis suspicionibus persuasi, nam cùm viderent Arcam in eorum potestatem deuenisse, eius denegauere potentiam, fortuitam credentes plagam. Redeat datus Abulensis: *Erant, qui dicerent, hoc fieri non debere, nec falli, vt Arcæ passionum causas adscriberent, cùm ei fortitudo, aut potestas huiusmodi non esset, quoniam si habuisset Deus curam eius, nequaquam tradita fuisset.* In aduersariorum ditione aduersarios attriuisse Arcæ virtutem euidenter declarabat; verùm aut cupiditate corrupti, aut odio inflammati euidens adeò virtutis argumentum imbecilli coniectura impugnabant, & in contrariam partem detorquebant. Non semel peccator ob commissa scelera acri infirmitate, aut calamitate corripitur, & ne à vitiis recedat, ex causis prouenisse naturalibus arbitratur. Bellum adornat contra Syriam Achab. Michæas Domini Propheta vocatus infaustum prædixit exitum: *Vidi cunctum Israël dispersum in montibus quasi oues non habentes pastorem. 3.Reg.22.v.17.* Veritatis præmium alapam tulit Propheta, nec percussoris manus siccata est: *Accessit autē Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam.* Cùm non ignoraret Achab Michæam Dei esse Prophetam, quærunt Interpretes, cur à bello non destitit, sed contra vaticinium adornauit? Respondentque, hac apud se vsum coniectura, scilicet, si Michæas veritatem prædiceret, percutientis manus, vt Ieroboami olim, aresceret: ergo cùm nullum passa sit detrimentum, Michæas confictum retulit somnium; & præualuit contra veritatem vanissima coniectura, quia ardenter discupiebat inferre bella. Audi nostrum Sanctium. *Si Domini esset Propheta Michæas, aruisset manus, quæ illius maxillæ colaphum impegit, sicut olim manus Ieroboam, cuius Deus audaciam subitâ quadam ariditate mulctauit.* His coniecturis fisus, quod ardebat, est bellicum certamen aggressus; nam frequenter homines, vt suis cupiditatibus adulentur, eiusmodi coniecturis, suspicionibúsque nituntur.

§. VII.

Consilium ab expertis est petendum, & à nulla affectione corruptis est indagandum.

LApis lydius aurum indicat (aiebat Bacchyl. apud Stobæum *cap.11.*) *hominum verò virtus, & omnipotens sapientia veritas est.* Veritas pro lydio est ad humanas actiones examinandas, calamitatésq; depellendas; oportet tamen eam indagare ab expertis, & affectione nulla corruptis, nam iudicio fauor officit, & affectus sæpè corrumpit. *Sicut perniciosum est* (aiebat Cassiodor. *8.var. 12.*) *doctos prauâ suadere sic saluare munus, cum veritatis terminos dissertudo nescit excedere.* Si doctus affectionibus implicetur, consilium deprauabit, & veritatem corrumpet; ast, si nulla adfectione sordidetur, salubria promet consilia, & vtilissima documenta. Ob id putat Caiet. Philisthæos aduocasse aliunde Sacerdotes, & Diuinos; nam cùm non ignorarent Satrapas suos Dagonis causam tueri, & odio in Israëlitas inflammari, suspectū eorum habuere consilium, nec putarunt ferendum pro veritate suffragium: *Vocauerunt Philisthiim Sacerdotes, & Diuinos.* Aliunde adductos; nam vt §. antecedenti vidimus, Philisthinorum Sacerdotes non conueniebant Dagonis causam tuiti, aut Satrapis adulati: ergo attulerunt, vt consulerent nulla affectione corruptos, ambitionéve deprauatos. Est enim magnum discrimen, si consilium requiratur à magnatibus adulante, & indignis affectionibus inseruiente. Accipe Caiet. *Hinc habetur, quòd Sacerdotes isti, ac diuini accersiti ad dandum consilium non erant Philisthini, sed alienæ gentis: loquuntur enim ad Philisthinos in secunda persona: Super vos, super Elohe vestrum, super terram vestrā.* Si essent ex Philistæis Diuini, non dicerent: A vobis, & à diis vestris, & à terra vestra, sed è contra: A nobis, & à diis nostris, & à terra nostra: ergo cùm constet ex Vers. 5. fuisse in secunda persona loquutos, non vanè conjicit Caietanus ab aliis terris adscitos: & quidem suis factis edocuerunt Philisthini, consilium esse petendum ab expertis, nam erant Diuini, & affectione nulla deprauati, nam erant extranei. Ingentissimam Israëliticæ genti stragem attulit consilium ab ambitiosis, subornatí que expertum. Antequam Achab contra Syriam bellum instrueret, Prophetas consuluit: illi verò regiis sumptibus acti, vt suspicati sunt Regis desiderium, eius voluntati attemperauere consilium: *Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui respondérunt. Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis. 3.Reg. 22. vers.6.* Post consilium

Rex

Rex sagitta transfixus occubuit, & populus terga indecorè vertit. Iam adscitos Prophetas Iezabeli fuisse adulatos, nam ipsa instigabat ad bellum, tradit noster Sanctius: *Prophetas consuluit Baalis, quos excitarat, opinor, Iezabel, & sicut alios de quibus supra cap. 18. vers. 19. regius sumptus alebat, & ab his scitatus est de bellorum exitu responsum, quasi neque errare possent in eiusdis oraculis, & illorum verbis pondus inesset diuinæ fidei.* Quod aliud esse poterat consilium editum à subornatis, & placere Reginæ cupidis? Magna adeò Reipublicæ miseria ex eiusmodi consiliariis est orta, & aduersariorum felicitas nata.

§. VIII.

Ab eis petendum consilium, qui familiare cum Deo noscuntur habere commercium.

MVlta humanam perspicaciam effugiunt; multa latent vel eruditam Sapientiam, quæ cœlesti luce solent agnoscere, quos constat virtutibus efflorere. Quam Sapientes Babylonij nec legere, nec interpretari valuerunt, Daniel Spiritu Dei afflatus Scripturam legit, & sine ambagibus declarauit. Rebecca quoque parvulorum lites agnouit, & naturæ ordinem inuertendum didicit, quia Melchisedech consulendum adiit: *Perrexit vt consuleret Dominum. Qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori. Gen. 25. vers. 23.* Cùm Dominus vbique sit, quò abiit consilium quæsitura, & oraculum? Interpretes existimant contendisse ad Melchisedech eximiis virtutibus exornatum, Deique amicum, à quo instructa veritatem didicit, & quid faciendum agnouit. Adest Lira: *Dicunt Hebræi, quòd iuit ad Melchisedech, qui erat Sacerdos Dei excelsi.* Vt prudens sibi Rebecca promisit à viro virtutibus exornato eam difficultatem expediendam, & veritatem clarandam, & quidem quòd humana Sapientia nequiret inuestigare, diuina constat Melchisedech luce cognouisse, & sine ambagibus declarasse. Nec absimile Philisthæi iniere consilium. Agebatur apud eos de re difficultatibus implexa, & satis ad speciem dubia; nam Satraparum nonnulli inflictas à Dei Arca plagas naturalibus causis adscribebant, retinendamque coloratis rationibus laborabant: alij Arcæ virtutem agnoscebant, & remittendam ad suos quantocius asseuerabant: ergo decreuerunt in ea sententiarum varietate Diuinos consulere; & eorum sententiam sequi: *Vocauerunt Sacerdotes, & Diuinos.* Ab his, quos Deo cæteris proximiores arbitrabantur, in negotio adeo difficili quæsierunt consilium, & cœlesti luce absoluendum feliciter sperauere negotium. Innuit noster Sanctius: *Vocant Sacerdotes, quia hi, cùm sacra tractant sacros etiam ritus, & ceremonias didicere, quibus socios addunt Diuinos, & auspices, qui futuros rerum euentus prænoscere, & coniectare, & si quid impendeat aduersi, illud auertere, aut frangere posse existimantur.* Diuinos consulunt; quia speciale cum Deo habere commercium credunt: Et quidem non est dubium Dei amicos, & speciali familiaritate honoratos difficultatum nodum facilius dissoluere, & aliis ignota cœlesti luce callere.

TEXTVS.

VERS. III. Qui dixerunt: Si remittitis Arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuam sed, quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis quare non recedat manus eius à vobis.

§. IX.

Nonnulli sic proferunt sententiam consulti, vt nulli disceptantium videantur aduersi.

SI magnates inter se non conueniant, sed sententiarum varietate dissideant, non semel circa controuersiam consulti eo modo sententiam proferunt, vt nullam in partem propendeant, sed ambagibus de industria adhibitis dubium negotium relinquant. Litigabant inter se Reipublicæ proceres, & dynastæ circa Arcæ retentionem, aut dimissionem: censebant alij, vt hoc in capite vidimus, oportere remittere, & grassanti adeò calamitati remittendo prouidere: alij testabantur nullatenus remittendam, vt quæ foret inimicorum auxilium, & sibi grauissimum detrimentum. In re adeò dubia Diuinos, & Sacerdotes adeunt, vt litem dirimant, & quid conueniat, edoceant. Quid tunc? Consulti conditionem apposuerunt, & nil certum determinarunt: *Dixerunt: Si remittitis Arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuam.* Si adeuntur, vt rem definiant, & an remittenda, vel retinenda fuerit Arca, decernant, quid conditionem apponunt, & implexam eodem modo difficultatem relinquunt? Exertè asserant oportere retineri, aut remitti; nam prolata sub conditione sententia, nec dubietas expeditur, nec anxietas tollitur. O, attende sagacem politicorum cautelam! Nolunt rem liquidò definire, ne partium alterutri videantur aduersati; timent prolata veritate displicere, vtque inuidiam effugiant, malunt sententiam ambagibus, conditionéque inuoluere. Notauit Abulensis *quæst. 7. Neutram partem contradictionis definierunt, dicentes eam retinendam, aut dimittendam; sed locuti sunt conditionaliter, dicentes: Si vultis eam dimittere, non dimittatis vacuam.* Ad non quæsita respondent, ad quæsita tacent; est enim politicorum ingenium sibi præcauere, & ne cui magnatum displiceant veritatem ambagibus obscurare.

§. X.

Vel idolorum Sacerdotes non audent consulere, Deum abjicere, & calamitates abjiciendo releuare.

PHilisthæi, vt sæpè diximus, Arcam Deum esse putabant, cúmque ea retenta sæuissimis adurgerentur doloribus, Diuinos, idolorúmque Sacerdotes consulunt, si debeant, vt doloribus alleuentur, remittere, aut etsi vrgeantur doloribus, retinere. Quid tunc Diuini? Nil statuunt, sed conditionalem sententiam proferunt: *Si remittitis Arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuam.* Inquires, cur Sacrificuli, idolotúmque aris dicati non definiant Arcam remittendam, & à se prorsus ablegandam, præcipuè cum sæua calamitas diuexaret, & dolor acerrimus premeret? Si, Deo reiecto, calamitas cessat, si retento, dolor discruciat, consulant remittere, & impendentibus discriminibus prouidere. O vtilem nobis doctrinam! Vel idolorum Sacerdotes ausi non sunt consulere Deo carere, & calamitatibus subuenire, immò dum suspensam relinquunt sententiam; edocent tanti apud se Deum

habere æstimandum, vt conducibilius sit calamitatum vorticibus circumvolui, quam Numinis præsentia priuari. Innuit Abulensis *quæst. 7. Neutram partem contradictionis definierunt.* Non dubitabant, amandata à se Arca, quam credebant Deum, calamitatem cessaturam; ausi tamen non sunt ingenti adeò pretio, Dei scilicet absentia, saluti consulere, & incommodis obuiare. Discat à Philisthinis Christianus virtutis dispendio calamitati non obuiare, nec Numinis iniuria inopiæ, egestatique subuenire. *Neutram partem contradictionis definierunt.* O quoties mulierculæ suis familiaribus, si inopia laborent, suadent pudicitiæ iniuria paupertati subuenire, & commoda procurare! Quæ debuissent ad patientiam hortari, ad vitia operas suas offerunt, & proxenetarum munus ad detestandos contractus subeunt. Mulier paupercula angusta habitatione arctabatur: *Ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Zachar. 5. vers. 7.* Quid tunc? Non defuerunt aliæ, quæ ad terram confusionis ducerent, & laxiorem domum inhabitare suaderent: *Ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milvi: & leuauerunt amphoram inter terram, & cœlum.* Quo duxerint, & quo studio Textus non tacuit: *Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar.* Impia commiseratione doluerunt amicam, familiarémque suam eis angustiis premi, & paupertate vexari: ergo expanderunt alas, vt sub earum patrocinio Sennaar, id est, confusionis, ignominiæque regionem peteret, & commodis exundaret. Vbi noster Textus habet: *Milui.* Hugo Cardinalis legit, *Herodionis.* Herodion auis est palato addicta, & gulositati dicata ergo mulierculæ, dum opem offerunt herodionis alas assumunt, quia vt gulositati adulentur, & erubescendam mercedem partiantur, offerunt ad negotia carnis exercenda patrocinium, & accelerant ad confusionis terram volatum. Hugonem audi: *Herodionis alas habere perhibentur, quia gulositati, fœtori libidinis, & rapacitati semper student. Ista inter terram, & cœlum in superbiam amphoram eleuant, vt in terram confusionis æternæ quasi volatu citissimo eam portent.* Itaque suadent luxuriæ negotia exercere, nec erubescunt sua industria iuuare, vt suæ gulositati adulentur, & munusculis augeantur. O nimis vsitatum, & verum!

§. XI.

Sunt, qui vt præsentem calamitatem depellant, grauiorem non verentur incurrere, & admissis criminibus adaugere.

OMnis prudens consilium quærit, omnis sapiens, ne ipso remedio vires addat infirmitati, medicaminis qualitatem examinat, & præcallere adlaborat. Satius est salutem austeris ieiuniis suffulcire, quam ob breuem deliciarum voluptatem molestam ægritudinem ingrauare. *Fas est tibi* (alloquitur Cassiod. medicum 6. *variarum* 19.) *nos fatigare ieiuniis: fas est contra nostrum sentire desiderium, & in locum beneficij dictare, quod nos ad gaudia salutis excruciet.* Vtile est amara sustinere cruciamenta, vt ad dulcia salutis peruenias gaudia; impendiosum leui gaudio vires addere cruciamento. Improuidi oculos non extendunt ad futura, sed attendunt tantum præsentia, vtque adurgens remederint infortunium, sæpesæpiùs incrementauere sibi tormentum. Stultus ille Ieroboamus, vt suspecto occurreret discrimini, vitulos aureos fabricauit, & nocivum sibi consilium cœpit: *Dixit Ieroboam in corde suo: Nunc reuerte etur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem: & conuertetur cor populi huius ad Dominum suum Roboam Regem Iuda, interficiéntque me. 3. Reg. 12. vers. 26.* Stultis timoribus agitatus, vt vitæ consuleret, dignitémque assereret, sic desipuit, vt mortiferum venenum vt salubrem sibi spirarit antidotum. Audi ipsum Deum Ahiæ ore sententiam proferentem: *Feci ti tibi deos alienos, & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares; me autem proiecisti post corpus tuum: idcirco ecce ego inducam mala super domum Ieroboam. 3. Reg. 14. vers. 9.* Vt volaticum fulciret splendorem, luctuosissimam sibi asciuit calamitatem. *Fecit duos vitulos aureos* (inquit Hugo) *vnde omne malum ortum est.* A vitulis quæsiuit auxilium, & à vitulis exortum est detrimentum. Prudentiores Ieroboamo se perstiterunt Philisthini. Calamitatibus pressi non solùm Sacerdotes consulunt, sed Diuinos: *Vocauerunt Sacerdotes, & Diuinos.* Diuini habebantur, qui futura prænoscebant, & perspicacibus oculis indagabant: ergo circa futura consulunt, ne si præsenti dolori occurrant improuidi, grauiora ingemuerint perpessi. Notauit noster Sanctius: *Socios addunt Diuinos & aruspices, qui futuros rerum euentus prænoscere, aut coniectare, & si quid impendeat aduersi, illud auertere, aut frangere posse existimantur.* Itaque sero errore vtile nobis perstiterunt documentum, dum examinant, an præsentis calamitatis leuamentum esse possit postea calamitatis auxilium; esset namque stultum ipso laborare remedio, & grauiore leuius expellere damno. O vtinam plures expenderent quantas sibi calamitates in futurum adsciscant, si vt incommodis præsentibus subueniant, diuina edicta calcarint, & cœlestem indignationem meruerint. Profectò quicumque immortalem ob admissum crimen cogitauerit ignem, ærumnosam sustinere eligeret calamitatem: verùm plures sic delirant, vt æternam non attendant, imminere pœnam si queant præsentem infringendo legem, euadere ærumnam.

§. XII.

Sæpè Deus à veritatis aduersariis veritatem extorquet, & manifestare compellit.

VEritas aduersarios plurimos patitur, variis sæpè fucis tegitur argutiis variis minuitur. *Diminutæ sunt veritates* (aiebat Psaltes) *à filiis hominum. Psal. 11. vers. 1.* Et iterum: *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est. Psal. 5. vers. 10.* Sic plures oderunt veritatem, vt à corde, oréque prorsus amandarint, depulerintque; sciunt veritatem Numini gratam, eóque in Deum odio inflammantur, vt corrumpant, aut imminuant, aut tegant. *Cultu vero delectatur* (aiebat Philo *lib.* Quod deterius) *cùm anima solum, & vnicum sacrificium offert, nempè veritatem.* Ne veritatem gratum Deo sacrificium anima obtulerit, dæmones illam adulterant, & callida astutia celant: verùm non rarò Deus veritatis æmulos ad veritatem proferendam cogit, & velint nolint, manifestare compellit. Ecce Philisthæi ab idolorum sacrificulis, & Diuinis veritatem inuestigantes, & quid erga Arcam faciendum sit, edoceri cupientes, quod expediebat, audierunt: *Vocauerunt Philisthiim Sacerdotes, & Diuinos, dicentes. Quid faciemus de Arca Domini? Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum.* Expectares à Diuinis dæmonia consulentibus, à Sacerdotibus figmenta sectantibus mendacia proferenda, & deliria artificiis variis coloranda, & tamen veritatem protulerunt, & honoratam muneribus Arcam remittendam declararunt: *Nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini.* Vides Diuinos veritatem proferre, & Arcæ cultum consulere. Iam si inquiras, quomodò protulerint oracula, assuefacti proferre commenta? Respondebit Liranus, dæmones à Deo coactos, vt Diuinorum ore promerent veritatem, edocerentque quæ spectabant ad Arcæ honorem. Audi Liram: *Per pacta cum dæmonibus inita tacitè, vel expressè dicunt hominibus aliqua incognita. Dæmones enim, eò quòd in eis remanserunt naturalia integra,*

integra, ex intellectus perspicacitate, & experientia longi temporis multa sciunt hominibus incognita, & de talibus praedicti Diuini ab eis instruuntur. Adnectit: *Aliquando etiam daemones ad dicendum Diuinis, vel etiam aliis aliqua vera à Deo coguntur, & sic videtur fuisse in proposito, quia consilium ab eis datum cedebat ad Dei gloriam Israel, & honorem.* Mirè Dei eluxit potentia, dum veritatis aduersarios proferre veritatem compulit, & consulere quid oporteret, coegit.

§. XIII.

Vel iniquo superiori honestè obedire affert plurima, & saluberrima commoda.

VT horologia ad solis cursum dignoscendum sunt indices; vt sunt fideles veritatis praecones, in eisque facilè assequitur visus, quod dignoscere nequiret aliter sensus: sic quos Deus ad praelaturae apicem extulit, suae horologia quodammodo veritatis, & voluntatis constituit indices, ibi facilè à morigeris subjectis inuenitur, quod aliter magnis difficultatibus indagatur. Non caret mysterio Iehu ad regnum inauguratum horologium solare habuisse pro throno: *Haec dicit Dominus: Vnxi te Regem super Israël. 4. Reg. 9. vers. 13.* Quid tunc? *Festinauerunt itaque, & vnusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis.* Paraphrasis Chaldaica legit: *Posuerunt super eum in gradu horarum*, id est, in horologio horarum, vt hoc facto denotarent superioris dignitatem solari horologio assimilari; nam vt horologium veritatem manifestat; sic superior indicat; & licet aliquando nec virtutibus floreat excultus, nec sanctitate resplendeat ornatus, nihilominus Deus eius linguae vtitur, vt qui honestè, ac debitè obsequitur, veritatem assequatur. Ecce Philisthaei Sacerdotes, Diuinosque, quos superiores venerabantur, circa Arcam remittendam consulunt, ab eisque; quod expediebat, sine ambagibus audiunt: *Si remittitis Arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini.* Effectus salubre consilium ostendit, nam calamitas, qua premebantur, cessauit. Et quidem si Sacerdotum, Diuinorúmque mores inspicias, idolis ministrabant, & vanitati inseruiebant; verum eorum lingua vsus est Deus ad veritatem edocendam, & calamitatem sedandam. Notauit Chrysostomus: *Quoniam Philisthaei vatibus suis talia dicentibus consilia crediderunt, eorúmque impleuerunt praeceptum, Deus quoque condescensione solita Diuinorum sententiam comprobauit: nec majestate sua putauit indignum in effectum operis profanorum dicta perducere.* Nulli superiori obediendum est, si rationi aduersa iubeat, aut à virtute discrepantia praecipiat; verùm si rationi consona quantumvis vitiis denigrati, expedit adimplere praecepta, nam rationabilis, ac deuota subiectio promouet virtutem, & non semel impetrat corporis sanitatem. Diuinis honesta iubentibus Philistaei obsecundarunt, calamitatémque facilè depulerunt.

§. XIV.

Superior, etsi vitiis sordeat, subditis ad virtutem inuolare suadeat.

IN superiore duplex quodammodo persona est; alia ad se, actionésque suas spectat; alia ad subiectorum regimen, directionémque, dignitatis infulis micat: ergo licet vt homo fragilis contingat vitiis sordescere, vt superior ad virtutes debet subditos instigare *Regnum* (aiebat Cassiodorus 9. variar. 2.) *iure dicitur interregnum, si nunquam fuerit imminutum. Hoc fieri potest, cum vndique summouetur effrenata licentia: nec datur ausus menti malignae sub abominabili libertate peccare.* Itaque superior dicitur integerrimus, si frenarit audaciam, & peccantium legum falce restinxerit insolentiam. Superiorem decet subditis imitanda praebere exempla; verùm licet virtutis non fuerit cultor eximius, erit si satisfaciat muneri, praedicandus. Aliud est hominem delinquere, aliud munus Principem non implere. Philisthinorum Sacerdotes, Diuinique consulti admonent Dei Arcam oblatis muneribus honorare, & perpetrata crimina sententiae retractatione abolere: *Nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis reddite ei pro peccato.* Si inquiras, cur alios adhortentur debita pro peccato reddere, quando ipsi idolis inseruientes non detrectabant culpam admittere? Respondebit Lira, admisisse fragiles, & vitiorum correctionem admonuisse Sacerdotes. *Non dimittatis eam vacuam, id est, absque muneribus gloriam, & virtutem Dei Israël significantibus. Ideò subditur: Sed quod debetis reddite ei, id est, emendam pro peccato.* Ritè munus obeunt emendam suadentes, & ad Dei gloriam subditos prolectantes; vt praelati muneris vitarunt querelam, vt terreni admiserunt culpam. O si Philisthaeorum Sacerdotum, superiorúmque plures imitarentur exemplum, & licet vanitati studerent, suos ad honestatem allicerent! verùm inueniuntur, qui non solùm vitiis inseruiant, sed etiam iniuriam ignaui & desides dignitatibus suis inferant.

§. XV.

Peccatorem decet non solùm abolere delicta, sed honestè ostendere emendatae vitae argumenta.

INtelligo, *Lucili*, *non emendari me tantum* (aiebat Seneca *epist. 6.*) *sed transfigurari: nec hoc promitto iam, aut spero, nihil in me superesse, quod mutandum sit. Quid ni multa habeam, quae debeant corrigi, quae extenuari, quae attolli? Et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt.* Quae antea affectionis insanae tenebris occultata effugiebant aspectum, si iam visa displicent, foedáque apparent, in melius animus translatus est: verùm etsi deceat peccatorem quemuis editis virtutum exemplis perpetrata abolere delicta specialius ad hoc tenetur, qui publica non recusauit scandala. Transfigurandus est, & honesto virtutum veneficio in alium demutandus, qui prauis exemplis alios corrupit, & inuerecundè peccauit. Sit omnibus nota poenitentia, si fuit nota omnibus culpa. Nouerant hanc veritatem Sacerdotes Philisthinorum, consulti namque circa dimissionem Arcae responderunt, quòd perpetrauerant Philisthaei peccatum non solùm poenitudine abolendum, sed etiam, vt de emendatione constaret, elaborandum. *Nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato.* Quaerunt Interpretes, quod fuerit peccatum, & quod reddendum pro crimine debitum? asseruntque monuisse Sacerdotes non solùm Arcam remittere, sed publicis etiam poenitudinis indiciis admissam culpam inaurare. Deliquerant publicae Arcam Dagonis templo inferentes, & audacter dehonestantes ergo oportebat non solùm emendari, sed transfigurari, & publicis adhibitis donis, obsequiisque contra perpetratum scandalum in omnium oculis vertere stilum, & praebere exemplum. Innuit Lira ad hunc locum: *Non dimittatis eam vacuam, id est, absque muneribus gloriam, & virtutem Dei Israël significantibus. Ideò subditur: Sed quod debetis, reddite ei pro peccato, id est, emendam pro peccato.* Itaque duo consuluerunt, peccatum poenitudine delere, & emendationis argumenta publica prodere: nam qui aliis scandalum prauis intulit actionibus, eximiis oportet praebeat exemplum virtutibus. Oblata Arcae obsequia

inaurarunt

LAXERA
Lib. I.
Reg. cap. VI.
C. IV
45

inaurarunt scandala, & quia oculos non timuit ad delinquendum audacia, oculos non detrectauit laudabilis pœnitentia. O nos miseros, qui erubescimus emendatos, & transfiguratos videri, & audemus scandalis defœdari.

§. XVI.

Pœnitentia est non solum peccati exilium, sed calamitatis remedium.

PLura nobis infortunia contingunt in scelerum pœnam, quæ persequerant, & gliscunt viuente causa. Aduocati aliquando peritissimi medici nequeunt ægritudinem depellere, quia originem non possunt tollere. Calamitas peccatorum meritis procreata, meritis pœnitudinis est delenda. Quòd si ægrotus, diuextúsque ad pœnitudinis pharmaca non confugiat, frustra peritia medicorum laborat. Vnde Ouidius *lib. 1. de Ponto, Elegia 1.* aiebat:

Sæpè leuant pœnas, ereptáque lumina reddunt,
Cùm benè peccati pœnituisse vident.

Vera protulit, etsi quod veri, & vnici Numinis est, idolis inanibus arrogarit. *Horum bonorum* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ cap. 2.*) *vnus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa. Hæc pœnitentiæ causa: hæc opera negotium diuinæ misericordiæ curans: quod homini proficit, Deo seruit.* Quasi dicat: Peccator se ipsum ignominia afficit, lædítque: ergo si misericordiæ Dei cupit largo imbre infundi, adlaboret obstaculum, scilicet culpam, auferre. Pœnitudo, quæ Deo placet, hominis saluti proficit; vtque ardenti igne adipatur fumus, & extincto prorsus euanescit; sic grassante crimine procreatur calamitas, & abolito redit prosperitas. Philisthæi duris adurgebantur doloribus, & licèt variis industriis, medicaminibúsque occurrere calamitati tentarint, nec cessabat calamitas, nec sopiebatur anxietas: verùm remedium, quod ars inuenire nequiuit, Sacerdotum consilium præbuit: *Quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini.* Ac si dicant: Quam patimini, calamitas non oritur ab aëris intemperie, aut telluris qualitate, sed ab Arcæ retentione: ergo reddite Arcam, & ablata causa, cessabit etiam vindicta; aliter namque etsi in adhibendis remediis laboretis, inaniter tempus consumitis. Opportunè Lira: *Quod debetis reddite ei pro peccato, id est, emendam pro peccato, & tunc curabimini à plagis vobis infligitis.* Ea infirmitas peccatorum erat effectus: ergo in vanum sudaret industria, si perseueraret causa. Vt hinc constet, plures ægritudines medicamentis non depelli, & vera vitæ emendatione curari. Deus enim æquissimus iudex doloris, infirmitatisque eculeo peccatorem distorquet, vt perpetrata confiteatur delicta, & digna aboleuerit pœnitentia. Id inter humanum, diuinúmque iudicem discrimen est; apud sæculum criminis confessionem sequitur pœna, apud Deum misericordia. Vera pœnitudine culpæ venia obtinetur, & salus redintegratur; est namque perpetrati criminis pœnitentia ad ægritudines depellendas efficacissima medicina: *Quod debetis, reddite ei pro peccato, id est, emendam pro peccato, & tunc curabimini à plagis vobis infligitis.*

§. XVII.

Oblatis Deo humiliter donis sæpè infirmitas releuatur, & salus desiderata obtinetur.

MVnera, obsequiáque sopiunt iram, & lucrantur beneuolentiam. Ob id cecinit Poëta:

Munera, crede mihi, placant hominésque, deósque.
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

Non frustra fiunt vota, non frustra ab infirmis Numini offeruntur donaria: nam cùm hæc pietas diuinæ sit protestatio potestatis, sanitati auxiliatur, & ægritudo ope cœlesti depellitur. Ionas è ligneo ad vivum translatus nauigium, feræque receptus voragine, ad vota confugit, & remedium calamitatis inuenit: *Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui, reddam pro salute Domino. Ionæ 2. vers. 10.* Quid tunc? *Et dixit Dominus pisci: & euomuit Ionam in arida.* Quod accuratè instructa nauis eludere nequiuit naufragium, religiosum euasit votum, & Ionas de nauigio ligneo ad nauigium vitale ob admissam fugæ culpam translatus, ob emissum piè votum littus tenuit vinculis absolutus. Opportunè Rupertus apud Glossam: *Ego autem, inquit, etsi vanitatem feci, non custodio illam, sed potius votum voueo tibi, votum corrigendi, votum obediendi, & pergendi quocumque iusseris, & hanc obedientiam immolabo tibi in voce laudis.* Voto facto salutem obtinuit, & liberis oculis terram lustrat, qui marinis vinculis pressus gemebat. Ob id Diuini, Philisthinorúmque Sacerdotes consilium dant Philisthinis, si velint plagas depellere, muneribus oblatis Numen placare: *Quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini.* Optimum sanè consilium, nam licèt Deus muneribus nostris non egeat, eis placatur vti suæ potestatis præconibus, & maiestatis indicibus. Ita noster Sanctius: *Primum statuunt Sacerdotes, & Diuini non oportere Arcam ad suas sedes vacuam remitti, si placare Dominum vellent, & exorare pro communi vulnere medicinam.* Oblatis muneribus occurrendum asserunt ægritudini: *Tunc curabimini.* Quod & accidit: voluit namque Deus per Sacerdotum, Diuinorúmque ora hanc salubrem stabilire doctrinam, docerétque erogatas pauperibus eleemosynas, vota Deo facta, dona imaginibus præstita ad salutem prodesse recuperandam, & ægritudinem depellendam. Arcæ Mariæ Sanctissimæ imagini dona offerunt Philisthini, quibus cessauit plaga, & salus desiderata est obtenta.

TEXTVS.

VERS. IV. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Respondeúntque illi.

§. XVIII.

Salutis est exordium scire velle infirmitatis remedium.

QVibusdam ægris (aiebat Seneca *epist. 6.*) *gratulatio fit, cùm se ipsi agros esse senserunt.* Adde: & quæ medicamenta profutura indagarunt. Sunt namque plures, qui medicinæ præsidium refugiunt, & laborare infirmitatibus ambiunt. Disertè Tertullianus aduersus Gnosticos *cap. 5. Est & hæc peruersitas hominum salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quæque medicamina vitare, mori deniqae citius, quam curari desiderare.* Affectant peruersi ignorare prorsus remedium & notitiæ auersantur commodum: nam vt aspis studiosè obsurdescit, & ne sapienter incantantium voces percipiat, aures variis spissamentis obturat: sic peccatores aures suas sepiunt, & incantamenta salubria fugiunt; infelicitati suæ adulantur, remedium agnoscere detrectantes, & infirmitatem stabilire exambientes. Non distabant à salute Philisthæi, cùm Sacerdotes, Diuinósque consuluerunt, & quid ad delictum depellendum conduceret, solicita anxietate indagarunt; quia sanitatis exordium est salutem amare, & profutura remedia inquirere. *Quid est* (aiebant) *quod pro delicto reddere debeamus?* Salutem suspirabant, qui à Sacerdotibus, Diuinisque remedia perquirebant. Innuit

Abulensis

Abulensis *quæst.* 10. *Hoc magis scire poterant Sapientes, scilicet Sacerdotes, & Diuini, ideò consuluerunt eos.* A sapientibus quæsiuit consilium, & nosse velle infirmitatis remedium, extitit salutis exordium. Baptista, vt discipulos suos vidit speciali erga eum affectu moueri, ad Christum misit, vt veritatem inquirerent, & ipsa se inquisitione ad eam suscipiendam disponerent: *Mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Matth.* 11. *vers.* 3. Cœlestis doctrinæ fecit inquisitores, vt dum candida intentione perquirunt, facilius & veritati accedant, & suscipiant. Adest Basilius Seleuciensis *orat.* 34. *Ideò nunc eos ablegat, in speciem de Christo quidem ipse sciscitans, reapse verò eos cum Domino coniungens per interrogationis speciem discipulis cum Christo familiaritatem concilians. Ite, & interrogate. Ac si diceret: Ite, & discite, Christum cognoscite, & cognito seruite.* Inquirant veritatem noscendi studio, nam ipsum noscendi votum, erit salutis principium.

§. XIX.

Qui candido animo veritatem inquirunt, facillimè inueniunt.

Inuoluta veritas (aiebat Seneca *lib.* 7. *de Benefic. c.* 1.) *in alto latet.* Nos plurima effugiunt, quia aut inuolucris tecta, aut à nostro visu remota. Nec de maligitate naturæ queri possumus, quia non est veritatis difficilis notitia, si debita adlaborarit inquisitionis solertia. Sunt tamen plures, qui veritatem indagant, non vt amplectantur, sed vt impugnarint, aut prorsus corruperint. Sunt etiam, qui eius adfectent ignorantiam ad vitiorum prosequendam corruptelam. Ast si quis candida intentione perquirat, vt errores vitarit, & quid expediat, agnouerit, lux illi cœlestis affulgebit, & viam errore liberam demonstrabit. Philisthæi variis calamitatibus pressi, & incussis cœlitus flagellis percussi Arcam ad suos remittere decreuerunt, sed de remittendi modo prudenter dubitarunt: ergo Sacerdotes, Diuinósque consulunt obsequendi animo, & vitandi erroris desiderio: *Quid est, quod pro delicto reddere debeamus ei?* Non quoslibet, sed Sacerdotes, Diuinósque adeunt, vti veritatis præsides, & antistites. Notauit Abulensis *quæst.* 10. *Hoc magis scire poterant Sapientes, scilicet Sacerdotes, & Diuini, ideò consuluerunt eos.* Quid tunc? Quod expediebat, interrogantibus declararunt, & à difficultatibus expedierunt: *Quinque anos aureos facietis, & quinque mures.* Inquisitio profuit, quia veritatem à Sacerdote quæsiuit, & inuentam vtiliter rapuit. Parum iuuaret adire veritatis antistites, si animo impugnandi perquirerent, aut inuentam obliuioni desides traderent. Herodes, quam Magi publicauerant, stellam non vidit, & licet studiosè collectis Sacerdotibus, ab eis, vbi Christus nasceretur, perquirat: *Scisciabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. Matth.* 2. *vers.* 5. Christum non inuenit; nec enim fas erat, vt inueniret veritatem, qui insidiarum armabat in veritatem arietem. Notauit Chrysologus *serm.* 158. *Salutis nuntius malè audientibus conuersus est in ruinam. Contumax seruus audit natum Dominum, sed Domino nascenti parat laqueos, non honorem.* Magi, quia piè quærebant veritatem, inuenerunt, & ductrice stella inventam obsequiis deuotissimis adorarunt; ast Herodes non inuenit, quia vt indulgeret ambitioni, quæsiuit.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

Vers. V. Iuxta numerum Prouinciarum Philisthinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos, quia plaga vna fuit omnibus vobis, & Satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israël gloriam, si fortè releuet manum suam à vobis, & à diis vestris, & à terra vestra.

§. XX.

Magnatum dedecora non sunt publicitùs proferenda sed prudenti, & vtili silentio signanda.

NOn semel magnatum splendor, interueniente aliqua nebula, aut minuitur, aut contrahitur, quod si quis de abstrusorum notitia se iactans non vereatur evulgare, quod oportebat tacere, sibi officit, & ardentem contra se potentioris furorem accendit. *Multa legem non habent* (aiebat Seneca *lib.* 5. *de Beneficiis cap.* 21.) *nec actionem, ad quæ consuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior dat aditum. Nulla lex iubet amicorum secreta non eloqui.* Lex ora non claudit, sed prudentia fugillat, cuius limites, quia transgressi, plures iacuerunt occisi, aut dignis castigationibus afflictati. Dauid seriò monet Salomonem, ne Ioabi crimen reliquerit impunitum. *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab. 3. Reg. 2. vers.* 5. Quod fuerit hoc crimen, cuius appetente etiam morte vltionem iustam suspirarit, quærunt Interpretes, existimántque, quas occultè Dauid contra Vriam dispoſuerat insidias, minus cautè evulgasse, & evulgando Dauidis animum dolore acerrimo perculisse: ergo noluit offensam remanere inultam, sed digna castigatione mulctatam. Ita Rabbi Salomon apud Liram: *Dicit Rabbi Salomon, quòd per hoc intelligitur malum, quod fecit Ioab contra personam Dauid, ostendendo aliis litteras, quas sibi secretò miserat Dauid de morte Vriæ.* Commissam in se offensam ægrè Princeps tulit, & Ioab, dum dedecus imprudenter detegit, sibi calamitatem asciuit. Quisquis, vt appareat abditorum sciolus, in lucem prodit magnatum, potentúmque næuos aut sanguinis, aut actionis, non semel eruditionis gloriolam graui dolore compensat. Oportet salubrem prudenter affectare ignorantiam, & nisi aliud ius exigat, sapientem colere insciticm Arca in Dagonem Philisthinorum Deum dignam exercuit intempesta nocte mulctam: *Cumque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini. 1. Reg. 5. v. 3.* Post Dagonis ruinam generalis, & publica plaga sequuta est; cumque Diuini, & Sacerdotes de remedio consulti agerent, publicis testimoniis suam iubent fateri plagam; Dagonis verò cautè noluerunt publicari ruinam: *Quinque anos aureos facietis, & quinque mures.* Inquires, si aurei conflantur, & offeruntur mures, nec recusant publicitùs suam fateri ignominiam, cur non obtulerint aureum caput, vt Dagonis etiam confiteantur mulctam? Profectò vt Philisthini, passus fuerat Dagon ruinæ dedecus, casus infamiam: ergo si oblatis muribus opprobrium suum non verentur confiteri, cur renuunt Dagonis dedecus promulgare? O vtilem nobis eruditionem! Noluerunt alti, potentisque dedecus propalare, ne contingeret eius indignationem accendere. Ad calamitati occurrendum opus non erat in lucem proferre Dagonis ruinam, sed inflictam sibi plagam: ergo propriam oblatis muribus confessi sunt plagam, & Dagonis prudenter reticuerunt ruinam.

Innuit aliquomodo Abulensis *quæst.* 11. *Ista erat opinio inter gentiles, scilicet quòd nemo dehonorare deberet aliquem deum.* Dagonem Deum suum dehonestarent, si in lucem eius dedecus proferrent: ergo ne eius indignationem subirent, vtile edocuerunt linguam silentium, & sibi infligtum attestantibus muribus confiteri non recusauere supplicium. Discant à Philisthæis erga magnatum dedecora cohibere periculosum pruritum, qui nolunt inutili eruditione sibi conflare ardentissimum odium: est enim in huiusmodi rebus vtilior ignorantia, quàm historiarum notitia.

§. XXI.

Ærumna Deo patienter oblata opportuna sui ipsius inuenitur medela.

FVrens impatientia, & impatiens ira non est calamitatis leuamentum, sed molestum auctarium. Deo subjici, & inflicta ab eo flagella patienter tolerare, ipsique infligenti patientiam offerre, est doloris leuamentum, & gratum Deo indignationis obstaculum. *Æger* (aiebat aliorsum Tertullianus *lib. de Patientiâ capit.* 1.) *calor bus impatientiæ, quam non obtineo, patientiæ sanitatem, & suspirem, & innocem, & perorem necesse est, cùm recordor, & in meæ infirmitatis contemplatione digero, bonam fidei valetudinem, & Dominicæ disciplinæ sanitatem non facilè cuiquam nisi patientia adsideat, prouenire.* Fidei valetudo, virtutum sanitas, de honesta patientia constat, immò & corporalis ægritudinis leuamen de patientia venit: impatientiæ caloribus exasperatur infirmitas, & humorum perturbatione cruciatus augescit viuacitas. *Digero sanitatem* (verba sunt Tertulliani) *non facilè cuiquam, nisi patientia adsideat, prouenire.* Ad quæ noster Cerda: *Nisi patientia adsideat tanquam medicus.* Vt infirmo solatium est medici præsentia, quia sperat opportunius adhibenda medicamina, & retundenda infirmitatis spicula; sic si patientia assideat, impatientiæ furor repellitur, & rabidus ardor sopitur. Patienter morbos tolerare, & dolores humili subiectione Deo offerre, eius est indignationem sopire. Inflictam plagam sui ipsius esse, si Numini offeratur, medelam docuerunt Philisthinos Sacerdotes, Diuinique; nam cùm suspirarint calamitatis, quam patiebantur, remedium, cœlesti, vt apparet, luce illustrati ad nostram eruditionem eis consuluerunt calamitatem ipsam anis, muribúsque adumbratam aureis ad Dei honorem offerre, & humili, ac deuota oblatione cœlestem indignationem sopire: *Facietis similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israël gloriam.* Dum ea plaga se dignos confitentur, ad Deique gloriam offerunt, opportunum inuenerint remedium, & calamitatis exilium. Ægritudo ex se fœda ad Dei gloriam oblata fuit aurea, & patientia ægritudinem depellebat, & salutem reuocabat. Opportunè Abulensis *quæstione* 12. *Fecerunt ista ad gloriam Dei Israël, vt releuaret ab eis manum suam.* In Deum irati, iracundiæque flammis succensi calamitati vires adderent, & dolores adaugerent: ast dum ad Numinis gloriam quæ perferunt offerunt, opportuna remedia inueniunt. Est enim ærumna sui ipsius medela, si sapienter lata, & humili conformitate recepta.

§. XXII.

Nil adeò est fœdum, quod non inauraverit pœnitentia, nil adeò horridum, quod honesta pulchrum non reddiderit tolerantia.

APud antiquos fabulosa Circe ea arte pollebat, vt rerum qualitates demutaret, & sæpè in contrarias vi incantamentorum conuerteret. Hoc antiquorum delirium inesse veræ pœnitudini inuenitur ingenium. Quid peccato horribilius? quid culpa fœdius? & tamen pœnitudo sic inaurat, vt quos antea auertebat, Dei oculos ad se non solùm alliciat, sed trahat. Deliquerat Magdalena, sed dum lachrymis culpas detergit, diserta Pharisæi mensa non potuit detinere Dei oculos, quos humilis singultus ad se adnitebatur attrahere: *Conuersus ad mulierem. Lucæ 7. vers.* 4. Gratis oculis spectauit, quam si fas est dicere, antea adspicere exhorruit; nam pœnitentia peccatricem ea pulchritudine compsit, ea venustate perpolluit, vt quæ retrò fœda, iam oblectaret venustas: *Cùm provoluit hominem* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ cap.* 9.) *magis releuat, cùm squalidum facit, magis mundum reddit, cùm accusat, excusat, cùm condemnat, absoluit.* Ipsa condemnatio absolutio est, ipsa deiectio, releuatio, ipsa fœditas pulchritudo, & iam diuinus oculus ambit aspicere, quam videbatur antea ardentibus oculis auersari. Hanc veritatem Philisthinorum Sacerdotes cœlesti pulsu eruditi docuerunt. Fœdis laborabant Philisthæi morbis, abrodebantur muribus fœculentissimis: ergo consulunt Deo pro peccato debitum reddi, & ex auro mures conflari: *Quod debetis, reddite ei pro peccato.* Adnectunt: *Quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos.* Ecce iam mus rutilat aureus, & altaribus consecratur pretiosus: fœditatem texit confessio, & in auri pulchritudinem vertit pœnitudo. Notauit Gregorius ad hoc caput: *Memorando similitudines anorum fiunt, flendo deaurantur, quia & recolendo, quæ fecimus, fingimus: & dum commissa attentiùs lugemus, in iustitiæ splendorem membra deauramus.* Præmiserat: *Quia de auro efficitur, hoc profectò insinuat, quia ex splendore pulchritudinis species commutatur deformitatis.* Criminis fœtor in Christi transiuit odorem, & mus, qui oculos offendebat, iam non sine oblectatione intuentis oculos recreabat. Ob id Paulus Ephesios alloquens ait: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ad Ephes. 5. vers.* 8. Quid tenebris horribilius, quid luci distantius? & tamen pœnitentiæ laudabili veneficio iam tenebræ exuunt fœdam caliginem, & induunt pulcherrimum splendorem. Opportunè Anselmus: *Eratis enim tenebræ, id est, obscuritas nigredinis peccatorum ... Sed nunc, id est, postquam ad gratiam accessistis, facti estis lux.* Iam horror est lucis splendor, iam fœditas pulchritudo. Hoc salubre pœnitentiæ veneficium, & laudabile incantamentum Ezechias expertus est, dum hirundinis imitatus ingenium, in perspicaciam cæcitatem conuertit, & horrorem in candorem columbinum demutauit: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba. Isaiæ 38. vers.* 14. Hirundo sua chelydonia cæcitatem vertit in lucem: ergo inuenit Ezechias pœnitentiæ chelydoniam, qua in lucem verteret cæcitatem. *Hirundo* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ cap.* 12.) *si excæcauerit pullos, nouit illos oculare ipsos de sua chelydonia.* Quis desidiæ, aut desperationi locus, cùm pœnitentiam possis arripere, & eius industria in virum alterum commutari?

§. XXIII.

Compulsi sunt ad publicè fatendam Arcæ victoriam qui captiuitatis ei impingere conabantur iniuriam.

IN Azotum, quæ vt placet Rabbano ad huius libri cap. 15. interpretatur *ignis patris*, *vel incendium*, defertur Arca, vt ibi adorationis tributum Dagoni penderet, & cæterorum adinstar iugum captiuitatis subiret: verùm ipsa in Dagonis ditione, ipso in patris incendio non solum non est obscurata fumo, sed splenduit florulentissimo lauro. Dagon, qui alios sibi subiciebat, Arcæ subjicitur, & prosternitur. Nec satis fuit reportare triumphum, sed Philisthinos coëgit, vt captiuitatis suspicione deleta publicum victoriæ exhiberent testimonium. *Dabitis gloriam Deo Israël.* Deus Sacerdotum lingua vsus non solùm Arcæ victoriam fateri suasit, sed si fas est dicere, compulit. satis non erat antiquam captiuitatis suspicionem deponere, & sententiam retractare, ni publico adhibito cultu attestarentur victricem ipso in patris incendio, & Dagonis delubro. Innuit Lira: *Per hoc confitebantur se percussos à Deo Israël, & terram eorum, eo quod præsumpserant capere Arcam Dei.* Præsumpserant Arcam Dei posse, vt reliqui Azotij, captiuitatis infamia denigrari: ergo compulsi sunt eius publicè victoriam fateri. Illi ipsi, qui Iob affectabant amicitiam, duris eum suspicionibus afflixerunt: *Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos? Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere?* Iob. 15. *vers.* 12. & 14. Peccato Iob denigratum his verbis asseruisse eius amicos tradit Gregorius *lib.* 12. *Moral. cap.* 16. *Eo enim ipso* (Eliphaz nomine loquitur) *quod dicitur homo, terrenus exprimitur, & infirmus. Homo enim ab humo appellatus est. Et quomodo esse valet sine macula, qui sponte sua ad infirmitatem concidit factus de terra?* Itaque etsi Iobi verba splenderent iustitia, quia Adami filius, graui obscurari suspicabantur offensa. Quid tunc? Non solùm Eliphaz Deus corripuit, non solùm Iob ab impostura defendit, sed publico testimonio Iobi innocentiam confiteri mandauit: *Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me rectà sicut seruus meus Iob. Iob* 42. *vers.* 8. Gregorius *lib* 35. *Moral. cap.* 7. sic hæc verba interpretatur: *Vniuersa li vos Ecclesia per humilitatem pœnitentiæ iungite, atque eam, qua per vosmetipsos digni non estis, veniam eius à me precibus obtinete: qui cùm per hanc veraciter sapere discitis priùs apud me vestræ sapientiæ stultitiam deletis.* Oblatis Deo per Iob manus tauris eius innocentiam fateantur, vt Deo iubente, demutasse sententiam Iobo adauxerit celebrandum triumphum, & dignum plausum. Ergo Philisthæi, qui in Arca diuinitatem residere arbitrati, Dagoni subjicere sunt moliti, compulsi sunt publico cultu eius deprædicare victoriam, fateríque immarcescibilem palmam.

§. XXIV.

Dei misericordia est calamitatibus adurgeri, si eis mores contigerit concinnari.

SI diligenter perspexeris, in ipsa sæpè Dei indignatione misericordiam latere inuenies. Irascitur, sed patris more, vt filium corrigat, & à discrimine auertat: indignatio ad speciem scintillat, sed ira adulatur amori, & blanditur affectui. *Quis nesciat* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 28.) *prouidentiam diuinam vsibus nostris aliqua velle subducere, vt humanum possit animum comprobare.* Negato aliquando fructu segetis, prouenit messis virtutis. Piscis amarum fel Tobiæ cæcitatem detersit, & eximius fuit amor amaris vrgere, vt posset oculos aperire Ioseph etiam fratres vrget, sed vt ad criminis confessionem compellat: *Loquuti sunt aduersùs me: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Iob.* 42. *vers.* 21. Minus amaret, si non vrgeret, exterior seueritas resplendebat pietate plena, & iratus vultus tener erat amoris effectus. Opportunè Basilius Seleucensis *orat.* 8. *Terriculamentis ludicris vtitur, minas quasi in scœna consequitur, iras histrionicè repræsentat.* Adnectit: *Affectum animi exprimens sincerè fratres amplectitur, germanisque labiis eos osculatur.* Vt germanis eos labiis posset deosculari, in modum irascentis deterruit, & terriculamentis criminis confessionem suasit. Idem in Philisthinorum plaga meditabatur Rabbanus. Duris percussi flagellis, internis diseruciati doloribus, copiosis viduati fructibus ad meliorem se mentem receperunt, & oblatis aureis muribus auertere diuinam indignationem curarunt: *Iuxta numerum Prouinciarum Philisthinorum quinque annos aureos facietis, & quinque mures aureos, quia plaga vna fuit omnibus vobis, & Satrapis vestris.* Quia plaga fuit omnibus, aureos mures obtulerunt; non obtulissent, ni dura plaga vexasset. In quinque muribus affabrè factis quinque sensus honestare expolitos agnoscit Rabbanus: ergo sensus expoliuntur Deo consecrati, dum calamitatibus ingemiscunt afflicti Rabbanum accipe: *Quinque mures quos fecerunt Philisthæi post plagam suam, & attulerunt ad Arcam significant, quia carnales quinque sensibus corporis dediti, cùm à Domino fuerint correpti, scelera sua propria cognoscentes iustè se percussos esse confitentur, & licet coacti in melius commutantur.* Qui captiosis sensuum illecebris delinquebant illecti, resipiunt morbis afflicti, & vtuntur sensibus ad virtutem, quibus abutebantur ad prauitatem. Profuit probitati infirmitas, & prudentiam docuit calamitas.

§. XXV.

Inde sæpè procreatur tormentum, vnde sperabatur gaudium.

VOluptas præstigiatrix est, oblectando fallit, fallendo lædit; promittit gaudium, & sub gaudij crusta ingerit sæpè tormentum. *Qui voluptatem sequitur* (aiebat Seneca *de vita beata cap.* 13.) *videtur enervis, fractus, degenerans vir.* Contraria iunguntur in voluptate promittit iucunda, offert amara, adulatur sensibus, contectis vrget doloribus. Alter desidiosum otium, gulæ ac libidinis occasionem suspirat, & felicitatem autumat: alter ebrietati, luxuriæque deditus vitio gloriatur, nec quàm vera sub vanis gaudiis mala lateant, intuetur. Sacerdotes, Diuinique quinque mures aureos consulunt Arcæ consecrari, si Philisthæi à plagis desiderent expediri: *Facietis similitudines aurorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram.* In quinque Satrapis designari putat Rabbanus carnales, & in quinque muribus quinque sensus. Verùm pace tanti Doctoris non videntur mures ad sensus designandos apta symbola, opportunáque emblemata; nam mures afferebant graue tormentum, & sensus venantur gaudium. Ergo ineptum erit ad adumbrandum lætum gaudium fœdum tormentum. Immò nihil aliud (inquit Rabbanus) aptius est, & similius, est enim hoc adinstar ænigmatis, vtque in ænigmate aliud est, quod videtur, aliud, quod significatur; ita in sensuum voluptate aliud est, quod speratur, & aliud, quod experitur. Muris ingenium sortitur voluptas, vtque mus latenter abrodit, fructúsque consumit; ita voluptas vires, & facultates consumit, & salutem abrodit: *Demoliti sunt terram.* Audi Rabbanum: *Omnis concupiscentia infamis, & ignobilis per diabolum inflammata, per*

contrarias fortitudines instigata, & per torcular nequitiæ expressa vinum profundit amaritudinis. Vinum profunditur, sed amarum, nomen fallit, & amaritudo lædit. O quot intemperantiæ indulgentes nobilissimæ prosapiæ caruerunt hærede! O quot latentem sub voluptate hamum non viderunt, & mortem inopinè deuorarunt! Facultas consumitur, gloria innubilatur, & doloribus corpus aduritur. Ergo prudenter monent Diuini sensus Deo consecrari, neque enim poterant vitiis indulgentes salutem, & facultates non demoliri.

TEXTVS.

VERS. VI. Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt.

§. XXVI.

Plures, quæ oportent, non ignorant, sed ignaui, ac torpentes exequi sæpè protelant.

TAnta est vis voluptatum (aiebat Tertullianus de Spectaculis c.1.) *vt ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem, aut vtrumque.* Mirum non est voluptatum præstigiis illusum, lucri auaritia illigatum conscientiam corrumpere, & eius vocibus obsurdescere. Mirum non est stupiditate, ignorantiáque cæcum offendere, & in præcipitium ruere: est tamen mirandum, ea hominum tenacitate erroribus agglutinari, vt nec exigente dolore ab eis patiantur disiungi. Oculos Pharao de industria clausit, ne respiscceret, sed vt imperium protelaret, vtque tot Israëlitas superbis fabricis construendis instar vernularum haberet: deterius verò delinquebant Philisthæi, dum nec Ægyptiorum calamitate eruditi, nec dolorum vrgentia pressi, nec à Sacerdotibus admoniti Arcam remittere satagebant, & se ipsos fallere quæsitis coloribus laborabant: ergo dignè carpunt eos Diuini: *Quare aggrauatis corda vestra?* Ac si dicant: Torpor, & ignauia vestra aliquem excusationis colorem haberet, si Ægyptiorum non præcessissent exempla, si dolorum non vrgerent spicula, si nostra non docuissent, quid oporteat facere, adhortamenta: ast cum in causa non sit ignorantia, pertinax inuenitur vestra malitia, & studiosè aggrauatis corda. Notauit Caietanus: *Nisi difficiles existimassent, aut vidissent Pelesthinos ad hanc humilitatem, vt darent honorem Elohe Israël, nequaquam monuissent eos, ne imitarentur Ægyptos, & Pharaonem.* Agnitam veritatem exequi differebant, & post anxiam ad speciem consultationem parere Sacerdotibus detrectabant. Philisthinorum inuenias imitatores. Sunt, qui conscientiæ stimulis agitati doctos viros consulant, à quibus, quid oporteat, edocentur, & tamen consuetudinis, aut auaritiæ catenis illigati executioni mandare differunt. Proceram arborē sui imaginē vidit Nabuchodonosor dura falce præcidi: obturbatus Prophetam consulit, consultus mysterium aperit: *Septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus super regnum hominum.* Dan. 4. v. 22. Addit consilium: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.* Crederes somno iam expositō Nabuchodonosor redimiturū imminentē calamitatē, Deique indignationem veritum, dilargitis copiosis eleemosynis obarmandum, & tamen septennio pædore, & squalore exulauit, & conscientiam in criminis subsidium corrupit. Calamitatem audit duraturam, donec tumore depositō Dei agnoscat potentiam, & reuereatur maiestatem: *Donec scias, quod dominetur excelsus super regnum hominum.* Cumque in promptu esset remedium superbiæ est prosequutus delirium: ea stupiditate obbrutuit, vt perpessus sit dura vincula, nec Dei deprædicare voluerit elogia. Opportunè Theodoretus *orat. 4. in Daniel. Propheta hanc sententiam exposuit; ille verò, cum se durum, & inexorabilem præbuisset, scelerum præmia tulit.* Scelerum tulit præmia, quia distulit remedium ignauia. Post longa annorum spatia oculos leuauit, & cœlum aspiciens vinculâ rupit: ipsa remedij scientia damnabat contumaciam, facilitas arguebat duritiam, calamitas insipientiam. Post longum squalorem, pædoremque fecit dolore persuasus, quod excusata calamitate, efficere potuit præmonitus: non ignorauit remedium, sed notitiæ respuit suffragium.

§. XXVII.

Eligit contumax superbia ærumnis durissimis premi, antequam decora subiectione humiliari.

EA nonnulli vanitate turgent, vt errata nolint fateri, & eligant duris laboribus premi, antequam aduersario, æmuloque digna exhibita satisfactione humiliari. *Intolerabilis excessus est* (aiebat Cassiodorus 4. *var.* 22.) *qui superna maiestatis affectat iniuriam, & oblitus pietatis crudelia sectatur erroris.* Excessus est intolerandus, sed frequentissimus velle magis homines, etsi ærumnis diuexentur, errorem suum tueri, quam æmulo dignam satisfactionem largiri. Calamitatum vorticibus percutiuntur, & tamen rupis adinstar durantur. Errarunt Philisthæi Numinis Arcam Dagoni suo pro manubiis offerentes, iniuria Arcæ facta plurimas eis attulit calamitates, quas facilè Sacerdotes edocent releuandas, si oblatis muneribus dignam exhibuerint satisfactionem, nec fateri recusauerint cæcitatem. Quid tunc? Salubre audiunt consilium, sed differunt, malentes doloribus aduri, quam errorem confiteri. Opus fuit Sacerdotibus nouos igniculos adiicere, & repetitis admonitionibus diuexatos adurgere, vt salubria amplecterentur monita, & exequerentur consilia: *Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus.* Superbi, & arroganter tumidi malebant doloribus vri, quam errorem agnoscendo reuerentiam Arcæ præstare. Adest Caietanus: *Nisi difficiles existimassent, aut vidissent Pelesthinos ad hanc humilitatem, vt darent honorem Elohe Israël nequaquam monuissent eos, ne imitarentur Ægyptios.* In memoriam reuocant Ægyptiorum stragem, si emollire quiuerint duram pertinaciam, & pertinacem duritiam: obstinato adeò animo recusabant hanc subiectionis humilitatem, vt sæuissimum potius amplecterentur dolorem: cessit tamen duricies in se ipsam armata & satisfactione exhibita calamitas cessauit depulsa. Qui iniuriam alicui irrogarunt, à confessotibus admonentur, opus esse satisfactionem reddere, nec aliam viam ad animæ salutem restare: verum adeò non semel induratur obstinata superbia, & pertinax contumacia, vt malit animam prodigere, quam debitam satisfactionem æmulis exhibere.

§. XXVIII.

Imprudentissimus est, qui aliena strage eruditus, eadem sequitur vestigia protervus.

FElicitas est aliena strage erudiri, & quo offendit alter, scandalum euitare. Aliena infortunia nobis sunt vtilissima documenta, ni velit contemnere contumacia. *Graue est sapienti* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 10.) *offendere, vbi alterum reperit inciasse.* Eadem causa eosdem producit effectus. Hinc est, quod à prudentiæ lumine inuenitur alienum causam apponere, & effectum non sequendum præsumere. Philisthæi Arcam continuantur retinere, vtque Sacerdotes contumacem duritiem frangerent, Ægyptiorum stragem in memoriam reuocarunt: *Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit*

uauit Ægyptus, & Pharao cor suum? Ac si dicant: Pharao ob duritiem nigris vorticum voluminibus est sepultus: ego, ni resipiatis, non absimilis vobis continget casus. Notauit noster Sanctius: *Philisthinorum Satrapas deterrent, ne diutius apud se captiuam Arcam obstinato detineant, ne talia patiantur, qualia Ægyptij.* Relata strage cesserunt, ne à lumine rationis viderentur extranei, si aliena strage visa perstiterint duri. Mirum est plurestentare honori alieno iniuriam, non ignorantes alios ob eamdem causam mortem tulisse violentam. Mirum est sectari furta, qui illata furibus spectauere supplicia. Hac in re allophylos infeliciter vincunt Christiani, illi namque alienis calamitatibus resipuerunt cordati, isti stragibus visis prosequuntur crimina cæci. Asael, dum Abnerum persequitur obstinatus, mucrone iacuit transfixus: *Percussit eum Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco* 2 Reg. 2. v. 23. Reliqui eodem studio, eademque via persequebantur Abnerum, sed visa Asaelis strage, tardabant gradum. *Omnes, qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael, & mortuus erat, substiterabant.* Prudenter gradum retardabant, Asaelis casu admoniti, & inopina eius morte eruditi; esset enim amentiæ genus aliena non edoceri calamitate, sed cæca inuolare cupidine. *Magno animorum ardore* (scribit ad hunc locum noster Sanctius) *& incitato cursu sui inseguebantur hostes, qui Dauidis sequebantur signa, at illorum fregit animos, & retardauit gressus in medio cursu examinatus Asael.* Expendebant secum prudenter eisdem se, ac Asael aduri votis, eisdemque insistere vestigiis: ergo alieno casu resipuerunt, gressumque tardarunt: esset enim detestabilis cæcitas aliam sibi fortunam promittere, & Asaelis vestigia premere. Ergo Diuini Ægyptiorum stragem proponunt, vt sibi Philisthæi caueant, & prouideant.

§. XXIX.

Infelicissimus est, qui nec assequitur votum, nec euadit voti supplicium.

SVccessu quique labores melliuntur, & sudoris molestiæ quæque leuantur. *Alacriter incumbendum, est inchoatis* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 17.) *cùm iam vicinitas perfectionis arriserit: quando spes effectus tadium laboris excludit, & magnum genus incitamenti credere desiderata compleri.* Frequenter subeunt homines anxios labores, si nancisci vota sperarint, & explenda desideria crediderint; omni tamen ratione videtur orbus, qui non recusat molesta fructu priuandus, & ad desiderata non peruenturus. Prodigus ille, qui à se recesserat, & ab homine in bestiam transierat, dum spes ventrem de siliquis implendi incitabat, luculentum gregem pascebat: ast resipuit, vt vidit famem illic non sedari, & corpus magnis laboribus adurgeri: *Ego autem hic fame pereo.* Luc. 15. *vers.* 17. Extremam expertus miseriam, contrariam aggressus est viam. Quandoquidem vel brutorum supergredi videbatur insipientiam, laboribus durissimis frangi, & ad desiderata nunquam peruenire. Notauit Chrysologus serm. 1. *Quam crudele ministeriũ, quia neque conuiuit porcis, quiviuit porcis. Miser, qui porcorũ deficit, & esurit in sanguiñ. Miser, qui squallentis cibi cupit, nec imperat qua itatem.* Quid miserius, quam nec labores recusare, nec laborum præmium nancisci? Hac ratione vsi sunt Sacerdotes, & Diuini, vt duros Philisthinorum animos flecterent, & a contumacia prorsus abducerent. Monuerant Arcam remittere, videbantque Philisthæos aut inanis gloriæ studiosos, aut pertinaciter duros salubria non amplecti consilia, & dura sustinere flagella: ergo in memoriam reuocant Pharaonem subiisse naufragium, nec retinendi populum expleſſe votum: *Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt*? Ac si dicant: Si corda vestra aggrauatis Pharaonis duritiam imitati, eamdem lugebitis calamitatem experti: nam vt amens ille nec euasit supplicium, nec assequutus est desiderium; sic & vos nec assequemini desiderium, nec euadetis supplicium. Eius hæc ratio ponderis fuit, vt sententiam Philisthæi demutarint, & remittere Arcam quantocius gestierint: *Satrapas deterrent* (inquit noster Sanctius) *ne diutiùs apud se captiuam Arcam obstinatò detineant.* Si Arcam retinere quirent, vt desideriis adularentur, non adeò grandis amentia esset, dura sustinere flagella; si non sustinerent flagella, non adeo esset damnanda contumacia: ast infelicissimum probabatur delirium, non posse desiderium assequi, & ob desiderium cruentis verberibus cædi. Discè inutilia non sectari desideria, subiturus ob desideria supplicia.

§. XXX.

Qui spebus scelera prosequuntur abusi, solent sine effugio perire miserrimi.

PEccatores, vt contra experientiam colluctentur, vanis sibi spebus blandiuntur: delinquentes in Deum experiuntur flagella, & agnoscunt, ni resipuerint immortali excruciandos flamma, & nihilominus fruituros sibi promittunt gloria. *Si omnes mẽdaces persuasiones* (aiebat Philo lib. Quis rerum) *bona fide coarguantur, & ad hostimentum peccata compleantur, continuato cursu fugiemus, & oram soluentes nauigabimus à regione mendaciorum, ac sophismatum ad veritatis stationes, portusque tutissimos.* Si peccata hostimento, id est, digna retributione puniri consideremus, absque dubio fallacibus non duceremur ineptiis, sed prudentibus vteremur præcautionibus; verùm nobis imponimus, & spebus periculosis blandimur: cúmque periculosissimum sit spei auxilia conuertere in errorum fomenta, conscientiæ morsum sopimus, & tempus ad resipiscendum futurum credimus. Et quidem plures; dum spem scelerum fecere ministram, leuandam nunquam tulere pœnam. Pharao Deo obtemperare reluctans repetitis plagis percussus est, & cùm debuisset erudiri prudentia, armata est vanis spebus duritia: *Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea.* Exod. 15. *vers.* 9. Vides, vt prosequeretur insanas affectiones, sibi ditissima promisisse spolia; inuenit tamen æternanda lamenta: *Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Non respondit spebus successus, immò infelicissimus casus. *Diuidam spolia* (inquit Lira) *cùm rediero victor.* Et Interlinearis: *Domestica temeritate, & superbia loquitur hæc.* Exoculata temeritas fulciebatur spe vanissima: ergo dum spe contra prudentiam armatur, voluminibus aquarum obruitur. Perijt miserrimus, qui scelera spebus prosequebatur armatus: ergo hanc stragem Diuini, Sacerdotesque referunt, ne Philisthæi à Deo plagis percussi ad vanas spes confugiant, & pereant. *Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus* Ac si dicant: Pharao spebus nixus sibi promisit trophæa, sed vndarum vorticibus summersus tulit naufragia. Ergo idem continget vobis, si spe abutamini ad Arcam detinendam, & insaniam obdurandam. Adest noster Sanctius: *Monent igitur, ne sicut Ægyptij variis affecti plagis ob. duruere tamen, donec tandem confecti sunt, sic ipsi.* Malè fundatas, stabilitasque spes ab animo adhortantur abjicere, ne dum sibi blãdiuntur cæci, disperẽat spebus prorsus fraudati. O quot promiserunt sibi expiatis ritè peccatis adepturos de dæmonibus victoriam, qui dum spe ad scelera prosequenda abuntur, inopina, & improuisa morte mulctantur!

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. VII. & VIII. Nunc ergo arripite, & facite plaustrum novum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro & recludite vitulos earum domi. Tolletísque Arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exoluistis ei pro delicto ponetis in capsellam ad latus eius, & dimittite eam, vt vadat.

§. XXXI.

Maculis non sordeat pollutum, quod Numinis honori sacratum.

IRridebat Tertullianus *in Apologetico cap.* 13. Gentiles, vt qui numinibus suis sacrata non detrectarent profanis vsibus applicare, & indecorè peruertere: *Domesticos deos, quos Lares dicitis, domestica potestate præclatis pignerando, venditando, demutando aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva.* Quid indignius, quàm excolendæ telluri inseruire, quod liquebat altaribus dedicari. *Titus Petronius* (vt tradit Plinius *lib.* 37. *cap.* 2.) *consularis moriturus inuidia Neronis Principis, vt mensam eius exhæredaret, trullam murrhinam trecentis emptam sextertiis fregit.* Maluit frangi, quàm hosti adeò pretiosam trullam deseruire. Quod si Consularis prudentia cauit, ne adeò pretiosa trulla in æmuli potestatem veniret, imprudentia erit, si Deo sacrata ad sæculi vanitatem polluantur deflexa, vt etiamsi sordibus obscurata Numini dicentur applicita. Hac in re & Philisthinorum Sacerdotes, & Bethsamitæ vtile nobis documentum præstiterunt: illi dum plaustrum novum iubent compingi: *Facite plaustrum novum*, hi dum, ne aliis inseruiret vsibus, flammis decreuerunt sacris consumi: *Conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino.* Infrà *vers.* 14. Vtrique rectè: Diuini, quia indignum putarunt plaustrum rusticano pulvere sordidum, & sæculari ministerio attritum ad Domini euehendam Arcam eligere: Bethsamitæ, quia plaustrum Deo iam semel dicatum noluerunt profanis vsibus applicari. Adest noster Sanctius: *Indignum putabant Sacerdotes, si plaustrum portaret Arcam Domini, quod rusticano ministerio, aut humanis commodis antè seruierat.* Quia diuinitatem in Arca residere credebant, majestate indignum putarunt plaustrum terreno pulvere obscurum, præcipuè cùm facile esset novum compingere, & nulla macula sordidatum applicare. Hinc docemur, Mariam sanctissimam ad portandam diuinitatem electam nullo anteà fuisse Adami agrum colentis pulvere obscuratam, cùm artifici fuerit facilè priuilegio nobilitatam compingere, & tam sacris vsibus inseruientem nobilitare. Hinc docemur etiam non attrita, & vetustate confecta, sed pretiosa Numini consecranda, vt etiam semel consecrata, exinceps aliis vsibus nullatenus seruitura.

§. XXXII.

Ad Domini crucem accurrat, qui exolui malis exoptat.

PAllas Attica, & Ceres Farrea (inquit Tertullianus *in Apologetico cap.* 16.) *quæ sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostant.* Adnectit: *Sed & victorias adoratis, cum in trophæis cruces intestina sint trophæorum.* De ipsis fabulis, de ipsis profanorum ingeniis Christianus potest ad veritatem erudiri, & Christi Domini crucis virtutem, & efficaciam edoceri. Ceres, quæ inuenisse fruges fingitur, crucis fulcro, & stipitis fulcimento firmatur. Attica Pallas bellorum præses sine cruce non triumphat, quia sine cruce non prostat. Addit Minutius: *Trophæa vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem verum & affixi hominis imitantur.* Itaque vel apud profanos crux inseruiebat trophæis comparandis, & periculis auertendis. Quod etiam apud Philisthinos videre est. Vt calamitatem depellant, monent Sacerdotes plaustrum compingi: *Facite plaustrum novum vnum.* In plaustro hoc nouo fuisse crucem præfiguratam tradit Hugo Cardinalis: *Plaustrum est crux Domini; plaustrum enim vehiculum est infirmorum.* Arcano impulsu ad plaustrum crucis vmbram confugerunt Diuini, Sacerdotésque, vt mederentur anxietatibus, & Philisthini expedirenter doloribus, vt vel à crucis Domini virtutis ignaris edoceremur per lignum aduentasse salutem, & depulsam fuisse calamitatem: *Plaustrum est crux Domini: plaustrum enim vehiculum est infirmorum.* Lignum, quod Dominicis humeris fuit tormentum, conuersum est in infirmorum vehiculum. Per crucem infirmitas releuatur, & salus nostra fulcitur. Ob id Psalmista ad crucem Domini recurrebat inexpugnabile scutum, & opportunissimum adiutorium: *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Psal.* 34. *vers.* 2. Cùm Deo opus non sit armis, nec scuto, vt hostes deterat, nósque protegat, cur Dauid armis, scutoque ad nostram tutelam, immò & victoriam obarmari suspirat? Vt crucis, inquit Bernardus, nobis inuictam commendauerit armaturam, quandoquidem Deus ipse, vt hostem prosterneret, & nos spoliis ditissimis coronaret, ligno pro armis est vsus, quo & inimicus abactus. Bernardum audi *in Allegor. Tilman. ad Matth.* 16. *Ecce in cruce salus nostra, tantum vt ei viriliter inhæreamus.* Adnectit: *Ipsa est scutum, quo circumdamur.* Hoc scuto inimici eliduntur tela, & franguntur calamitatum spicula: ergo vbi Philisthæi ad crucis confugerunt vmbram, doloribus, ac periculis inuenerunt medelam.

§. XXXIII.

Nonnulli alienis imponunt humeris crucem, vt suam leuarint calamitatem.

OMnibus iusitum est calamitatem auersari, laborem fugere. Sunt tamen, qui vt fugiant, alienos humeros prægrauarint, & oneribus pressérint. De sæculi vsu venit proprium gemitu alieno redimere, & otio inerti de alienis laboribus indulgere. Christus Dominus cophinos fragmentis plenos Apostolis iussit gestare, vt novam edoceret policiam, & imitandam optimi regiminis formam: *Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant. Ioan.* 6. *vers.* 12. Impertiendis alimentis voluit Apostolicos humeros prægrauari, & sæculi moribus contraire. Notauit in Catena D. Thomæ Chrysostomus: *Quare non turbis dedit fragmenta portanda, sed discipulis? Quoniam hos maxime erudire volebat, qui orbis terrarum debebant esse magistri.* Christi discipulus onere terat humerum, vt liberare possit inopia pressum: non grauetur onere plebeius, vt comedat, & otietur discipulus. Hanc benignitatis formam decebat antistites, & superiores omnes imitari, sed contrariam sæpesæpiùs videntur inire. Ecce calamitas Philisthinos diuexat, quam vt releuent, plaustrum compingunt, & humeris mugientium imponunt: *Duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi.* Vituli priuati alimentis premuntur fame; vaccæ mugiunt attritæ onere, & hoc totum, vt Satraparum humeri otientur, nec onere magnates premantur. In plaustro crucé Domini designari

designari testatur Hugo Cardinalis : *Plaustrum est crux Domini.* Crucem alienis humeris imponunt, vt propriis anxietatibus liberentur, & laboribus exolvantur. O quoties de infirmorum, inualidorumque gemitibus, de parvulorum sanguine quærunt magnates sibi leuamentum, immò indignissimum otium. Ecce Philisthæus sibi commoditatem perquirit de alieno ploratu, & gemitu; clausi vituli esuriunt, matres labore attritæ miserandos clamores edunt : *Pergentes, & mugientes,* & hoc totum, vt Philisthæus sibi consulat, & sibi indulgeat.

§. XXXIX.

Quæ humeros aliquando attriuit, triumphis, & plausibus crux deseruit.

DOminica crux secum affert molestiam, sed molestia parturit gloriam : crux vexando eleuat, humeros premendo exaltat : in triumphalem currum mutatur lignum, & in gloriæ pompam tormentum. Dei Arca Christi Domini vmbra triumphali plaustro vehitur, & repetitis plausibus celebratur : *Tolletis Arcam Domini, & ponetis in plaustro.* Ecquod hoc plaustrum? Domini crux, inquit Hugo : *Plaustrum est crux Domini.* Ipsum lignum, quod humeros atterendo ingeminabat laborem, iam est triumphale vehiculum, & pro labore parturit plausum. Quæ prægrauabat, exaltat, & quæ ferebatur, euehit. In regalem thronum transiuit labor, & augusta pompa compensatus est dolor. *In metalla* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap.* 12.) *inde censentur dij vestri. In insulas relegamur, solet & in insulis aliquis Deus vester aut nasci, aut mori. Si per hæc constat diuinitas aliqua : ergo, qui puniuntur, consecrantur, & numina erunt dicenda supplicia.* Ethnici miseros arbitrabantur Christianos, quia ad insulas relegari, quia ad eruenda metalla proscripti; quos sapienter satis redarguit Tertullianus; nam cùm apud eos post runcinæ, & scobinæ tormenta in deos transirent metalla, non erat improperandum Christianis dignos labores ambire, quando ipsis laboribus in numina poterant consecrari : *Si per hæc constat diuinitas aliqua : ergo, qui puniuntur, consecrantur, & numina erunt dicenda supplicia.* Consonat Tertulliano Minutius Octauio : *Deus ligneus rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur.* Apud Ethnicos lignum de flammis transibat ad thronum, & runcinis ad venerationis obsequium. Ergo prudentia est, inquit Tertullianus, crucem Domini ambire, quandoquidem de ipsa cruce constat gloriam promanare. Aaronis virga crucis Dominicæ emblema portanti aliquem laborem ingessit, sed ad stabiliendam eius dignitatem, & gloriam floruit : *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui : & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. Num.* 17. *versic.* 8. Virga, quam manus non sine labore gestarat, dulcissimas profert amygdalas, & gestanti parturit glorias. Opportunè Hugo Cardinalis ad hunc locum : *Amydalum est crux, cortex amaritudo passionis, testa fortitudo patientiæ, nucleus dulcedo glorificationis.* Virga secum affert laboris amaritudinem, sed profert etiam glorificationis dulcedinem.

§. XXXV.

Prædicatores, si crucifixo iungantur afflictorum morbis medentur.

MAgnum quidem multis (aiebat Cassiodorus 6. *variar.* 12.) *& inter vices videtur esse geniatum, publicæ vtilitati probis actionibus occupari.* Honorabile est munus, quod ad cunctorum constat pertinere vtilitatem, & Reipublicæ afferre salutem. Gratum omnibus redditur, quod sanitati deseruire cognoscitur. Digna occupatio, quæ nullum nouit offendere, nullum agnoscitur ingrauare, & super omnia bona concitare nescit inuidiam, sed cunctorum releuare miseriam. Eiusmodi est concionatoris dignitas; verum tunc saporatis fructibus resplendet plena, cum Dominicæ cruci inuenitur adiuncta. Omnibus proficiet, qui laudabili mortificatione resplendet : qui verò inconcinnis moribus obscuratur, exiguo, aut nullo fructu laborare dignoscitur. Sacerdotes, Diuinique, vt Philisthæos internis plagis, externisque ærumnis liberarint, vaccas plaustro subdere ceruices decernunt : *Duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro.* Vaccæ sæculi iugum non expertæ, & sacro iugo adaptatæ calamitatem releuarunt, & salutem omnibus attulerunt. Cumque hæc omnia, teste Paulo, in figura contigerint, Interpretes hac in vmbra perspicere conantur mysterium. Hugo Cardinalis in plaustro crucem asserit adumbrari, & prædicatores in vaccis intelligi. Ipsum audi : *Vaccæ iunctæ plaustro sunt prædicatores adiuncti crucifixo.* Prædicatores plagis attulerunt remedium, dum Christum in se circumferunt crucifixum. Profuit vaccarum mugitus, quia crucem Domini humeris ferre non dubitabat aspectus. Philisthæi antea morbis conscientiæ afflicti, & cupiditatum ardoribus inflammati sanantur, vbi vacarum plaustrum ferentium mugitus audiuntur. Profecto, ni crucifixum in se ostenderent, aërem verberarent, sed medelam ægrotantibus non afferrent. Paulus cruci affixus parturit filios, & sanat ægros. Magnus ille concionator Elias, vt demortuum puerum resuscitet, crucis resumit habitum, & iteratis manuum expansionibus multiplicat sibi tormentum. *Expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus. Et clamauit ad Dominum.* 3. *Reg.* 17. *vers.* 19. Quia opus erat arduum, ad crucis semel, & iterum recurrit auxilium, & se ingeminatis mortificationis doloribus cruciat, vt peccatoris mortem depellat : crucifixus refudit vitam, qui forte, ni crucifixus, non attulisset, etsi clamaret, medelam. *Mortuus est* (aiebat ad hunc locum Gilibertus *in Allegor. Tilman*) *qui vel tædij, vel desperationis molè obruitur, in quo nihil est vinidæ deuotionis, feruidi spiritus.* Ægrotabat spiritus aut desperatione salutis, aut virtutis tædio : verum Elias, dum crucifixum refert, quidquid vitæ officiebat, excludit. Vaccæ crucem ferentes depulerunt calamitatem, & occasio extiterunt salutis.

§. XXXVI.

Si prædicatores charitatis vinculis non vniantur, difficulter vulneribus peccatorum medentur.

PRædicatio sortitur energiam, non solum à doctrinæ veritate, sed à concionatorum salute. Si plausus æmulatione, aut euanidæ gloriæ cupidine inter se digladientur, vanitatem persuadebunt factis sectari, quantumvis verbis edoceant virtutibus inseruire. Si euangelicus suggestus Martialem transeat in campum, auditoribus non afferet fructum, sed periculosum cunctis scandalum. *Spectabilitas clara* (aiebat Cassiodor. 6. *var.* 12.) *& consistorio nostro dignissima, quæ inter illustres ingreditur, inter proceres aduocatur : otiosi cinguli honore præcincta dignitas, quæ nullum nouit offendere, nullum cognoscitur ingrauare.* Si aliquem dignitatis luminibus venerandus niteretur offendere, si verborum spiculis conaretur ferire, inseruiret indignis affectionibus, non adaugendis virtutibus. Philisthinorum Diuini, vt communi calamitati subueniant, iubent vaccas eidem iugo adaptari, & vinculis eisdem vniri : *Duas vaccas fœtas, quibus non est impositum*

impositum iugum, iungite in plaustro. Vniat charitas in plaustro, vt laborantibus esse possint remedio. *Vaccæ duæ sunt* (inquit Hugo) *propter geminam charitatem, quam debent habere Doctores, & prædicatores. Vnde Luc. 10. Misit Dominus septuaginta duos discipulos binos, & binos ante faciem suam.* Concordia, & charitatis inter Doctores vinculum veritatis est fulcimentum. Si populus animaduertat, Doctores, concionatoresque inter se dissidere, seque è suggestu obscurare, non percipiet ex cõcionibus fructum, sed ob conciones subibit scandalum. Concordia extra omnem plausus inuidiam, charitas extra omnem degenerum affectionum insaniam doctrinæ indit efficaciam, & audientibus affert peccatorum medelam. Nauigabat Paulus, & cum deuenisset ad ditalassum, à se ipsa videbatur nauis dissidere; nam prora manebat fixa, puppis à mari iactata: *Cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt nauem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò soluebatur à vi maris. Actor. 27. vers. 41.* Historia inseruire potest doctrinæ. Rabbanus putat, nomen loco inditum ab vndis secum obluctantibus, & diuersis ingeniis bellum gerentibus, quarum discordia nauis impeditur, & soluitur. Audi Rabbanum apud Glossam: *Dithalassum, id est, bimaritimum, vbi terræ interiectu duplex mare interuenit.* Aquarum volumina secum opposita, sibique repugnantia nauis cursum impedierunt, & naufragia incrementarunt. Cumque in aquis frequenter adumbrentur Doctores, historiæ penicillo depinxit Scriptura Doctorum discordiam nauigantibus afferre naufragia. Charitas ædificat, discordia concionatores, & audientes labefactat.

§. XXXVII.

Electus ad publicæ vtilitatis remedium, soli æquitatis iugo subdiderit collum.

MAgnum quidem est publicæ vtilitatis commodis studere, & ad omnium salutem dignitatis insulis exornari: verum vt laudabilibus huiusmodi institutis quis possit sine inuidia, & querela attẽdere, solius æquitatis iugo humeros discat subiicere. Si quis ambitione pulsetur, aut cupiditate aduratur, non tam vtilitatem publicam, quam sibi suspirabit aut pecuniam, aut gratiam. *Quid,* (aiebat Cassiodorus *6. var. 10.*) *si expensas consulatus pauper nobilis expauescat? Quid, si sapientia clarus præfecturæ nequeat sustinere molestias? Quid, si pondera Quæsturæ affluens lingua formidet? Quid, si reliqui fasces molestiarum tædio vitentur fortè, quam mentis* Profectò si consulatus expensis pauper inueniatur obnoxius, Consul non erit Reipublicæ commodus. Si Quæstor potentiam timeat, si fasces ambierint auri copiam, ipso remedio laborabit Respublica, & lugebit publica causa. Philisthinorũ Diuini, Sacerdotesque, vt subueniant calamitati, vt consulant vniuersorum saluti, monent fœtas vaccas deligi omnis iugi ignaras, & solum plaustri Domini iugo subiectas: *Duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro.* Duo in vaccis requirunt, vt nulli iugo humeros supposuerint, & Arcæ iugum portarint: Hugo Cardinalis sic ad mores interpretatur: *Istis nullum iugum peccati debet esse impositum, sed tantum iugum Christi.* Illum honores vtilem reddunt, quem commendat omnis criminis expers vita, & conuersatio nullis cupiditatibus obscurata. Felix Respublica, quæ de dignitate ornatis non potest vel secretò obmurmurare, quia constat purissimis moribus relucere. Calamitas pellitur, dum plaustrum, solum Christi iugo subiectæ ceruici imponitur; nam licèt naturali suorum adfectione pulsetur, licèt oneris molestiis frangatur, à recta via, nec tantillum deflectet, sed mugiens, & gemens æquitatis regulam obseruabit. Pharao, vbi Iosephum Ægypto præfecit, nomen mutauit: *Vertit nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. Gen. 41. vers. 45.* Si quando eruenda sunt somnia, & declaranda mysteria, Ioseph nomen retinetur, cur in aliud, dũ vniuersitati præficitur, demutatur? Nomen Ægyptiacum fuit *Psonthophanech*, hoc nomen interpretatur, teste Philone, de Nominum mutatione: *Os iudicis*, seu os iudicans: Audi Philonem: *Exponitur nomen istud in responso os iudicans.* Præficiebatur Iosephus ad frumenta prouidè asseruanda, & æquitate omnibus diuidenda; cumque antiquum nomen significaret augmentum, sapienter eis in circunstantiis in aliud est demutatum; nam si Præfectus augmentis studeat, aut augmentum nomine proferat, quantumvis exercuerit virtutem, patietur aliqualem supicionem. *Ioseph,* (verba sunt Philonis) *exponitur adiectio. Appendix enim rerum naturalium sunt ea quæ ad vestitum, & cultum referuntur: aurum, argentum, possessiones, reditus, seruorum ministeria, ampla Gaza, & supellectilis, atque eiusmodi luxus copia, & immensi, atque innumeri rerum voluptatem afferentium apparatus.* Parum intererat, vt priuatus coniector augmentum præferret nomine, quandoquidem sapientiæ debetur præmium: ast cum leuandæ omnium calamitati, & procurandæ saluti præficitur, nomen ad nostram eruditionem mutatur, ne quis existimet subiectum augmenti cupiditati, aut splendoris ambitioni, qui culmine elatus, & ad cæteris prouidendum electus.

§. XXXVIII.

Quæ ad communem salutem pertinent, non sunt lenta ignauia procuranda, sed prudenti velocitate arripienda.

VTilitatis publicæ causa tractari debet maturitate consilij, non exoculata celeritate; verum vt celeritas officere solet consilio, sic tarditas facto. Celeriter incumbendum est prudenter decretis, & maturè consultis. Commiserat Abundantij solicitudini Theodericus naues construere ad Reipublicæ vtilitatem, isque fuit Abundantius, vt laudabili velocitate complerit, & veluti classeam syluam desiderantibus cito monstrarit. Audi Cassiodorum *5. variar. 17. Iudicio nostro, electioni que respondens, ostendisti, quam fuerit indubitata perfectio, efficacissimis imperasse quod quæritur. Renuntias illicò completum, quod vix credi poterat inchoatum. Vt penè quanta velocitate nauigari solet, constructio navium tanta sit celeritate completa.* Dignus laude minister, qui matura celeritate perfecit, quæ ad Reipublicæ vtilitatem spectare cognouit. Non adeò dilaudandi Philisthinorum videntur Satrapæ, nam cùm ad depellendam vniuersalem calamitatem per Sacerdotes, Diuinosque cognouissent oportere Arcam remittere, videbantur ignavè satis differre: ergo eos adurgent Sacerdotes, vertendumque docent crimini lentè exequi, quæ publicæ conueniunt vtilitati: *Nunc ergo arripite, & facite plaustrum novum vnum.* Expende illud, *Nunc.* Ac si dicant: Neque in sequens instans est differendum, quod maturè decretum, & omnium vtilitate opportunum. Notauit Abulensis quæst. 14. *Dicitur: Arripite, id est, velociter facite, arripere enim pertinent ad aliquid, quod velociter, & quasi sine deliberatione fit.* Post prudentem deliberationem iterum deliberare, fugillabant, vrque festinaret, vrgebant. Philisthæus publicam suorum causã susceperat, Dauid communem etiam Israelitarum causam tractabat; duello res definienda erat. Gigas incessit lentè: *Cùm surrexisset Philisthæus, & veniret. 1. Reg. 17. vers. 48.* Dauid celeri cursu festinauit, cucurritque: *Festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi.* Lentius communi vtilitati studebat Philisthæus, solicitius Dauid Israelitarum saluti: ergo felix fuit Israelitarum Respublica sortita ministrum prudenter solicitum, infelix Philisthinorum sortita ministrum tumidum, arrogantem,

rogantem,& lentum.Innuit noster Sanctius : *Ibat Philisthæus incedens. Superbus significatur incessus ab homine, qui nihil timeret, & præ se reliqua despiceret.* Adnectit post aliqua : *Mihi certum est in eo periculo otiosum aut ignauum non fuisse Dauidem, cùm à Deo iam ante fuerit illustratus, & sciret certamen non esse de nihilo, sed in eo de suo capite, de populi libertate, & de diuino honore futurum esse certamen.* Philisthæus lentus Reipublicæ offuit; Dauid solicitus suis salutem attulit. Tantum iuvat res publicas, generalesque prudenti solertia tractare, & nocet tantum lentè, & ignauè disponere.

§. XXXIX.

Sit aliorum saluti prouideas, vt tibi consulas, & periculum abigas.

NOn ago de periculis, quæ prudenter amplectitur charitas, salutem, vitámque propriam exponens, vt Deo inseruiat, & proximis consulat, sed de eis periculis, quæ nonnulli solent adire, vt aliorum temporali vtilitati, aut vanitati quiuerint adulari. Diuini, Sacerdotésq; Arcam iubent vaccarum ceruicibus impositam remitti, nolunt humeris propriis deferre : *Dimittite eam, vt vadat.* Citiùs videbatur cessatura calamitas, si propriis humeris conueherent, quam si in compingendo nouo plaustro tempus insumerent. Cur ergo Sacerdotes, ad quos ad speciem spectabat Arcam humeris deferre, non tulerunt, vt Reipublicæ maturarint salutem, sed passi sunt tantisper grassari calamitatem ? Quia etsi asportata humeris Arca cessaret flagellum, qui portarent ad speciem, exponebantur periculo, cùm ab hostibus possent aut capi, aut occidi: ergo prudenter decreuerunt Arcam remittere, non gestare. Ita Abulensis *q.16. Timebant, quòd comprehensi ab Israëlitis necarentur. Missa autem Arca super plaustrum nullum erat periculum.* Itaque sic suorum commodis prouiderunt, vt sibi etiam consulerent, & periculis obviarent, noluerunt, vt alij infirmitatis assequerentur medelam, propriam exponere discriminibus vitam, præcipuè cùm possit conseruari vita, & obtineri medela. Vtinam hanc prudentem politiam plures imitarentur. Inuenies tamen, qui animæ, & corporis detrimento aliorum honori, immò vanitati, & cupidini inseruiant, & pericula despiciant. Existimauit Nabuchodonosor sibi iniuriam factam à pueris reluctantibus insanæ statuæ exhibere reuerentiam: ergo contra eos ardentissimam armauit flammam experturus vindictam. Ministri Regis, vt eius adularentur furori, materiam ingerebant fornaci : *Non cessabant, qui miserant eos, ministri Regis succendere fornacem naphtha, & stuppa, & pice, & malleolis. Dan. 3. vers. 46.* Quid tunc ? Quam adipabant, flamma consumpti sunt: imprudentes namque approximarunt periculo, vt adularentur insano Principis desiderio : *Erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.* Dum alieno furori auxiliantur, flammis vorantibus consumuntur, & quidem primum arbitror tetro fumo fuisse obcæcatos, quàm flammarum ardore adustos, ni enim cæci, vt alienam nutrirent superbiam, aut obcæcatam tuerentur iram, vitam non exposuissent periculo, nec approximarent incendio. Innuit Theodoretus *qu. 3. Illi, qui foris erant, flammam incendebant*, non vt propriam, sed vt alienam vindicarent iniuriam : ergo voracem meritissimo experti sunt flammam. *Impiam opem* (addit noster Sanctius) *nauarunt furenti Regi.* Time auxilium prębere indignis affectionibus æstuanti, nam si indignum est proprio discrimine aliorum studere vtilitati, quantò erit indignius opem exhibere furori.

TEXTVS.

VERS. IX. Et aspicietis, & si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames : ipse fecit nobis hoc malum grande ; sin autem, minimè. Sciemus, quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit.

§. XL.

Miraculo aliquando opus est, vt supplicia, ob culpas illata putentur, nec causis aliis adscribantur.

OMnis est ex ipsorum auctoritate (scribit Plutarchus *de Virtute Morali*) *peccatum perturbatio : atque quisquis dolet, vel timet, vel concupiscit, peccat.* Profectò sæpesæpiùs omnis perturbatio originem trahit à culpa, & dolor, anxietásque à Numinis procreatur offensa : verùm sic homines cæcutiunt, sic insanis affectionibus adulantur, vt quæ patiuntur flagella, suis criminibus nolint adscribere, sed fortunæ, aut infelicitati suæ prorsus deputare. Israëlitarum scelera claustra nubibus iniecerant, & terram fructibus viduarant ; & tamen Achab Eliæ, quasi odio æstuaret, adscribit, nec se deliquisse cognoscit : *Venit Achab in occursum Eliæ. Et cùm vidisset eum, ait : Tu ne es ille, qui conturbas Israël ? Et ille ait : Non ego turbani Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & sequuti estis Baalim. 3. Reg. 18. v. 17.* Idola sacrilegè culta attulerunt siccitatis, inopiæque detrimenta, & tamen Achab, ne propriam agnouerit culpam, Eliam contra ipsum malè animatum flagellorum queritur causam. Adest opportunè noster Sanctius : *Conturbatum esse Israëlem, & vrgente fame compulsum exire domo, & ab alienis quærere necessariæ vitæ subsidia, Eliæ quasi sui generis inimico adscribit Achab.* Adeò longè erat Achab à cognitione sui criminis, vt calamitatem effectum crederet Eliæ odij, & indignationis. Ea namque peccatores cæcitate laborant, vt quæ ob perpetrata patiuntur scelera, extraneis causis adscribant. Hanc errantium opinionem aliquomodo videntur sequuti Philisthinorum Sacerdotes, & Diuini. Experti fuerant ob retentam Dei Arcam cruenta flagella, repetita supplicia. Dagonem suum capite detruncatum, & manibus conspexerant mutilum, & tamen confugiunt ad miracula, nec calamitatis causam agnoscunt scelera : *Si quidem per viam finium suorum ascendet contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande : sin autem, minimè.* Adhuc ambigunt, adhuc argumenta noua requirunt experientiæ reluctantes, & conscientiam corrumpentes. *Si illæ vaccæ* (inquit Abulensis *quæst. 17.*) *à nullo directæ, existentibus omnibus prædictis, ascenderent in terram Israël, erat miraculum.* Miraculo opus fuit, vt agnoscerent se à Deo ob illatam Arcæ iniuriam punitos, aliter namque fortunæ, aut alterius causæ rorunitate existimarent vexatos. Eò spectauere eorum consilia, vt penitus explorarent, an ab offenso Deo plaga illa fuerit illata, vel naturali elementorum temperie vastitas illa progenita. Est enim peccatoribus frequens, ni miraculum adsit, calamitatem suam culpis non adscribere, sed fortunæ indignationi, aut infelicitati suæ deputare.

§. XLI.

Tumens sæcularis prudentia à se excogitata arbitratur indubia, ab alijs existimat sæpè incerta.

QVàm sapiens argumentatrix (aiebat Tertullianus *de spectaculis cap.2.*) *sibi videtur ignorantia humana, præsertim cùm aliquid eiusmodi de gaudijs, & de fructibus sæculi metuit amittere.* Ignorantia humana, ne quid de gaudiis, & sæculi fructibus amittat, conscientiam corrumpere, & mentem obtenebrare adlaborat. Clarissima potestatis suæ ediderat Deus argumenta: attritus Dagon attestabatur Arcæ maiestatem; repetita clades, & frequens mors exertis clamoribus eius deprædicabat virtutem; cæca tamen reluctabatur pertinacia, & pertinax tot argumentis affectata resistebat imprudentia; modò tamen signum à se excogitatum, adeò arbitrantur indubium, vt si accidat, nullum dubitationi sit locus: *Et siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minimè.* Certissimum erat, siue vaccæ ea via, aut alia tenderent, plagam fuisse à Deo illatam, & mulctam illam expetitam: ipsi verò ea vanitate tumebant, eo superbiæ tumore delirabant, vt solum à se excogitato signo crederent, & quodcumque aliud veluti incertum despicerent. Itaque nisi Arca eorum attemperaretur dictamini, & obtemperaret decretis; quantumvis alia patraret miracula, potestate habebitur nuda; erit tamen elogiis digna; si magnatum, potentiúmque executa fuerit decreta, quasi status Arcæ, ni ab eorum arbitrio penderet, nullatenus miracula efficiat. *Si non tenderent vaccæ directè in terram Israël* (inquit Abulensis *quæst.17.*) *non sequeretur, quòd Deus non percusserat eos, quia poterat esse, quòd permitteret eas ire, quò inclinarentur ire.* Quisquis esset vaccarum gressus, Dei erat virtus indubia; Philisthæi tamen, ni à se decreta incederent via, ipsa miracula arbitrarentur commenta, nam sæculi sapientes, magnatésque eos solùm prærogatiuis præditos existimant, qui eorum sequuntur itinera, exequuntúrque placita. Quod Diuini excogitarunt, crediderunt indubium, & quidquid euidenter ab Arca factum, existimauerunt incertum. *Posuerunt signa sua, signa:* (aiebat Psaltes) *& non cognouerunt. Psal. 73. vers.5.* Hæc signa dæmonum fallentium oracula fuisse existimat Augustinus apud nostrum Lorinum: *Signa vaticiniorum, quæ audierant à vatibus dæmonum suorum.* Vates sua signa, & auspicia pro indubiis habuerunt; alia verò signa habere pro signis detrectarunt, quasi solùm à se conficta, & excogitata habenda fuerint verissima, & Prophetarum Dei oracula; & vaticinia despicienda vt inania, & somnia. O quàm tumet humana superbia, ò quàm sibi fidit arrogantia humana!

§. XLII.

Minus aliquando prodest comprobata virtus ad stabiliendam famam, quàm defectus existimatus ad notam.

LAudant (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.3.*) *quæ sciunt, vituperant, quæ ignorant: & id, quod sciunt, eò quod ignorant, corrumpunt, cùm sit iustius occulta de manifestis præiudicare, quam manifesta de occultis prædamnare.* Cùm iustius sit, quod claret, eo quod latet, non corrumpere, immò quod latet, de manifestis inaurare. Ea est hominum peruersitas, vt faciliùs de conflictis, & sine fundamento excogitatis infament manifesta, quàm de manifestis honestent dubia. *Bonus vir Caius Seius* (datum audis Tertullianum) *tantum quod Christianus.* Virtutem existimabant errorem, & quamvis Caij bonitas stabiliret famam, ob conflictum, & existimatum defectum impingebant Caio notam. Difficilè adeò homines aliorum prærogatiuas suspiciunt, facilè adeò vel conflictos defectus credunt. Plus valet suspicio inanis ad persuadendam notam, quàm miraculum euidens ad fulciendam, & stabiliendam famam. Arca Domini magnis claruerat miraculis, & tamen eius virtus vertitur in quæstionem. Si tantisper à recta via deflexerit, virtute statuunt carere, etsi videant vaccas sine rectore viam carpere, & mugientes vitulos derelinquere: *Aspicietis: & siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minimè.* Miraculum erat vaccas vitulorum mugitibus gradum non tardare; miraculum erat sine ductore Bethsames tendere; verùm si tantillum deflexerint, iam miraculum obscuratur, & Arcæ virtus contemnitur. Opportunè Abulensis quæst.17. *Si illæ vaccæ à nullo directæ, existentibus omnibus prædictis, ascenderent in terram Israel, erat miraculum, quia necesse esset, quòd hoc fieret ab aliqua virtute dirigente: si tamen non tenderent vaccæ directè in terram Israel, non sequeretur, quòd Deus non percusserat eos.* Et si tantisper à via deflecterent, respleduisset miraculum: verùm apud Philisthæos minus Arcæ virtutem persuadebat miraculum, quàm denigraret, si vel leuiter à via exorbitasset vestigium. Apud homines namque plus valet vel suspecta culpa, vt iniqua lingua famam abroserint, quàm eximia, indubiaque virtus, vt leuem suspicionem depulerint.

§. XLIII.

Virtus maximè agnoscitur, si naturæ affectus laudabiliter subiugatur.

QVanta quis virtute polleat, ex naturæ affectibus laudabiliter subiugatis censendum est. Parum prodest cubile humi positum, intonsum caput, rudis amictus, si peruersa hac via inanis quæritur gloria, & volatica apud homines fama. Non accessit ad perfectionis culmen, qui iracundia rapitur, qui corporis commodis nimis blanditur, qui nimis posterorum amore adurgetur. Fallunt sæpè verba, & in ipsis operibus affectata inuenitur etiam fallacia. Virtus de internis affectionibus triumphat, & reluctantis naturæ motus honestè frænat. *Nos non aduocabimus patientiam* (scribit Seneca *2.de Ira*) *quos tantum præmium spectat felicis animi immota tranquillitas? Quantum est effugere maximum malum iram, & cum illa rabiem, sæuitiam, crudelitatem, furorem, & alios comites eius affectus? Non est, quod patrocinium nobis quæramus, excusatam licentiam, dicentes, aut vtile id esse, aut ineuitabile.* Naturæ contra virtutem quærimus patrocinium, cùm fas sit à virtute quærere contra naturam suffragium. Non est adeò arduum, si viriliter velis arripere ad virtutem iter, præcipuè Deo auspice, & adiutore. Exercuerat in Philisthinorum regione Arca mira, & tamen Philisthæi, vt eius virtutem plenius agnoscerent, hoc experimentum capiunt: Si vaccæ scilicet, quas naturalis vitulorum affectus retardabat, viam versus lucis regionem carpant, & laudabilem naturæ vim inferant. *Et siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minimè.* Ac si dicant. Arcæ virtutem in nos patrata satis manifestè indicarunt; verùm adhuc restat experimentum, & quidem indubium, scilicet si vaccæ naturales subiugarint affectus, nec à recto itinere deflexerint vitulorum orbitatis miseræ, & amore retardatæ: itaque non dubitarunt vaccas virtute diuina moueri, si honestam vim naturæ intulerint, & reclamantibus vitulis, vt Numini pareant, à recto itinere nec tantillum exorbitarint. Ad rem Lira: *Vaccæ lactantes vitulos naturaliter inclinantur ad eos nutriendum, & ideo si ipsæ non reuerterentur ad fœtus, & portarent Arcam directè ad terram Israel, & maximè quia erat*

insuetæ

insuetæ ad portandum iugum, vel plaustrum trahendum, signum foret manifestum, quod ducerentur occulta Dei virtute. Latentem Dei virtutem domitus naturæ affectus promebat, immò exertè satis declarabat. Nullum namque certius, aut indubius virtutis est argumentum, quàm naturam honestè subigere, eiúsque impotentes affectus laudabiliter refrænare. Ecce patrata ab Arca miracula adhuc Philisthinorum ambiguam non deputare opinionem, & vaccæ rectè pergentes subiugatis naturæ affectibus manifestè declarauere virtutem.

§. XLIV.

Eximia virtus sua sponte legis iugum portat, immò sine irritatore ad perfectionis culmen gradum accelerat.

VItium quodammodo innascitur, virtus eruditur, aut cogitur. Rarus est, qui vel adactis stimulis in virtutis itinere, non torpeat; rarus, qui freno etiam cohibitur voluptates fallaces deserat. *Sicut tardè eo surgentes ad cursum equos stimulis, facibúsque subditis excitamus* (inquit Seneca 2. *de Ira cap.* 14.) *aliquando incutiendus est is metus, apud quos ratio non proficit.* Plures sunt, apud quos ratio non proficit, apud quos proficit, pauciores. Caïnus à Deo etiam admonitus virtutem non didicit, sine magistro cædem, & fallaciam exercuit. *Nonne, si bene egeris, recipies: sin autem malè; statim in foribus peccatum aderit. Gen.* 7. *v.* 7. Expende non dixisse, supplicium aderit; neque enim adeò horribile est supplicium, vt fugiendum, & detestandum peccatum. A Deo Caïn ad virtutem præmio allicitur, à vitio pœnis auertitur, sine exemplo innocenti fratri dolos prætendit, & beneuolentiæ larva in agrum ductum occidit: *Interfecit eum.* Quæ expendens Seleucienſis Basilius *orat.* 4. aiebat: *Mortis viam docet, quam nondum didicisti.* Doctus sine magistro euasit ad crimen, cùm virtutem non didicerit ab ipso Numine edoctus, & eruditus. Ob id Philisthini, vt eximiam Arcæ virtutem comprobarent, plaustro sine auriga imposuerunt, & in triuio, vt placet Interpretibus collocarunt, spectantes, an Bethsames, id est, lucis viam carperet, an oppositam arriperet: *Siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande.* Prodest Iosephus 6. *Antiquit.* & apud Abulensem *quæst.* 17. *Dicit Iosephus* 6. *Antiquitatum, quod posuerunt Philisthini plaustrum in triuio, vt viderent, ad quam viarum declinarent vaccæ, & si nullo dirigente eligerent viam illam, qua tendebatur in terram Israël, mirabile esset.* Miranda erat virtus, si nullo ductore, irritatore nullo lucis viam alacriter carperet, & vestigiis firmis insisteret, præcipuè cùm aliæ viæ fors ad speciem planiores allicerent, & vocarent. Cœlesti igne, & seraphica manu resplenduit purgatus, cùm Isaïas ad exequenda Deo placita properauit vltroneus: *Audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam? Et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Isa.* 6. *vers.* 8. Quàm erat Deo proximus, quàm Seraphinorum alloquio dignus, qui infracto animo despiciebat laborem, & ob solam Dei gloriam exhibuit virtutem. *Se vltrò offert*, inquit Hieronymus apud Glossam; nullo cogente, stimulante nullo ad solius Dei gloriam legationem expetiuit, & sine alius affectionis mixtura impleuit. *Omnia, quæ debet sapiens* (datum Senecam audis) *sine vllius malæ rei ministerio efficiet, nihilque admiscebit, cuius modum solicitus obseruet.*

§. XLV.

Mirum est, si quis insuetam virtutis viam constanti gressu arripiat, & insuetum iugum humili ceruice gerat.

NOn est facile funambuli munus dexterè sine magistro exercere, & periculum casus sine experientia frustrare. Quidquid insuetum negotium facit. Sylvatica arbor, quia culturæ beneficium ignorat, fructus prodit malè conditos, & tardè saporatos. *Didicerunt alij* (inquit Seneca 2. *de Ira cap.* 12.) *tenuissimis, & aduersis funibus currere, & ingentia, vixque humanis toleranda viribus onera portare, & immensam altitudinem mergi, ac sine vlla respirandi vice perpeti maria. Mille sunt alia, in quibus pertinacia impedimentum omne transcendit, ostenditque nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens patientiam indiceret.* Exercitationis patientia periculum sæpè frustrauit, & quod ad speciem impossibile, vincere edocuit. Erit tamen delirium, si præsumat in exercitus, & nulla antea experientia eruditus per funem currere, aut immensa vorticum volumina intrare. Cùmque hæc ita sint, ea est aliquorum cæcitas, vt vanis se spebus fallant, & vitiis infectos in mortis articulo rectam se viam inituros præsumant. Non est facilè inuisceratam auaritiam prorsus expungere, inolitam libidinem citò exuere, & cæcas conscientiæ tricas enodare. Non inficior magnam adeò esse Numinis misericordiam, vt è crimium pelago hominem eripiat, & digno pœnitentiæ dolore expoliat, sed nec inficiandum est hoc adeò rarum, vt videri possit prodigium. Hunc nos veritatem edocent Philisthinorum Diuini. Iubent vaccas iugo insuetas plaustrum trahere, quæ si in triuio positæ, & vitulorum mugitibus impeditæ lucis viam arripuerint, dubitandum non erit eximium miraculum, & diuinæ virtutis authenticum testimonium: *Aspicietis & siquidem per viam finium suorum ascenderint contra Bethsames; ipse fecit nobis hoc malum grande.* Opportunè Lira: *Quia erant insuetæ ad portandum iugum, vel plaustrum trahendum, signum erat manifestum.* Et si visis aliis argumentis ambigerent, de hoc nullatenus dubitarunt, sed miraculum euidentissimum crediderunt. Nam vaccas insuetum iugum patienter ferre, ad vitulorum mugitus non redire, viam clivosam alacriter frangere naturæ vires euincebat, & cœleste adesse pulsum dilucidè manifestabat. O nos miseros, qui legem à cervice excutimus, qui vitiis non solùm intingimur, sed inficimur, & in mortis articulo à recto tramite non exorbitaturos temerè credimus. Arguat huiusmodi cæcitatem datus Seneca gentilis, quando vt æternum assequamur præmium, vtque horribile effugiamus supplicium, aggredi detrectamus leuia, cùm volaticus plausus suaserit dura. *Istis* (addit *cap.* 13) *quos paulo ante retuli, aut nulla tam pertinacis studij, aut non digna merces fuit. Quid enim magnificum consequitur ille, qui meditatus est per intensos funes ire? Qui sarcinæ ingenti cervices supponere? Qui somno non submittere oculos? Qui penetrare in imum mare? Et tamen ad finem operis non magno auctoramento labor peruenit. Nos non aduocabimus patientiam, quos tantum præmium expectat felicis animi immota tranquillitas?* Cùm mors felicitati, aut infelicitati excedentes adsignet, non addiscimus benè mori, cùm ob volaticum plausum, aut leue præmium ceruix supponatur oneri, & gressus aptetur funi.

TEXTVS.

VERS. X. & XI. Fecerunt ergo illi hoc modo, & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi, & posuerunt Arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudinem anorum.

§. XLVI.

Sæculo renuntiantes Dei commendauere virtutem, & immortalem pepererunt sibi laudem.

VIrtus per se honesta est, non quærit euanidum plausum, nam si conspici ambiat iam in vitium degeneravit. *Asperum cultum* (aiebat Seneca epist.5.) *& intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem peruersa via sequitur, deuita.* Si aliud, præter honestatem in virtute quæritur, deprauatur, si nil aliud per ipsam ex his, quæ ambitio suspirat, faciliter obtinetur, scilicet plausus, & honor, & gaudium. Sæculo renuntiare, & virtutum celsa adire, diuinæ virtutis indubium est argumentum, & felix semper elogium. Vacæ, quæ vitulorum oblitæ felici iugo colla subdiderunt, Dei virtutem evulgarunt: *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum.* In vaccis Sanctos sæculo renuntiantes agnouit Interlinearis: *Tollentes duas vaccas, Sanctos renuntiantes sæculo.* Dum Philisthini vaccas vitulorum intuentur oblitas, & Dei iugo feliciter pressas, Arcæ virtutem confitentur, & ambiguis suspicionibus liberantur. Claret namque diuina virtus, si despiciantur sæculi gaudia, & de humanis affectionibus reportentur tropæa. Et expende vacas plaustro iungi: *Iunxerunt ad plaustrum.* Hoc plaustri nomen venire de plausu notauit Abulensis quæst. 17. *Plaustrum à plaudendo dicitur*: vt noueris onus ipsum ferenti affere plausum, & Arcæ triumphum. Digna Deo erat victoria natura laudabiliter subiugata, nec seiungi poterat à propria laude ceruix oneri sacro subiecta. Iudas ille Patriarcha ab omnibus triumphator suspicitur. *Iuda, te laudabunt fratres tui; manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum.* Gen. 49. *vers.* 8. Et vnde plausus, & triumphus? Iam refert, *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam.* Christo illigatus, & exoptandis vinculis irretitus Deo acquisivit triumphum, & sibi plausum. Vbi nostra littera habet: *Ad prædam, fili mi, ascendisti*, in Hebræo est, teste Hieronymo in Glossa: *De captiuitate, fili mi, ascendisti.* Reliquit Ægypti captiuitatem, viam cæteris ostendit, vt ductricem illam nubem sequerentur: ergo resplenduit laudibus celebratus, dum viam aggreditur primus. Adest Lira: *Tribus Iuda in exitu Israel de Ægypto prima post Mosem intrauit mare vubrum miraculosè diuisum, aliis timentibus ibi sequi Mosem.* Primus reliquit Ægyptum, reliquis exhibuit exemplum: ergo sibi comparauit elogium, & ductricis nubis claruit tropæum.

§. XLVII.

Mirum erit, si inexpertus feliciter munus perficiat, & negotia publica laudabiliter peragat.

EXperientia sapientiæ est mater, fortunæ nutrix, & prudentia negotiorum directrix. Militiæ inexpertus ad hostis conspectum trepidat metu illigatus, & anxia solicitudine præpeditus. *Ars bellandi* (scribit Cassiodor. 1. *variar.* 40.) *si non vræluditur, cùm necessaria fuerit, non habetur.* Adnectit: *Discat miles in otio, quod proficere possit in bello. Animos subitè ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos præmissa exercitatione confidunt.* Miraculi adinstar erit, si armorum indoctus certamina laudabiliter peregerit, & absolverit. *In ipsa securitate* (scribit Seneca epist. 18.) *animus ad difficilia se præparet, & contra iniurias fortuna inter beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit sine vllo hoste, vallum iacit, & supervacuo labore lassatur, vt sufficere necessario possit. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerce.* Adeò hoc est verum, vt tanquam cæteris manifestius virtutis Arcæ experimentum Philisthinorum doctiores decreuerint vaccis prorsus iugi insciis iugum imponere, & qualiter illud ferant curiosè inspicere: *Tollentes duas vaccas* (iugi, vt suprà dictum est, inexpertas) *quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum.* Eccur post tot, & tam clara argumenta ad ista recurrerint testimonia? Quia esse rarum non dubitauere miraculum, si vaccæ oneri non assuetæ, & viarum prorsus ignaræ rectè incesserint, & feliciter inter inceptum absoluerint. Prodest Theodoretus: *In triuio absque auriga dimissis vaccis expectabant, vt viderent, an ad vitulorum magitum reuertantur, an ad aliam viam declinent, relicta via, quæ ducit ad Hebræos, vt si ex his quidem duobus fieret alterum; tanquam imbecillam condemnarent Arcam.* Consonat, & expressius Abulensis *quæst.* 17. *Quæ indomita sunt, recusant iugum, & non tendunt directè per viam, sed exorbitant: ad hoc autem fecerunt Philisthini vaccas non esse assuetas iugo, vt si viderent eas recto itinere tendere, crederent esse Dei miraculum.* Inexpertis, & variis viarum difficultatibus impeditis grauissimum negotium committunt, vt qui nouerant sine miraculo vaccas nequire feliciter rem absoluere, & tot difficultatibus expediri. Vt hinc nouerint Reipublicæ gubernatores grauia negotia inexpertis non committere: ni velint miraculum exspectare. Dauid causam publicam suspiciens, arma recusauit, fundamque elegit: *Non possum sic incedere, quia non vsum habeo.* 1. *Reg.* 17. *vers.* 39. Profectò inuidere sibi videtur, dum bellica recusat arma, & pastorali munitur funda. Nonne aptius contra ictus scutum? Nonne opportunior in hostem, lancea, quam funda? ergo Dauid armatus incedat, si de hoste reportare triumphos exoptat. Immò quia exoptat, arma, quorum non erat expertus, recusauit, & fundam cuius didicerat vsum, arripuit; factis edocens, quàm arduum sit sapienter tractare incognita, & insueta. Huc voco datum Cassiodorum: *Animi hominum nisi prius leniter fuerint imbuti, ad hoc, quod tendis, idonei nequeunt reperiri. Primordia cuncta pauida sunt: & aliter timiditas non tollitur, nisi cum rebus necessarijs nouitas abrogatur.* Armis Dauid pugnaret instructus, non tamen assequeretur triumphum ipsa inexercitatione implicatus: quod experto esset auxilium, erat inexercito impedimentum. *Arma* (inquit Basilius Seleuciensis orat. 15.) *tanquam victoriæ impedimenta Dauid exuit.* Quantumis Dauid conaretur se strenuè gerere, & feliciter commissum sibi munus absoluere, non assequeretur difficultatibus retardatus, & ipsa nouitate impeditus.

TEXTVS.

VERS. XII. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram. Sed & Satrapæ Philisthiim sequebantur vsque ad terminos Bethsames.

§. XLVIII.

Miraculum est parentes à rectitudine non deuiare, si filios adspexerint indigere.

Filiorum amor præcordis insitus est, eis parentes dignitates exambiunt, eis vel proprio discrimine splendoris augmenta conquirunt. Audi Cassiodorum 2. *variarum* 14. *Maria ipsa sæuis tempestatibus excitata genitoris cura non refugit: vt peregrinis mercibus acquirat quod propriæ soboli derelinquat.* Despicit amor furentes vortices, vt filiorum adauxerit facultates; quod si filiis prospera fortuna vtentibus adfectio paternalis noua requirit augmenta, quid facies, si aduersa viderit diuexari fortuna? *Nutriuntur à parvulis* (audis Cassiod.) *ipsis laboratur, ipsis diuitiæ conquiruntur, & cùm sibi vnusquisq; credat abundare quod possidet, ciem à patribus adhuc quæritur, pro altera potiùs ætate peccatur.* Si pro ætate non indigenti peccatur, pro indigenti sæpesæpiùs delinquitur, & cum parentes debeant potiùs diuinis obtemperare præceptis, quam eorum iniuria studere filiorum commodis, exoculati diuina calcant edicta, vt indigna quæsiuerint indigentibus filiis commoda. Philisthæi vaccis lactantibus Arcam imponunt, filiis indigentibus relictis, vt experimentum diuinæ virtutis capiant, & omnem dubitationem abjiciant: *Tollantes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi.* Vituli fame diuexari anxios edebant mugitus, & tamen vaccæ rectos prosequebantur gressus, nec legem Arca inclusam ausæ sunt à ceruicibus excutere, vt ad vitulos quirent regredi: ergo vt viderunt vaccas naturæ oblitas, cœlesti legi subiectas, non dubitarunt diuina virtute duci, & cœlesti impulsu regi: *Vt si viderent* (inquit Abulensis *quæst.* 17.) *eas recto itinere tendere, crederent esse Dei miraculum.* Miraculum erat à rectitudine non deviare, vt possent famescentibus vitulis subuenire: volitque Deus vaccarum rectà incedentium exemplo homines confundere, & doctrinam vtilissimam edocere. Subueniendum est filiis, & cognatis, non tamen publici muneris iniuria, aut præceptorum offensa. Vaccæ filiorum mugitibus feriebantur, nec tamen à recta via deuiabant, aut legem à ceruicibus excutiebant. Benè. Sed aliud hic politicum exoritur documentum, scilicet esse miraculum, si quibus aliquod publicum munus iniungitur, à rectitudine non deflexerint, vt filiis, aut cognatis indigentibus opem tulerint. Viderint Reipublicæ administratores quos ad dignitatem, & æquitatis administrationem euexerint, nam si premat inopia, necessaria erunt, ne æquitas lædatur, miracula

§. XLIX.

Diuina lex grauat tantisper humerum, sed inoffensum dirigit gressum.

Legis onus aliquam molestiam ingerit, sed dum ingerit offendicula, & discrimina etiam depellit. Peccatores exleges vivunt, viásque sibi ad speciem eligunt rectas, sed tamen in laboriosas deuenire solent angustias. Qui cerucem legi subiecit, ingemit onere pressus, sed rectis vestigiis ad Bethsames, hoc est, solis domum, peruenit rectitudine ornatus: *Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames.* Sacrum onus portantes mugiunt, sed ad Solis domum mugientes perueniunt. Via aliquantulum cliuosa ad placidam duxit stationem. Ipsa Arca erat onus, & auriga; auriga, vt sine offendiculo pergerent; onus, vt molestiam posteà felicitate grandi compensaret. Ita Theodoretus *quæst.* 13. *Plaustrum, quod à nullo homine regebatur, habebat Arcam, & onus, & aurigam.* Currus nullo etiam onere prægrauatus, si auriga desit variis itineris periculis probatur expositus, & equorum furore non semel præcipitatus. Vtile est equo aurigæ onus, nam frænatur impetus, & per inoffensam viam dirigitur gressus: ergo Arca erat sarcina, & auriga, vt grauando dirigeret, & dirigendo seruaret. Si plures vtilissima legis onera impatienti ceruice non excussissent, vrgentissima etiam pericula deuitassent: verùm dum sine lege dextero auriga per voluptatum, aut vitiorum vias difficultatibus, discriminibúsque plenas ingrediuntur, collisi, & raptati præcipitantur. Negotiatio est, legis onus deferre, vt grauiora onera quiueris euitare. Non pauci longiori fruerentur vita, exundarent diuitiis, resplenderent honoribus legi subjecti, verùm sibi ipsis inuiderunt insanis appetitionibus obsequuti. *Antiquis Principibus* (aiebat Cassiodorus 9. *variarum* 15.) *studium fuit leges exquirere, vt subjecti populi d. lectabili tranquillitate fruerentur.* Nequit sine lege florere tranquillitas, quia semper pauet conscientia, dum constat inultos non relinquere peccatores diuina iustitia: *Iustissimæ leges, vt bonis aperiunt, ita claudunt malis moribus actionem.* Malas cæcitas actiones appetit, sed salubre legis frænum impetum cohibet. Planas vias, & erroribus vacuas inscitia ignorat, sed lex sine offendiculo ductat. Balaam cum nec per auguria, nec per dæmonum vafriamenta Dei populo nocere potuisset, ad infringendam legem recurrit, ratus satis astutè, Israëlitas semel abjecta lege voluptatum præstigiis alliciendos, & durissimis suppliciis mulctandos: *Dabo consilium quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. Num.* 24. *vers.* 14. Pulchellarum venustate inescauit, non vt populo quæreret oblectamenta, sed vt per oblectamenta maturaret excidia, quod & accidit. Accipe Philonem *lib.* 1. *de vita Mosis: Sciebat Hebræos per solum legum contemptum expugnabiles, tentatos malo impotenti libidinis: ideo voluptate inescatos conatus est ad grauissimum scelus impietatis pertrahere.* Dum lege muniebantur, nec Balaani vafricies, nec Madianitarum prævalebant in ipsos acies: ast vbi abiecerunt legem perpessi sunt miserandam stragem. Vt noueris, legem, etsi tantisper grauet, aurigæ adinstar per plana dirigere gressum, & auertere periculum.

§. L.

Sæpè dæmon veritati famulatur, & Dei virtutem, etsi inuitus, confitetur.

A *Vitiosa vita transire ad innocentiam* (scribit Philo *de Charitate*) *est prudentis, & intelligentis suam vtilitatem. Tales igitur conuocans* (Moyses) *& initians præceptis amicis instruit: vt veritati studeant, vanitatem fugiant, ac mendacia, quod in hoc potissimum sita sit felicitas.* Hominum felicitas sita est in vanitate repulsa, & veritatem animitus apprehensa: ergo dæmon humanæ felicitatis æmulus ab exordio inseruit errorum figmenta, & fabularum deliria: rem procreatam pro Numine fecit haberi, & insanis sumptibus, ac detestandis honoribus coli: verum Deus veritatis vindex, & patronus dæmonem cogit aliquando veritati inseruire, vt quid mendaciorum fuerat instrumentum, ferat quantumvis reluctanter veritati suffragium. Persuaserat dæmon Philisthæis in Dagonis idolo residere diuinitatem; variis argumentis conabatur Dei Arcæ occultare virtutem; deuentum est ad vltimum experimentum; statuerunt namque, si Arca indomitis vaccis, & absque auriga dimissis recto itinere ad Bethsames contenderint, non fore exinceps de eius virtute ampliùs ambigendum, aut dubitandum. Quid tunc? Arca in triuio ponitur, & vacca recto itinere graditur. *Ibant in directum vaccæ.* Quis eas aurigarit, vt ad Bethsames recto itinere contenderint, quærunt Interpretes. Origenes *homil. 16. in cap. 23.* Numer. à nostro Sanctio allatus existimat, dæmonem diuina virtute fuisse compulsum, vt veritati inseruiret, & vaccas aurigaret. Accipe Origenem: *Quis præscientiam hanc, quæ de boum directione prædicta est, vel fortuitam dicet, vel aliqua arte compositam, & non operatione quadam dæmonum ministratam?* Itaque ex sententia Origenis dæmon aurigæ munus subiuit, & in Bethsames vaccas direxit, vt ipse, qui Arcæ studuerat occultare virtutem, reluctans ostenderet veritatem: cogitur namque sæpè dæmon veritati inseruire, & Numinis potentiam vulgare. Mulier impurato spiritu exagitata exerta voce Paulum Dei veritatem edocere confessa est: *Hæc subsequuta Paulum, & nos clamabat, dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiãt vobis viam salutis. Actor. 16. v. 17.* Ipse dæmon, qui varios serebat errores, & veritatis impediebat notitiam, iam veritati famulatur, & ad errores depellendos aperit viam. Et cur dæmon veritatis sit præco? Vt qui veritatem variis artibus oppugnarat, veritati ferret suffragium, eamque prædicantibus esset reluctans auxilium. Accipe Bedam apud Glossam: *Non est voluntatis ista confessio, sed timore Spiritus sancti cogente, vera spiritus mendax loquitur non ausus luce præsente suas tenebras celare.* Fraudum interpolator factus est veritatis confessor, vt dum veritatem prodit inuitus fraudum pœnas dederit tormento durissimo castigatus.

§. LI.

Non vult Deus suo doloris insensiles, sed suæ in dolore voluntati conformes.

DOlor, anxietásque ad augendas virtutes proficit, aut sopiendis insanis affectionibus inseruit. Iusti pro lacte, quo nutritur innocentia, tribulationem sugunt, & sugendo aliquando ploratum edunt. *Inundationem maris quasi lac sugent. Deuter. 33. vers. 19.* Ad quæ Stephanus *in Allegor. Tilmani*: *Inundatio maris est abundatia tribulationis, quæ tunc sugitur, cùm dulcis à iustis reputatur. Denique sicut lac nutrimentum est puerorum, sic tribulatio pabulum sit electorum.* Vt pueri lacte nutricantur, sic iusti tribulationis lacte adaugentur. Nutrix patientiæ est tribulatio, & dum augescit patientia, incrementatur etiam iustitia. Sæpè Deus, vt nos expoliat, & à vanitate abducat, tribulationem immittit, quam non sustineremus castigati, si resplenderemus ab omni culparum sorde detersi. Vbi familia Iacob idola abjicit, & puriorem ornatum assumit. Delbora moritur: *Dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum.* Quid tunc? *Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatúmque est nomen loci illius Quercus fletus. Gen. 35. vers. 4.* Stephanus ad hunc locum *in Allegor. Tilmani* existimat in Debora tribulationem adumbrari, & in Rebecca patientiam exprimi. Ipsum audi: *Debora interpretatur apis quæ duo habet, mel, & aculeum. Talis est tribulatio, quæ pungit carnem, & animum vngit. Hæc est nutrix Rebeccæ, id est, patientiæ.* Rebecca tribulatione innutrita geminos filios parit, quia patientia multiplices fructus producit. Et expende, idolis, inauribúsque iam defossis tribulationem mori, & sepeliri. Immittit namque Deus tribulationem, vt à nobis abigamus vanitatem, quod vbi assequitur, tribulatio etiam emoritur. Et nota, iustos adeò tribulationibus oblectari, vt ægrè ferant deficere? *Vocatum est nomen loci illius Quercus fletus.* Imperfectus gaudet tribulationibus liberari; luget perfectus patientiæ scobinis non expoliri. Sed vt thesi nostræ adaptemus historiam, vbi Iacob legitur lachrymis inundatus, legitur etiam diuina præsentia fruitus: *Vocatum est nomen loci illius Quercus fletus. Apparuit autem iterum Deus Iacob.* Dolenti apparuit; nam etsi Iacob Deboræ mortem doluerit, diuinæ se voluntati subjecit. In aduersis casibus ingemiscere est naturæ humanæ proprium, non est tamen semper impatientiæ, & reluctantiæ argumentum; immò ipse dolor, si se homo humiliter Deo subjiciat, virtutum diuitias mirè incrementat. Vaccæ vitulis viduantur, plaustro iunguntur. Quid tunc? Recto itinere pergunt, & mugiunt: *Itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes.* Mugiebant vitulorum dolore pressæ, sed rectitudinem non deserebant obliquæ; edebant ploratum, sed non excutiebant iugum. Notauit noster Sanctius: *Ipsæ materno admugiebant affectu, & licet dolerent, pergebant tamen non intermisso gressu.* Mugitus prodebat matres, gressus Dei voluntati conformes. Quod iustorum pulchrum emblema est. Iob scidit vestes, ne videretur insensilis, sed Deum laudauit suæ voluntati conformis.

§. LII.

Miserum est non posse iugum excutere, & inuitè, ac impatienter portare.

QVi legis iugum impatiente ceruice excurit, libertate, etsi noxia, gaudet: qui à Deo sibi impositum iugum patienter ferit, præmij spe laborem emollit. Commiseratione est dignissimus, qui nec potest onus excutere, nec nouit patiêter ferre; in m tunc nec præmio emollitur anxietas, nec excusso iugo obtinetur commoditas. Vaccæ strictis illigatæ loris ferunt iugum, & promunt gemitum: *Itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes.* Mugitus testabatur inuitas, iugum miserrimas. Notauit Abulensis *quæst. 18. Vaccæ mugiebant, significantes se inuitas trahi, cùm vellent redire ad vitulos suos.* Iugo illigatæ nequibant excutere, nec desiderium complere: ergo miserum erat nec lucrari patientiam, nec fugere ærumnam. Solent matrimonij iugo associati ingenio dissidere, & sententiis discordare. Quod si alter alterius patienter non ferat asperam indolem, nec excusabit iugum, nec lucrabitur meritum.

meritum. Iob coniugem, aut dæmonem, vt aliquibus placet, eius forma apparentem vti ſtultam redarguit. Monebat illa, vt tot calamitatum vortices mortem ſibi inferendo euaderet, & in Deum linguam obarmans, quem ſuſtinebat, dolorem emolliret: *Benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam: Quaſi vna de ſtultis mulieribus loquuta es. Iob. 2. verſ. 9.* Potiùs videbatur de impietate, quàm de ſtultitia ſugillanda, & tamen Iob appellauit ſtultam. Et cur ſtulta? Quia monebat mortem ſubire, & dolorum præmio fraudari. Quid enim adeò ſtultum, vt dolores impatientia exacerbare, & doloribus debitam mercedem prorſus amittere. Adeſt Origenes *lib. 2.* in Iob: *Iob cum indignatione per vxorem diabolum redarguit, qui illum per eam ſeducere voluit.* Adnectit: *Tu grauiùs, & deterius loquuta es, quàm Eua prima in inſipientia, quæ me coronis vis priuare, & poſt tot dolores ad inferos detrudere.* Ac ſi dicat: Eua inſipiens fuit, quia viro ſuaſit ſaporato fructu non priuari, quo ſperabat poſſe diuinitate potiri: illa tamen inſipientia prolectabat ad gaudium, at tu & deteſtabilior & craſſior; quandoquidem mortem mihi inferens non effugiam anguſtiam, & amittam ob impatientiam coronam, cùm ſatius fuerit dolorem impatientia non exaſperare, ſed præmij ſpebus delinire. Aliqualem excuſationem haberet calamitatum vorticibus impetitus, ſi impatientia minuerit, aut vitarit: verùm cùm animi reluctantia non ſolùm non imminuat, ſed nouis incrementis adaugeat, conſultius eſt ſe Deo ſubdere, & ſubiectione, ac conformitate placare.

§. LIII.

Deus aliquando ad ſuam domum ſolet reluctantes trahere, & ſi fas eſt dicere, inuitos cogere.

HOmini, qua Deus ducit, eundum eſt. Satius eſt humanum arbitrium diuinæ voluntati obedire, quàm Numen cæco ſæpè arbitrio hominis adaptare. Non ſemel diuinæ inſpirationis pulſu, quò Bethſames, id eſt, ad Solis domum ſe recipiant, homines alliciuntur; illi tamen variis ſæculi commodis prolectati, aut affectionibus impediti reluctantur. In cordis palæſtra acriter pugnare ſolent gratia, & natura. Animus vult, & non vult, ſæculi vinculis irretitus, & Dei cœleſtibus monitis, & inſpirationibus illuſtratus. Hoc in certamine aliquando vincit gratia, ſed Dei iugo ceruicem ſubdens gemitus edit natura. *Trahe me: poſt te* (aiebat Sponſa) *curremus in odorem vnguentorum tuorum. Cant. 1. verſ. 3.* Suaui vnguentorum fragrantia ſentiebat ſe ad currendum incitari, & experiebatur carnis, fragilitatiſque vinculis detineri: auerſabatur caro poſt ſponſum gradi, & ſpiritus optabat currere: ergo expoſtulat opportunum adiutorium, quia corporis experiebatur obſtaculum. Adeſt Bernardus *ſerm. 21. in Cant. Trahi vult, quæ & hoc rogat. Non autem rogaret ſi ſequi per ſe ipſam dilectum, prout vellet, valeret. Ad quid verò non valet? An infirmam fateamur, & Sponſam?* Infirma, & ſponſa eſt; ſponſa, quia ſequendi gerit corde deſiderium; infirma, quia carnis ſentit obſtaculum: ergo implorat cœleſte auxilium. Adnectit Bernardus: *Hinc lachrymoſa vox illa gementis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hinc ſupplex illa precatio: Educ de carcere animam meam. Dicat proindè, dicat cum gemitu etiam Sponſa: Trahe me poſt te, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Sentiebat carnis reluctantiam, affectionum pugnam, eodémque tempore ſibi videbatur quaſi inuita trahi, & quaſi deſiderio inardeſcens currere. Hoc in vaccis Arcam ducentibus miris eſt certamen penicillis depictum. Ad Bethſames indefeſſis tendebant greſſibus, & tendentes erga relictos vitulos repetitis affectionem declarabant mugitibus: *Itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes.* Si mugitum ſpectes, cenſebis trahi quodammodo inuitas; ſi nullo ſtimulante tendentes, cenſebis colla iugo ſubdere voluntarias in quo Arcæ virtus clariſſimè elucet, quandoquidem ſine violentia, cogit, & quodammodo reluctantibus iter arripere perſuadet. Prodeſt Abulenſis *quæſt. 18. Vaccæ mugiebant, ſignificantes ſe inuitas trahi, cùm vellent redire ad vitulos ſuos, tamen pergebant.* Sine externo auriga cogente tendunt, & tendentes mugiunt, quia non poteſt non mugire, qui cœleſti luce ad arripiendum iter pulſatur, & ſæculi amore allicitur. Videas nonnullos ad auſteriorem vitam vocatos fatentes ſe velle ſæculo renuntiare, & etiam ſæculi vinculis detineri, in qua affectionum pugna cœleſtis lucet victoria, quandoquidem & tendunt, & mugiunt.

§. LIV.

Mirum eſt, ſi quis, quà Deus ducit, gradiatur, nec Deum, quà ipſe diſcupit, trahere conetur.

PRouerbium antiquum erat: *Sequere Deum.* Honeſtius, & vtilius homini eſt, quà Deus ducit, tendere quàm Deum, quà homo diſcupit, ducere: ea tamen eſt humana argutia, vt conetur Deum itineris ſocium habere, & quà vterque tendant, deligere. Populus ille neceſſariæ moræ impatiens deos ſibi conflari deſiderauit, vtque conflaret, Aaronem adurxit: *Fecit ex eis vitulum conflatilem. Exod. 32. verſ. 4.* Conflatilem vitulum geſtiebant colere, & qua ipſi diſcuperent, via aſportare; deſiderarunt Deum, quem itineris comitem haberent, & quà vellent ipſi, ducerent. Deus nube illa ſplendeſcenti inſidens, viam populo demonſtrabat; illi verò nolebant ducentem ſequi, ſed ducere: ſine Deo detrectabant iter carpere, ſed fugiebant parere. Notauit Tertullianus aduerſus Gnoſticos *cap. 3. Deos ſibi producere quærit.* Hoc quærebat populus, deos producere, & qua vellet, ſecum deferre. Philiſthini vaccas poſuerunt in triuio, & quia, quà Arca ducebat, tendentes aſpexerunt, promulgauere miraculum. Adeò frequeus eſt creaturas Deum nolle ſequi, ſed ducere; adeò inſipientiores brutis ſunt homines: *Ibant in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethſames.* Vaccæ ibant, non ducebant. Notauit Theodoretus: *In triuio abſque auriga dimiſſis vaccis ſpectabant, vt viderent, an ad vitulorum mugitum reuertantur, an ad aliam viam declinent, relicta via, quæ ducit ad Hebræos.* Ni miraculum intereſſet, vaccæ conarentur Arcam verſus vitulos ſuos ducere, & ad Philiſthinos campos, quibus paſcerentur, trahere: aſt vel bruta edocuerunt, qua Deus ducit, eundum non iter Numini deſigandum. Deus aliquos per paupertatem vult ducere, per ægritudinem alios; ipſi verò reluctantur, quia etſi ad Bethſames, hoc eſt, Solis domum deſiderent peruenire, per diuitiarum, & ſalutis itinera volunt tendere. Arcam nolunt ab humero excutere, ſed gratis ſibi itineribus volunt incedere. Ecce bruta nec vitulorum mugitibus perculſa in viam ſibi delegerunt, ſed quà Deus voluit, Arcam impoſitam humeris aſportarunt.

§. LV.

Miraculum erit, si quis absque rectore, & auriga securo vestigio incedat, & scandala fallaciarum effugiat.

Est via, quæ videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem. *Prou. c.* 14. *vers.* 12. Vt sunt plurimæ fallaciarum præstigiæ, vt sunt plurimæ præstigiarum fallaciæ, arduum est tuta dignoscere, fraudesque effugere: verum etsi hoc periculum frequens sit, eis præcipuè imminet, qui carent expertorum doctrina, & proptia gubernantur sententia. Virtutem suspirant, tendere ad perfectionem anhelant, sed quà tendere oporteat, nolunt edoceri, sed sibi itinera definire, & quidem erroribus exponuntur, qui consilio proprio ductantur. Iacob Ioſephum mittit ad fratres: *Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora. Gen.* 37. *vers.* 14. Ioseph festinabat adimplere obedientiam, sed errabat, quia quà tenderet, elegit viam. Diù aberrasset, ni edocentem inuenisset: *Inuenit eum vir errantem in agro, & interrogauit, quid quæreret.* A viro edoctus, quod desiderabat, inuenit. Ad quæ Philo *lib.* Quod deterius, sic ait: *Profectus vide, dispice, considera, & acutissimè speculare totum negotium: oportet enim te prius scire quid sit illud, cui laborem impensurus es, atque ita ad eius studium accedere.* Attentiùs audienda, quæ subdit: *Certè postquam prospexeris, & totum intuitum per omnia circumtuleris, insuper examina illos quoque, qui versantur iam in eo exercitio.* Qui iam experientia eruditi, qui variis luctaminibus exerciti, qui reportatis triumphis coronati debent consuli, & inexperti eorum monitis erudiri: nam qui sibi placet, superbit, & qui superbit, cæcutit. *Exerrat; is redargutor* (Philonem audis) *percontabatur hanc animam, dum eam errare videret. Quid quæris? Prudentiam? Cur igitur vadis ad vafriciem? Num temperantiam? Atquì ad parcitatem ducit hæc semita. Num fortitudinem? Hac ad audaciam iter est: sed forsitan pietatem adire cupis: hæc via ducit ad superstitionem.* Ni Ioſephus viæ inuenisset magistrum, se deploraret erroribus implicatum. Sunt, qui nimium sibi fidant, & in ipsa humilitate superbiant; ad lucis tendere domum discupiunt, recusant tamen magistrum. Fortè quis perueniet, & in virtute proficiet; erit tamen quasi miraculum, & diuinæ gratiæ portentum. Philisthinorum scioli ad domum Bethsames fœtas vaccas sine auriga demittunt, vt si absque auriga rectis gressibus tetenderint, miraculum intercedere non dubitarint. *Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames.* Vitulorum mugitibus non retardari, ad aliam viam non deflectere, nullis sine ductore offendiculis implicari, adeò perspicuum erat miraculum, vt omne ab Philisthinorum animis exemerit dubium. Prodest Abulensis *quæst.* 17. *Vt si viderent eas recto itinere tendere, crederent esse Dei miraculum.* Hinc monentur, qui virtutis viam carpunt aurigæ subjici; nam, ni miraculum intercesserit, experientur se variis dubiis, & anxietatibus implicari.

§. LVI.

Iusti terrenis non carent affectionibus, sed vincunt, & rectis procedunt gressibus.

Qvi natura humana vestiti, tributis eius inueniuntur obnoxij. Paucorum est sic naturam subegisse, vt nullo terreno affectu moueantur, aut naturali inclinatione pulsentur. Aliam Paulus sentiebat in membris legem, sed strenuus altera decertando subigebat naturam & incrementabat gratiam. Qui demirantur tentationibus adurgeri, & affectionibus variis pulsari, nondum se ipsos agnoscunt. Vel sanctissimi viri patiuntur tempestatem, & dæmonum suggestionem. Non est contra virtutem subire conflictum, immò pro virtute est, si conflictus attulerit laurum. *Multiplicabo semen tuum* (aiebat Deus Abrahamo) *sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris. Gen.* 22. *vers.* 17. Quid distantius, quam arenæ, & sidera? Stellæ florido splendore fruuntur, arenæ marinis æstibus verberantur: stellæ micant, arenæ quatiuntur: ergo, si lucent sidera non erunt arena. O vtile documentum! Arena elatis fructibus referitur, resistit tamen, & mare veluti iniecto fræno curuatis fluctibus reuerti cogit: ergo quia victrix, sideris gaudet prærogatiua, & splendida micat stella. Notauit Basilius Seleucienſis *orat.* 1. *Fertur illud quidem fluctibus altè elatum; vbi verò terminos attigerit, reuertit, refugitque, & Domini vocem littoribus inscripta, cum intuitum fuerit, curuatis fluctibus, termini positorem adorat; cumque terram violenter feriat; referitur.* Arena, etsi marinis fluctibus impetatur, Dei præcepto armata, eiusque voci obtemperans, fluctus referit, & quia referit, fulgentissimum sidus lucet. Docuit ergo oraculum, non obesse impeti, sed subiugari: ecce vaccæ vitulorum mugitibus pulsantur, & tamen itinere recto gradiuntur: *Itinere uno gradiebantur pergentes, & mugientes*: In vaccis designari sæculo renuntiantes tradit Isidorus: *Vaccæ Arcam gestantes Sanctos significant, qui sæculo renuntiant, qui nullum delicti traxerunt iugum; sicut enim vaccæ vitulorum affectu à recto itinere non deuiant; sic sancti patres tali affectu à bono proposito non exorbitant.* Humanum erat pulsari affectibus, diuinum rectis procedere gradibus. Non possumus exuere naturam, sed Dei gratia possumus reportare de natura victoriam: ergo nimium non affligaris, si tentationibus adurgeris, nam si arenæ adinstar repellas, sideris adinstar micas.

§. LVII.

Deus aliquando decretis ab homine signis obsecundat, quò dilucidius veritas clareat.

Svnt (teste Psalmista) qui ad veritatem dignoscendam pro libito signa statuant, quibus, etsi imprudenter decretis, se Deus aliquando accommodat, vt veritatem aperiat, & omnem contumaciæ occasionem præcidat. Mira exercuerat Arca in Philisthinorum terra; illis verò nec vexatio intellectum dabat, immò inflictis flagellis indurabantur cæci, & errores suos tuebantur obstinati: verùm cùm in dies augeretur calamitas, & dolorum discruciaret acerbitas, decreuerunt Arcæ virtutem agnoscere, si vaccas fœtas, & iugi ignaras ad Bethsames recto gradu conspexerint tendere. Quid tunc? Deus quodammodo paruit, & signis ab eis decretis veritatem clarissimè ostendit: *Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames.* Per ipsa, quæ decreuerant, eos monuit, & veritatem manifestauit. Audi Procopium: *Deus ariolorum sententiæ obsecundauit, vt ipsi etiam hostes virtuti diuinæ testimonium perhiberent, & magistri ipsorum de hac re sententiam ferret.* Imprudens erat audacia Deum ad hæc, vel illa signa adstringere; verùm ea est diuina misericordia, vt ad eos corrigendos decretis signis non detrectarit obsecundare, & veritatem docere. Videas fœminas infaustum quid vereri, si contingat speculum frangi: alij aduersitatem oppetere suspicantur, si contingat salem effundi, & licèt hæc superstitiosa fuerint deliria, Deus tamen eis aliquando signis vtitur, vt ad sustinenda aduersa animus præparetur. Quàm iustis de causis vult calamitatem immittere, his signis solet prænuntiare, & vertit in salutis auxilium, quod est eorum opinione calamitatis præsagium, vt præmoniti sibi caueant, & digni-

dignis operibus periculum auertere prudenter studerent. Cùm Ionathas aliquid supra vires humanas tentaret,& an Deus eius votis annueret, præscire discuperet, signum statuit, quod Sacer Textus expresè retulit: *Si dixerint: Ascendite ad nos ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum. 1. Reg. 14. vers.* 10. Illud signum statuisse non diuino pulsu, sed humano arbitratu, existimant plures, nec ignobiles Interpretes: ergo Deus, quia Philisthinos tradere decreuerat, obtemperauit,& à Philisthinis ea verba proferri fecit; vt sic Ionathas ad ineundum prælium viuidius animaretur,& intuitus signum à se datum compleri, hostes non timeret aggredi. *Hic addendum* (scribit noster Sanctius) *Deum sæpè his hominum cogitationibus respondere, & temperare sortes.* Itaque cùm Ionathas signum illud statuisset, quo diuinum agnosceret placitum, & fortunatum posset sperare successum Deus obsecundauit, & decretum à Ionatha siue omen, siue auspicium faustum concessit.

§. LVIII.

Opus est ad Dei domum tendenti aduersis non vinci, & prosperis non inflari.

PRospera, felicíaque, dum inflant, ab itinere virtutis retardant: aduersa, dum mentem obnubilant, & constantiam sæpè eneruant. Qui ergo ad Bethsames, hoc est Solis domum contendunt, corde adeò expedito debent inuolare, vt à recta via nec felicitas faciat deuiare, nec aduersitas gradum sistere. Vaccæ ad Bethsames contendentes nec ad sinistram, neque ad dextram deuiarunt, sed firmo, & constanti gressu arreptæ viæ semper institerunt: *Non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Quod moribus adaptans Rabbanus sic ait: *Nec extollebantur prosperis, nec frangebantur aduersis. Si igitur ad æterni solis habitationem tendimus, ab itinere Dei pro carnalibus affectibus non declinemus.* Nonnullos videas virtutis iter alacriter aggredi; verùm si prosperitas arrideat, aut calamitas distorqueat, facilè deuiant ad dexteram, aut sinistram. Vt paupertatis, & inopiæ depellant ærumnas, iam declinant ad Dei præceptorum offensas. Si prospera vtantur fortuna, inflantur, & vt cupiditatibus adulentur, incepti itineris nullatenus recordantur Nabuchodonosor, dum se floridam, altámque arborem inspexit intumuit, dum depulsus exulauit, fœnum comedit. Inceperat Deum venerari, & eius majestatem fateri: *Verè Deus vester Deus deorum est, & Dominus Regum. Dan. 2. vers.* 47. Viam veritatis ingressus fuerat, sed infelicitate divexatus obrutuit, & felicitate flotidus superbiuit. Quam facilè obcæcarunt prospera, quam facilè fregerunt aduersa! Indigno cibo solatus est famem, nutriuit floriditate elationem. At Dei seruus à rectitudine non deviat, siue alliciant prospera, siue divexent adversa. *Donec deficiam* (aiebat Iob) *non recedam ab innocentia mea. Iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Iob. 27. vers.* 5. Quàm gaudebat Deus, quàm æmulus eius dissecabatur, cùm Iob nec prosperis potuit labi, nec aduersis obrui. Inceptum virtutis iter laudabili obstinatione prosequutus est, siue infelicitatis voluminibus impetitus, siue felicitatis splendoribus exornatus. *Vir Sanctus* (inquit) Gregorius *lib. 18. Moral. cap.* 4.) *vt perfectè adhæreat veritati, nec studiosè perhibet, nec præcipitatione mentiri.* Nullo in statu à veritate deflexit, nec à virtute desciuit. Vt discas sic virtuti insistere, vt nec ad dexteram, nec sinistram contigerit deviare.

Eman. de Naxera in Reg.

§. LIX.

Laudabilis est proximorum commiseratio, si exoriatur à charitate, vituperanda, si exorbitet à virtute.

HOnestum est alienæ calamitati succurrere,& anxietatem leuare: verum si propriis piaculis alienis medearis doloribus, si à virtute deuies, vt alienæ necessitati succurreris, iam fucata misericordia degenerat in peccatum, & imprudentiæ transit in argumentum. Virtutis fuco vitium tegitur, & proprio crimine non semel miseriæ alienæ succurritur. *Triplex est compassionis modus* (inquit Hugo de Sancto Victore *in Allegor. Tilman. ad cap. 2. epist. 2. ad Corinth.*) *est quippè compassio alia ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute. Compassio ex vitio est quando affectus illic ex reprehensibili dolore tangitur, vbi illicito prius amore tenebatur.* Adnectit: *Compassio ex virtute est, quando propter Deum alienis doloribus compatimur.* Alienis propter Deum doloribus compati est virtutis incrementum, charitatis elogium: committere verò errarum, vt inopiæ, anxietatisve leuaueris cruciamentum, merissimum est delirium. Miseris est condolendum, sed à virtute nullatenus deviandum. Videas aliquos mendacijs infici, Sacramento falsa attestari, vt aliorum vitarint iurgia, aut consolentur lamenta. Hi profectò commiseratione delinquunt, quandoquidem sordescunt maculis piaculorum infecti, ne alij contristentur afflicti. Pietatis, misericordiæque optimum vaccæ persiterunt nobis exemplum, mugiebant, sed nec ad dexteram, aut sinistram declinabant: *Itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Vitulorum famescentiũ, carceréque angusto inclusorum perculsæ gemitibus condolebant, sed condolentes à recto itinere non deviabant: mugitus eas publicabat misericordes, & rectus gradus prudentes. Notauit Rabbanus: *Pensandum, quod vaccæ Dei plaustro suppositæ pergunt, & gemunt, nec tamen ab itinere gressus flectunt. Sic prædicatores Dei, & quilibet fidelis intra Ecclesiam esse debent, & proximis compatiantur per charitatem, & de via Dei non exorbitent per compassionem.* Non compati cor denotaret lapideum, culpabiliter compati conscientiæ adduceret detrimentum; alienis calamitatibus condolere, nec à virtutibus deviare est prudentiæ argumentum, vt pietatis etiam elogium.

§. LX.

Si à publica negotia gerentibus studiosè in diuersa itur, nihil, aut parum populi vtilitas promouetur.

COncordia, & intentionis sinceritas felicitatem patiuntur, & nutriunt. Si Reipublicæ ministri implacabili inimicitia dissideant, & alter alterius impugnare sententiam satagat, Reipublicæ salus periclitatur, & calamitas promouetur. *Ostèdit* (aiebat Cassiod. 10. *var.* 23.) *vos diligere, quidquid ad iustitiam cognoscitur pertinere, quando per diuinam prouidentiam omni suspicione detersa desiderabilis potest vnanimitas permanere. Nunc est potius quod regna coniungat, promissio fixa, & votiva concordia.* Dum honesta concordia odioli causas dissidij abscindit dum suspicionem omnem malignitatis detergit, communis vtilitas adaugetur, & Respublica nullis altercationum voluminibus conquassatur. Quia sacra illa Ezechielis animalia, quantumvis diuersa sortirentur ingenia, eodem gradiebantur spiritu, & amico copulabantur alarum nexu, thronus sortitus est firmitudinem & Iris prænuntiabat serenitatem: *Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli*

NAXERA Lib. I. Reg. cap. VI. n. 15

*Ezech.1.vers.6.*Si aquila tumida superbiret; si leo truculentus hominem deterreret; si homo superbus socios despiceret;si bos cornibus ex acutis impeteret, non promouerent cursum, sed bellum: qua oportebat, plaustrũ non ducerent,sed raptarent. Ast dum gradiuntur conformiter, & thronus stabilitur feliciter. Huc voco, quod aiebat Tertullianus ad Martyras *cap.1.Inveniat munitos, & concordia armatos, quia pax vestra bellum illi est.* Affectata dissidia, & de industria repugnantia suffragiis, suffragia hostis agunt causam, & labefractant Rempublicam. Philisthini vaccarum cervicibus Arcam imponunt, vt concordi gressu Bethsames contendentes communis calamitatis fuerint medela, & gemituum cessarit causa. Vaccæ vno itinere gradientes feliciter absoluerunt negotium, & depulerunt à Republica detrimentum: *Itinere vno gradiebantur.* Si inter se dissiderent,non ducerent plaustrum, sed frangerent; ast dum quæuis ab alia non dissidet plaustrum sine discrimine ducitur,& calamitas citò depellitur. Notauit Abulensis *q.18.Si fortè vna vacca declinaret ad vnam partem & alia aliorsum, tunc non possent mouere currum,cum non esset eis impetus ad eandem partem.* Conformis requirebatur impetus, vt duceretur plaustrum, & Philisthinorum auerteretur periculum: ergo si vna ab altera discordaret, maneret plaustrum aut confractum,aut immotum. O quoties, dum Reipublicæ Consules non tam dictaminum quàm affectuum decertauere dissidio, publica marcet vtilitas,& vrget noxia calamitas! Concordia inimicis est bellum, discordia inimicorum est gaudium.

§. LXI.

Dei iugum gerentes exterius videntur tristari, sed interius inveniuntur gaudere.

PAulus de iustis alloquens sic ait: *Quasi tristes,semper autem gaudentes. 2. Cor. 6.vers.10.* Tristitiæ adiunxit illud: *Quasi*;gaudium protulit absolutè.Et quidem si Dei iugo colla feliciter subdentes exterius tantum aspicias, marcidos videbis,&luridos;si interius examines,inuenies tranquillitate fruitos,& lætitia solida exhilaratos. *Quasi tristes* (interpretatur Anselmus) *foris apparemus propter molestias tribulationum, quas patimur, sed semper sumus gaudentes intus propter spem futuræ remunerationis. Non solum enim non contristamur in aduersis,sed etiã gaudemus & hoc semper.* Ingenti præmio non solùm laboris molestias quisque mellit,sed etiam subire exambit: ergo cùm iusti ambigere nequeant de præmio,carere nequibunt gaudio. Erumpit exterius amara lachryma, sed in corde residet dulcis lætitia. Vaccæ, vbi colla Dei iugo feliciter supposuerunt,deplorant,& cantant: *Gradiebantur pergentes,& mugientes.* In Hebræo habetur: *Pergentes & cantantes.* Cúmque inter se ad speciem dissideant mugitus angustia, & cantus melodia difficultas occurit statim: quomodo scilicet eodem tempore quiuerint cantare,& mugire:Mugitus indicat angoris molestiam, cantus prodit cordis lætitiam: ergo quæ ingenio constat dissidere, nequibunt eodem tempore conuenire. Moralis Glossa hunc nodum dissoluat,ait relictis vitulis cervicibus iugo pressis exterius aliquomodo contristatas,sed Deum ferentes,& ad lucis domum properantes lætitia interna gauisas: *De istis vaccis dicitur in Hebræo, quo cantabant.* Erumpebat lachryma,sed lætabatur conscientia, in corde resonabat cantus, & erat exterior fletus. Iustis namque ipsa pressura, ipsa tribulatio est gaudij materia:ad Dei domum per laboriosas ærumnas contendunt afflicti,sed quia ob Deum patiuntur, exultãt læti. Itaque etsi exterius videantur tristari laboribus durissimis diuexati, interius exultant gaudio delibuti. Iacob eodem tempore humi iacet, & cœlestem scalam videt; caput duri lapidis sentit molestiam, sed animus cœlesti donatus visione mira recreatur lætitia: *Tulit de lapidibus, qui iacebant,& supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis scalam. Gen.* 28.v.11. Quam ab externis interiora discordabant,exterius omni humana conuersatione carebat profugus, & solitarius sed reuera erat Angelis associatus; exterius paupertate pressus; interius cœlestibus diuitiis onustus; exterius pro pulvillo erat lapis durissimus; interius pro lapide accubitus erat floridus.Opportunè Galfridus *in Allegor. Tilman. Locum,vbi quiescat,inuenit.* Vbi alius non posset non gemere, Iacobo contingit somno suauissimo recreari. Externa premebat corpus duritia, sed interna recreabat animum gloria.

§. LXII.

In concionatore debent coniungi, & carnis mortificatio, & Scripturæ Sacræ eruditio.

COncionator cruci Christi debet alligari,& Scripturæ Sacræ eruditione florere. Scientia sine mortificatione redditur infœcunda; mortificatio sine scientia non est admodum fructuosa;si verò altera alteri ferat suffragium, copiosum afferent fructum. *Homini* (aiebat Cassiodorus 10.*var.*3.) *duplices manus,socias aures,oculos geminos diuina tribuerunt: vt robustius perageretur officium quod duorum fuerat societate complendum.* Adnectit: *Eruditio litterarum naturam laudabilem eximiè reddit ornatam* Vt arduum est perficere vnica, quod manum exposcit geminam; ita est arduum sola eruditione, aut virtute sola assequi, quod vtramque constat expetere. Nisi doctrina morum concinnitate resplendeat, audientium corda non ferit,quia quod auribus percipitur,effectibus evacuatur. Vitæ probitas est eruditione expolienda, & eruditio virtutibus exornanda. En Arca plaustro imposita à vaccis vehitur, & dum feliciter humerus sacro onere prægrauatur, mugitus auditur. *Posuerunt Arcam Dei super plaustrum.* In plaustro Christi crucem,in Arca sacram Scripturam, in vaccis concionatores testatur Glossa adumbrati: *Plaustrum crux Christi, Arca sacra Scriptura.* Itaque tunc vtiliter vaccæ mugiũt,cùm Domini cruci affixæ, & sacræ Scripturæ eruditione exornatæ. Adstipulatur Glossa Moralis: *Prædicatores tenere debent rectitudinem vitæ,& doctrinæ; nec ab ea declinare propter prospera,vel aduersa,& sic veniunt Bethsames,qui interpretatur domus Solis.* Vt vaccæ Philisthinos ad veritatis aghitionem mugiendo traxerunt;sic concionatores prædicando, docendóque peccatoribus viam lucis ostendunt, & secum ducunt. Est tamen opus præire, crucem ferre, & doctrinæ eruditione micare. *Ibi* (de eruditione loquitur datus suprà Cassiodorus) *prudens invenit,vndè sapientior fiat:ibi bellator reperit vnde animi virtute roboretur:inde Princeps accipit,quemadmodum populos sub æquitate componat. Nec aliqua in mundo potest esse fortuna,qua litterarum non augeat gloriosa notitia.* Scientia morum nobilitate exornata animos sibi devincit, & ad parendum veritati disponit: ergo dum Arcam,hoc est, sacram Scripturam,& plaustrum hoc est,Christi crucem vaccæ convehunt, Philisthinorum Satrapas secum trahunt,& illius Reipublicæ calamitatem depellunt.Agnus ille quasi occisus, vbi accepit librum aperuit, & iam animalia etiam Deum laudare edocuit,& pacem stabiliuit: *Venit,& accepit de dextera sedentis in throno librum & cùm aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno.* Antè quasi occisus stabat,& tamen animalia coram agno non procidebant, at cùm accepit librum,iam animalia Deum reuerentur, & seniores repetitis plausibus demirantur: vt hoc arcano emblemate nouerimus, quantum oporteat crucem, & librum coniungi ad Dei promouendam gloriam, & ad salubrem pectoribus inferendam doctrinam. *Ceciderunt coram agno* (scribit Anselmus

Anſelmus ad hunc locum) *nihil de ſe præſumendo, ſed humilia ſentiendo coram agno, id eſt, ipſum imitando.* Agnus crucem in corpore ſuo oſtendens, & ſacrum librum evoluens, omnes ad Dei cultum traxit, & vel animalia eruditit.

§. LXIII.

Dei miniſter eius ſolum gloriam debet ambire, non propriis plauſibus ſtudere.

PHiloſophus (inquit Tertull. *lib. de Anima c. 1.*) *gloriæ animal.* Qui eruditione, & florida elocutione micat ornatus, frequenter turget ſuperbus; ſcientia inflat, & quodam inanis gloriæ fomite plauſum anhelat. Hanc veluti naturalem oblectationem Dei ſervus extinguere prorſus adlaborat, vt vberes, & honeſtos fructus ſapientiæ demetat, Deóque illibatos offerat. Furti inuenitur reus, qui ex Domino conſecrandis quid ſibi deripit, & præſumit Popularis auræ deſiderium, & volatici plauſus ſtudium plures fecit à recta via deflectere, munúſque iunctum ſibi laudabiliter non abſoluere. Opportunè Clemens Alexandrinus *lib. 1. Strom. Ob hanc ergo artem ſe ſe efferentes ſophiſtæ infelices.* Infelices erant antiqui illi ſophiſtæ, quia de laborioſis ſtudiorum lucubrationibus non demetebant virtutem, ſed elationem. Qui reſplendentium verborum pollet elegantia, qui omnimoda reſplendet eruditionis ſapientia, ſi ſibi quæſiuerit plauſus gloriam, Dei verbi eneruabit energiam, & doctrinæ euacuabit efficaciam. Is ritè munus adimplet, & ſalutem Reipublicæ affert, qui Dei gloriam ſolummodo quærit. Ecce vaccæ Magiſtrorum, Doctorúmque ænigmata Philiſthinorũ depulerunt calamitates, & abiurare factis edocuerunt errores, quia non ſolùm edebant mugitus, ſed ad Bethſames earum omnes tendebant greſſus: *Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes.* Satis non fuiſſet mugire, ſatis non fuiſſet ad Bethſames tendere, ſi gradus exorbitaret, à rectitudinéque deflecteret: aſt dum vno, rectóque itinere ſemper gradiuntur, Philiſthinorum Satrapæ veritatem edocentur, & calamitates pulſantur. Notauit Hugo Cardinalis: *Vno itinere gradiuntur, qui in operibus ſuis tantum Dei gloriam quærunt, non propriam. Vnde ergo tot opiniones, tot rixæ, tot contentiones, niſi quia omnes gloriam ſuam quærunt, teſte Apoſtolo: Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt.* Si concionatori plauſibus celebrato concionator inuideat, ſi malevola lingua arrodat, ſi eius innubilare dicteriis procurat famam, munus adulterat, & rixarum occaſiones concinnat. Si alterius in negotiis expediendis dexteritatem agrè miniſter, aut prætextatus ferat, Reipublicæ nõ procurabit ſalutem, quia alterius ſolum dignoſcitur deſiderare perniciem. Leproſus ad Chriſtum accurrit, vt depulſa lepra ſalutem nanciſcatur, nec eum ſua fefellit ſpes, nam leui attactu lepra fugit, & ſalus rediit: *Confeſtim mundata eſt lepra eius. Matth. 8. v. 3.* Quid tunc? Duo ei iniungit Chriſtus, medicum non prodere, & ſacrificium offerre: *Vide, nemini dixeris, ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes.* Ecce in oblato munere Deo quærit gloriam, & ore taciturnitate ſignato ſuam erga homines refugit famam, quo nos edoceat ad ſanitatem proximis impertiendam, miráque patranda oportere Dei ſolius honorem exambire, & proprium plauſum vitare. Mira non efficiet, nec ſalutem proximorum inſtaurabit, qui anhelat lucrari ſibi aut volaticum plauſus gaudium, aut commodum. Quàm benè Chryſoſt. in *Catena: Nulli dicere iubet, docens non diligere oſtentationem, & honorem.* Adnectit: *Non enim illi divulgari ſe inſſit, ſed dari gloriam Deo.* Deo omnem miraculi conſecrat gloriam, & plaudi refugit ob medelam. Vt diſcamus, ſi proximorum diſcupimus ſanitatem, auerſui inanem plauſum, & omnem conſecrare Numini elogium.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. XIII. & XIV. Porrò Bethſamitæ metebant triticum in valle, & leuantes oculos ſuos viderunt Arcam, & gauiſi ſunt, cùm vidiſſent, & plauſtrum venit in agrum Ioſuè Bethſamitæ, & ſtetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plauſtri, vaccáſque impoſuerunt ſuper ea holocauſtum Domino.

§. LXIV.

Deus cordi reſtitutus triſtitiam depellit, & gaudium ſecum adducit.

HVmana gaudia ex voluptatibus orta, ex ſplendenti famulitio prognata, ex dignitatibus, & diuitiis progenita grata ſpecioſitate veſtiuntur, ſed firma ſoliditate nudantur. Verũ gaudiũ non aduẽtat extrinſecus, ſed interius naſcitur Opportunè Senec. *ep. 27.* ſic de voluptatibus, & diuitiis: *Non ſunt ſolidæ, nõ ſunt fideles, etiãſi non nocent, fugiunt. Aliquod potius bonum manſurum circumſpice. Nullum autem eſt, niſi quod animus ex ſe ſibi inuenit. Sola virtus præſtat gaudiũ perpetuum, ſecurũ: etiamſi quid obſtat, nubiũ modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vnquam diem vincunt.* Parum proſunt circumfuſæ deliciæ, parum iuvant ſplendidæ dignitates, ſi cor acutiſſimis conſcientiæ ſtimulis adurgetur, & continuis fluctibus referitur. Bethſamitæ copioſis meſſibus exundabant, & quamvis vt ait Pſaltes, eſſent, ſicut qui lætantur in meſſe, non tamen referuntur gauiſi, quouſque Arcam iam ſecum habuerunt: *Viderunt Arcam, & gauiſi ſunt.* Et cur antea non referantur gauiſi copioſis manipulis opulenti? Tellus, dum copioſos fructus offert, quos auida manus demetat, vbertate vincit cupiditatem, & demerendi mellit laborem: ergo gaudeat Bethſamita ridenti adeò vſus fortuna. O expende! Arca ab eis diſtante nequiuiſſe corda anxia ſolicitudine non vrgeri, & timore acerrimo referiri. Ergo etſi opulenta meſſis copia manus impleret, & oculos oblectaret, conſcientia pungebat, & acri timore vexabat; vnde meſſe quaſi lætabantur, & internis cruciatibus vrgebantur. Aſt, dum placatum bonis coniecturis Numen exiſtimant, & redditam ſibi Arcam ſpectant, interno conſcientiæ gaudio fruuntur, & ſpebus bonis lætantur. Opportunè noſter Sanctius: *Gauiſi ſunt vehementer Bethſamitæ, vbi reducem Arcam conſpexerunt, qui ſuo exemplo docent, quàm exultare debeat homo, cùm aliqua bona coniectura ducitur, vt putet rediiſſe ſe Deum, quem priùs à ſe peccando repulerat.* Vberrima frugum copia manum implebat, ſed animum abſentis Arcæ ſolicitudo vexabat: ergo ſolùm referuntur gauiſi, dum Arcam reducem ſunt conſpicati. *Non eſt regnum Dei* (aiebat Paulus) *eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto, ad Rom. 14. v. 17.* Malæ mentes ex voluptatibus, ex eſca, & potu capiunt gaudia, ſed ſolicita, & anxia: quod in Spiritu ſancto non eſt, poteſt æquiuocè gaudium dici, ſed ſolidum, & verum non poteſt eſſe. Prodeſt Bernard. *in Alleg. Tilman.* ad hunc locum: *O delicate, qui deliciis, & vitiis es circumfuſus, atque confuſus, confuſionem expectas, & mortem. Non eſt regnum Dei eſca, & potus, non purpura, & byſſus, quia dives ille vtroque circumfluens in puncto ad inferna deſcendit. Quid ergo? Iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Ni cor Spiritum ſanctum poſſideat, nequit gaudere, quia conſtat veri, & ſolidi gaudij radice priuari. Quomodo gaudere poſſet purpuratus ille dives, quantumvis diuitiis, & voluptatibus circumfuſus, ſi æternis flammis ſe ſciret diſcruciandum, & rabida ſiti vrgendum? Bethſamita ſine Arca fructibus exundat copioſis, ſed ſolùm reduce iam Arca frui turgaudiis & veris, & ſolidis: *Viderunt Arcam, & gauiſi ſunt.*

§. LXV.

Vt veris perfruaris gaudiis, opus est oculos amouere à volaticis, & terrenis.

QVidquid terrenum, dum cor variis solicitudinibus occupat, à vero gaudio retardat. *Multos ostendam* (aiebat Seneca *de Vita beata c.12.*) *voluptatibus obsessos, in quos fortuna omnia munera sua effudit, quos fatearis necesse est malos. Aspice Nomentanum, & Apicium terrarum, ac maris (vt isti vocant) bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia.* Non vacabat tempus Apicio, vt ad cœlum oculos leuaret, quia in conquirendis animalibus peregrinis erat otiosè occupatus, & totus huic solicitudini deditus: gaudere possessis, & acquisitis nequibat, quia animus implacabili hydrope, & ambitione æstuabat. Adnectit Seneca: *Videbos eosdem è lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes, mollibus, lenibúsq; fomentis totum lacessitur eorum corpus: & ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur. Hos esse in voluptatibus dices: nec tamen illis benè erit, quia non bono gaudent.* Quomodo meditarentur cœlestia, quorum animos oblectamenta distringerent, quorum sensus spectacula detinerent? Aut quomodo tranquillo fruerentur, verò que gaudio, qui solicito semper deliciarum vrgebantur desiderio? Dum multa interueniunt, perturbant animũ, inquietant mentem, pariunt anxietudinem. Mihi crede, eiusmodi etsi omni molestia careant à vero gaudio longissimè aberrant. Opus est his tricis expediri, si velis ad potiora oculos eleuare. Tunc Bethsamitæ viderunt Arcam, cùm oculos à demetendis messibus amouerunt: *Leuantes oculos suos viderunt Arcam.* Dum oculos ad terram dirigebant, Arcam non viderunt, & dum non intuiti, nec gaudio referuntur vero oblectati: *Et gauisi sunt, cùm vidissent.* Non sunt gauisi antea, sed cùm oculos leuantes inspexerunt, sed cùm à terrenis messibus auertentes eleuarunt. Notauit Hugo: *Qui deprimunt oculos in terrenis, non possunt videre Arcam.* Adnectit: *Illi, qui eleuant oculos, vident Arcam.* Arca non conspicitur oculis ad terrena pressis, sed eleuatis: cúmque ferè omnes demetendis humanis commodis insistant, rarus gaudet, & rarus oculos à terrenis auertens Dei Arcam videt. Moyses, vt Dei vocem audiat, & cœlestia mysteria discat, iubetur pedem nudare, & calceamenta projicere: *Solue calceamentum de pedibus tuis. Exod. 3. vers. 5.* Ni lateret arcanum, parum ad contemplandam illam visionem impediret calceamentum. Quid obest accesserit calceatus, vt inspexerit rubum curiosus? Plurimum quidem, quia calceamentum, teste Theodoreto, humanæ erat solicitudinis argumentum, & ob id contemplationis obstaculum. Si cupit Moyses proplùs accedere, oportet à terrenis solicitudinibus expediri. Audi Theodoretum *quæstion. 7. in Exod. Quare iussus est Moses calceamentum soluere? Dicunt nonnulli, vt solicitudines seculares abiiceret.* Non erat ad dignoscenda diuina liber aspectus, dum terrenis occupationibus tenebatur præpeditus: ergo calceamenta, hoc est, terrenas solicitudines à se abjiciat, si vocem audire, & arcana noscere exoptat.

§. LXVI.

Honestè occupatis, & muneris obligationi intentis Deus adest, ab otiosis, & torpentibus fugit.

VT otium est virtutum tinea, sic est honestus labor tutela. Qui munus sibi iniunctum ritè peregit, Deum ad se traxit. Ipse labor pro oratione quodammodo est, nec Deus potest distare à iustè, & laudabiliter occupatis. E contra, qui deses non implet officium, qui iners sectatur otium, Dei proximitatem impedit mentis inertia, aut fugat desidia. Otium est improbitatis magister, nequitiæ cathedra, & diues vitiorum vena. Vide Basilius *Homil. 8. in Examer.* aiebat: *Otium præceptor vitiorum.* Et Tertullianus *in Apologetico cap. 47.* irridebat Epicureos, quia Deum omni virtute ornatum attestabantur otiosum, quasi nequeant hæc duo coniungi Deus, & otium: *Asseuerant Epicurei Deum otiosum, & inexercitum, & vt ita dixerim, neminem.* Si inerti langueret otio, inquit Tertull. diuinitatis non potiretur imperio; potitus verò omnia humana foleti prouidentia gubernat, & inoculata solicitudine tractat. Notauit Scriptura Arcam Bethsamitis appropinquasse non otio indulgentibus, sed honestè laborantibus: *Bethsamita metebant triticum in valle, & eleuantes oculos suos viderunt Arcam.* Non longè erat ab honestè occupatis, & distaret ab otiosis. Ipsa Arca accessit, & insudantes laudabiliter sui spectaculo recreauit. Innuit Iosephus: *Æstatis tempus, dum omnes in agris essent pro colligendis fructibus, cum vidissent Arcam, delectationes passi.* Sudor oblectationem promeruit, & honestus labor Domini ad se Arcam vocali silentio traxit. Moysi flammescenti rubo Deus apparuit, sed oues agenti, & earum commoda solicitè procuranti: *Cum minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Oreb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Exo. 3. v. 1.* Ad abstrusiora desertorum tendebat, quia herbida, & ouibus commodiora. Quid tunc? Deus quodammodo ei occurrit, vt miro spectaculo laborem remuneraret. Notauit Philo *lib. 1. de vita Mosis: Accidit quondam, vt dum sectatur loca herbida, riguа, lætáque pascuis in quodam nemore videret visionem horribilem.* Suscepta ouium cura omnium ætatis suæ pastorum optimus, & vtilitatis pecorum amantissimus nullum laborem fugiebat, sed vt eis prospiceret, alacriter vigilabat: ergo dum desertorum loca sibi ardua, & pecoribus sectatur commoda, cœlesti recreatur luce, & præ aliis dignatur mira visione. Ipsum munus ritè exactum ad Deum duxit, immò ipsi Deo, vt honestè laboranti occurreret, persuasit. Nam dignè occupatis, & obligationi intentis Deus adest, ab otiosis tamen, & torpentibus fugit.

§. LXVII.

Miraculi adinstar erit, si vacanti humano lucro, celeri ad Deum contenderit quis volatu.

SIc nos illigat diuitiarum amor, vt à virtute sæpiùs auertat. Si hinc inuitet adaugendi census opportunitas, & inde virtutis exercendæ cómoditas, miraculi erit adinstar ad virtutem inuolare, & vtilitatem despicere. Ob id aiebat Paulus: *Qui volunt diuites fieri in hoc sæculo incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli. 1. ad Timot. 6. v. 9.* Vt auis strictis implicita laqueis nequit ad puriorem aërem inuolare, & explicato volatu cœlum contendere; sic homines aureis diuitiarum compedibus illigati nequeunt ad virtutem gressum explicare, nec à se iucunda hæc vincula pellere. *Apud barbaros quosdam* (inquit Tertull. *de Habitu mulieb. cap. 7.*) *quia vernaculum est aurum, & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.* Profectò dum auro teos deuinciebant, quam aptum sit ad implicandos gressus demonstrabant. Idem scribit Clemens Alexandrinus *2. Pædagog. cap. 12. Dicunt apud barbaros vinciri auro maleficos.* Itaque ex auro fiunt vincula, quibus homines illigantur, & licèt lubenter, vinciuntur. Audi Bernardum *in Allegor. Tilman.* ad locum iam datum Pauli: *Ergo ne laqueus diaboli diuitiæ sunt huius sæculi? Heu quàm paucos inuenimus, qui ab hoc laqueo liberari exultent! quam multos, qui dolent, cùm parum sibi videntur irretiti, & adhuc*

quantum

quantum possunt, ipsi se involvere, & intricare laborant. Malunt aureis vinculis præpediri, quàm ad virtutem gressum explicare. Aduentauit Arca, cùm Bethsamitas copiosa spicarum vbertas ad messem alliceret, ac manus, & oculos occuparet; illi verò ad Arcam excipiendam messium obliti inuolarunt, & fastis, iteratisque acclamationibus susceperunt: *Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle, & eleuantes oculos suos viderunt Arcam, & gauisi sunt, cùm vidissent.* Addit Textus: *Virt Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.* Iosephus ait vaccas sistentes in agro Iosue plaustrum iucundum exibuisse miraculum; verùm pace tua, Iosephi varba ad Bethsamitas etiam possunt extendi; nam si miraculum fuit vaccas gressum sistere, miraculi etiam fuit adinstar à demetendo fruges cessare, & ad litanda eo die holocausta contendere. Iosephi verba sunt: *Statuentes illic vehiculum gratum miraculum habitatoribus vici illius præbuerunt. Æstatis namque tempus, dum omnes in agris essent pro colligendis fructibus, cùm vidissent Arcam delectationes passi, & opus manuum relinquentes, repentè cucurrerunt ad eam.* Statuentes ibi vehiculum gratum miraculum vaccæ præbuerunt, & Bethsamitæ insolitum præbuerunt etiam miraculum, dum à frugibus demetendis cessarunt, & ad Arcam celeri volatu accurrerunt cùm homines nesciant inuitamem adaugendi diuitias occasionem amittere, vt ad Deum quiuerint inuolare: erat ergo veluti miraculum messes relinquere, & holocausta litare.

§. LXVIII.

Apud Deum qui meritis antecellit, dignis etiam præmiis nobilitatus refulget.

Tribuenda est iustis laboribus compensatio præmiorum (scribit Cassiodorus 2. *variarum* 28. *quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur. Athletam populus palma designat esse victorem. Sudores bellicos ciuica corona testatur.* Sudores bellicos nobilitat ciuica, athletá honorat palma: verùm suam etiam habent fortunam merita; nam sæpè, qui alios supergressus est egregiis factis inuenitur postpositus præmiis. Apud homines ad opinádum iuvar affectio, & qui plus amatur, frequenter cæteris antefertur. Palma victoriam testatur, sed aliquando mentitur, & ciuica, quæ promulgat sudores, coronare solet inertes. Apud Deum non relinquitur irremuneratus, qui meritis dignoscitur plenus. Iosue in agro vaccæ sistunt vehiculum, & agrum illum præ aliis eligunt: *Plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamitæ, & stetit ibi*: Cùm non steterint ibi casu, sed cœlesti impulsu. Interpretes quærunt Arcanum, cur scilicet anteà non substiterint, aut ad aliorum agros diuerterint. Abulensis *quæstione* 18. existimat, Iosue eo præ cæteris honore donatum, quia præ cæteris fulgere constabat virtutibus expolitum. Ipsum audi: *Venit Arca in agrum vnius eorum, scilicet Iosue, & hoc forte, quia reputatus est ille à Deo vir iustior cæteris.* Eximius erat honor, & grande præmium Arcam hospitio excipere, eiusque præsentia nobilitari: ergo Iosue, vt qui cæteros meritis vinceret, sine ambitus anxietate assequutus est præmium, & secum ei attulit eximium honorem plaustrum. Quam aliter apud sæculum. Diuitiis copiosior, & nobilitate clarior solet occupare dignitatum fastigia, quæ possiderent, fas esset, merita. Miles vulnerum cicatricibus scatens non assequitur cibarium panem, quo vitam alat, & ignaua aliquando nobilitas assequitur stipendia copiosissima, quæ profundat. Præmia meritorum olim indices, non semel affectionum sunt testes. Quisquis officiosus assentator assequutus est benevolentiam, & gratiam, iam inuenit crescendi viam. Sine fauore merita, aut silent irremunerata, aut quæruntur despecta. Ingeniosè Tertullianus *lib. de Anima c.* 19. *Video vitem adhuc veneram, & impuberem, intelligentem tamen iam opera sua, & volentem alicubi adhærescere, cùm innixa, vel innexa proficiat.* Intuetur vitis hederam altæ arbori inhærescentem crescere, quin infœcunditas noceat, quia de patrocinio nanciscitur, quod fructibus non meretur, & licet vitis racemis vberrimis fœcundetur, quærit prudenter, vt hedera patrocinium, crescere exambiens, & de fœcunditate diffidens. Nam apud sæculum vices gerit metitorum patrocinium, & sine fauore marcescit meritum.

TEXTVS.

Vers. XV. Leuitæ autem deposuerunt Arcam Dei, & capsellam, quæ erat iuxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.

§. LXIX.

Nonnulli videntur Deum obsequiis promereri, immixtis tamen erratis probantur exasperare

Religiosæ pro sanctorum cultu festiuitates, Numini dicata solemnia ritè, ac deuotè debent peragi, vt sanctorum, Deique gratiam quiuerint promereri; nam si vanitas deuotionem adulterarit, si profanitas cultum corruperit, non tam allicitur benevolentia, quàm accenditur iracundia. Antiquitus, dum sacrificium pro populo offerebatur, non solum virorum, ac mulierum vitabatur conspectus, sed etiam imagines animalium velaminibus tegebantur: verùm Clodius sic sacrificij, ac festiuitatis illius religionem violauit, vt fœminam ad adulterium allexerit, & commiserit: ergo ea celebritate non poterat placere officiositas, quia spernebatur majestas. Audi Senecam *epist.* 97. *Reus erat Clodius, ob id adulterium, quod cum Cæsaris vxore in aperto commiserat, violatis religionibus eius sacrificij, quod pro populo fieri dicitur: sic summotis extra conspectum omnibus viris, vt picturæ quoque masculorum animalium contegantur.* Ea in solemnitate, quæ prohibebat colloquia, commissa sunt adulteria: ergo violata religio gratiam non inibat, sed iram dignissimam inflammabat. Sancta sanctè tractanda sunt nam si sorduerint culpis, in materiam vertuntur indignationis. Aduentante Arca religiosa à Bethsamitis solemnitas instruitur: *Conciderunt ligna plaustri, vaccásque imposuerunt super ea holocaustum Domino.* Putares religiosa adeò celebritate Dei sibi conciliasse benevolentiam, sed exasperasse reperies iram: *Percussit Dñs de viris Bethsamitibus.* Supplicium maturauit celebritas, & diuinam indignationem inflammauit festiuitas. Et quare? Quia ipso in sacrificio admiscebatur peccatum. *Leuit.* 1. prohibebatur sacrificari fœmellas, & sacrificarũt vaccas ergo licet obsequium aliàs mereretur propitiationem, immixta offensa, & violatæ legis contemptus offenderunt majestatem. Opportunè Lira: *In hoc videntur malè egisse, quia fœmella non offerebatur Domino in holocaustum, quod erat sacrificium perfectissimum, vt habetur Leuit.* 1. *c.* Eodem tempore holocaustum offerebant, & legem violabant: ergo dum solemnitatem erratis denigrauerunt, contra se iram Numinis concitarunt. Video sanctos magnis solemnitatibus coli, video magnos suggestus eleuati, religiosas pompas extrui, vereor tamen aliquando remedio laborari, & Numinis iram accendi, nam tunc indigna inter viros, mulieresque verba seruntur, quæ infelices fructus proferunt, & parturiunt, ibi licentius vagantur aspectus, ibi indecora ineuntur pacta, & pudicitiæ extruuntur pericula: ergo vbi erat propitiatio acquirenda, Deus offenditur, & delictum aggrauatur. O quoties Deus auersatur solemnitates, quia religiosè peractæ, & plurimis offensis permixtæ!

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. LXX.

Dei serui non solùm gestiunt muneris obligationem implere, sed etiam auctarium addere.

OBsequentis est munus alacriter adimplere, deuoti auctariis laudabilibus exornare. Legi satisfacit iustus, legis metas transgreditur honestè perfectus. *Ibi mores facilius probantur* (aiebat Cassiodorus 8. *var.* 17.) *vbi natura sub libertate monstratur.* Adnectit: *Nam fascibus obedire plerumque potestatis necessitas cogit, parere iudici priuato sola sententiarum probitas facit.* Ad fascibus obediendum cogit auctoritas, obedire vero, dum est liberum, sola morum docuit concinnitas. Mores facilius probantur, vbi natura nulla obligatione constringitur. Stiterunt plaustrum vaccæ, & accurrentes Leuitæ deposuerunt Arcam: eis in circunstantiis ad eos pertinebat Arcam deponere, sed insuper deposuerunt etiam capsellam: *Leuitæ autem deposuerunt Arcam Dei, & capsellam, quæ erat iuxtà eam.* Leuitæ debebant humeros subiicere, vt deponerent Arcam, non verò deponere tenebantur capsellam; ostenderunt tamen animi deuotionem vltra debitum, addentes etiam auctarium. Leuitæ Deo dicati nobili adeò siti flammescebant, vt muneris legem non solùm ritè implerint, sed adaugendi, incrementandique religiosa obsequia, materiam, & occasionem ambitiosè, si fas est dicere, rapuerint. Accipe Abulensem *quæst.* 21. *Hanc deposuerunt Leuitæ, quamquam non erat de ista, sicut de Arca Domini, quoniam poterant quicumque populares istam portare, vel deponere, quia non erat ibi aliquid sacrum. Leuitæ tamen vtramque deposuerunt.* Non spectabat ad Leuitas capsella; ast maluerunt, vt humeros alleuarent alienos, hoc auctario atterere suos; nam obsequiosa charitas, vt aliena solicitet commoda, amplecti solet grauamina. Libera ea actio commendat mores, dum honestè sibi impositas supergreditur leges. Concluса miraculosè piscium multitudine, iussit discipulis Christus aliquos ad mensam afferre. *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ioan.* 21. *vers.* 10. Ad omnes discipulos educendi rete labor pertinebat, & tamen Petrus defatigatur, & solus pondus illud attrahere adnititur: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Non minus resplenduit Petri erga Christum feruidus amor in rete trahendo, quàm in vortices marinos calcando. Si cunctis datur mandatum: *Afferte*, cur solus Petrus non sine labore adnititur adimplere præceptum? Quia contentus non est, quæ sibi mandata perfectè implere, sed alia etiam conatus est superaddere. *Iam credo* (inquit Gregorius *hom.* 24. *in Euangelia*) *quòd vestra charitas aduertat, quòd Petrus rete ad terram trahit.* Ne alij laborarent, totum sibi laborem adsumit, & plus quam imperatur, exequitur. Notauit ingeniosè Gregorius ad dignitatis apicem tunc Petrum eleuatum, quia optimum erat superiorum exemplum. Ad mensam cum cæteris sine discrimine sedit; totum sibi retis laborem applicuit, *Ipsi quippe* (adnectit Gregorius) *Sancta Ecclesia est commissa; ipsi specialiter dicitur: Simon Ioannis amas me, pasce oues meas; quod ergo postmodum aperitur in voce, hoc nunc significatur in opere.* Feruidus Spiritu aliis imperata compleuit, & honesto labore manus defatigauit: ergo superiorum forma præponitur, & ad culmen iustissimè euehitur. Et expende, Christum, cùm adesset Ioannes tenere dilectus, Petrum antepositisse; nam tunc Petrus præ aliis cinctus, & ad diuina mandata exequenda promptus: ergo edocuit eos præ aliis ad dignitatum culmina eleuandos, quos meritis constat esse præcipuos.

§. LXXI.

Celeritas gratitudini addit gratiam, & exiguam obsequiorum nobilitare solet materiam.

VT beneficia, si lentè exeant, lepore venustatis priuantur; sic mora gratiæ redditæ minuuntur. Celeritas, dum animi indicat alacritatem, beneficiis dilargitis, & gratiis redditis adauget commendationem. Diù noluit, qui tardè dedit, & aliqualem ingratitudinis subiuit notam, qui morosè beneficiis respondit. *Eximia beneficientia est* (aiebat Philo de Nominum mutatione) *quod nullum aliud medium interiectum sit inter Deum, & animum præter gratiam virginem.* Relucent beneficia à largitoris manu nascentia; nam si per plures manus excurrant, aut minuuntur, aut detinentur, aut deprauantur, vt etiam gratitudo placet, si virgo floreat nulla lentitudine deturpata, tarditate nulla corrupta. Eximium Bethsamitæ beneficium, scilicet reducem Arcam à Deo acceperant: ergo, vt se integrè gratos exhiberent, eodem die holocausta, & sacrificia obtulerunt: *Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.* Qua die beneficium refertur acceptum, & holocaustum refertur etiam exhibitum, ne, si gratitudo differatur, dilatione adulteretur. Qui gratias potest statim reddere, & distulit, iam gratitudinem defœdauit. Opportunè noster Sanctius: *Ex duabus vaccis inculentum faciunt holocaustum, quod eo nomine gratum videri potuit, quia nulla mora interposita statim oblatum fuit.* Celeritas gratitudinem commendauit, lentitudo corrumperet, & fœdaret. Cainus Deo sacrificium offert; verùm Deus nec Cain, nec eius munera oculis benignis aspexit: *Ad Cain, & ad munera illius non respexit. Gen.* 4. *vers.* 5. Et cur non lucretur sibi beneuolentiam, qui frugem offert copiosam? Iam Textus retulit: *Factum est, post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Pro beneficiis acceptis egit gratias, sed adeo lente, vt non solùm videretur moratus, sed inuitus. Diù noluit, qui post tot dies fruges Domino consecrauit. Adest Philo de sacrificiis Abelis: *Hæc sunt Caini crimina post aliquos dies offerentis sacrificium.* Peruenit ad Aram sacrificium morositate defœdatum, nec potuit accipientis mereri beneuolentiam, quando dilatio testabatur reluctantiam, aut saltem animi inertiam, Bethsamitæ gratum exhibuerunt obsequium, quia nulla mora fœdatum: *Eo nomine gratum videri potuit, quia nulla mora interposita statim oblatum fuit.*

§. LXXII.

Quæ à Deo nobis constant promanare, ad eius honorem integra debent referri.

AIt vmusquisque se regium nummum habere (aiebat Dionysius Areopagita epist. ad Polycarpum,) & *habet fortasse adulterinam imaginem alicuius veri numismatis.* Crimen est regium nummum habere, si adulterina imagine deturpatus, aut fraude aliqua diminutus. *Qui venditant* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ cap.* 6.) *prius nummum, quo pacisc untur, examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter.* Qui rei acceptæ æquale pretium non reddit, sed quid à nummo detraxit, se magni criminis reum constituit. *Ad locum, vnde exeunt flumina* (aiebat Ecclesiastes) *reuertuntur, vt iterum fluant.* Ecclesiastes 1. *vers.* 7. Flumina, vt iterum fluant, quos acceperunt à mari, latices mari offerunt, & impendunt, nec iterum fluerent, si sibi fraudarent. Negotiatio est mari reddere acceptum, vt possit fluuius sibi maris gratiam promereri, & iterum vndarum copiam lucrari. Ob id Sponsa, quæ ab Sponso pulchra mali

poma

poma accepit, illi iterum sacrare curauit: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cant. 2. vers. 3.* Audis pulcherrima, saporataque poma carpsisse, audi etiam omnia Sponso seruantem, & reddentem: *Omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi. Cant. 7. vers. 13.* Meminerat Euam pomum sibi præripuisse, & ob id multis laboribus implicitam à paradiso exulasse: ergo omnia accepta poma seruauit dilecto, ne defœdaretur furto. Adest noster Delphius in Mixta: *Quid est: Seruaui tibi? Opportunè promenda, & expendenda in spiritualem alimoniam tuorum.* Diuitias accepit, quas pauperibus erogaret, nec euanidis oblectamentis profunderet. Salutem assequuta est, quam excolendis virtutibus consecraret, non voluptatibus penderet. Dignitatis fastigium possedit, non vt adularetur superbissimæ vanitati, sed vt æquitati inseruiret, & iuri. Nec aliter se gesserunt, qui Bethsames, hoc est, regionis lucem incolebant; nam cùm Arca vaccas, & plaustrum attulisset, plaustrum conciderunt, & suppositas vaccas holocaustum Numini consecrarunt: *Obtulerunt holocausta.* Holocaustum totum in Dei laudem offerebatur: ergo nil de vaccis, aut plaustro sibi reseruarunt, sed altaribus obtulerunt. *Decebat* (inquit Abulensis *quæst. 22.*) *vt offerrent holocausta pro Deo.* Crimen esset ex duabus vaccis aliam sibi asseruare, & aliam Numini offerre: ergo ne incurrerent piaculum, omne, quod à Deo acceperant, obtulerunt in sacrificium: suis nos factis erudientes, ex acceptis scilicet à Deo nihil fraudandum, sed ad eius honorem integrè referendum.

§. LXXIII.

Aliqui sæculo consecrant magna, Deo applicare solent exigua.

HOminum ambitio placere sæculo. Quidquid optimum, & eleganter venustum dicari solet ad posteritatem adaugendam, aut magnatum gratiam elucrandam. Deo consecratur, quod sordescere defectibus inuenitur. His querelis populum Dei referiebat Malachias: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei.* Malach. 1. *vers.* 8. Ac si dicat: Duci, ac Principi tuo non offeres reiectaneam pecudem, ne eius exasperes iram, & offers Deo, vt elucreris beneuolentiam. Notauit noster Sanctius: *Sibi retinebant illas* (oves) *quæ sanæ essent, & integræ, & quæ plus videbantur vtilitatis habituræ.* Sibi retinent homines quidquid vtilitati commodius, quidquid ob pulchritudinem plausibilius, Deo destinant debilia, & languida. Notauit Cyrillus apud nostrum Sanctium: *Quæ cum cæteris pasci amplius non possent, offerebant, etiam infirma dicabant, hoc est, iam moribunda, vniuersorum Deum dedecorantes potius, quàm honorantes.* Si ouem à lupo raptam, vulneratamque ex eius potestate eripuissent, quia cum cæteris pasci amplius nequibat, altaribus dedicabant. Hanc apud sæculum inolitam consuetudinem expressit Laban subdolus, & Iacob doluit expertus. Rachelem gratiarum manibus factam meruit, sed ei Lia data est: cumque factam sibi iniuriam quereretur, respondit Laban: *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias. Gen. 29. vers. 26.* Vera dixit, quia non fert mundus Iacob, hoc est, Deo dicare pulchellas, sed defectu aliquo obscuras. Licèt Rachel esset maior, & Lia minor, oculis dedisset lippientem, non oculos venustate captantem. Isidorus apud Gloss. *Propter Rachel, non propter Liam seruitur.* Iacob labores merebantur pulchram, sed Laban, qui interpretatur dealbatio, dedit oculis semicæcam. Nam apud sæculum de more est Deo offerre mutila, & reiectanea. Et ne à Iacob discedamus, cùm habuit ex pecoribus pulchriora, quodammodo interceserunt miracula: *Facta sunt ea, quæ erant Serotina, Laban, & quæ primi temporis, Iacob. Gen. 30. vers. 42.* Primi fœtus pulchriores, & robustiores sunt, extremi debiliores. Notauit Abulensis hic: *Id est, in principio veris ponebat virgas, quia illo tempore fœtus nascuntur fortiores, & pulchriores corpore. In secundo tempore, scilicet Serotino, quando fœtus erant minores, non ponebat virgas.* Pulchriores fœtus Iacob accepit, sed virgarum miraculo, aut artificio. Opus fuit naturam nobiliter degenerare, vt possent pinguiores fœtus ad Iacobum pertinere. *Quæritur, an istud miraculosè factum, vel naturaliter fuerit?* Verba sunt dati Abulensis: *Videtur, quod supernaturaliter.* Miraculum, aut instar miraculi fuit, pulchriores, crassioresque fœtus in Iacob potestatem deuenire, aliter namque difficulter quiret habere. Hinc laudandi sunt Bethsamitæ, qui cum ara Deo dicanda esset, non renuerunt lapidem grandem deligere: *Posuerunt super lapidem grandem.* Arcæ magna inseruierunt, & Bethsamitarum pietatem clararunt. *Hoc ponitur* (inquit Abulensis *quæst. 18.*) *Ad signandum vbi Arca locata fuerit: nam non decebat eam locare in solo humili cum cæteris rebus, sed posuerunt eam excelsiorem cæteris, scilicet super lapidem magnum.* Magnus lapis factus est thronus, vt aliquando magnitudo dicaretur religioni, non vanitati.

§. LXXIV.

Eucharistia secum affert, quo fortunatus resplendeas, & gratus etiam appareas.

HAnc vnam, Cæsar, habeo iniuriam tuam (aiebat Furnius apud Senecam *2. de beneficiis cap. 25.*) *effecisti, vt viuerem, & morerer ingratus.* Ea erant, quæ acceperat, beneficia, vt nequiret gratitudo satis compensare, & notam ingratitudinis, generosis animis grauem, effugere. Qui gratus est, si nequeat reddere, animitus dolet non posse nobilibus his vinculis expediri. Ergo cùm Eucharistia eximium Dei beneficium sit, ne ingrati viuerent, secum affert, quo possint homines nobiliter respondere. Eucharistia non solum est Sacramentum, sed sacrificium: ergo sacrificium redditur, ipsum, quod Sacramentum accipitur. Ob id Psaltes, cùm se plurimis, maximisque beneficiis fateretur obstrictum, sollicitè quæsiuit, & inuenit, quo exhiberet se gratum: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Psalm. 115. vers. 13.* Audisti solicitum, vide gratum: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Ad quæ Euthymius: *Cùm nihil inuenisset condignum, quod Deo redderet, ait: Calicem salutaris accipiam.* In Eucharistia Deus ipse accipitur: ergo non quiesceret grata solicitudo, ni Deus ipse redderetur: cumque Prophetali spiritu præuideret Psaltes in Eucharistia, quia Sacramentum est, Deum accipi, &, quia sacrificium reddi, lætatur, & gaudet, quia tot beneficiis onustus adinuenit, quo respondere quiuerit gratus. Hanc veritatem aliquomodo delineatam hoc in capite reperio, nam cùm manna cœleste Arca inclusum ad Bethsamitas peruueniret, secum attulit plaustrum, & vaccas, gratum Deo holocaustum, & sacrificium: *Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta,* non aliunde quæsita, sed cum ipso manna allata. Notauit noster Sanctius: *Eò illas existimabant actas, & ad illud opus ex numeroso grege sumptas esse diuinitus. Quare quod à Deo sumptum esse crediderant, id deberi Deo, & ad aram adduci posse arbitrabantur.* Itaque non minus Deo, quàm acceperant, reddiderunt, & idem, quod acceptum testabatur fauorem, religiosam simul ostendebat redditum gratitudinem. Vt hoc symbolo nobis prænuntiaret Sacra Scriptura, Eucharistiam secum adferre Sacramentum, eximium nobis fauorem, & sacrificium generosam gratitudinem.

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. XVI. & XVII. Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto Domino. Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon vnum, Geth vnum, Accaron vnum.

§. LXXV.

Miraculi adinstar est magnates Dei sequi vestigia imitarique exempla.

ANtiquis maiorum imaginibus nobilitati, & diuitiis circumfusi frequenter à recto virtutis tramite deuiant, nec rationi obsequuntur, sed cupiditatibus adulantur. Opportunè Seneca *de Vita beata cap.14. Qui voluptati tradidere principia, vtroque caruere; virtutem enim amittunt: cæterum non ipsi voluptatem sed ipsos voluptas habet, cuius aut inopia torquentur, aut copia strangulantur.* Adnectit: *Quæ quo plures, maioresque sunt, eo ille minor, ac plurium seruus est, quem felicem vulgus appellat.* Vulgus felicem existimat sanguine præclarum, diuitiis circumfusum, dignitatum luminibus exornatum, cùm sæpè sit intemperantiæ seruus, & à virtute remotus: vt voluptatum gratas sequatur fallacias, planas æquitatis deserit vias: contemnenda ardenter exambit, amplectenda animitus fugit & dum tranquillam conscientiæ libertatem negligit, morsus acerrimos sustinet. Adinstar miraculi est, si magnates Deum sequantur, & agnoscere veritatem conentur. Arcam Philisthinorum Principes sequuti sunt, vt veritatem agnoscerent, &, ad quem locum peruenirent, viderent: *Quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt.* Indagandæ veritatis cupidi Arcæ sunt sequuti vestigia, & religiosa spectarunt holocausta. Innuit noster Sanctius: *Sequebantur Philisthinorum Satrapæ, non regebant plaustrum, vt iuxtà Sacerdotum, Diuinorumque consilium explorarent, quò tandem appelleret.* Consonat Iosephus 6. *Antiquit. cap.1. Statuentes illic vehiculum gratum miraculum habitatoribus vici illius præbuerunt.* Vaccæ gressum figentes gratum præbuerunt miraculum, tum quia sine auriga Arcam asportarant, tum quia Satrapas sequentes adduxerant. Est enim insolitum, Satrapas, magnatesque Deum ductorem sequi, & ab eius vestigiis non deuiare. Videbat Daniel quatuor bestias de mari ascendentes, quarum prima transiuit in hominem ratione præditum, & humano corde exornatum: *Quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Dan.7. *vers.5.* Tunc hominis cor est datum, cùm aquilinæ alæ referuntur auulsæ: *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ. Aspiciebam, donec auulsæ sunt alæ eius.* Quæres, quid opus fuerit prius alas auelli, vt humanum cor indatur, & à terra bestia subleuetur? Quia in alis (inquit Tilmanus *in Allegor.*) designatur sublimitas, & prosperitas: ergo vt transiret in hominem, auulsa est prosperitas, & sublimitas. Nam alti, sublimesque à se videntur migrare, & rationem prorsus exuere. *Videtur mihi vna esse præcipitationis, altera præsumptionis. Ecce alæ duæ, & ambæ aquilinæ. Quis hoc de aquila nesciat, quod cæteris pene omnibus auibus celerius, vel celsius volare soleat?* Aquilinis instructa alis odiosa turgebat præsumptione, & cortuebat præcipiti celsitudine: ergo opus fuit alis denudari, vt humanum cor, & rationabile quiret sortiri. Quandoquidem felicitas, claritasque sic homines solitat dementare, vt rationis vias prorsus videantur deserere: ergo miraculum fuit, Satrapas fortunatos, dignitateque celsos Dei vestigia sequi, & veritatem inquirere.

§. LXXVI.

Sæpè à Deo distans felicitate floret, & firma salute viget.

OMnia caduca, & volatica non sunt magni æstimanda, nec anxiis votis quærenda. Vera felicitas virtus est. Quidquid à virtute non venit, nec solidum, nec firmum, & licet oculos splendore alliciat exterius vestitum, est calamitatis præsagium. Quam benè Seneca *de Prouidentia cap.5. Non sunt diuitiæ bonum. Itaque habeat illas & Ellius Leno: vt homines pecuniam, cùm in templis conscrauerint, videant, & in fornice. Nullo modo magis potest Deus concupita traducere, quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit. At iniquum est bonum virum debilitari, aut constringi, aut alligari, malos integris corporibus solutos, ac delicatos incedere. Quid porrò non est iniquum fortes viros arma sumere, & in castris pernoctare, & pro vallo obligatis stare vulneribus: interim in vrbe securos esse præcisos, & professos impudicitiam?* Vt in sæculi politia contingit inertes otio frui, & bellicosos, ac fortes viros laboribus premi, & certaminibus desudare: ita etiam accidit non sine prouidentia malos lasciuire, & circumfusos fortunæ muneribus splendere; virtutis verò asseclas calamitatibus premi, & molestiis ægritudinibus diuexari. Ecce Satrapæ Philisthinorum, deserta, quam sequebantur, Arca, ad sua redeuntes, dignitate, & salute perfruuntur: *Reuersi sunt in Accaron in die illa.* In Accaron iam non gementem, nec infirmitatibus laborantem; nam vt Arca ad suos remeauit, vt à Philisthinis discessit agri vberes fructus produxerunt, & pestilentes morbi prorsus cessarunt. Notauit noster Sanctius: *Est probabile cessasse tunc vtramque plagam.* Ab Arca distantes fructuum exundauere copia, & salute vsi sunt firma, cum eodem tempore Bethsamitæ Arcam iam reducem habentes, laborarint afflicti, & ingemuerint calamitatibus diuexati. Et quidem Philisthæi, dum à se Arcam depellunt, videbantur laboribus atterendi, & dum holocaustis Israëlitæ honorant, prospera fortuna vsuri: cur ergo hi ingemunt, illi lætantur? Vt noueris, quæ apud non bonos rerum æstimatores magni habita, adeò esse euanida, exigüaque, vt Deus iniquis etiam concedat, & florere eos permittat. Cùm videris iustos affligi, & è contra rationi, virtutique aduersos prospera fortuna frui, puta hos vernularum loco haberi, illos vti filios expoliri, corrigique. Hinc colliges parui æstimandam labilem, & caducam fortunam, & solùm magni habendam virtutem, & honestatem. Abel Deo placens occiditur; Cain longa vtitur vita, & in Edem degit deliciarum exundanti copia: *Habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Edem.* Gen.4. *vers.16.* A Deo profugus deliciis Cain fruitur, Abel Deo coniunctus vita spoliatur. *Edem* (inquit Interlinearis) *interpretatur expulsio.* Consonat Lira: *Per Edem intelligitur paradisus terrestris, in pœnam enim Cain factum est, vt expelleretur versus illam regionem delectabilem, & felicem.* Æterna mulctandus pœna, felici ad speciem fruitur vita: Abel immortali donandus gloria, morte est sublatus & immatura, & violenta. Qui Deo placuerat, occiditur, & quidem à fratre; qui viam aperuit morti, longa vita donatur, & deliciis fruitur. Hinc colliges, quam caducis inuitamur, & pro veris habentes falsa oblectemur. Non sunt, quæ vulgò placent miranda, sed, quia placent vulgò fugienda; argumentum pessimi turba est. Solida sunt, quæ à bona conscientia exoriuntur, gaudia, etsi exterius vexet fortuna.

§. LXXVII.

Qui aliena retinet, saluti suæ, & diuitiis inuidit.

Animalia quædam (inquit Seneca *epist.68.*) *ne inueniri possint, vestigia sua circa cubile ipsum confundunt.* Animalia, ne deprehendantur, confundunt vestigia, & tamen nescias quomodo deprehendat solertia, & sagax timetur occultata tenebris perspicacia. Scelera cautela munuuntur, tenebrarum caliginibus iudustriè occultantur, & tamen oculis venaticis deprehenduntur: verùm esto: effugiant notitiam, effugere nequeunt conscientiam. Quidquid auaritia subripuit, quidquid alienum iniustitia possedit, est diuitiarum tinea, & contra salutem flamma. *Præsenti auctoritate decernimus* (aiebat Cassiodorus *3. var.20.*) *vt si Præfectus vir magnificus Faustus, ea, quæ Castorius possidebat, vel titulis ingrauauit, vel priuata vsurpatione detinuit, mox ei prædium, cum alio eiusdem meriti vobis imminentibus à peruasore reddatur.* Proprium amisit, qui alienum prædium rapuerat, & confusus se vidit dispoliatum, qui alienis facultatibus adaugere cupiebat iniquum censum. Mulcta feritur, qui iniquis artibus diuitatur. Philisthæi retenta Hebræorum Arca ingemunt plagis afflicti, & terræ fructibus viduati. Arcam restituunt, & iam terra floret, & salus viget: *Reuersi sunt in Accaron in die illa.* Iam Accaron murium non patitur fœtidam, corrosivámque plagam, nec fructuum inopiam. Notauit noster Sanctius: *Est probabile cessasse tunc vtramque plagam, cùm restituta fuit Arca.* Iam mures fructus non corrodebant, iam vlcera non diuexabant, verùm dum cupiditas auara alienum retinuit, non potuit non premi morbis, & diuitiarum etiam dispendiis. Ipsa retenta Arca erat veluti murium illuvies ad fructus deterendos, & grassantissima pestis ad morbos grauissimos procreandos. Acham occultè possidet, quod de anathemate suffuratur: *Tulit aliquid de anathemate. Iosuë 7. vers.1.* Verùm strenui, vigilantésque inquisitores tenebris operta eruerunt, & iam capitalis in Acham sententia profertur, & substantia, quam possederat flammis auidissimis deuoratur: *Lapidauit eum omnis Israël, & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Egregium ex rapina demetit lucrum, ignominiosam scilicet mortem subire, & facultatibus dispoliari: quod suffuratus est aurum, conuersum est in incendium, & qua sibi promittebat lucere, purpura, honoris fuit tinea: vt reperire possit datus Cassiodorus: *Tali igitur confusione iam iniquæ mentis impetus conquiescat.* Vt iniquæ, ac rapacis cupiditatis impetus conquiescat expendat non semel furem alienis domibus insidiantem, aut violentam mortem oppetere, aut supplicium ignominiosum subire. Si quid auaritia rapuit, retentum est tranquillitatis, venenum, & diuitiarum excidium.

§. LXXVIII.

Facilè prauis exemplis corrumpimur, difficulter optimis reformamur.

Alieni facti iure inuidiam sustinet, qui peccatis præstat exemplum, aiebat Cassiodorus 10 *variarum* 13. Qui peccando dedit exemplum, iam efficacissimum aliis iniecit stimulum. Corrumpunt facillimè bonos mores iniqua aliorum exempla, non adeò facilè ad virtutes alliciunt proba. Nescio, qua execranda efficacia scelera vigeant ad imitatores alliciendos, & mores optimos deprauandos. Honestis exemplis non ineſt adeò fortunata energia, quia sæpè aut obluctatur natura, aut obnititur contumacia. Moabitæ sacrificia inanibus diis faciunt, & iam Hebræi exemplis pessimis prouocati à vera religione deciscunt, & ad impietatem transeunt: *Comederunt, & adorauerunt deos earum. Num. 25. vers.2.* Vides quàm efficacia fuerint improborum exempla, transi modo ad Philisthinorum Satrapas, qui secuti Arcam, & veritatem agnouerunt, & miracula, ac religiosa etiam Israëlitarum sacrificia spectarunt, quin antiquos errores abiurarint, aut ad Israëlitarum religionem transierint: *Quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa.* Iam oritur quæstio, cur scilicet Moabitarum sacrificia Israëlitas traxerint, & Israëlitarum holocausta Satrapas non allexerint? Si vtrobique prouocabat exemplum, cur alterum infeliciter fortunatum, & alterum fructu nudum? Quia Moabita exemplis alliciebat ad prauitatem, Hebræus holocaustis ad virtutem, facilióque corrumpunt mala, quàm exempla persuaserint bona. *Postquam viderunt Satrapæ Philisthinorum* (inquit Abulensis *quæst.22.*) *ea, quæ faciebant Hebræi, recipientes Arcam cognouerunt verè, quòd Deus Israël deduxisset Arcam, quia aliter non potuissent sic accidere ea, quæ facta sunt, & tunc certificati redierunt in terram suam.* Expende illud, *Tunc*, scilicet agnita veritate, cognita Dei virtute, inspectis holocaustis, & prouocantibus ad imitationem exemplis, quasi eloquentior, ac felicior fuerit detestandi exempli ad persuadendum lingua, & non adeò fortunata optimi exempli rhetorica. Adeò corrupti sunt mores, adeò contemptæ virtutes.

§. LXXIX.

Superior per se ipsum veritatem inquirat, aliter namque aut corrumpitur, aut coloratur, aut tegitur.

Veritas quamplures sortitur æmulos, quia mendacium grandius affert ad speciem lucrum, aut commodum: non semper latet altis inuolucris tecta, se aliquando objicit aspectui satis conspicua; ignorantia tamen affectatur, conscientia corrumpitur, aut de industria obtegitur. Ad magnatum, Principúmque aures rarò peruenit veritas integra, & pura, sed artificiosè diminuta, & fucata. *Monstrabo tibi* (aiebat Seneca *lib.6. de Beneficiis cap.30.*) *cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit? Scilicet ille, qui verum dicat.* Veritas magnatibus, aut occultur obscuris ænigmatibus, aut artificiosis fucatur coloribus, quia referentis lingua obolo impeditur, aut affectione aliqua deprauatur. Laborabant Philisthæi repetitis plagis, & quamvis se veritas oculis ingereret, Arcæque virtutem publicaret, malè in Arcam animati, in Dagonémque pertinaciter benè affecti, variis, ac fucatis argumentis se ipsos fallebant, & remittere Arcam tardabant. Tandem ad veritatem explorandam plaustro imponendam decreuerunt, ea conditione, vt si vaccæ recto itinere ad Bethsames duxerint; nec virtutem eius denegent, aut si aliter accidat non crediderint. Res executioni mandatur, & Satrapa plaustrum sequitur, qui, vt vidit ad suos Arcam contendere, regressus est: *Quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa.* Inquires, cur Satrapæ, ciuitatúmque dynastæ explorationis maluerint laborem subire, quando aliis indagationem poterant demandare? Sequantur inferiotis notæ homines Arcam, & itineris laborem subeant, ab eisque Satrapæ excusata defatigatione, quæ acciderint, audiant, & accipiant. O vtile documentum! Si inferioribus ministris hoc munus esset delegatum, fors suspicarentur Philisthæi ab Hebræis auro corruptos, aut saltè pro veritate indaganda minus curiosos: ergo cùm res adeò esset grauis, maluerunt Satrapæ per se ipsos veritatem inuestigare, quàm aliis committere. Opportunè Abulensis *q.22. Satrapæ eorum volebãt certificari de euentu Arcæ, vt pateret, an ab ipsa percussi fuissent,*

fuissent, vel naturaliter; & quia non poterant plenè per aliquem certificari, sicut per se ipsos, inerunt ipsi. Veriti sunt, ne ad ipsos perueniret vèritas aut corrupta, aut fucata, aut imminuta, vt qui benè nouerant inferiorum ministrorum ingenium, si vtilitas, aut affectio aliqua consuluerit, aut mendacia confingere, aut variis coloribus tegere. In rationali Pontificis veritas, & doctrina resplendebant amico fœdere vnitæ, & stricto vinculo colligatæ: *Desuper humerale imposuit, quod adstringens cingulo aptauit rationali, in quo erat Doctrina, & veritas. Leuitic.8.vers.* 8. Pontifex non per alios sectabatur veritatem, ne peruenirent ad eius aures conſuprata, & artificiosè compta, ni ipse à rationali peteret, fors non audiret. *Sunt* (aiebat Philo *lib.* Quis rerum) *adulatores, præstigiatores, inuentores Sophismatum persuasibilium, impostores fallaciarum peritissimi, de mendacio vitando haud soliciti, & insuper affectatores obscuritatis: est autem obscuritas caligo profunda in sermone, res commodissima furibus. Quapropter Moyses Summum Pontificem claritate ornat, & veritate.* Fruatur Princeps veritate domi veluti nata, non per aliorum linguas adducta: sunt namque plures interpolatores, & obscuritatis, qua furentur veritatem, artifices.

§. LXXX.

Nonnulli Deum decreuerunt sequi, sed & terminum sibi non transiliendum præfigere.

VIrtus ex se pulcherrima intuentium animos allicit, sed arduitas, & labor impedit. Optimum desiderium à Deo descendit, sed aduersatrix natura conatur extinguere, aut saltem debilitare. Isis pro dea ab antiquis habebatur, vt quæ Sapientiam, & doctrinam inspiraret, ei tamen opponebatur Typhon hostis callidus, & acerrimus, qui variis artibus adnitebatur doctrinam veritatémque tumulare, aut saltem ambagibus impedire. *Prudentiam denotat Isis*, (scribit Plutarchus *lib. de Iside*) *& est ei dea Typhon ob ignorantiam, & errorem delirus, dissipánsque, & opprimens sacram doctrinam, quam hæc dea contrahit, concinnátque, ac tradit religione iniitatis.* Virtutis sectatoribus adest Isis prudentiam inspirans, sed adest etiam Typho contra prudentiam decertans: ergo non semel, vt hanc componant contradictionem, decreverunt plures in virtute mediocritatem, quo virtus Isidi pareat, & mediocritas aliquomodo Typhoni deserviat. In virtute mediocritas periculo invenitur exposita, sed ab hominibus frequenter amata. Philisthinorum Satrapæ Dei Arcam decreuerunt sequi, sed vsque ad terminos Bethsames: *Sequebantur vsque ad terminos Bethsames.* Arcam sunt sequuti, sed præfixos terminos non transgressi: *Quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt.* Historiæ penicillo, & Satraparum factis, quod moribus accidere solitat, Textus adumbrat. Sunt, qui Deum volunt sequi, & veritatem venari at sibi præfiunt terminum, nec vlterius promouent gradum. Poterant Satrapæ regionis lucis terminos transilire; & Solis domui propius accedere; substiterunt tamen. Notauit Abulensis *quæstione* 22. *Venerunt de vrbe Accaron vsque ad terminos Bethsames, & ibi stantes viderunt, quæ faciebant Israëlitæ recepta Arca.* Ibi fixerunt gradum, quantumvis illos religiosum prouocarit exemplum. Loth Abraham comitatur, quousque ventum est Bethel: *Ascendit Abraham de Ægypto, ipse, & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Loth cum eo ad australem plagam. Gen.*13.*v.*1. Ad plagam australem decreuerunt peruenire; verùm iam Loth vlterius non progreditur, sed regionem sibi eligit iuxta Iordanem: *Elegit sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab oriente: diuisique sunt alterutrum à fratre suo.* Loth patriam contemnit, propria derelinquit, Abrahamum ad australem vsque plagam comitatur, & ad Bethel tendentem sequitur; non vult tamen ab irrigua, deliciosáque regione distare, sed virtutem, & commoditatem coniungere. Innuit Philo *lib.* de Migratione: *Decebat vt sicut cœperat, pergeret, ignorantiam dedisceret, nec cursum ad eam denuo deflecteret; verum non ideò comes sit, vt melioris imitatione proficiat.* Vult Abrahamum vsque ad Bethel comitari, non vlterius prosequi, & gradum ad altiora, perfectioráque promouere: iustitiam vult colere, sed eo in gradu, vt possit læta regione frui, & virtute etiam ornari. Quod quàm sit discriminibus expositum, Textus explicuit, dum Abrahamum triumphatorem. Lothum verò captivum retulit: *Tulerunt omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuersa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt, necnon & Loth.* Cùm reliquis abducitur, & captivus premitur, nam licet coleret eà in regione virtutem, non effugit captiuitatem; viuebat virtute ornatus, sed captiuitati subiectus: ast Abrahamus, qui non stitit gressum, plausibilem de hostibus accepit triumphum. Redeat datus Philo: *Id argumento hoc colligitur, quod alter in morbum pristinum recidens captivus abducitur ab hostibus animæ.* Anima, si nouis virtutum incrementis non munitur, ab hostibus faciliùs capitur: ergo, vt nobis Textus hanc doctrinam traderet, Lothum expressit captivum, Abrahamum florulentis lauris ornatum. Et fortè ipse Lothus hanc veritatem agnouit. Monebant Angeli, vt montem conscenderet: *Nec stes in omni circa regione sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas. Gen.*19. *vers.* 17. Loth sibi præfigit terminum, & declinare cupit periculum: *Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parva, & saluabor in ea.* Annuerunt Angeli, Loth ingressus est ciuitatem; verùm non multo post sententiam demutat, & ad montem celeri volatu properat: *Ascendit Loth de Segor, & mansit in monte.* Inquires, cur qui Sodomam fugiens, Segor delegerat modo relicta Segor, iterum iter arripiat? Respondeo agnouisse, quam sit periculosum virtutis discipulo terminum sibi præfigere, nec vlterius progredi. Accepta etiam ab Angelis incolumitatis tessera agnouit oportere fugientem pericula, gradum non sistere, sed semper celeri volatu contendere. *Quaritur* (inquit Hieronymus apud Glossam) *cur primum montis fugæ Segor pratulerit, & eam, in qua habitaret, lib. rari voluerit; rursus de Segor ad montem transierit?* Iam respondet: *Timuit Loth.* De securitate sibi à Deo concessa non dubitauit; nos tamen factis edocuit, scilicet oportere gradum non figere, sed ad tutiora semper contendere.

§. LXXXI.

Qui veritatem desiderat inuenire, Deum non detrectauerit sequi.

VT oculi splendida luce illustrati clarè vident, vt offusis tenebris cæcutiunt, nec de rebus iustam sententiam ferunt; sic mens, dum veræ luci, Deo scilicet, appropinquat, pulsis tenebris agnoscit veritatem quæ si à Deo distet, pro veritate amplectetur errorem. Cæcus Christo Domino sanandus offertur; Christus apprehensa eius manu foras educit: *Apprehensa manu cæci eduxit eum extra vicum. Marc.*8. *vers.* 23. Cùm statim posset lucem refundere, arcanum hoc in itinere videtur latere. *Vt ante* (inquit Chrysologus *serm.* 176.) *præberet humani ducatus obsequium, quam diuinæ virtutis operaretur insigne.* Cæcus infusa luce, quàm omnia humana essent instabilia, cognouit: *Restitutus est ita, vt clarè videret omnia.* Vt veritatem agnoscat, vt ad veram rerum agnitionem perueniat, ducem se præbuit, & iam cæcus Deum sequutus vidit, & abactis tenebris veritatem agnouit. *Post curam Christi* (addit Chrysologus) *viderat, quòd homines vt ut arbores transirent, in hoc sæculo, non manerent.* Dum Christum non sequebatur cæcus, errabat; secutus Dominum,

evasit

evasit fallaciarum periculum: ergo, vt cæcitatis huius non esse simplicem, sed mysticam curam Christus ostendat, cæcum duxit; & luce recepta nil hoc in sæculo permanens vidit. Quàm aliter anteà de humanis rebus censebat, quam aliter Deum secutus iudicabat! Anteà cæcitas non vitabat scandala, modo lux dirigebat vestigia, & nouis oculis exornatus omnia caduca parui æstimanda est confessus. Hanc eamdem doctrinam Philisthinorum Satrapæ sui nos factis edocuerunt. Ardenter exoptabant dignoscere, an quam sustinebant, calamitas à cœlesti indignatione prouenisset, an ab aliis causis promanasset? Ergo Arcam ad suos remeantem sequuntur, & sequuti quam veritatem suspirabant, venantur: *Viderunt, & reuersi sunt in Accaron.* Quid viderunt? Plagam à Deo inflictam, non à causis aliis prognatam. Notauit Abulensis *quæst.* 22. *Certificati redierunt in terram suam, scientes, quòd Deus Israël percusserat eos propter Arcam.* Dum Arcam non sequebantur, variis dubiis laborabant afflicti, & cæcis ambiguitatibus divexati: ergo vt ad veritatis peruenerint agnitionem, hanc inuenerunt vtilissimam artem. Quam errant plures, quàm à veritate alienam de rebus sententiam ferunt obscuris affectionum tenebris cæci, quàm aliter sentiunt luce cœlesti illustrati, & virtutem firmo vestigio sequuti!

§. LXXXII.

Nonnulli, si aliquod appareat periculum, à virtutis itinere reuocant gressum.

PLacet virtus dum florenti associata fortuna, dum felicitate stipata; verùm si aliquod immineat detrimentum, aut minetur temporale periculum, facilè deseritur, & ad vitiorum castra transitur. Quoquo aspectu, aut habitu appareat virtus, sequenda est; verùm infirmus animus pro ventorum diuersitate flectitur, & arundinis adinstar curvatur. *Nec opulentæ fortunæ eleueris æstu, nec tuam flectat cura libertatem* (aiebat Stobæus *de virtute cap.* 1.) *Tota enim mobilibus vita oppugnatur ventis, huc atque illuc subindè in diuersas agitata partes. Cæterùm virtus res est stabilis, & immutabilis, qua sola fretus procellas audaciter penetres huius vitæ.* Virtutis gubernaculo huius vitæ confusæ superantur procellæ: sunt tamen plures, qui malint procellosis tempestatibus cedere, quàm viriliter decertando portum triumphâtes intrare. Sequebantur Satrapæ Dei Arcam versus solis domum tendentem; verùm statim ac Bethsames terminos attigit, vlterius non sunt progressi, sed in Accaron reducti. *Viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa.* Et cur, quam fuerant sequuti, non prosequantur, quousque vaccæ gradum stiterint, Arcam comitati? Quia vsque ad hostium limites Satrapis imminere non videbantur periculum; si vlterius procederent, iam aliquod ad speciem imminebat incommodum, & in hostili regione eor æstuaret semper solicitum: ergo maluerunt Arcam deserere, quàm incommodis, ac solicitudinibus laborare. Adest noster Sanctius: *Nec vltra progressi, quia tutum in hostium suorum fines, aut conspectum venire non putabant.* Dum eos nullum salutis amittendæ, aut incommoditatis subeundæ adurgebat timor, Arcæ insiterunt vestigiis; ast vbi aliquod temporale detrimentum pulsauit animum, verterunt in contrariam partem vestigium: *Neque vltra progressi sunt.* Si aliqua ciuitarum iactura possit virtute deserta redimi; si aliquod magnatum supercilium quiverit cuitari, plures terga vertunt, & ad vtilitatis castra confugiunt. *Quomodo hic patest Deo parere* (aiebat Seneca *de vita beata cap.* 15.) *& quidquid evenit, bono animo excipere, nec de fato queri casuum suorum benignus interpres, si ad voluptatum, dolorumque punctiunculas concutitur.* Qui ad doloris punctiunculas concutitur, qui ad vtilitatis spes fallaces conuertitur, non erit bonus tutor virtutis, aut incorruptus vindex honestatis. Difficilem clivum gradu non vincet nec, vt ad summum ascendere festinabit, immò deterius virtutis ius faciet, ne dolori obnoxius, aut aliqua vtilitate priuatus. Esau de venatione veniens defatigatus, & famelicus, edulium à fratre conditum desiderauit; Iacob ea conditione promisit, vt primogenita venderet: *Vende mihi primogenita tua.* Quid tunc? *Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita. Gen.* 25. *vers.* 31. Eo res deuenit, vt aut famis sustinenda esset molestia, aut inferenda virtuti iniuria: ergo maluit virtutis iniuria solari famem, quam adurgenti fame sectari virtutem: dum famis non premebat, dum non adurgebat sitis, primogenita æstimabat; verùm parvipendit fame diuexatus, & ardenti siti adustus: Adest Hugo Cardinalis ad hunc locum: *In hoc contractu significatur, quòd reprobi propter lenticulam, id est, temporalia vendunt æternam hæreditatem. Threnor.* 1. *Omnis populus gemens, & quærens panem, dederunt quæque pretiosa pro cibo ad refocillandam animam suam.* Ne famis sustinerent punctiunculas, pretiosa abiecerunt, & virtutem desertarunt.

§. LXXXIII.

Si Princeps, magistratúsque sacrorum imagines publicè elatas deuotè comitentur, Deum exhibito honore placant, & publicam calamitatem propulsant.

HOnor sanctis exhibitus semper inuenitur Reipublicæ fructuosus, nesciunt obliuioni tradere obsequia, & gestiunt rependere beneficia. Dum Elisæus ad superos contendentem faustis, iteratisque acclamationibus Eliam celebrat, ornatum accipit, & spiritum; verùm etsi semper lucrosus sit exhibitus Sanctis plausus plus obtinet, si à magistratibus & Principibus publica veneratione, & deuota humilitate fuerit impensus. Dum Arca festiua pompa ducitur, Dauid saltat, populus gaudet, & clangor buccinæ aduersarios ferit: *Dauid, & omnis domus Israël ducebant Arcam testamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ. 2. Reg.* 6. *vers.* 15. Quale fuerit cultus præmium, Textus non tacuit, dum immediatè sic retulit: *Factum est autem cum sedisset Rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem undique ab vniuersis inimicis suis dixit, &c. 2. Reg.* 7. *vers.* 1. Requiem lucratus est saltus, & inimicos confregit religiosus, & publicus cultus. Dauid populo benedicens in nomine Domini hanc postulasse requiem, & abactis hostibus populo hilaritatem, tradunt Interpretes: ergo facillimè obtinuit, quod obsequiis publicis, & deuotis promeruit. Ita noster Sanctius: *Benedixit populo in nomine Domini exercituum, benedicere hoc loco, benè precari est, quasi optet, orétque Dauid Deum, vt populi pietatem aliquo cœlesti dono, atque humanarum rerum abundantia compenset.* Pium vorum requiem assequutum est, & dum buccina ad Arcæ cultum resonat, vires inimicorum debilitat. Huius veritatis noster Textus aliud subministrat exemplum. Desiderabant ardenter Philisthæi, quam patiebantur, calamitatem depellere: ergo Dei Arcam digno impositam plaustro dynastæ sequuntur, & comitantur. Arca ad suos reduce, Satrapæ domos repetunt non vanis spebus; nam eadem die existimant Interpretes plagam cessasse: *Reuersi sunt in Accaron in die illa.* Eadem die Accaron plaga liberatur, salutéque fruitur. Ita noster Sanctius: *Est probabile cessasse tunc vtramque plagam.* Qua die magistratus, dynastæque deuotè sequuntur Arcam, iam salus viget, & campus floret. Audi Abulensem *quæst.* 22. *Non poterant Philisthini maiorem honorem*

impendere Arcæ, quàm vt quinque Principes eorum, qui Reges erant, sequerentur Arcam. Ipsi autem volebant dare honorem Deo Israël. Adnectit: *Et precabantur humiliter pro sanitate.* Preces assequutæ sunt effectum, & abegit publicus cultus generale contagium, ac miserandum lamentum.

§. LXXXIV.

Si Princeps Deum sequitur, multis Respublica calamitatibus liberatur.

PRincipum, dynastarúmque mores salus, aut pernicies Reipublicæ. Si Sanctus, & Deo similis, virtus viget, quia subiecti sequuntur exemplum virtutis odore allecti, aut honesta adulatione suasi. Si Princeps vitiis tinctus, & populus sceleribus sordet infectus. *Quid aliud est* (aiebat Seneca *de Vita beata cap. 10.*) *vitia incendere, quàm auctores illis inscribere deos, & dare morbo exemplo diuinitatis excusatam licentiam.* Sine rubore lasciuiebant, qui Iouem voluptate concubitus delinitum, & noctes duplicantem adorabant. Ioseph castimoniæ decus recusarunt fratres Principem; nec enim crimine pessimo quibant liberè infici, & superiorem omnibus expolitu virtutibus spectare. Iam non solùm vulgi mores plurimum à Principe pendere, sed salutem, aut calamitatem Reipublicæ promanare noster Textus edocet. Laborabant Philisthæi generali clade, Diuinorum consilio Arcam digno plaustro impositam ad suos remittunt, Satrapæque eius vestigia sequi decreuerunt, & iam calamitates cessarunt: *Reuersi sunt in Accaron in die illa.* Historiæ penicillo edocuit Sacer Textus, quantum interfit Principes Deum sequi, vt queat populus à calamitatibus expediri. *Est probabile* (verba sunt nostri Sanctij) *cessasse tunc vtramque plagam.* Plaga cessat, si Princeps, qua Arca duxerit, gradiatur via. Fors viuidiùs inardesceret lues, grassaretúrque pestis, si Satrapæ iter contrarium tenerent, aut ab illo exorbitarent. Deus flammanti rubo Moysi conspicuus objicitur, afflictum duris laboribus educturus populum delegatur: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israël de Ægypto. Exo. 3. v. 10.* Opportunius videbatur dicere: Vade, quam *Veni.* Si dolor vrget, si calamitas dira premit, satiùs erit versus Ægyptum accelerare gressum, quàm rubum versus volatum: ergo non iubeat accedere, sed volare. Immò, vt calamitas cesset, in Principem delectũ vult Domino propinquare, nam quo studiosius propinquauerit Numini, eo faciliùs subueniet calamitati. Adest Abulensis *q. 6. Moyses erat distans ab Angelo, qui loquebatur in rubo de medio ignis.* Subiungit. *Et quia Deus volebat confortare Moysen, quem ad tam ardua negotia missurus erat, dando de se bonam spem, & demonstrando aliqualem familiaritatem, vt sic libentius exequeretur. Familiaritas autem demonstratur faciendo eum venire apud se.* Vt communis calamitas abigatur, vt temperetur anxietas, sit inter Deum, & populi Principem familiaritas: nam Princeps Dei præceptis obtemperans, & heroïcis virtutibus micans Reipublicæ est stabilimentum, vt qui insanis blanditur cupiditatibus, est tranquillitatis naufragium: ergo vt Philisthinorum cessarint lamenta, Arcæ Principes sequantur vestigia.

§. LXXXV.

Conditionis, ac status sui transgressi terminum, sibi solicitauere periculum.

QVi se secum metitur, plurimis anxietatibus liberatur, qui vltra vires, statúmque audet, vt euanido splendori studeat, & sumptuosiori ornatu floreat, adsciscit pericula, immò aliquando parit non modica detrimenta. *Nec clerus vester* (aiebat Atalaricus 8. *var. 24.*) *forensibus litibus profanatus negotiis potiùs secularibus occupetur.* Si præscripti statui termini violentur, si adsignatæ metæ transiliantur, iam ambitus dehonestat, & admissum crimen maculat. *Hæc erit ambitio* (verba sunt Tertulliani *de habitu muliebri cap. 9.*) *vnde & nomen eius interpretandum, quòd concupiscentia apud animum ambiente nascatur ad gloriæ votum, quod diximus, non natura, nec veritas, sed vitiosa animi passio concupiscentia commendauit, & alia vitia ambitionis, & gloriæ: sic & pretia rebus inflammauit, vt se quoque accenderet.* Subnectit Tertullianus: *Breuissimis loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies sextertium inseritur. Saltus, & insulas tenera coruix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum vsurarum substantiam vno, & muliebri corpusculo baiulare.* Si facultatum vires ambitionis ardor non attendat, iam filius depauperatur, & æquitas violata queritur. Status conditionem excedere nihil aliud est, quàm in se calamitatem armare. *Penna struthionis* (inquit Iob) *similis est pennis herodij, & accipitris. Iob. 39. vers. 13.* Adnectit: *Dimittit ad filios suos, quasi non sint sui.* Causam huius obliuionis, ac duritiei audi: *In altum alas erigit, deridet equum, & ascensorem eius.* Versicoloribus, sed raris ornatur pennis, & cùm nequeat volare, adnititur accipitrem, & herodium volatu vincere, & parentis ambitiosa superbia prolem ingemiscere cogit, & despecta, conculcandáque pedibus, soluit, quia parens volatus naturæ leges transgressus stultè ambiuit. Notauit Gregorius *lib. 31. Moral. cap. 5. Quis herodium, & accipitrem nesciat aues reliquas quanta volatus sui velocitate transcendant? Struthio vero pennæ eorum similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippè eleuari non valet, & alas quasi ad volatum specie tenus erigit.* Struthio naturæ lege nequit sublimis erigi, & tamen ambitione inardescens herodij, & accipitris adnititur volatui assimilari: ergo oua derelinquit, & ad votum non peruenit. Si struthio naturæ terminos præfixos non adniteretur dissumpere, quiret oua calefacere; verùm dum inflatur ambitiosis, deridetur stultus. Melius, prudentiúsque se gesserunt Philisthini. Vbi Bethsames attigerunt terminos, ad sua regressi sunt: *Viderunt, & reuersi sunt.* Si quæras, cur vltra non fuerint progressi? respondebit noster Sanctius, noluisse limites sibi præscriptos excedere, ne, si transgressi, discriminibus inueniantur expositi: *Tutum in hostium suorum fines, aut conspectum venire non putabant.* Tutum illis non esset ditionis suæ statos terminos rumpere, & pericula sibi adsciscere: ergo se intra limites continuerunt, & sic pericula declinarunt. O si plures Satrapas imitati intra suæ condirionis, statúsque se terminos continerent, minus profectò ingemiscerent, nec tot sibi pericula procrearent.

§. LXXXVI.

Munera quodammodo delictorum videntur baptismata.

BAptismus peccata abradit, & quidquid sordidum fuerat, purissimis lymphis abstergit. Qui ante baptismum mortis reus, & flammis deuouebatur obnoxius, iam vitæ hæres, si rite baptismate sacro ablutus. Hanc cœlestem vndæ qualitatem apud sæculum imitari videntur munera; reum absolvunt, suppliciis obnoxium redimunt, & qui ob perpetrata scelera dignus morte, post pretiosa munera iam dignus laude. *Hæc ipsa res* (aiebat Seneca *epist. 115.*) *tot magistratus, tot iudices detinet, quæ magistratus, & iudices facit pecunia quæ ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit: mercatores és; & venales in vicè facti, quærimus non quale sit quid sed quanti. Ad mercedem pij sumus, ad mercedem impij.* Vt quis pius, impius ve habeatur, merces attenditur, non

non virtus examinatur:qui ingentem mercedem soluit, omne iam delictum abrasit, & penitus sepelitit. Philisthæi de sæculi more,vt admissum delictum inaurarent, suppliciúmque eluderent, efferri dona decernunt: *Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto Domino.*Iam existimabant delictum redditum,quia oblatum pretiosum aurum. Expressius supra errorem suum explicuerunt: *Quod debetis,reddite ei pro peccato, & tunc curabimini.* Textus Hebræus ita habet: *Reddite illi asam,* id est, peccatum.Si exhiberent aurum, iam à se ablatum existimauere delictum, & quod solùm auferre poterat digna pœnitentia, aut baptismatis aqua, auro existimabant expungere,& sanitatem mereri. Notauit Caietanus: *Asam significat, quod offertur pro delicto, & de hoc est sermo in proposito.* Adnectit: *Duo promittunt, videlicet sanitatem corporis, & notitiam diuinæ animaduersionis.* Itaque, vt delicta redimerent, confugerunt ad munera, rati, quantumvis culpæ perseueraret macula, auro posse redimi pœna: & licèt hoc Satraparum fuerit delirium, vtilissimum tamen est documentum: nam cùm peccatum oblato auro redditum,translatúmque crediderunt, auro apud sæculum deleri peccata monstrarunt.

TEXTVS.

Vers. XVIII. Et mures aureos secundum numerum vrbium Philisthiim quinque Prouinciarum,ab vrbe murata vsque ad villam, quæ erat absque muro, & vsque ad Abel magnum, super quem posuerunt Arcam Domini, quæ erat vsque in illum diem in agro Iosuë Bethsamitis.

§. LXXXVII.

Communes sumptus ab omnibus debent impendi, non tamen pauperiores grauari.

AB omnibus debet impendi, quod pro omnium salute videtur imponi: seruire omnes conuenit vtilitatibus publicis, & occurrere prouidè imminenti bus decrementis;verùm cùm ad propulsandum periculum, vel ad stabiliendum Reipublicæ commodum generalia exiguntur donatiua,aut tributa,diligenti solertia curandum est,ne pauperculus deprimatur,& diues ipsa potentia releuetur. Soluat quisque provt potest, nec sit magnatum releuatio inualidorum oppressio. *Intra Siciliam Prouinciam* (aiebat de Principe Cassiodorus 9. var.10.) *sub consueta prudentiæ suæ moderatione censum statuit flagitari, vt nobis cresceret deuotio, quibus se facultas extenderat.* Pro facultatum extensione censum voluit flagitari, quo & diues appareret deuotus, & pauper non gemeret ingrauatus. Præmiserat *epist. 9. Fecerimus tales homines destinare, per quos possimus euidenter agnoscere, quemadmodum in futurum census doceatur impositus. Vt si grauatos vos esse cognoscimus, pro parte vobis, quia visum fuerit, considerata æquitate, releuemus.* Æquitas debet releuare, si quid contra æquitatem videatur imponi.Decreuerant Satrapæ aureos mures offerri ad communem calamitatem depellendam: ergo ad commune beneficium, & communis fuit auri ad effingendos mures corrogatio: *Ab vrbe murata vsque ad villam, quæ erat absque muro.* Vbi noster Textus habet: *Secundùm numerum vrbium*, in Hebræo legitur *Misfar*, quod ratio sonat: ac si dicant: Sub æquitate aurum debet colligi, ne pauperiores tantùm, & quòd iniquis, plus ac si diuites soluant; hoc namque esset maiorem Reipublicæ partem premere, non leuare. Notauit noster Sanctius: *Vocem Hebraicam Misfar, quam vulgatus numerum reddidit, ipsi,* (id est, Hebræi) Hispani *transtulerunt, Quenta, id est, rationem.* Addit: *Fortasse, quia quælibet ciuitas pro ciuium facultate, ac numero assignatam sibi partem conferebat.* Exactè procuratum est, ne diuites potentiæ priuilegio minus corrogarent exempti,& plus iusto pauperes prægrauati:ergo calamitas pulsa est,dum nec diuites leuantur, nec pauperes deprimuntur.

§. LXXXVIII.

Non semel lapides Sanctorum reliquiis nobilitati magnitudinem miraculosè conseruant, quantumvis aliquid concurrentes deuotè radant.

PIetas, vt deuotioni blandiatur, deuotio, vt pietati aduletur, aliquid à lapidibus Sanctorum reliquiis nobilitatis adnititur radere, & laudabili furto auferre, cúmque aliquando frequentissimus sit concursus, putares lignum, aut lapidem minuendum, & continuis excauationibus minorandum,& tamen quasi vitali humore nutritus,inuenitur semper illæsus. Eiusmodi miraculum videtur Textus prodere de illo magno lapide à Patriarcha Abrahamo religiosis victimis consecrato, & qui Arcæ reduci fuit pro throno: *Erat vsque in illum diem in agro Iosuë Bethsamitis*, à lapide illo frequentissima concurrentium pietas quid auferebat, & tamen lapis magnus, integérque perdurabat: *Erat vsque in illum diem in agro Iosuë.* Magnus perseuerabat, etsi temporum pateretur adsultus, & piè furaces sustineret continuò manus. Opportunè noster Sanctius: *Non est vulgaris ratio, cur dicatur lapis ille ad illum vsque diem perseuerasse, cùm ex eo viri pij propter tanti Patriarchæ memoriam aliquam partem ad suarum ædium ædificationem excidere potuerint, immò & fortasse debuerint.* Vt reliquiæ sunt firma ædificiorum fundamenta, & contra fulmina,& tempestatum iacula auxilia,quamplures ab illo lapide aliquid auferebant, quo domos suas suffulcirent, & irruentium pericula tempestatum auerterent: perseuerabat tamen lapis diminutionem non sentiens, & manus laudabiliter rapaces frequenter patiens.Extant in Hispania aliqua Sanctorum sepulchra à quibus deuota pietas quid semper abradit, & tamen lapis diminutionem non sentit: vt etiam de Christi Domini cruce Sancti prodiderunt,eius namque sanguine irrigata nouis videbatur incrementis augescere, etsi deuotio quid semper adniteretur præcidere.

TEXTVS.

Vers. XIX. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quòd vidissent Arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus,eo quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.

§. LXXXIX.

Plures, quia oculos non nouerunt frænare, fuerunt compulsi lugere.

CVriositas, dum pascit oculos afferre solet, & occasionem ploratus.Plures,si modestiæ fræno prudenter voluissent arcere, non cogerentur oculos copiosis lachrymis defœdare. *Adeò est*(aiebat Plutarch.*lib.de Curiosit.*) *cum dulcedine quadam amara, & indomita curiositatis titillatio, & instar vlceris, quando pungitur, semetipsa cruentat.* Mortem adsciuit plurimis aliena facta

rimati,& curiositatis gaudium tristissimum peperit luctum: alij, dum oculos aliena venustate pascunt,insanis appetitionibus inardescunt, & se tricis insolubilibus implicuerunt, quia imprudenter curiosos oculos oblectarunt. *Vbi curiositatem aluisti licitis* (addit Plutarchus) *validamque, ac violentam effeceris, raptam deinceps ex assuetudine ad illicita haud facilè reprimere queas.* Curiosus, dum nequit curiositatem reprimere,multis se nouerit difficultatibus implicare. Eua, dum prohibitæ arboris pulchritudine oblectat oculum, contra præceptum extendit manum, & raptum pomum copiosum attulit mortalibus luctum: *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile,& tulit de fructu illius, & comedit.*Gen.3. *vers.*9. O si terra caligo oculos tunc arceret, quantis nos malis eximeret! dum vagatur,oculus concupiscit, & dum concupiscit, cadit. Notauit Basilius Seleuciensis orat.3: *Anima passionum vinculis impedita cum oculo malum communicauit.* Oculus passionum nebulis obturbatus malè consuluit, & pessimo consilio lachrymas procreauit. Idem Bethsamitis accidisse videtur. Dei Arcam curiosis oculis spectarunt,& quia spectarunt, mortem subierunt: *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quòd vidissent Arcam Domini.* Caietanus putat, cùm religiosæ adessent celebritati,tempus in cælaturis Arcæ conspiciendis triuisse, & ob hanc curiositatis culpam incurrisse mortis sententiam, vt alieno in capite nos Scriptura erudiret,quanta curiositas gignat lamenta,& adducere soleat incommoda.Accipe Caietanum: *Significatur,non quod viderint interiora Arcæ,sed quod curiosè inspexerint in ea, quæ elaborata erant ab artificibus tempore Mosis in ea.*Cùm fas esset composito aspectu, religioso que animo festiuitati assistere.imprudenter curiosos maluerunt oculos pascere: ergo compulsi sunt vberes lachrymas fundere, & anxios gemitus edere. Quòd si curioso solùm aspectu Arcam inspicere grauem adeò attulit mulctam, oculos pascere libidinosè pulchellatum venustate, quam putas, afferet pænam.

§. LXXX.

Qui ob virtutem recusat periculum,grauius solet sibi adsciscere detrimentum.

NOnnulli, dum imprudenter saluti gestunt prouidere,inueniuntur non semel luctuosam sibi cladem procreare. Temperantia, pudicitiaque arbitrantur salutem labefactandam, & ventri, appetituique indulgent; verùm lauta mensa,& effræuis luxuria non solùm saluti extruunt insidias, sed præmaturant mortes aut violentas,aut inopinas; aliis,dum ne potentium in se manus armarint, muneris sui,virtutisque de industria deliquerũt obliti,in Scyllam contingit incidere, dũ satagebant Carybdim vitare. *Patitur hoc improuida mortalium plerũque conditio,*(scribit Cassiodorus 7.*variar.*47.) *vt cũ ledere putatur consulat,& cum consulere videtur, affligat.* Ecce Bethsamitæ colendis agris, colligendisque fructibus dediti, reducendi ad se Arcam inueniuntur obliti, & quia obliti, capitali pœna mulctati: *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.*, Huius vindictæ causam fuisse detrectasse belli pericula: & experuisse frugum incrementa tradit Theodoretus ergo dum fructuũ auidi, & obligationis obliti Martia pro religione detrectauere certamina, grauissima sustinuerunt mortis supplicia: plures abstulit imprudens metus,quam inimicorum auferret impetus. Theodoretum audi: *Populus fuit castigatus, vt qui noluerit pro Arca adire periculum & septem menses eam reliquerit inter alienigenas, & pro ea bellum non susceperit.* Debuissent laudabiliter contemnere vitam, vt ab hostium manibus eriperent Arcam: maluerunt verò agros incolere, & certaminis periculum declinare: ergo dum imprudẽter studuerunt cupiditati.& saluti; grauiora sibi maturarunt discrimina, & ingeminarunt incommoda: ipsum conseruãdæ salutis studium conuersum est in venenum, & quia noluerunt decertando obligationem implere, inuenti sunt mortem sibi imprudenter accelerare: non tot homines hostilia consumerent arma, quot abstulit virtutis iniuria. Moyses exploratores mittit ad lustrandam inimicorum regionem, vt conditione, qualitateque cognita, prudentius adornarent bella, & initent studiosus certamina.Exploratores mõstruosos gigãtes terram retulerunt incolere& tellurẽ ipsam habitatores: vorare: *Terra,quam lustrauimus,deuorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est.* Num. 13 vers 33. Quam obscurat prudentiam acer metus, & nimius timor! Si terra deuorat habitatores suos, quomodò proceræ adeò magnitudinis, fortitudinisque eximiæ viros producit; aut si producit, quomodo extinguit? Ad hæc.Si tellus habitatores consumit, & conflictus facilior,& triumphus erit expromptior,habitatores citius deperibunt à tellure deuorati,& inimicorum exercitibus impetiti; cur ergo fugiat ignauia, quam victoriam offert fortuna? Detraxisse terræ exertè Text. tradit,& quia certaminis labores respuerunt ostendit. Quid tunc. Deus eos morte punit, & plurium cadauera destitis insepulta mansura ostendit: *Omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, & qui reuersi, murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ,quòd esset mala, mortui sunt,atque percussi in conspectu Domini.Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixerunt ex omnibus,qui perrexerant ad considerandam terram.*Num.14.vers.36.Iosue, & Caleb contempserunt pro virtute periculum, nec detrectauere bellum; reliqui,vt redimerent metum, prodire noluerunt in campum; verùm virtutis studiosi sibi produxerunt vitam,& gloriam, qui prospexerunt insipienter saluti, celerem subierunt mortem. Adest Lira: *Mortui sunt atque percussi id est, subitò, & horribiliter.* Non adeò breuiter perirent cum hostibus decertando, quàm perierunt periculum certaminis effugiendo. Vt noueris, qui ob virtutem recusat periculum,grauius sibi adsciscere detrimentum.

§. LXXXXI.

Sibi calamitatem accelerat, qui ad sacram mensam affectibus non repurgatis propinquat.

SAtius est homini, quàm nutriri, ni inueniatur dignus, Eucharistia priuari.Quoddam reuerentiæ genus est oculis se subducere,& infectum sordibus præsentiam Principis reuereri: vt procax audacia,& periculosa impudentia in eius conspectum deuenire, cuius nil potest perspicaciam latere. *Quando in vnum cum fratribus conuenimus* (aiebat Cyprianus de orat. Domin.) *& sacrificia diuina cum Dei Sacerdote celebramus,verecundiæ,& disciplinæ memores esse debemus* Sibi inuidet, qui ad Dei cœnam pannosus accedit. Ob id cœlestis ille nuntius ad sacrum epulum aues solùm per cœli, medium volantes inuitauit. *Et vidi vnum Angelum stantem in sole & clamauit voce magna,dicens omnibus auibus,quæ volabant per medium cœli: Venite,& congregamini ad cœnam magnam Dei.* Apoc.19.vers.17.Non aues omnes vocantur ad cœnam,sed quæ à terra eleuatæ,& versus cœlum inuolandi studiosæ, quæ alas ad volandum extendunt,& crucis formam assumunt,nam vt accedere possint ad mensam,opus est crucifixi induere imaginem, & imitari virtutem,aliter namque non pascentur vitæ subsidio,sed actuoso satis veneno. *Omnibus auibus* (inquit Interlinearis) *quarum conuersatio in cœlis est* Qui solùm nouerunt terrena, non inuitantur, immò à sacra mensa exclu-

excluduntur. Huc voco, quod aiebat Tertullianus ad vxorem *cap.6. Audiat sanè, audiat aliquid Dei cœna de taberna, de gehenna. Quæ Dei mentio? quæ Christi inuocatio? vbi fomenta fidei, de Scripturarum interlectione? vbi spiritus refrigerium? vbi diuina benedictio? omnia extranea, omnia inimica, omnia damnata adterendæ saluti à malo immissa.* Indignè sumentis salus adtenitur, & iam Eucharistia spiritus refrigerium ad dæmonis detorquetur auxilium. Bethsamitæ, vt ad eos peruenit Arca, sacrificia instituunt, altarique accedunt; verùm dum sedulo examine mores non expoliunt, indignationem cœlestem subeunt: *Percussit Dominus de viris Bethsamitibus.* Quis fuerit horum reatus, quærunt Interpretes. Glossa existimat fuisse percussos, quòd incuriosè, indigneque accesserint. *Percussi sunt* (inquit) *eo quod indigni essent, vel indignè accessissent.* Cum tremore, & magna conscientiæ puritate tenebantur accedere, & indignè de oblatis victimis ausi sunt manducare: ergo exoculata audacia mortis est punita sententia: *Percussi sunt, eo quod indigni essent.* Quod si ad vmbram Eucharistiæ accedentes morum inconcinnitate grauì sunt supplicio puniti, vehementer horreat ad veritatem accedere, qui probatur conscientiæ sordibus maculari; nam cœlesti epulo illata iniuria soluitur grauissima pœna.

§. XCII.

Si aliqua optimatum puniatur culpa, ab ipso Numine noscitur inflicta pœna.

Omnes quidem (aiebat Cassiodorus *3. variar. 7.*) *iustitiam colere, & obseruare præcipimus, sed eos maximè, qui diuinis honoribus eriguntur: vt supernæ gratiæ sint proximi, dum à terrena fuerint cupiditate longinqui.* Omnes tenentur æquitatis legibus obedire, sed præcipuè qui nobilitatis, dignitatisque constat stemmatibus resplendere: verùm (nescio quo pacto) qui ad modestiam, iustitiamque speciali titulo tenebantur, euertere frugalitatem, castitatem corrumpere, & leges inueniuntur læpissimè depranare. Cumque eos debuisset districta ferire sententiæ pœna, potentiæ, magnitudinisque priuilegio impunita crescit audacia. *Deus* (aiebat Philo *lib. de Victimis*) *non hominum tantum, sed & deorum est Deus, magnus verò est, & pollens, potensque.* Vnicus est Deus, nec Philo deorum admittit multitudinem, vt Ethnicorum vanitas, & fatuitas: per deos, altos, sublimesque intelligit, quos Deo ait subiectos; nam antiquis imaginibus clari, diuitiarum copia superbi, dignitatum luminibus exornati sic delirant, vt se nullis legibus arbitrentur subiectos, sed ab omni iure liberos. Hos ergo deos, ait Philo, Deum frænare, & dignis mulctis punire: *Non hominum tantum, sed & deorum est Deus.* Thamar, quæ se expinxerat, & cælarat, de violata castitate apud Iudam arguitur, & voracibus vstulanda flammis damnatur: *Producite eam, vt comburatur. Gen.38. vers.25.* Illa exhibitis argumentis Iudam imputati sibi criminis auctorem euincit: *De viro, cuius hæc sunt, concepi,* & iam accusatores ora silentio sigillant. Non inuenies Iudæ obiectum, quòd nurus castitatem violarit, quòd legem de fratre cum fratris vidua maritando contempserit: duplex ad speciem Iudam denigrabat reatus, & tamen obiectus nullus. Thamar ob suspicionem arguitur, & damnatur. Ecqua discriminis causa est? Quia Iudas cæteris dignitate antelatus, & gregibus erat copiosus: ergo contra illum lex tacuit, & ius obmutuit. *Cum esset Sella adultus, & non daretur in virum ipsi Thamar* (inquit Abulensis *quæst. 3. in cap. 38. Gen.*) *habuit illa iustam causam aliquid committendi contra Iudam; sed nec propter hoc iustificatur actus iste.* Non licebat Thamar cum Iuda coire, sed nec Iudæ licebat Sellam iam adultum denegare, & cùm vterque non careret reatu, Thamar sola habetur legibus obnoxia, & rea. Et expende vsum, vt iuri suo consuleret, prudenti industria, vt quæ nouerat iura contra Iudam dignitate conspicuum, & diuitiis copiosum aut deprauanda, aut nullatenus audienda. Dum Thamar vidua multis accusatoribus adurgetur, leges contra debiles, solatioque destitutos allegari, & produci, eleganti penicillo adumbratur. Bethsamitæ delinquunt, & non solùm plebeij, sed magnates pœnas exoluunt, & iam supplicium à Deo refertur illatum: *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis,* Cùm puniti omnes vno quiuerint numero includi, quærunt Interpretes, cur septuaginta viri à reliquis separentur, & puniti referantur: *Percussit de populo septuaginta viros.* Hieronymo placet fuisse iudices; Eucherio optimates: ergo Scriptura expresè retulit iudices, & optimates punitos; nam si numero communi includeret, optimates, & iudices nullus crederet castigatos. Hieronymum audi: *Septuaginta viros, iudices.* Et Eucherium: *De optimatibus populi septuaginta sunt percussi.* Communis omnes inficiebat culpa, sed frequens adeò est apud sæculum, optimates, iudicesque omni eximi pœna, vt Textus ab ipso Numine percussos retulerit, & expresserit. Adeò exarmata aduersus eiusmodi sunt iura, adeò vel patientium iniurias occlusa sunt ora!

§. XCIII.

Qui altari inconcinnis moribus audet accedere, videtur Dei maiestatem despicere.

Omni morum puritate debet relucere, qui audet adspectui Principis propinquare. Qui nuptiali carebat veste, dum remotus, duris non legitur vinculis illigatus: dum Principis domum intrat, exoculatæ audaciæ inuenitur reus: non debuit Principis oculis obiici, quem indubium erat sordido amictu vestiri. Vinum, siceramque ad altare accedentibus lex prohibuit, vt omne indecentiæ periculum remoueret: *Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum, ne moriamini. Leuit.10. vers.9.* Nec parcè vti vino permisit, sed prorsus vetuit, nam si occasio prorsus non remouetur, haud facilè culpa vitatur. Adest Philo de Temulentia: *Sicut veneranda res est sobrios, & sui compotes ire ad vota, & sacrificia; sic è diuerso ridicula, si quis corpore, animoque præ vino labante id faciat. Nisi fortasse quoties Domini, & parentes, & Principes adeundi sunt, curare decet seruos, & filios, & subditos, vt sobrij sint, ne quid dicto, factove peccent, neve pœnam incurrant, si videantur dignitatem maiorum contemnere.* Qui ad maiorum veniunt præsentiam, se expoliunt; & omnem vestimentorum sordem abstergunt, ne videantur auctoritati inferre iniuriam, & iniuriæ tulerint pœnam: ergo potiori iure (inquit Philo) diuino conspectui præsentandus, omni solicitudine est expoliendus, ne videatur contemnere maiestatem desidiosa ignauia, & incuriosa desidia. Adnectit Philo: *Omnipotentem verò patrem aliquis adoraturus cibum, potum, somnum, cæteraque, quorum vsum natura postulat, non moderabitur? maleque ad lautiorem victum declinans imitari luxu peritos? & oculis nimiò vino grauatis, vacillante capite, obligurata ceruice, crapulam ructans, totoque corpore languidus, aquam abluendis manibus, aut aras attinget, aut victimas? Atqui tali non est fas vel procul sacros ignes intueri.* Fas non est sacros intueri ignes sine oris modestia, sine ornatus munditia, sine attentione religiosa; nam inde trahetur damnum, vnde sperabatur auxilium: Ecce Bethsamitas ad reducem Arcam inuolantes non inueniunt portum, sed naufragium. *Percussit de populo septuaginta viros.* Supplicij causam Textus expressit: *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Alia translatio habet: *Despexerunt Arcam Domini.* Qualis fuerit iste despectus, non constat; videntur tamen in eo peccasse, quòd, vt erant colligendis

gendis messibus intenti, inuolarint nullo abstergendi puluerisstudio adhibito, nullo ornatus adaptandi consilio habito: ergo Arcam despiciunt, dum irreuerenter accedunt. *Ob hoc* (inquit Eucherius) *à Deo percussi sunt, quia non solùm appropinquauerunt ad Arcam, sed etiam, vt alias translatio habet, despexerunt.* Imprudens ausus fuit maiestatis despectus. Vt discas, quanta morum concinnitate fas est accedere, quando inultum non mansit non detersо terreno puluere propinquare.

§. XCIV.

Peccatores refugiunt Deum quærere, & ægrè ferunt à Deo perquiri.

SVnt adeò contumaciter vitiis, vanisque erroribus addicti nonnulli, vt detrectent resipiscere, & medelam repurgandis criminibus adhibere. Ea tamen est diuina misericordia, vt sua sibi patientia quodammodò detrahat, & exerrantes perquirat: verùm, qua debuissent benignitate eruditi, aliquando contigit indurari, & tamen Deus, si fas est dicere, laudabili pertinacia insistit, & medelam adhibere vulneri exambit. Primi parentes deliquerant, & Dei imaginem exiguo satis oblectamento deturparant. Maluit Eua veternoso serpenti blandè insidianti credere, quàm tot amoris, & beneficentiæ diuinæ experimentis auctori fidem præstare. Eo in rerum statu Deus Adamum quærit, & voce compellat humanissimè: *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Gen. 3. *vers.* 8. Qui ad medicum debebant recurrere, inuenti sunt detrectare: *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Itaque Deus erroris misertus ad arrigendum currebat; verùm illi exilio suo, calamitatique suffragantur: non solùm non quærunt medicinam, sed medici etiam auersantur præsentiam, ægrè ferunt perquiri, quia cupiunt erroribus adulari. Notauit Basilius Seleucensis orat. 3. *Exilio suo suffragantur. O Domini in homines amorem!* Ipse offensus quærit, & medicamenta curando vulneri offert. His vocibus Adamus foras prorupit, & culpam gemebundus diluit: fortè si contumaciam tueretur, ipsam contra se benignitatem inflammaret, & supplicij acerbitatem augeret: nam si peccator inquisitionis benignitatem despiciat, & se à Deo quæri ægrè ferat, contra se ipsum benignitatem exasperat, & patientiam ipsam irritat. Huiusmodi videntur fuisse Bethsamitæ, quorum plures ea impietate laborabant, vt idola colerent, & voluptatibus inseruirent: verùm, vt vidit Deus, detrectantes virtuti accedere, decreuit indignis etiam appropinquare. Arca non sine miraculo quærit Bethsamitas, & cum debuissent opportunam satis resipiscendi occasionem ambire, ægrè tulerũt approximari: ergo ipsa patientia, & benignitas despectæ exarserunt, & se inflictis acerbis pœnis vindicarunt: *Percussit Dominus de viris Bethsamitibus.* Vt iusti verentur delinquendi periculum; sic peccatores expauescunt salutis remedium: igitur resipiscendi occasionem auersati, duris flagellis ingemuerunt percussi. Audi Theodoretum: *Filij Iechoniæ vt impij, & seruientes idolis ægrè tulerunt videntes Arcam, & merito luerunt supplicium.* Quærente Arca opus erat abiurare idololatriam, & debitam Numini exhibere reuerentiam: ergo grauiter tulerunt ab Arca perquiri, quia, vt idolis inseruirent, cupiebant tempus, & occasionem protrahere. Plures videas grauissimis culpis infectos, & pœnitentiæ prorsus oblitos, quibus molestissimum est præscriptum ab Ecclesia expiandis animis tempus appropinquare. & à Deo humanissimè compelli; debuissent tamen vereri, ne auersati medicinam, tulerint grauissimam pœnam,

§. XCV.

Perpetrata culpa parum angit, inflicta pœna distorquet.

NIhil culpa deterius est, quod Dei manus finxerunt, simulacrum obliterat, virtutis venustatem deformat, & debitum benefactori obsequium, officiumque denegat, & cùm lethale adeò venenum sit, ab hominibus sitienter hauritur, & animæ salus contemnitur. *Est & hæc peruersitas hominum* (aiebat Tertullianus aduersus Gnosticos *cap.* 5.) *salutaria excutere, exitiosa suscipere.* Adnectit paulò post. *Nauseabit ad antidotum, qui hiauit ad venenum.* Ad venenum hiatur, & quem secum affert, impatienter dolor sustinetur. Paruipendunt homines culpam, auersantur animitus pœnam. Deliquerat Pharao, vtque eius contumaciam reprimeret, locustarum Deus innumerum exercitum armauit in fructus. Quid tunc? Iam Pharao cordis ostendit anxietatem, & supplex rogat Moysem eam à se mortem depellere: *Rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam. Exod. 2. vers.* 17. Eodem tempore culpa abrodebat animæ virorem, locusta terræ, & tamen Pharao solùm dolet fructibus viduari, non sceleribus infici. *Nota* (scribit Stephanus *in Allegor. Tilmani*) *quòd plagam locustarum mortem appellat.* Vti mortem dolebat plagam, siccis aspiciebat oculis culpam; nam frequenter homines peccare gaudent, & pœnam subire timent. Reduce ad suos Dei Arca Bethsamitæ deliquerunt aut nimia curiositate, aut minori veneratione, vtque experti sunt debitam pœnam, populus amaris lachrymarum vndis prodit animorum angustiam: *Luxitque populus eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna.* Satius erat lugere ob admissam in Deum culpam, quam ob inflictam ab illo pœnam, & tamen delicta non elicuerunt gemitum, cùm supplicia negotiata sint eiulatum. Notauit Glossa: *Quæ antea Bethsames vocata, nunc vocatur Abel propter luctum super viris Bethsamitibus ibi factũ.* Nomen mutauit luctus non ob scelera, sed ob supplicia, nam ni inflictæ distorquerent pœnæ, ab oculis ob admissa scelera non fluerent lacrymæ.

§. XCVI.

Plures, vt nobilium se cognatos mentiantur, in eorum morte pullis induuntur.

EA est hominum superbia, vt se alieno splendori admitantur inferere, & nobilium stemmatis conentur ornari. Si mors procerem abstulerit, atris induuntur, à mœrore vestis quærunt mendacio suffragium, & à dejecto vultu cognationis testimonium. Arcades, vt à luna originem se duxisse suaderent, in calceis lunulas gestabant, vt splendidis vestigiis fouerent opinionem & ostentarent cunctis stemmatum claritatem. *In calceamentis* (inquit Plutarchus *in quæstionibus centuriatis*) *lunulas, qui splendidis natalibus præfulgent, ferunt.* Calceati incedebant lunulis, vt à luna haberentur orti, & splendidis cunabulis nati. *Video* (aiebat Tertullianus *de Anima cap.* 19.) *& vitem adhuc teneram, & impuberem, intelligentem tamen iam opera sua, & volentem alicubi adhærere, cum innixa, & innexa proficiat.* Humi reptat vitis, sed conatur vlmo se innectere ambitiosa gloriolæ: ita altis vlmi ramis intexitur, vt ab eadem radice pullulasse credatur. Non dissimile Bethsamitarum existimant Interpretes fuisse studium. Percusserat Dominus septuaginta magnates, & populi proceres: *Percussit de populo septuaginta viros.* Horum mortem plures populares planxerunt: *Luxitque populus:* E populo quisque pullatus mortem dolebat, & sibi consanguineum è medio sublatum atris vestibus publicabat.

cabat. Ita Abulensis *quæst.* 28. *Isti fortè attinerent in consanguinitate, vel affinitate ad totum populum, ita vt rari essent in populo, qui ad aliquem horum non attineret, vt tunc lugeret quilibet mortuum suum.* Licet esset copiosus populus, & mortuorum exiguus numerus, ratus tamen erat, qui doloris signum non promeret, & alicuius funeri assisteret. Et quare hanc consanguinitatem affectabant? Iam respondet Interlinearis: *Percussit de populo septuaginta viros, optimates scilicet populi.* Arduum erat, omnes consanguinitatem, aut affinitatem cum demortuis habere, & tamen ratus fuit in toto populo, qui cum optimatibus affinitatem, aut consanguinitatem non curauerit ostentare. Videas, si quis nobilis moriatur, aliquos atram vestem inducre, funeri assistere, & se amisisse consanguineum mentiri, & hoc totum, vt nobilitatem mentiantur, & alienis stemmatibus exornentur.

§. XCVII.

Magna est populi calamitas senum prudentia carere, & æquitate iudicum viduari.

VEneranda canicies, dum animi affectus componit, sibi conciliat reuerentiam, & adolescentibus ipso habitu inspirat etiam doctrinam. *Ipse habitus sonat* (aiebat Tertullianus *lib. de pallio cap. 6.*) *sic denique auditur Philosophus, dum videtur, de occursu meo vitia suffurde.* Matura senectus moribus expolita sine voce carpit, sine reprehensione corrigit. Vt periculum non modicum naui est carere rectore, iuuenibus, & Reipublicæ sene. *Amisi, amisi vitæ meæ testem* (dolebat Plinius Iunior *lib. 1. epist. 12.* cùm è vita Corellius Rufus Senex prudentissimus excessisset) *rectorem, magistrum. In summa dicam, quod recenti dolore contubernali meo Calvisio dixi: Vereor, ne negligentiùs viuam.* Negligentiùs viuitur, si floridior ætas senum monitis non coërceatur. Magnum Reipublicæ ornamentum, fulcimentúmque est senibus, qui verè senes sint abundare, vt etiam iudicibus integerrimis regi. Iudex, ministérque Reipublicæ vigilat ad leuamen cunctorum, & dum incorruptus legum præscripta custodit, omnium vtilitati deseruit. *Eris* (aiebat Cassiodorus 7. *variar. 7.*) *securitas sperantium, murmen amorum, tutela claustrorum, discussor obscurus, arbiter silentiosus.* Non audet grassator insidias moliri, si veretur iudicem fures noctis silentio venari. Non audet legem infringere, qui ius patronum integerrimum scit habere. Hinc est, quod si Respublica eiusmodi iudicibus, & senibus orbetur, magna calamitate affligatur. Deus, vt Bethsamitarum populum seuerè puniret, iudices, & senes abstulit, & iam totus populus ingemiscit dolore percussus, & calamitate oppressus: *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis, luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna.* Sunt, qui existiment, septuaginta solùm viros percussos, eaque verba: *Et quinquaginta millia plebis*, sic accipiunt, vt numerus non referatur ad inflictam pœnam, sed ad populi summam. Ac si dicat Textus: De populo, in quo quinquaginta mille plebeij, percussit septuaginta. Vide nostrum Sanctium sic interpretantem: *Percussit de populo quinquaginta millia virorum, seu in quo erant viri quinquaginta mille, viros septuaginta.* Itaque illud: *Quinquaginta millia plebis*, non refertur ad percussionem, sed ad multitudinem, iuxta quam sententiam ita est componenda constructio: Percussit de populo quinquaginta millibus plebeiis constanti septuaginta viros: & licet exiguus fuerit mortuorum numerus, plebs tamen dicitur magna plaga atrita, quia iudicibus integerrimis, & grauissimis senibus priuata. Ita Hieronymus *Septuaginta viros, iudices.* Et Interlinearis: *Maiores natu optimates scilicet populi.* Itaque populus magna se plaga deplorauit percussum, dum senum prudentia se agnouit orbatum, & vigilanti iudicum solicitudine destitutum. Est enim cruentum Reipublicæ flagellum senibus carere, & ministris integerrimis viduari. Adest Abulensis *quæst.* 28. *Solum pereuntibus septuaginta viris simul erat magna plaga.* Vehementer se Deus ostendit iratum, cùm vna die tot abstulit senes, & iudices.

§. XCVIII.

Dignitatum fastigia occupanti turba adulatur, sed rarus dolet, si moritur.

MVlta sunt, quæ oculis nostris imponunt, & exterius coloribus fallunt. Altos, dignitatibúsque florentes obsequiosa turba clientum circunstat, & repetitis, faustísque acclamationibus celebrat. Quam vero animus ab ore dissideat, mors ostendit; nam si ciuilis, aut naturalis mors eos abstulerit, nulla emittunt labia suspiria, etsi antèa sumptuosa resonarint elogia. Opportunè Tertullianus *in Apologetico cap. 6. Licet Serapidi iam Romano aras restruxeritis; licet Baccho iam Italico furias vestras immolaueritis, suo loco ostendam proindè despici, & negligi, & destrui à vobis aduersus maiorum auctoritatem.* Animitus despiciebant, quos externis cultibus adorabant; & quidem sæpè animus exoptat mortem, quibus exterius precatur felicitatem. Septuaginta è iudicibus, vt superiori vidimus §. Deus abstulit, & plebem etiam ingenti plaga percussit, & tamen lamenta non ob iudices ablatos, sed ob plebeios referūtur percussos: *Luxit, populus eo quod Dñs percussisset plebem plaga magna.* Si eodem tempore plebs refertur percussa, & magnatum summa morte sublata, quomodo non referuntur emissæ ob magnatum mortem lachrymæ, & ob percussam plebem referuntur anguſtiæ? Quia impensus illis cultus non oriebatur ab interno amore, sed à consulente necessitate: ergo cùm in morte iam cessarit eorum dignitas, siccis oculis proditur veritas. *Populus Bethsamitarum* (inquit Abulensis *quæst.* 27.) *luxit, quia percussit Dominus plebem.* Non luxit, quia percussit magnates, quibus frequenter querulus refragatur affectus, etsi ob munus mentitus pendatur cultus. *Tu Cherub* (aiebat Ezechiel) *extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei. Ezech. 28. vers. 14.* Hic ipse iam nihili habetur, & depretiatur: *Nihil factus es.* Inquires, quomodo nihili haberur qui paulò anteà resplendere in monte dicitur? Si tot eius protectionem exambiebant, vt opus fuerit alas extendere: *Extentus, & protegens,* quomodo iam inuenitur ab omnibus depretiari? Iam Textus retulit: *Producam ignem de medio tui, qui comedat te.* Hi ipsi, qui ad splendentis protectionem confugiebant, qui eius latera stipabant, qui de ingiis de industria confictis plaudebāt, iam deturbatum despiciunt, & nihili haberi ostendunt. *Hic* (scribit noster Sanctius) *cum stupore adiuncta fuisse puto ludibria, & sibila, quibus exagitabatur illa tanta, tamque inopinata catastrophe.* Demutata fortunà obsequia transierunt in sibila, & euentus ostendit personam non fuisse amatam, sed eius protectionem, quam externè colebant, solummodò ambitam.

§. XCIX.

De suo auari, de alieno inueniuntur liberalissimi.

SVo opinione munifici (aiebat Cassiodorus 3. *variar. 39.*) *parcum non decet inueniri, quia inrumbrat famam publicam in consule tenacitas.* Sunt, qui tenacitatem, liberalitatémque adnitantur coniungere cúmque hæc duo suopte ingenio dissideant, ea vtuntur industria, vt de alieno liberalitatis perquirant famam, & de

proprio tenacem fouere quæsiverint auaritiam. Non decet sub opinione munifici parcum inueniri; & tamen aliquando idem magnificus inuenitur, & parcus, nam sua parcus retinet, & magnificus aliena profundit. Vt aduentauit ad Bethsamitas Arca, Philisthinorum plaustrum, vaccásque in holocaustum consumpserunt: *Conciderunt ligna plaustri, vaccásque imposuerunt super ea holocaustum Domino.* Non multò post, qui holocausta obtulerant, dura sunt perpessi flagella: *Percussit de populo septuaginta viros.* Huius supplicij causam quærunt Interpretes, testantúrque non adhibuisse ad Arcæ cultum luminaria, & debita ad venerationem cultus obsequia. Audi Liram: *Ex circunstantia litteræ datur intelligi, scilicet, quod Arcam Domini dimiserunt nimis sub dio sine luminaribus, & cultu debito; ideò sequitur: & percussit Dominus de viris Bethsamitibus.* Hinc oritur difficultas. Si vaccas obtulerunt in holocaustum, cur detrectarunt luminaria adhibere ad cultum? Facilis est quæstionis solutio. Ad luminaria concinnanda opus erat oleum subministrare, sumptúsque impendere; ad holocaustum verò nil de suo conferebant, sed Philisthinorum vaccas sacrificabant: ergo de alieno se ostentarunt magnificos, & se prodiderunt de proprio parcos: proprium oleum detrectarunt expendere, alienas vaccas gestierunt sacrificare: *Arcam Domini dimiserunt sine luminaribus.* Inuenias, qui cibum sibi taxent parcissimi, qui in aliorum mensa modestiam damnent, & opulentiam desiderent. Inuenias, qui alienas diuitias magnificè expendant, & suas auarè retineant. Prodigi frater diuisionis tempore, quæ illum contingebat, substantiæ partem accepit: *Diuisit illis substantiam. Luc. 15. vers. 12.* Hic idem querelis patrem ferit, quia hædum vt amicis exiberet conuiuium, non præstiterat: *Nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* Si discupit amicis exhibere conuiuium, cur acceptis diuitiis non emerit hædum? Facilè erat aurum expendere, & splendidum amicis conuiuium instruere. Si ergo amicos ad mensam non inuitauit conuiuas, cur quia amicos non inuitauerit, excitat contra patrem querelas? Quia volebat, meo iudicio, de alienis expendere, & proprtia servare. Innuit Chrysologus *serm. 4. Hædum sibi datum negat qui substantiæ partem totam tempore diuisionis accepit.* Accepit, quo lauta, si vellet, instrueret conuiuia, nolebat tamen quid expendere de proprio, & suspirabat liberalis famam de alieno.

§. C.

Magna obsequia exiguo excusato impendio solent deuenustari, & indignationem mereri.

PVlchritudo proportione integra constat, nec resplendere potest perfecta, si fuerit næuis aliquibus deturpata. Obsequium non semel fœdat incuriositas, & in exiguis reculis avara tenacitas. Pharisæus lautum conuiuium instruit, & Christo epulas saporatas apponit, & tamen à Domino arguitur, & digna censura carpitur: *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti. Luc. vers. 44.* Pretiosa vina apponit, & detrectat exhibere lauacri obsequia: Exigua recusat expendere, cùm probatur, fercula opipara ministrare; excusato sumptu leuissimo sumptuosum devenustauit obsequium; aqua deliquit parcus, qui in vino apparuerat magnificus. *Pharisæus* (inquit D. Thom. in Caten.) *retunditur ... Vndè Pharisæo dicitur: Aquam pedibus meis no dedisti.* Quàm fuit imprudens aquam taxans, & conuiuium exhibens! Reculis, exiguisque næuis conuiuij liberalitatem fœdauit, & increpationem commeruit. Nec aliter videtur accidisse Bethsamitis. Reduci Arcæ solemnitatem instituunt, holocausta offerunt, victimas immolant: *Obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.* Festiuitatis gaudium sequutum est vestigiò lamentum: *Percussit de populo septuaginta viros.* Quæ huius indignationis fuerit causa, quærunt Interpretes. Lira, vt suprà vidimus, existimat, incuriosos fuisse, negligentésque in luminaribus accendendis. Itaque cum magnifici fuerint holocausta, & victimas offerendo incuriosi extiterunt luminaria ad Arcæ cultum non ministrando; exiguis rebus deficientibus perfectum non placuit obsequium, & deuenustatum est holocaustum. Audi Liram: *Arcam Domini dimiserunt nimis sub dio sine luminaribus, & cultu debito.* Cultus debitus perfectionem requirebat, & licèt fuerit defectus exiguus, satis fuit, vt lædaretur majestas, & obscuraretur festiuitas. Profectò aliquando lenitudine deuenustantur officia, & exhibendi modo deturpantur etiam obsequia: ergo curandum est integram operibus perfectionem adhibere, ne vt Bethsamitis, contingat indignationem incurrere. Abrahamus, vt peregrinis exhiberet conuiuium, ad armentum celeri gressu contendit, & vitulum optimum, & tenerrimum affert: *Ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum. Gen. 18. vers. 7.* Timuit liberalitatem obscurare, si optimum non parauerit vitulum, aut lentum posuerit gressum. Huc voco, quod aiebat Chrysologus *serm. 3. Communis vitulus non sufficit, nisi fuerit pinguis, nisi fuerit saginatus: vitulus pinguis testatur paternæ pinguedinem charitatis.* Non resplenderent obsequium omni venustate perfectum, si gressus tardus, aut communis esset vitulus.

§. CI.

Qui Dei Arcæ quid ab hoste posse auferri existimauit, diuinam contra se indignationem accendit.

FIdem siquidem rerum à ratione colligamus (aiebat Cassiodorus *1. variar. 9.*) *quæ nunquam desiderantibus absconditur, si suis vestigiis perquiratur.* Qui sincero animo veritatem perquirit, majestati indecoræ suspicionis temeritatem repellit; quandoquidem ipsa suspicio est dignitatis iniuria, & temeritatis audacia. Ob id cum Eustorgio venerabili Mediolanensi Episcopo ab æmulis crimen imputaretur, Princeps accusationem repulit, & æmulos suppliciis meritis castigauit; rationémque reddens: *Nihil* (inquit) *in tali honore temeraria cogitatione præsumendum est, vbi si proposito creditur, etiam tacitus ab excessibus excusatur. Manifesta proindè crimina in talibus vix capiunt fidem. Quidquid autem ex inuidia dicitur, veritas non putatur. Volumus enim impugnatores eius legitima pœna percellere.* Ex inuidia videtur nasci honorem dignitatis suspicionibus denigrare, & audacibus crimen coniecturis imponere. Dei Arca speciali Numinis honorabatur præsentia, & vti Dei thronus majestatis fulgebat pompa; cúmque ex hostili regione, in qua diù fuerat, triumphatrix ad, suos remeasset, Bethsamitæ mortis sententiam tulerunt, quia audacibus oculis spectarunt: *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini.* Quæ huius criminis fuerit offensa, quærunt Interpretes, quia non videbatur duro adeò supplicio dignum extendisse ad videndam Arcam aspectum. Abulensis *quæstione 26.* existimat, Bethsamitas in eam venisse suspicionem, an scilicet ex his, quæ asseruabantur in Arca, omnia redierint perfectè integra, aut hostili temeritate violata; vtque huic suspicioni satisfacerent, Arcam interiùs inspexisse, examinéque iram contra se Numinis concitasse. Ipsum audi: *Potuerunt hoc facere, forte quia veniebat Arca de terra Philisthiim, & dubitabant, an Philisthini abstulissent aliquid de illa, ob hoc inquirentes volebant videre, an intus essent ea, quæ Moyses posuerat, & scirentur*

sciebantur posita esse. In mentem Bethsamitis venit, potuisse Philisthæum quid auferre, dúmque examinant curiosi, dijoinam contra se inflammant indignationem iniurij: suspicari, licuisse hosti aliquid in Arcam, erat Dei verbo tabulis intus asseruato irrogare iniuriã: ergo dum inanibus suspicionibus fissi examina prosequuntur curiosi, suppliciis ingemunt meritissimis castigati: *Percussit de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini.* Non erat præsumendum posse quid Arcæ deficere, quando non dubitabatur in Arca vti regali throno majestatem residere: *Dubitabant, an Philisthini abstulissent aliquid de illa.*

§. CII.

Profunda Dei mysteria nimia curiositate indagare, est periculum sibi adsciscere.

VT nequit vespertilio candorem lucis sustinere, quia luminosis radiis repercutitur, & repercussus cæcatur, sic humana mens nequit, quæ eius capacitatem prætervolant, indagare, & abstrusa mysteria inquirere. *Sicut qui mel multum comedit* (aiebat Sapiens) *non est ei bonum: sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* *Prou. 25. v. 27.* Quid mirum, si non patitur eximia gloria humana ratione comprehendi, quãdo maris profunditas bolide nequit mensurari: audax temeritas naturæ terminos supergredi adnititur, sed imprudenti adnisu miserabilius elabitur. *Dulcedo mellis* (inquit Glossa) *si, plus quam debet, sumatur, vndè delectat comedens, necatur. Dulcis quoque est inquisitio majestatis, sed qui vltra modum inquirit, ab eius gloria opprimitur.* Reddit rationem Glossa: *Quia vt mel immoderate sumptum perscrutatis sensum, dum non capit, rumpit.* Vt exiguo vase mare non potest includi; sic humanis viribus diuinitatis oceanus nequit tranari. Involabat Moyses, vt flammescentis, illæsique rubi indagaret mysteria: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus, Exod. 3. vers. 3.* Humanum captum excedebat inquirere, quomodo flammis instar scatentium vndarum rubus irrigaretur, vt magis nitesceret floridus, quibus in cineres videbatur redigendus adustus; ergo prohibuit conatum, vt arceret Numen periculum. *Ne appropies* (inquit) *huc.* Eruditus correctione Moyses oculos depressit, nec mysterium iam indagare præsumpsit: *Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum.* Adest Caietanus: *Tegmine nescio quo abscondit faciem suam, & ratio subditur: Quia timebat respicere Elohim.* Abstrusa Dei mysteria profunda sunt humilitate veneranda, non periculosa curiositate inquirenda. Et quidem Bethsamitæ effugissent supplicium, si Moysis sequuti fuissent exemplum; verùm dum Arcæ interna aggrediuntur perscrutari, contigit illis perire: *Percussit de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini.* Textus Hebræus habet: *Eò quod vidissent in Arca Domini.* Quibus verbis existimant Interpretes denotari, Bethsamitas non solùm externè Arcam vidisse, sed quid interius asservaretur periculosa curiositate indagasse: ergo dum religiosa cæcitate veneranda scrutantur mysteria, digna sibi maturavere supplicia. Ita Abulensis *quæst. 26. Hebræi dicunt, quod non solum viderunt Arcam sed etiam aperuerunt eam, vt viderent, quid intra illam erat.* Non licebat arcana examinare, sed credere: ergo dum excedunt audaces, & corruerunt infelices: *Percussit de viris Bethsamitibus, eò quod vidissent Arcam Domini.* Fræna aspectum, & vitabis naufragium.

§. CIII.

Leuia subditorum errata inerti superiori grauissima aliquando attulere supplicia.

SVperior omni diligentia subiectis cogitur prouidere & quidquid nocumentum affert, studio solertissimo propulsare. Vti Dei vicarius agricolæ munus debet exercere, testante Christo: *Pater meus agricola est. Ioan. 15. v. 1.* Vtque agricola palmitum luxuriam frænat, & hortum variis plantariis exornare procurat; sic rationalium plantarum agricola & horridos sentes evellere, & fragrantibus hortum tenetur floribus amœnare. *Prouidus institutor* (aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 14.) *hortum suum fœcundis nititur ornare plantariis, vt reddant fructus optatos, quæ solicitis fuerant exculta laboribus.* Solicitis exculta laboribus saporatos reddunt fructus plantaria, immaturos, & acidos proferunt, si damnabili inertia naturæ solùm relicta. Nec semper fructuum acor degeneri tribuitur origini, sed culpâdæ non semel agricolæ inertiæ. Hinc est, quòd Deus seuera districtione Bethsamitarum percusserit proceres quia Arcam non adeò reuerenter adspexerint populares: *Percussit de viris Bethsamitibus, eò quod vidissent Arcam Domini.* Si culpa fuit plebis, cur pœna feriat magnates? Iam iudices, Superioresque punitos indicat Textus: *De populo septuaginta viros*, & expressè tradit Interlinearis: *Maiores natu, & optimates populi.* Et annuit etiam Hieronymus. *Septuaginta viros, iudices.* Iam quæstio exoritur, cur iudices graue adeò tulerint supplicium, cùm leue subiectorum videatur erratum? Arcæ non adeò reuerenti vestigio accedere, deuotis non adeò oculis spectare, aliquale crimen erat, non tamen quòd exulceraret iram, & acerbam adeo adsciscet proceribus pœnam. Ad hæc: Si plebeij inficiũtur offensa, cur in iudices, populique magistratus desæviat mulcta? Olim canebat Poëta: *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.* Hic è contra: Quidquid delirant Bethsamitæ, plectuntur iudices. Ecqua huius vindictæ ratio? Quia iudices, Superioresque (inquit Abulensis *q. 27.*) tenebantur populares cohibere, & pruritum videndi Arcam frænare: ergo dum ignavi non carpunt, dum inertes corrigere omittunt, grauissimas subeunt pœnas ob leues aliorum culpas. Abulensem audi: *Fuerunt ipsi mortui, quia non regulaverunt populum, retinentes, ne accederent ad Arcam discooperientes eam.* Si Principes, Superioresque accessum prohibuissent, nullatenus populares peccassent: ergo dum ignaui non corrigunt, alienis peccatis pereunt. Ob id Psaltes veniam sibi dari de alienis culpis deposcebat obnixè. *Ab alienis parce seruo tuo. Psal. 18. vers. 14.* Alienum testatur peccatum, & tamen veretur infligendum sibi supplicium. Quia cùm esset Princeps (inquit Euthymius) timuit, ne ob eius negligentiam subiecti aliquam prolapsi fuerint in culpam; cuius ipse teneatur rationem reddere, aut soluere. *In alienis* (inquit) *peccatis parce mihi, cum nouerim Reges Pontifices, parentes, & dominos obnoxios esse subditorum, plebium, filiorum, & seruorum peccatis, quando nimirum ob illorum negligentiam deliquerint.* Superiotis ignauia est tacita subiectis ad delinquendum licentia, & simili culpæ tenetur reatu, qui gubernaculo navim non aurigat otiosus, & qui illidere in scopulos finit perversus. Hinc disces, quàm Principibus, Superioribúsque necessaria sit vigilantia, ne noxia nascantur, aut si exorta, iam recalentur.

TEXTVS.

VERS. XX. Et dixerunt viri Bethsamitæ : Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius, & ad quem ascendet à nobis?

§. CIV.

Aliquando nimium timet, qui nimium audet.

AVdax frequenter timidus, quia dum nimis audet, timoris sibi causas producit : necesse est multos timeat, quem multi timent. *Nec audacem* (aiebat Seneca *lib. 4. de Beneficiis cap. 27.*) *timoris absoluimus.* Immò addere posset, timori addicimus. Bethsamitæ ausi sunt, vt Arcam dispicerent, denudare: audacia sibi maturarunt supplicia: *Percussit de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent Arcam Domini.* Curiosis oculis Arcam inspexerunt, audacibus manibus contrectarunt & iam timore perculsi clamant : *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?* Ab animo consternatis, nimioque timore perculsis prolata hæc verba, testatur Abulensis *quæst. 28. Dicebant hoc Bethsamitæ percussi magno timore, vel quasi desperatione.* Sed rogabis, vnde exortus modo timor, & angor? Profectò ex ipsa audaciæ temeritate. Arcam despexerant, accedere, & denudare non detrectarant; cúmque Arca ab aliis dignam expetierit vindictam, similem imminere sibi verentur pœnam: *Dicebant hoc percussi magno timore.* Si prudentia audaciam frænasset, modo acer metus in desperationem non impulisset; verùm quia nimis contra Deum ausi, & modo nimium timore perculsi : *Percussi magno timore.* Effrænes, cæcique sic audacter solent homines perpetrare peccata, ac si nulla in Deo timenda fuerit iustitia: posteà verò acri adeò timore pulsantur, vt iam veniæ sibi fore locum non arbitrentur: in vtroque deliri, & miserrimi, & quia exoculati nimium audent, & quia nimium obturbati timent. Diffidunt Bethsamitæ posse iam frui Arcæ præsentia, qui antea inconsulta deliquerunt audacia. *Quis poterit stare in conspectu Dei?* Eua ad arborem manum extendit omni terrore depulso, metuque abacto: *Tulit de fructu illius, & comedit. Gen. 3. vers. 6.* Huc voco Basilium Seleucienſem orat. 3. *Excusso timore, pœnaque sublata contra Deum bellum conflat.* Admisso peccato Deus medicinam exhibiturus accurrit, & iam Eua nimio timore percutitur, & calamitati suæ diuinos oculos fugiens suffragatur: *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei.* Quæ non timuit cum serpente loqui, quæ mortem arbore latentem despexit, quæ periculum intrepida adiuit, iam lucem fugit, & ad vocis sonum metu perculsa tremit. Ecqua huius ratio est? Quia inuerso ordine, quem ad perpetrandum scelus timorem serpens ademerat, ad medelam desperandam restituit, & cui suasit audere, modo persuadet timore aufugere. *Illi terrore percussi* (addit Basilius) *se ipsos transgressionis accusatores, ac testes exhibentes exilio suo suffragantur.* Nimius timor, ne Deo vocanti accedant, impedimento est, cùm Eua audax satis arbori accesserit, & poma abstulerit.

§. CV.

Superior rigidus audit, si compulerit ad honesta, optimus, si dissimularit errata.

SI Princeps, Superiorque errantes seuerè puniat, aut rigido aspectu feriat, conqueruntur, & nimis rigidum non posse sustineri testantur : alios Superiores in exemplum adducunt, qui errata aut studiosè ignorant, aut indulgenter dissimulant. *Periculosè* (aiebat Senator apud Cassiodorum 11. *var.* 40) *iusti sumus, sub securitate semper ignoscimus.* Et quod iustis iudicibus periculum? Querelis referiri, & vti rigidos infamari. Cupiunt delinquentes iudicem cæcutientem, & delicta dissimulantem: vt admissam imminuant culpam, sæpè de superiotibus dant querelam. Deliquerant Bethsamitæ Arcam irreuerenter aspiciendo, & interiùs asseruata scrutando. Eos Deus digna castigatione corripuit, & iam nimis Sanctum, & rigidum conqueruntur, & eius conspectum ferre non posse testantur: *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?* Ac si dicant : Præ gentium diis est seuerior, & sanctior : ergo cum nihil, vt dij alij, dissimulet, & humana fragilitas frequenter erret, eum non possumus sustinere, & ideò opus est ad alios remittere : *Et ad quem ascendet à nobis?* Hunc penitiorem huius sententiæ sensum esse tradit Abulensis *quæst. 28. Id est, iste Deus noster nimis Sanctus est, scilicet segregatus à communione humana, & non sicut alij dij, quia licet cultores eorum tractent sacra ipsorum, & videant, quæcumque voluerint, non moriuntur.* Ab aliis diis plura (inquiunt) dissimulantur, neque subditorum delicta seuera adeo castigatione puniuntur : ergo non possumus Deo huic assistere, quia & nimius, & seuerus, & ab humana consuetudine prorsus remotus. Addit Abulensis : *Et ista querela non ex parte rationabilis, qualiter solent conqueri homines, quibus malum aliquod magnum prouenit ex culpa sua: nam leues colores querelarum inquirunt, vt sic per querelas aliquam doloris sui consolationem habeant, vel vt non simpliciter ipsi sibi ipsis malorum suorum causa existant.* Videbis æquitate punitos de iudicis asperitate conqueri, & eius deprauatis affectibus sententiam adscribere: quasi pœna plus respondeat iudicis malignitati, quàm crimini. Adde : Plures, si quam suspirant, dignitatem non assequantur, ad querelas confugere, & varias causas mentiri. Cùm plures Aaronis dignitatem ambirent, florida virga dignitate dignum Aaronem ostendit; verùm nec miraculum adeò insolitum satis fuit, vt querelis abstinerent, Deumque ipsum linguis procacibus non ferirent: *Ecce consumpti sumus, omnes peribimus, qui-cumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Numero 17. vers. 12.* Nimiam Dei seueritatem exagerant, tabernaculo se non posse inseruire affirmant : huius tamen querelæ causa non erat alia, quàm lata repulsa. Ita Abulensis *quæst. suprà data : Ista querela erat, quia Deus, repulerat eos à Sanctuario, dando honorem Sacerdotij, & totius ministrationis tribui Leui.* Deus elegerat meritum, indignum repulerat, sed reiectus à detrectatione quærebat solatium, & asperum Dei asserebat ingenium. Pro comperto habe integerrimum etiam linguis feriendum, si à dignitate, aut munere, quod exambiunt, nonnulli inueniantur excluſi; nam delirij ambitu varias rationes, & colores adducent, vt repulsa electoris adscribatur maleuolentiæ, aut cupiditati, aut desidiæ.

§. CVI.

Malunt homines virtute carere, quàm diuitiis, & commodis denudari.

SVmmum bonum in animo constituendum est. Non est felicitas in corporis salute, aut diuitiarum mole ponenda. *Bona illa sunt vera* (inquit Seneca *epist. 75.*) *quæ ratio dat: solida, ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere, quidem, aut minui : cætera opinione bona sunt.* Salus, nobilitas, facultas, dignitas bona sunt, non tam interna veritate, quam externa plurimorum opinione, & hoc est peruersi nostri iudicij delirium, quòd libétius accedimus opinioni, quàm veritati. Nostrum quisq; fucata illa bona adnititur possidere virtutis etiam dispédio, & felicitatis solidæ incommodo. Bethsamitæ huius veritatis sunt testes, Deum à se abjicere, ad aliósque

delegare

delegare anxiis votis exambiunt, quia calamitate ingemiscunt : *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei Sancti huius ? & ad quem ascendet à nobis ?* Non cogitabant retinere, sed vt saluti, commodisque consulerent, amandare, veriti ne Arcam admittere cæteri perspectis eorum incommodis, plagisque inflictis, detrectarent, aiebant: *Ad quem ascendet à nobis* ? Non timebant deseri, sed à nullo alio Arcam admitti, vt qui de sæculi vsu nouerant, malè homines, si humana arrideat felicitas, Deo carere, quàm dispendio felicitatis admittere. Audi Abulensem q. 28. *Quasi dicant : Nullus populus illam recipere vult, intelligens, quòd & ipsi percutientur, sicut & nos percussi fuimus.* Quisquis Arcam admiserit, speciali Numinis perfruetur beneficio, secum ratiocinabantur Bethsamitæ, sed subibit etiam periculum ; cúmque omnes malint commodis exundare, quàm Dei Arcam retinere, excipere formidabunt, & à se auertere totis viribus studebunt. Addit Abulensis : *Dicebant ista verba quasi per modum desperationis.* Desperabant fore, qui Arcam admitterent salutis, & vtilitatis incommodo, quia nouerant ferè omnes ardenter inhiare corporis valetudini, & diuitiarum augmento. Deus celebranda sæculis lucta Iacobum amplectitur, & dum validius brachiis constringit, ferit : *Tetigit nervum fœminis eius, & statim emarcuit. Gen. 32. vers. 25.* Dolor lachrymas elicuit, teste Osea : *Fleuit, & rogauit eum. Oseæ 12. vers. 4.* Verùm Iacob, etsi inter amplexus doluerit, ne Deus discesserit, precibus anxiis rogauit : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quid tunc Deus ? *Nequaquam* (inquit) *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.* Hoc nomen, vt Hieronymo placet, idem sonat ac Princeps cum Deo. Sed videndum nobis est, cur Angelus sibi Iacobum adæquarit, & veluti ab hominum numero exemerit ? Si oues curans, si frigoris glaciem, si solis ardorem patienter tolerans nomen non mutauit, cur modò ad Israëlis honorem transiuit ? Quia, etsi Domini inter amplexus doluerit, eius maluit frui præsentia, quàm liberari doloris angustia : ergo adeò ab humana consuetudine desciuit, vt iam non debuerit inter homines numerari, sed inter cœlicolas recenseri. Accipe Hieronymum apud Glossam : *Quasi dicat : Non vocabitur nomen tuum supplantator, sed Princeps cum Deo, id est, Israël. Quomodo enim Princeps ego sum, sic & tu.* Vt ego, inquit, Angelus Dei personam gerens, ad hominum non pertineo censum, sic & tu ad hominum quodammodo non spectas numerum : quandoquidem homines non tam student Deum sibi adstringere, quàm salute, & commodis exundare.

TEXTVS.

VERS. XXI. Miserúntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes : Reduxerunt Philisthiim Arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.

§. CVII.

Qui aliorum actiones notat curiosius, venaticis etiam oculis denotatur inspectus.

CVriositatis voluptas oculos contra se inflammat, & ad indaganda abstrusiora proritat. Qui discutit, frequenter discutitur, & qui curiosè inspicit, curiosè etiam spectatur. *Scatens omnis generis vitiis animus* (inquit Plutarchus *de Curiositate*) *horrénsque, & vimens interna, exilit foras, & circa extranea pascens, & saginans improbitatem suam vagatur. Vt enim auis, quæ in domo habet sæpenumero ante oculos paratum pastum, in angulum abdit se, atque scalpit ibi, sicubi compareat frumenti in stercore granum.* Rarus est, qui ad sua oculos vertat, rarus, qui studiosè aliena non inspiciat, sed dum quisque inutili studet curiositati, exponitur etiam discrimini. Dina curiosis oculis diuagatur, & oculis etiam curiosis inspicitur: *Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius, quam cùm vidisset Sichen filius Hemor Heuæi, Princeps terræ illius, adamauit eam. Gen. 34. v. 1.* Ni diuagaretur curiosa, non lugeret conspecta, sed ingemuit rapta, quia curiosa : Prodest Bernardus de gradibus humilitatis, §. Primus superbiæ, &c. *Tu curiosè spectas* (Dinam alloquitur) *sed curiosius spectaris. Quis crederet tunc illam tuam curiosam otiositatem, vel otiosam curiositatem fore post sic non otiosam, sed tibi, tuis, hostibúsque perniciosam ?* Curiositatis pœna fuit curiosè inspici, & inspectam rapi. Satrapæ expansis oculis, quid Bethsamitæ facerent, Arca iam reduce, examinarunt : *Quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt.* E latebris prospectarunt, sed dum curiosè intuentur, à Bethsamitis etiam spectantur. Arca sine auriga ad Bethsamitas peruenit, Satrapis curæ fuit, ne à Bethsamitis viderentur, & nihilominus omnia illorum vestigia adnotantur. *Reduxerunt Philisthiim Arcam Domini.* Adest Abulensis q. 28. *Dicitur hic : reduxerunt Philisthæi Arcam, quia Bethsamitæ satis cognoscebant, quòd Philisthæi duxerunt eam, & quòd ipsa venit super plaustrum, & Satrapæ Philisthinorum aspicientes quid facerent Bethsamitæ recepta Arca ; & sicut viderunt ipsi Bethsamitas, vt suprà dicitur ; ita etiam Bethsamitæ viderunt eos.* Se adinuicem curiosis oculis inspexerunt ; Philisthæi examinarunt Bethsamitarum facta ; Bethsamitæ Philisthinorum explorauere vestigia. Vt thesis nostræ veritas clareat, scilicet, qui aliorum notat actiones curiosus, venaticis etiam oculis notari solicitè inspectum.

§. CVIII.

Sæpè communis vtilitatis prætextu singularis vtilitas procuratur.

NOn semel astutia humana sibi consulit, & vtilitati aliorum prouidere se fingit, proprium suspirat ardenter lucrum, & alienum desiderare mentitur commodum. *Plurima beneficia, ac maxima* (aiebat Seneca *lib. 4. de Beneficiis c. 9.*) *in nos Deus confert sine spe recipiendi : quoniam nec ille collato eget, nec nos ei quidquam conferre possumus. Ergo beneficium per se expetenda res est. Vna spectatur in eo accipientis vtilitas : ad hanc accedamus sepositis commodis nostris.* Siue beneficium ad priuatum, siue ad commune bonum spectet, facientis commodum seponendum est ; verùm, vt dixi non semel commodum proprium inquiritur, & commune bonum ad speciem solummodò procuratur. Bethsamitæ sibi consulere satagebant Arcam à se amandando, vtque studium celarent, & vtilitatem se publicam suspirare assererent, nuntios ad Cariathiarim, vt Arca illuc deferretur, miserunt : *Descendite, & reducite eam ad vos.* Cur præcipuè ad Cariathiarim legatos miserunt, aliis omissis ciuitatibus, quærunt Interpretes, asserúntque hanc ciuitatem esse montuosam, & aliis fortiorem, voluisséque Bethsamitas hoc colore honestare suæ vtilitatis studium, quasi solùm Arcæ, & Reipublicæ suspirauerint commodum. Ita Abulensis *quæst. 28. Fingebant se suadere hoc, quia securius esset Arca in Cariathiarim, quàm in Bethsames, eò quòd Bethsames erat locus parvus, & magis coniunctus terræ Philisthinorum, quàm Cariathiarim.* Reuera plagam à se auertere procurabant, suísque commodis consulebant, recurrerunt tamen ad vtilitatem communem, quasi hoc modo Arcæ incolumitati, & totius Reipublicæ prouiderent honori. Et quidem hoc facto adumbratum est, quod sæpè contingit. Sunt, qui communis vtilitatis prætextu sua commoda exambiant, & specioso colore

tegant. Bethsamitæ eo colore desiderata assequuti, & etiam vt publicæ vtilitatis patroni, procuratoresque sumptuosis laudibus celebrati.

§. CIX.

Plures sic vtilitati communi consulunt, vt onus alijs imponant, & sibi parcant.

SVnt, qui zeli specie legem adamussim desiderent obseruari, qui ostentent se Principis, & Reipublicæ vtilitati studio solicito semper incumbere: verùm si opus sit quid impendere, aut onere aliquo humeros prægrauare, se eximunt, & aliorũ humeris onus imponunt. Quod Christus Pharisæis legem ad speciem zelantibus, & Dei cultum promouentibus non sine supercilio obiecit: *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.* Matth. 23. vers. 4. Zelabant legem, & quidquid molestiæ eius obseruatio afferret, non effugiendum edocebant; ipsi verò sibi indulgentes laborem omnem excusabant. Opportunè Chrysostomus in Catena D. Thomæ: *Onera legis quibusdam rationibus fabulosis commendantes auditoribus, quasi vincula super humeros cordis eorum ligabant, & veluti rationis vinculo constricti non rejicerent ea à se. Ipsi autem nec ex modica parte ea implebant.* Itaque erant obseruantiæ alienæ amantissimi, sed non adeò propriæ studiosi. Videas in Republica & religiosa etiam congregatione homines, qui ægrè ferant alios à tributis, religiosisve oneribus excusari, se tamen eximunt, & onus prorsus excutiunt. Bethsamitæ, vt Arca tutiori loco esset, vt Respublica à periculo plus distaret, ad Caritahiarim copiosiorem, fortioremque vrbem transferri decreuerunt, & Cariathiatim cives, vt asportarent, vocarunt, *Descendite, & reducite eam ad vos.* Bethsamitas Arcæ incolumitatis, Reipublicæque salutis desiderium ostendisse Cariathiarinos vocando tradit Abulensis quæst. 28. *Securius esset Arca in Cariathiarim, quàm in Bethsames, eò quòd Bethsames erat locus parvus, & magis coniunctus terra Philisthinorum, quam Cariathiarin.* Hinc quæstio exoritur. Si adeò religioso zelo satagunt Arcæ incolumitatem, & Arca incolumi Reipublicæ etiam salutem, cur moras nectant, & humeros sacro oneri non supponant? Si Cariathiarim tutius Arcæ munimentum est, non expectent ab alijs asportari, sed quantociùs adnitantur deferre; sic namque assequentur votum, & periculo opponent remedium. Ita sanè. Sed erant de eorum censu, qui ostentant zelum, sed subtrahunt humerum. Si ipsi Arcam deferant humeros labore atterent; si Cariathiarini tulerint, excusabunt laborem: ergo sic desiderant zelo adulari, vt recusarint onus subire. Notauit Abulensis data quæst. *Dixerunt etiam: Reducite eam ad vos, quia ipsi Bethsamitæ volebant se excusare à labore portandi.* Eodem tempore affectant Arcæ incolumitatis zelum & supponere nolunt humerum. Quid vsitatius? Quid verius?

§. CX.

Adulator gestit blandiri, vt quiuerit facilius onus imponere.

ET fera, & pisces (aiebat Seneca epist. 8.) *spe aliqua oblectante decipitur.* Addere posset: & homo euanido plausu & fucato encomio capitur. Quæ putantur elogia captiosæ inueniuntur insidiæ, & dum viscatæ laudes gratis auribus excipiũtur, humeri ponderibus prægrauãtur. *An non vides* (aiebat Philo de migratione Abrahami) *istos adulatores, qui tam nobis, quam interdiu permulcent aures suis Regibus, nec tantum applaudunt dictis eorum singulis, sed & protixis eos ornant laudibus.* Quo quid à magnatibus expiscentur, cupiditatis ambitionisque hamum adulationis, laudisque contegunt oblectamento & laus, dum sapit, laudantis negotium gerit. Bethsamitæ, vt Cariathiarinorum humeris Arcam imponerent, confugerunt ad adulationes & laudes: *Descendite, & reducite eam ad vos.* Ac si dicant: Vos cæteris estis digniores, nobilioresque: ergo ad vos spectat Arcam habere, & hoc honore præ cæteris frui. Hunc horum verborum sensum esse notauit Abulensis quæst. 28. *Volebant innuere Bethsamitæ, quod Cariathiarim erat locus nobilior, & dignior ad habendam Arcam.* Iam quale fuerit huius honoris, laudisque intentum, explicat Abulensis: *Ipsi Bethsamitæ volebant se excusare à labore portandi.* Bethsamitæ desiderabant Cariathiarinorũ humeris onus imponere: ergo eorum nobilitatem, prærogatiuasque extollunt, vt adulatione illecti supponant humeros prægrauati: *Bethsamitæ volebant se excusare à labore portandi.* Videas aliquando infimæ notæ homines laudibus à proceribus extolli, grato vultu excipi, ad secretiora domus admitti, sed scito hunc plausum ad præcipitia deducere, & humeros prægrauare; nam dum laudibus plebeius inflatur, oneribus imponendis etiam subijcitur. Dalida Samsonis fortitudinem demirata extollebant, & de industria laudibus commendabat; verùm vt crines auferret, & vires extenuaret: *Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo? Iudic. 16. vers. 6.* Præ cæteris fortem demirata laudibus efferebat, sed vt adulationibus sibi conciliaret, comamque auferret: *Maxima fortitudo tua.* Hamus adulationę tegebatur, & Samson capiebatur. Opportunè Ambrosius *epist. 70. Astutè satis, & calidè inter epulas, ac illecebras amoris quasi admirata fortitudinis eius eminentiam quærere cœpit Quo tandem genere tantum præstaret reliquorum virtutibus.* Adulationis artificio prætexit insidias, vtque dispoliaret, extulit: ergo aures prudentiæ obturamento sæpi, & adulationes eiusmodi time.

CAPVT

CAPVT VII.

1. VENERVNT ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini. 2. Et factum est ex qua die mansit Arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippè iam annus vigesimus) & requieuit omnis domus Israël post Dominum. 3. Ait autem Samuël ad vniuersam domum Israël, dicens: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim. 4. Abstulerunt ergo filij Israël Baalim, & Astaroth & seruierunt Domino soli. 5. Dixit autem Samuël: Congregate vniuersum Israël in Maspha, vt orem pro vobis Dominum. 6. Et conuenerunt in Maspha: hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Samuël filios Israël in Maspha. 7. Et audierunt Philisthiim, quod congregati essent filij Israël in Maspha. Et ascenderunt Satrapæ Philisthinorum ad Israël. Quod cùm audissent filij Israël, timuerunt à facie Philisthinorum. 8. Dixerúntque ad Samuëlem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum. 9. Tulit autem Samuël agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino; & clamauit Samuël ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus. 10. Factum est autem, cum Samuël offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israël: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israël. 11. Egressíque viri Israël de Maspha, persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque ad locum, qui erat subter Bethchar. 12. Tulit autem Samuël lapidem vnum, & posuit eum inter Maspha, & inter Sen: & vocauit nomen loci illius: Lapis adutorij. Dixítque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. 13. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltra, vt venirent in terminos Israël. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuëlis. 14. Et redditæ sunt vrbes, quas tulerant Philisthiim ab Israël, Israëli, ab Accaron vsque Geth, & terminos suos liberauitque Israël de manu Philisthinorum: eratque pax inter Israël, & Amorrhæum. 15. Iudicabat quoque Samuël Israëlem cunctis diebus vitæ suæ. 16. Et ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maspha, & iudicabat Israëlem in suprà dictis locis. Reuertebatúrque in Ramatha: ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israëlem: ædificauit etiam ibi altare Domino.

TEXTVS.

VERS. I. Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini.

§. I.

Quam tepidus solicitè rejicit, deuotus Domini crucem sitienter exambit.

Militia est (aiebat Iobus) *vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius. Iob. 7. vers. 1.* Et quidem vt ignavum tuba Martialis territat, & strenuum clangor inflammat; vt alter in arma ruit, quibus possit trophæum de ferocientibus hostibus reportare; vt recusat alter armorum pondus subire, quia inertissimus vmbratili otio desiderat indulgere; eodem modo spirituali in certamine accidit: Christi armaturam, crucem laborésque animitus recusat ignavus, & ardenter sitit feruidus. *Vocati sumus* (aiebat Tertullianus *ad Martyras cap. 3.*) *ad militiam Dei vini, iam tunc cùm in Sacramenti verba respondimus, nemo, miles ad bellum cum deliciis venit.* Adnectit: *Sudore omnia constant.* Non ignorant milites omnia sudore constare; tamen ni strenui, adnituntur refugere. Arcam, crucem videlicet Domini, à se amandare conati sunt Bethsamitæ: *Miserunt nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim Arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.* Quid tunc? *Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini.* In Arca adumbrari crucem; in Cariathiarim viros feruidos, & patiendi ambitiosos; in Bethsamitis inertes, & tepidos testatur Glossa Moralis. Ergo quam tepidi à se auertere cupiunt, crucem humeris imponere feruentes exambiunt. *Per Arcam significatur crux sancta. Per viros igitur Cariathiarim Arcam ad se reducentes, possunt intelligi pauperes religiosi crucem pœnitentiæ sibi assumentes.* Carnis maceratio, ieiunia, vigiliæque dulcescunt perfectis, displicent inertibus, & ignauis. Opportunè Chrysostomus *epist. ad Episcop. & Presbyter. in carcer. Nihil, quod aliis videtur graue, vos deterruit; non tribunal, non carnifex, non tormentorum coaceruationes, non minæ, quæ innumeras mortes nunciabant.* Quod aliis videtur funestum est iustis iucundum, & Cariathiarim viri festinant humeris Arcam convehere, quam Bethsamitæ animitus fatagunt recusare.

§. II.

§. II.

Labor, qui pro virtute subitur, honoris in lucrum vertitur.

GLoriam parit sudor, & qui humerum labore terit, honore etiam virtuti debito fulget. Opportunè Tertullianus ad Martyras *cap.3. Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus viuus est: Xystarches Spiritus Sanctus: corona æternitatis: brauium Angelica substantiæ politia in cælis: gloria in sæcula sæculorum.* Gloria, honorque est virtutis comes, nec possunt disiungi, quæ constant arctissimis vinculis copulari. In Abinadab domum infertur Arca. Iam si quæras, cur præ aliis habitus fuerit Abinadab tanto honore? respondeo: Quia Abinadab inter cæteros Cariathiarim viros virtutibus refulgebat: ergo eius in domum inferenda fuit Arca, & cum Arca non modica gloria: *Intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa.* Arcæ præsentia domus est nobilitata, quia omnium virtutum radiabat summa: ergo honor virtutis fuit debitum præmium, & sumptuosum illata Arca sanctitatis elogium. Adest Abulensis *quæst.9. Vt ait Iosephus 6. antiquit. iste Abinadab erat Leuita, & valdè iustus, atque vita religiosus, ideò visum est, domum suam esse locum dignum Deo, in quo Arca eius habitaret.* Dignus eo honore est habitus, quia virtutibus resplendebat excultus: ergo præmium fuit virtutis cæteris anteponi, & honoribus antecedere.

§. III.

Eximia virtus in vitiorum ditione, ea inuadit, & vincit.

VIrtus laudabili dissidio cum vitio semper decertat, & certamine honesto desudat, & licèt exambiendis vbique triumphis coronetur, tunc præcipuè lauris floridissimis redimitur, cùm in vitiorum ditione vitium inuadit, & vincit. *Cantic.4. vers.8.* aiebat Sponsus: *Veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Propriis in cubilibus leones edomuit, pardos subiugauit: ergo de feris reportata in ferarum antris victoria augustior refulgebat, & triumphantis virtutem deprædicabat. Opportunè Tertullianus ad Martyras *cap.1. Domus quidem diaboli est carcer, in qua familiam suam continet, sed vos ideò in carcerem peruenistis, vt illum etiam in domo sua conculcetis. Iam enim foris congressi conculcaueritis.* In sæculo vicerant, sed in carcere, peculiari diaboli domo, gloriosiorem triumphum reportabant, dum eius in ditione audaci, inuictaque constantia euincebant. Arca Cariathiarim vrbem ad hospitium delegit: *Veneruntergo viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini.* Si inquiras, cùm potuerit splendidiorem, & frequentiorem vrbem deligere, cur syluarum vrbem delegerit? Respondebit Hugo, ob id ipsum elegisse, vt dum feras in earum sylua edomat, augustiori resplendeat triumpho, & decantando sæculis futuris elogio. *Cariathiarim ciuitas est saltuum*, inquit Hugo. Consonat Rabanus *ad cap. 6. Interpretatur villa syluarum.* In saltibus, syluisque truces inhabitant feræ, indomiti leones, sæuissimi tigres: ergo ibi Arca tenebras conuertit in dies: *Factum est ex qua die mansit Arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies*, id est, de leonibus iam mansuefactis, de feris domitis Arcæ præsentia excreuit iustorum summa, & horribilia, ac caliginosa antra commutata sunt in splendidissimæ lucis emporia. Accipe Interlinearem: *Multiplicati sunt iusti, ut ab ipso vt dies illuminati sunt.* Qui olim alienum sitiebant sanguinem, iam proprium gestiunt profundere, & quæ syluæ adinstar feras truculentas procreabant, iam Cariathiarim fert homines mitissimos: ergo dum saltum amœnum conuertit in hortum, Arca augustiorem adepta est triumphum.

§. IV.

Aliorum scandala ad euitandam ruinam sunt prudentibus documenta.

SYrenæ, quæ in miraculum, vt curiosa prodit antiquitas, concinebant, ipsa suauitate naufragia nauigantibus excitabant, & quamuis nauigia opportunus fluctus abduceret, & carbasa aliorsum feliciter ventus inflaret, eligebant nautæ dulcedine illecti scopulos, quibus syrenæ absondebantur, incurrere, ne dulcedinem tantam viderentur spernere. Vlysses verò ibi apposuit solicitius remedia, vnde emergisse aliis agnouit pericula; obstruxit felici obturamento auditum, quod dulce euaderet detrimentum. Audi Cassiodorum *2. variar. 40. Nautis solicitatorem protinus obstruxit auditum contra noxiam dulcedinem. Cogitauit vir prudentissimus felicissimam surditatem, & quam vincere intelligendo non poterat, melius non aduertendo superabat.* Quia auditus fuerat scandalum, auditui opportunum apposuit remedium, & miser pereuntium casus, dum ostendit scopulum, fuit Vlyssi vtilissimum documentum. Viri Cariathiarim post vicinorum cladem Arcam in ciuitatem suam intulerunt: *Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini.* Cùm Arca ingenti strage Bethsamitas puniuerit, hic supplicium aliquod exercuisse non leges. Quòd si inquiras, cur Cariathiarim viri Bethsamitarum strage non fuerint perterriti, immò Arcam ad se reducere studiosè conati, respondebit Abulensis *quæst.2.* fuisse alieno damno edoctos, & vitasse periculum prudentissimè cautos: *Non recusauerunt portare Arcam, quia cognouerunt, quòd non accidisset ista plaga propter præsentiam Arcæ, sed quia Bethsamitæ se habuerunt irreuerenter circa Arcam.* Adnectit: *Gratum habuerunt, quòd daretur eis Arca, quia intelligebant, quòd ipsi poterant apud se eam tenere, ita quòd non accideret aliqua plaga, sicut patet ex diligentia, quam circa eam fecerunt.* Audax curiositas, curiosa audacitas, non Arcæ præsentia Bethsamitis attulerant cladem: ergo vti prudentes curiositatis vitarunt scandalum, & Arcæ præsentiæ perceperunt dulcissimum fructum: nam prudentes de aliena strage salutem demetunt de aliena ruina securitatem sibi stabiliunt.

§. V.

Suspicionem ingenerat, qui lucem veretur, & oculos fugere adnitur.

VIrtus non est plausus ambitiosa, non se ingerit oculis, verùm conspici nec expauescit, nec timet. Qui ita agit, vt videri refugiat, suspicionem ingenerat. Non disputo, an Moyses Ægyptium occidendo deliquerit, aut dum solicita cautela oculos timuit, aliqualem perpetrati criminis suspicionem ingessit: *Cùm circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Exod.2. *vers.*12. Dum quem timuit adesse, dum percussum Ægyptium festinauit abscondere, trepidantis conscientiæ indicium exhibuit, & contra se testem timorem ipsum produxit. Non timet Lia à parente solicitæ diligentia explorari; Rachel timet, & dum timet, subripuisse se idola prodit. Arca in Abinadab domum infertur, & loco editissimo collocatur: *Intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa.* Abinadab non vallem habitabat, sed montis celsis degebat, vbi ab omnibus posset inspectari, & videri. Notauit Abulensis *quæst.9. Accipitur hic Gabaa non pro vt est nomen proprium vrbis, sed pro vt est nomen commune significans collem, vel celsitudinem.* Qui ad honestatis legem viuunt, oculos nec timidè effugiunt, nec vanè exambiunt.

bjunt. Lege cautum erat, ne quis extra tabernaculi ostium sacrificaret, vt omnem audacem suspicionem depelleret. Ita Abulensis *quæst.* 8. *Fuit hoc ad tollendum oblationes dubias, quia quanquam aliquis in loco separato vellet offerre Deo, tamen dubium erat, an offerret dæmonibus, & habebat occasionem ad offerendum quomodocumque vellet, quia à nemine videbatur ibi.* Qui amant tenebras, qui refugiunt inopinè spectari, de se edocent malè præsumere. Concinnis moribus Abinadab elucebat, qui oculatum adeò testem, Arcam scilicet omnibus suis actionibus nec adesse dubitauit, nec meruit. Quàm benè Seneca *epist.* 43. *Tunc felicem te esse iudica, cum poteris in publico viuere, cùm te parietes tui tegent, non abscondent.* Adnectit: *Vix quemquam inuenies, qui possit aperto ostio viuere. Iamiores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic viuimus, vt deprehendi sit, subitò adsici.* O te miserum, si Deum habere refugis testem, immò si homines! Si honesta sunt, quæ facis, nil interest omnes sciant; si turpia, quid refert sciat nemo. Bona conscientia, nec turbam aduocat, nec veretur; mala etiam in solitudine anxia, & solicita est. *Amicum est crimini* (aiebat Cassiod. 12. *var.* 17.) *velle nescîri, & qui vias occulit, conscientiam prodit.*

§. VI.

Virtus plurimum affert fructum exprompto animo culta, non adacto, & inuito exercita.

DOctrina, virtusque animum desiderant exprompturn, auersantur inuitum: in irritum sæpè labor desidat, si virtutis solùm excitet desiderium, & refugiat exercitium. Benè Seneca *epist.* 38. *Non hoc agendum est, vt velit discere, sed vt discat*: Adnectit: *Seminis modo sparsa sunt, quod quamuis sit exiguum, cùm occupauerit idoneum locum, vires suas explicat, & ex minimo in maximos fructus diffunditur. Eadem est, inquam, præceptorum condicio, quæ seminum. Multum efficiunt, & si angusta sunt tamen, vt dixi, idonea mens rapiat illa, & in se trahat. Multa inuicem & ipsa generabit, & plus reddet, quam acceperit.* Facilius est virtutis desiderium fouere, quàm actione perficere. Qui trahitur, exiguum, & lentum producet fructum; qui exambit, ad virtutis peruenîet facilitet incrementum, Abinadab Arcam recipit: *Intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa*, & iam dies multiplicantur, id est, prospera, vt placet interpretibus, adaugentur: *Multiplicati sunt dies.* Huius multiplicationis causam Abinadab nomine ipso profert, interpretatur namque, vt placet interlineari, *spontaneus*: ergo dum exprompto animo recepit Arcam, adauxit etiam fortunam. Ita Theodoretus: *Prompto, & alacri animo Arcam excepit Abinadab, & idcircò totam eius domum Dominus replevit benedictione.* Si Abinadab coactus reciperet, fortunam non adeò augeret; ast dum spontaneus admisit, & feliciter auxit. Benè Tertullianus *in Apologetico cap.* 28. *Certè ineptum existimaretur, si quis ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos vltrò sui causa placare deberet.* Lubens animus placat, coactus aut exasperat, aut irritat.

§. VII.

Sacerdotis domus dignum Dei esse debet hospitium, immò gratum habitaculum.

EAmeritorum pompa lucere debet sacris initiatus, vt omnibus habeatur conspicuus: Sacerdotalis dignitatis lux resplendet, cùm excultis moribus Sacerdos niteat. Quàm aptè Sacerdotibus applicatur, quod scripsit Cassiodorus 6. *variar.* 12. *Spectabilitas clara, & consistorio nostro dignissima, quæ inter illustres ingreditur, inter proceres aduocatur; otiosi cinguli honore præcincta dignitas, quæ nullum nouit offendere, nullum cognoscitur ingrauare, & super omnia bona concitare nescit inuidiam.* Sacerdos honorificis titulis resplendet, & tamen non concitat sibi inuidiam, quia sciunt omnes ad cunctorum resplendere medelam; quandoquidem esse debet pauperum refugium, ærumnarum leuamentum, afflictorum auxilium. Arca apud Philisthæos exul, apud Bethsamites non ritè culta, in domo Abinadab quiescit & lucet: *Intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa.* Dignum Arcæ hospitium Abinadab habitaculum fuit. Abinadab vti Leuita grata virtutum floruit elegantia, & ideò in eius domo Arcæ habitatio iucunda. *Fuit posita in domo Abinadab, quia, vt ait Iosephus, iste Abinadab erat Leuita* (inquit Abulensis *quæst.* 9.) *& valdè iustus, atque vita religiosus; ideò visum est, domum suam esse locum dignum Deo, in qua Arca eius habitaret.* Abinadab Leuitici ordinis irradiabat fulgore, & morum dignitatem commendabat virtute. Ergo eius domus non solùm Arcæ dignum, sed iucundum fuit diuersorium. Ad Abrahamum, quem Sacerdotem plurima illa victima florenti semper fama vulgauit, sine cunctatione Dominus diuertit. *Fac, vt locutus es*, Genes. 18. *vers.* 5. Lothi verò domum sua etiam nobilitauit præsentia; verùm non solùm inuitatus, sed quodammodo compulsus. *Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum.* Genes. 19. *vers.* 3. Vrbana benitentia ostendit Sacerdotem Abrahamum eis moribus prælucere, vt eius domus dignum fuerit Numini hospitium, immò apud eum manendo gratissimum habitaculum. Adest Philo *lib. de Abrahamo*: *Accurrens supplicîter petiit, ne transirent eius tabernaculum, sed introgressi paterentur se tractari ciuiliter. Hi cùm non magis ex verbis, quàm ex mente intelligerent eum seriò agere, incunctanter annuerunt.* Sacerdos Abraham cucurrit; Lothus ambulauit: ergo Sacerdotis domo incunctanter requieuit, apud Lothum non adeò facilè mansit.

§. VIII.

Ea virtus solicitudine custodienda, vt hostis non tentet furari, immò nec præsumat accedere.

BEnè politicus ciuitatem cingere munitionibus studebit; nam ciuitatum munitio est quies certa cunctorum: in pace solicitudo debet insudare, ne cogatur in conflictu timere. Hinc Senatus præfectus Siluatarium admonebat 12. *var.* 17. hostibus spem adimere, & impenetrabilibus terræ hiatibus ciues defendere: *Admonere curabis, vt iuxtà montem Caprarium, & loca circumiecta muris fouearum ingentiora ora pandantur, taliſque ibi pateat hiatus, vt nullus relinquatur introitus.* Si solicitè impeditur hosti ciuitatis introitus, solicitiùs, ne temeretur virtus, vitiis denegari debet ingressus, quando pretiosiora maiori debent custodiri cautela. Hinc est, quod viri Cariathiarim, quàm Arcam receperant læti, collocarunt in Gabaa prudentissimè cauti: *Intulerunt eã in domum Abinadab in Gabaa.* Gabaa excelsus collis erat munitionibus vallatus, vallibusque munitus: ergo ibi Arcam constituerunt, quo hostis accedere non valeret. Adest noster Sanctius: *Locum significat, qui in ciuitate magis erat sublimis, atque munitus, quique magis videbatur dignus, qui Arca Dei religiosum, & tutum præberet hospitium. Sicut Dauid, cùm eandem Arcam transmisit Hierosolymam, arcem elegit Sion, quæ ciuitas appellatur Dauid, locum nimirum maximè in ea ciuitate sublimẽ quò vis hostilis aspirare non posset.* Ea diligentia asseruata est Arca, quæ vel audacè hostium præsumptionem impediret, & eneruaret. Eandem solicitudinem in sponsæ capillis dilaudauit sponsus: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Cant. 4. *v.* 1. De mõte in montẽ ascendit, vt à lupinis ructibus quiesceret

libera, immò ab audaci præsumptione secura. Ita Ambrosius *in Collectis: Spectantur à pastoribus suis* (capræ) *dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt.* Capræ plenum lacte vber ibi hinnulis administrant, vbi à lupis pati non possint rapinam, immò nec truculentam vereri audaciam. Vt hinc discas, quanta solicitudine debeas animum circummunire, ne aditum inueniat leo ille, qui circuiens quærit quem deuoret, aut saltim percutiat.

§. IX.

Virtutum debet culminibus elucere, qui Sacerdotalibus infulis desiderat exornari.

LVx priùs conditoris laude approbata: *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.* Gen. 1. *vers.* 4. Supernis orbibus est inserta. Sidera in fastigio lucent collocata, quia earum lux oculos antea allexit purissimis radiis conspicua. Dum Senarium ad excelsam dignitatem Theodericus promouit, virtutum lumine, & originis claritate resplenduisse ad electionis commendationem ostendit; nec enim fas erat celsa conscendere vitiis sordidum, aut origine obscura denigratum. *Inter hæc* (aiebat 3. *variar.* 4.) *stupenda meritorum, originis quoque simili claritate resplendet, vt habeat, qua parte sit ditior, cùm copiosius vtraque possideat. Habent ergo sigillatim distributa præconium, iuncta miraculum.* Ne Sacerdos habeatur despectui, qui cunctis veneratione præponitur, honesta debet origine ornari, & virtutum luminibus refulgere. Eleazarus Abinadab filius refertur, & in Gabaa habitasse describitur; dum sacris infulis initiatur: *Eleazarum filium eius sanctificauerunt.* Et patrem, & locum retulit Scriptura, vt maiori luceret pompa. Notauit Rabanus: *Gabaa interpretatur sublimitas, vbi Eleazar Sacerdos constituitur.* Sublimis virtute, & sanguine ad Sacerdotium promotus est, vt notum fuerit, opus esse præluceat & honesta origine, & virtutum claritate ad Sacerdotium eligendus, & altaribus consecrandus.

§. X.

Sacerdos Numinis sit adiutor, vitiorum terror.

IRridebat Tertullianus in Apologetico *cap.* 30. idolorum Sacerdotes, quandoquidem ab eis infausta, aut felicia potiùs, quàm à victimis scrutanda fuissent auguria: *Mirer, cùm hostiæ probantur penes vos à vitiosissimis Sacerdotibus, cur præcordia potiùs victimarum, quàm ipsorum sacrificantium examinantur.* Vtiliùs de Sacerdotum moribus fieret examen, quando ab eis valerent meliùs prænoscere, quod in pecudum extis inepta curiositate laborabant inquirere. Sacerdos ad debellanda crimina est Dei auxilium, & validissimum adiutorium. Electi Sacerdotis ad Arcæ custodiam nomen expressit Textus, vt nosceremus, probum Sacerdotem esse Numinis adiutorium, mortalium auxilium. *Eleazarum filium eius sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini.* Arcæ munimen erat Sacerdos, & virtutum custodia vitiorum erat ruina. *Eleazar* (inquit Rabanus) *Dei adiutorium. Benè autem qui hoc nomine vocatur, ad Arcam Domini custodiendam eligitur.* Eleazar erat Arcæ pro muro, quia Sacerdos, si virtute fulgeat, est religionis, ac virtutis propugnaculum, & tenebrarum exilium.

§. XI.

Qui Sacerdotali dignitate refulget, tenetur sæculo prorsus renuntiare, Numini totis viribus inseruire.

QVisquis tenetur concinnis moribus enitere, & à se, si quid sordidet, studio vigilantissimo propulsare, verùm qui Sacerdotalibus infulis decoratur, potiori iure constringitur, quandoquidem Dei fruitur adspectibus proximus, & quodammodo consanguineus: ergo vt celsiora loca viuidioribus solis radiis illustrantur, nec tenebrarum adsultibus impetuntur: ita qui ad apicem tantæ dignitatis euecti, & candidiori soli vicini, tenebras debent nescire, & candidissimis fulgoribus semper radiare. Aptè Cassiodorus 10. *variar.* 15. de ciuitate montis culmine sita aiebat: *Hæc nascentem solem ab ipsis cunabulis intuetur, vbi ventura dies non præmittit auroram, sed mox vt oriri cœperit, lampadem suam vibrans fulgor ostendit. Gaudentem respicit Phœbum, propria illic luminis claritate resplendet, vt ipsa magis solis putetur esse patria, Rhodi opinione superata.* Sacerdos putandus est lucis patria: ergo & ardentiore lampade micare, & adiacentes campos debet saluberrimis radiis perfundere. Ecce cùm Eleazarum filium Abinadab Cariathiarim viri Sacerdotis dignitate exornarunt, dignitatis pensum explicuerunt: *Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini.* Idem esse sanctificasse, & Sacerdotem instituisse, tradit Hugo Cardinalis: *Sanctificauerunt, id est, Sacerdotem instituerunt, in custodiam Arcæ.* Huic vnicæ curæ destinatus est, videlicet vt totus esset in Arcæ obsequio, vtique nil indecori, vel aduersi accideret, prouido adniteretur studio. Adstipulatur Abulensis *quæst.* 19. *Id est, non fuit ad aliquam operationem, vel ministrationem aliam ordinatus Eleazarus, nisi vt custodiret Arcam.* Arcæ proximior virtutibus effulsit ornatior. *Si iustitiam colere vniuersos* (aiebat Theodericus 5. *variar.* 12.) *& amare præcipimus, quanto magis eos, qui nostra proximitate gloriantur, quos omnia decet sub laude gerere, vt regiæ possint fulgorem consanguinitatis ostendere.* Proximitas candidiores radios excipit, quibus & omnem obscuritatis caliginem abstergere, & probatissimis tenetur moribus exornari.

TEXTVS.

VERS. II. Et factum est ex qua die mansit Arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippè iam annus vigesimus) & requieuit omnis domus Israël post Dominum.

§. XII.

Luctuosa aliorum strages edocet respicere, & se ad meliora transferre.

FElle illius magni pisces, qui dum auida cupiditate escam sibi indebitam anhelauit, trucidationi incurrit, caligo detersa est: *Sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui ... & cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oui egredi.* In membrana oui expressam cupiditatem testatur Hugo hic: *Membrana oui cupiditas.* Cupiditatis strage est curata cupiditas, & exenterati piscis particula oculis fuit pro medela. Quàm differtè aiebat Cassiodorus 3. *variarum* 4. *Modus raro lætis rebus imponitur, qui magis in tristibus inuenitur.* Tristia docent modum, vt gaudia excessum. Iam domus Israël sequitur Dominum, qui infirmo antea vacillauerat gressu: *Requieuit omnis domus Israël post Dominum.* Huius mutationis causam existimat Lira fuisse Philisthinorum ruinam

ruinam, filiorum Heli supplicium : *Conuersio incepit à tempore, quo populus iam viderat malum, quod euenerat propter peccata filiorum Heli, & audiuerat plagam Philistinorum propter Arcam Domini.* Alienum supplicium ad respiscendum fuit documentum, & quidem saluti suæ inuidet, qui aliena strage non sapit.

§. XIII.

Virtutum lentissimè procedunt incrementa, crescunt citissimè vitiorum deliria.

VIrtutis semina cœlesti manu immissa noster habet animus, sed facilè aut petrosa suffocant, aut arida impediunt, aut spinosa diripiunt. Econtra vitia veluti impetu succrescunt, & in syluam citissimè transeunt. Quàm benè, & verè Seneca epist. 85. *Adiice nunc, quòd ista, quantumuis exigua sint, in maius excedunt: nunquam perniciosa seruant modum. Quamuis leuia initia morborum serpunt, & ægra corpora minima interdum mergit accessio.* Modum, & quidem lentissimum, honesta seruant, quia illarum semina nec meditatione irrigamus, nec affectibus confouemus. Paratiores, profundioresque sulcos inueniunt praua, & excrescunt in cumulum pernicioſa. Illata Arca in domum Abinadab non statim iniquitas est demersa, sed post annos viginti ab Israëlitis est abiurata : *Et factum est ex quo die mansit Arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippè iam annus vigesimus) & requieuit omnis domus Israël post Dominum.* Ac sidicat Textus: Post Arcæ aduentum populus incepit respere, & se ad meliora transferre. Quod si scire cupis, quanto tempore hæc semina coaluerint, scito multiplicatos fuisse tot dies, vt viginti annos compoſuerint: *Erat quippè annus vigesimus, & requieuit omnis domus Israël post Dominum.* Innuit Caiet. *Et requieuit iuxta Hebraum habetur, & luxerunt omnis domus Israël post Iehouah. Ecce prima actio populi infra istos viginti annos: & est actio pœnitentiæ propter offensum Deum.* Luxerunt, sed plurimis elapsis diebus; sed indefessa Samuëlis admonitione excitati, &, si fas est dicere, Arcæ præsentia compulsi. Aliter accidit Exodi 32. vbi Moysem non adurserunt, vt citò præcideret tabulas, quibus priores fractas instauraret: vrserunt tamen Aaronem, vt vitulum detestandum construeret : *Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant. Exod. 32. vers. 1.* Notauit Tertullianus aduersus Gnosticos cap. 3. *Populus tam necessariæ absentiæ eius impatiens Deos sibi producere quærit, quos potiùs ipse perdiderit: vrgetur Aaron.* Non vrgetur Moyses, vt sacra citò exarari præcepta; vrgetur Aaron, vt luctuosa construxerit simulacra; nam citato gradu tendunt omnes ad noxia, ad salubria lentissimo.

§. XIV.

Qui virtutem amplectitur, quiescit placidus, qui non, vacillat variis perturbationibus impetitus.

NIhil sine virtute stabile, nihil firmum : quod adeò verum est, vt vel cæci, qui à fortuna profluere existimarunt felicitatem, à virtute crediderint promanare firmitudinem. Ita Plut. *de Romanorum fortuna* : *Perindè sanè quòd vrbem Romam vt opificium instituit, tempus socio Deo fortunam, & virtutem inter se temperauit, & copulauit, quod ab vtraque mutuatum peculiarem operam exædificauerit, omnibus mortalibus domicilium verè sacrũ, & beneficum, arcemque firmam, atque elementum sempiternum; quod labescentibus rebus humanis anchoræ vice aduersus iactationem, & errores foret.* Satis non erat à fortuna construi Romam opulentam, ni virtutis anchora consisteret firma, & contra turbines irruentes semper immota. Vt hanc veritatem nobis Textus Sacer expri-

meret, dum Israëlitas Dominum secutos retulit requieuisse etiam explicuit : *Requieuit omnis domus Israël post Dominum* : ac si dicat, cùm sequebantur idola, eorum animi fluctuabant iam Baalin seruientes, iam Astaroth adorantes; nec enim poterant conscientiæ turbinibus non iactari, dum virtute firma anchora nequibant stabiliri. Ita noster Sanctius: *Nil aliud est, opinor, qua domũ Israël, quæ lubrico vacillabat vestigio, quæ modo in hanc, modo in illam religionem incerta ferebatur, tandem mutato animo, & meliori iam studio vnum elegisse Deum, cuius adhæreret auspiciis & mandata compleret.* Subiicit : *Illud autem est quiescere post Deum & in eius obsequio gradum figere stabilem, & certum.* Stabilem gradum dedit virtus, & veritas; vertigine iactatos diuexabat prauitas, & impietas; nec enim potest animus sine virtute frui serenitate placida, aut quiete serena.

§. XV.

Non cesset concionator salubriter admonere, & si videatur diù sine fructu laborare.

VT semina terræ commissa statim copiosam non assurgunt in messem, sed temporum tractibus post gelidas niues, & ardentes soles matureſcunt, incrementumque copioſum afferunt; sic doctrina animis auditorum sparsa, quamuis statim votis non respondeat, tandem pullulat, & laborem concionatoris fructibus cumulatis honorat. Applicari Samuëli potest, quod aliorsum aiebat Cassiodor. 8. *var.* 21. *Cursus annorum laudis tibi procurat augmentum.* Nam cùm viginti annos vtiliter in adhortando ad virtutem consumpserit, copioſus tandem fructus respondit, & honestam illam, atque indefessam Samuëlis pertinaciam nobilitauit: *Erat quippè iam annus vigesimus, & requieuit omnis domus Israël post Dominum*, id est, toto illo tempore variis exhortationibus, vt idololatriam prorsus abiicerent, procurauit, nec destitit. Ita Caiet. *Hic sensus quadrat rebus gestis, & solicitudini, ac bonæ famæ Samuëlis, vt quàm primum potuerit, postquam cessauit clades Bethsamitarum, per viginti annos non destiterit vacare iis, quæ ad salutem erant populi.* Ipse annorum tractus ad constantiæ Samuëlis laudem profuit, & tandem perseuerantia nobilissimos fructus attulit. Vt discant concionatores, quamuis fructus labori non respondeat, exhortationi insistere, & veritatis, ac doctrinæ semina spargere.

TEXTVS.

VERS. III. Ait autem Samuël ad vniuersam domum Israël, dicens: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalin, & Astaroth, & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim.

§. XVI.

Concionator non solicitet sibi plausum, sed audientium procuret fructum.

PLura sunt, quæ concionem fructibus cassam, & inutilem reddant: stylus calamistro concinnatus, subtilitas ingenium concionatoris ostentans, & ingenij laudem captans : dicendi modus adeò citatus, & celer, vt verba audientem fugiant, & solùm celeritatis admirationem dicenti pariant; non prosunt, quæ impetu fluunt, opus est decenti lentitudine, & non insipida claritate. Huius veritatis testis sit Senec. ep. 40. *Sic itaque habe: istã vim dicendi rapidam, atque abundantem apiorẽ esse circulanti,*

lanti, quàm agenti rem magnam, ac seriam, dicentique. Æquè stilare illam nolo, quàm currere, nec extendat aures, nec obruat. Nam illa quoque inopia, & exilitas minus intentum auditorem habet tædio interrupta tarditatis: facilius tamen insidit, quod spectatur, quam quod præteruolat: Denique tradere homines discipulis præcepta dicuntur; non traditur, quod fugit. Verba celerrima lingua prolata fugiunt mentem, verberant aurem: ergo sermo nec morosè adeò fluat, vt tædium pariat auditori ingratis morulis disiunctus, nec præteruolet aures nimis citatus. Adnectit Seneca: *Adiice nunc, quòd quæ veritati operam dat oratio, incomposita debet esse, & simplex. Hæc popularis nihil habet veri, mouere vult turbam, & inconsultas aures impetu rapere. Quæ sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet: remedia non prosunt, nisi immorentur. Multum præterea habet inanitatis, & vani, plus sonat, quàm valet.* Oratio nimis concita solummodo sonat, immo totus eius in sono valor. Samuël non ieiuna oratione, sed nec fucata populum corripuit, & concionem fructus sequutus est: *Abstulerunt ergo filij Israël Baalim, & Astaroth, & seruierunt Domino soli.* Preme illud, *Ergo*; fuit namque illa conuersio perspicuæ, & debito modo prolatæ orationis fructus, quem non lucraretur, si de industria implexa intellectum auditoris distorquens, aut in modum torrentis aures effugiens. Dicendi celeritas doctrinæ officit, non insidet, quod fulguris adinstar solùm resplendet, & aciem oculorum eludit. Verba cordibus sunt inserenda, proiicienda non sunt. Ergo Euangelicus orator pedetentim debet procedere, &, quæ auditor ruminari postea possit, verba cómittere. Vittæ coccineæ assimilauit sponsus sponsæ labia: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Cant. 4. vers. 3.* non erat eloquium insipidum, sed conditum, ea tamen arte, vt ligaret, & splenderet. Audi Gillebertum *in Allegor. Tilman. Nimirum ea labia ligant, & rutilant, quæ de tali ventris fructu loquuntur; concepta in corde charitas, quasi ignis flammigerans coccineo colore labia inficit, per quæ erumpit.* In labiis agnoscitur, an verba à charitatis ardore, an profluant à reprehensibili vanitate. Concionatoris pronuntiatio sicut vitta debet ligare, & decenter splendere; debitum ordinem non seruat, quod præcipitatur, & properat. Discant à Samuële Concionatores exambire salubrem fructum, & respuere volaticum plausum. *Incipit Samuël* (aiebat Caietanus) *conuertere populum peccatorem.* Studuit conuertere, non sibi admirationem lucrari.

§. XVII.

Concionator singularem non feriat, sed doctrinam cunctis profuturam spargat.

DVm iaciebant in mare retia; Apostoli ad animarum piscationem vocati sunt: *Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4. vers. 18.* Non docuit contrarium modum, sed digniorem quærere fructum, & quidem rete vndis cómissum piscem nullum ferit, & plures colligit; hamus plures non colligit, quia vnum tantummodo ferit: Ergo, si concionator vtatur hamo, feriet, nec plures capiet. *Iubet* (verba sunt Euthymij ad hunc locum) *vt sequantur, & pro retibus, quæ possidebant, sumant ab eo rationalem sagenam; & in mare sæculi mittentes pro piscibus homines captant.* Vt capiant homines non vtantur hamo singularem piscem feriente, sed rationabili sagena plures capere indifferenter conante: facilius homines amplectuntur virturem vbiunque admoniti, quàm duris verbis exasperati. En Samuel non vnum, aut alterum publicitus, ac singillatim ferit, sed omnes in communi adhortatur, vt copiosiorem fructum elucretur: *Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israël.* Fors si quem publica admonitione, & quæ singulari applicari possit, corriperet, non solùm exasperaret, sed prudentiam offenderet. *Samuel loquebatur hoc generaliter*, (inquit Abulensis *quæst. 24.*) *sicut prædicatores faciunt.* Prædicatores suo exemplo edocuit generaliter admonere, & singulariter non ferire.

§. XVIII.

Vitiis intinctus non est repentè transferendus ad perfectionem, sed pedetentim ducendus est ad virtutem.

VT statuarij paulatim alia limando, alia paulatim auferendo efformant pulchram imaginem; sic qui ad virtutem efformare cupiunt animos, si prudenti lentitudine quid semper liment, ac detrahant, opus perficient: ast si simul omnia nitantur auferre, laborem inueniuntur amittere. *Plane, & aquabiliter pergat perpetuò* (aiebat Plutarch. *lib. quemadmodum sent. te in virt. proficere*) *& percurrat per doctrinam nusquam incurrendo. Hoc enim si modico addideris modicum, atque frequentius illud feceris, haud sola de pecuniæ dictum est adiectione eleganter, sed facit ad omnia præsertim ad virtutis occisionem.* Vt ægris quò plus viribus destitutis austeriora nocent medicamenta, sic peccatoribus deprauatis aspera verba, & rigida monita non prosunt, sed lædunt: indulgentiùs sunt tractandi, & attrahendi: Ergo Samuel, quousque Israëlitas vidit ad meliora traductos, blandis verbis adhortatus est, & obtinuit prudentia, quod fors non assequeretur rigiditas aspera: *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos.* Notauit Abul. *q. 25. A principio exhortationis Samuëlis Israëlitæ erant multo alienati à Domino, ideò pauliper eos reducere conabatur, etsi dixisset illis, quòd totaliter excluderent à se Baalim, & Astaroth, à principio nihil fecissent.* Adiungit: *Erant duo mala, scilicet quòd Deum verum non colebant, & quòd idola adorabant. Samuel autem à principio exhortationis suæ reduxit illos à primo malo, faciendo quòd Deum colerent: ad vltimum autem admonuit, quòd etiam non colerent idola, sed solùm Deum.* Dum gradatim perduxit, ad perfectionem peruenire prudentissimus fecit, & fors si vrgeret, irritis conatibus laboraret. Erroneam illam ouem humeris pastor imposuit, & ad ouile reduxit: *Imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. *vers. 5.* Si vrgeret fessam, perdidisset, dum patienter, benigneque ei compatitur, feliciter ouis reducitur. *Laborem inquisitionis patientia suscipit* (inquit Tertul. *lib. de Patientia cap. 12.*) *& humeris insuper aduehit baiulus patiens peccatricem derelictam.* Ni benignè cùm ea ageret, bonis amissis spebus prorsus corrueret, & in præcipitium se daret: Ergo dum eam non onerat, dum humeris dulciter aduectat, perfectioribus adnumerat.

§. XIX.

Sub Præsule sanctitate, & æquitate exornato Respublica floret, & virtus nitet.

VEnturum diem (aiebat Cassiodorus 12. *var. 18.*) *lucifer demonstrat exortus: serena sequutura fauens ventus ostendit: imminentia bona quadam animi præsagitione dignoscimus, & difficilè magna res geritur, quæ signorum præcursione minime declaratur.* Vt lucifer, si tenebrosis nebulis obscuratus, diem prænuntiat turbidum; vt candida luce resplendens prædicit serenum; sic Præsul pro lucifero est, inde præsagitur, aut Reipublicæ status turbidus, aut serenus. Heli filij culmina possidentes stragem vel ipsis nominibus denuntiabant, & eorum cæteri in moribus præuidebant. Successit Samuël, & vt

vt salubris ventus depellit nubila, & secum affert serena; ita mores composuit, & quidquid sordidum à Republica propulsauit: *Requieuit omnis domus Israël post Dominum.* Sub Præsule virtute, æquitateque resplendenti & religio floruit, & Respublica requieuit. Notauit Abulensis *quæst.22. Hinc consequenter declaratur relevatio populi à iugo Philisthinorum sub Samuële, quæ facta est propter conversionem ad Deum per solicitudinem Samuelis.* Samuëlis solicitudo crimina propulsauit, & ferocientes hostes repressit. Vt noueris quanta ab optimo capite membris promanauerint bona, & quanta à non bono defluxerint detrimenta.

§. XX.

Plus Reipublicæ conducit superior ornatus meritis, quàm prolixis grandævus annis.

PLurimum interest temporis suffragium, si concurrat & meritum: verùm cùm pro canis sint sensus, parum iuvat, immò nocet plurimum, si dignitatis culmen à trunco annoso occupetur, & conducit valdè, si à senioto, etsi iuvene possideatur. *Ex multis vitiis* (aiebat Plutarch. lib. An seni, &c.) *multò maximè ignauia, languor, & mollitia fugillant virum grandævum, qui ex curia in conclave abdit se mulierum, vel ruri spicilegium facit, & messores aspicit.* Grandævus ignauiæ deditus, cupiditati addictus, otióque immersus, Reipublicæ pestis est; effrænis namque diuagatur procacia nullo timore correcta: quâ senectus venerationem conciliat, ignauia, & oscitantia relegat; vt è contra quam ætas non persuadet florida, virtus, & solicitudo reuerentiam edocet cana. Sub Heli grandævo oscitante, & lippiente populus variis criminibus est infectus, & armis hostilibus subiugatus. Adolescens Samuël clavum accepit, & Reipublicæ felicitatem restituit: *Requieuit omnis domus Israël post Dominum.* Sub iudice iuvene, sed virtutibus ornato Respublica viguit, & sub sene inerti elanguit. Notauit Abulensis *quæst.23. Quando mortuus est Heli, Samuël non erat magnæ ætatis, quia tamen erat Propheta Domini cognitus in toto Israële, vt patet suprà cap.3. acceptus fuit in iudicem ab Israëlitis.* Rectè se populus gessit, vt qui caluit plus iuvare ad Reipublicæ gubernationem merita sine canis, quàm canos sine dotibus, aut meritis.

§. XXI.

Qui vitiis inseruiuit cæcus, inuolet ad virtutes festinus.

NOn æqua virtutis, & affectionis deprauatæ sors est. Quisquis ad virtutem accessit, dedit generosæ indolis speciem; qui voluptatem sequitur; factus est, & eneruis, & quod peius est, in turpia ruiturus; verùm sic cæcutimus, vt ad voluptatem inuolemus, cùm lento gradu ad virtutem accedamus. *Voluptas nocet nimia* (aiebat Seneca *lib. de vita beata, cap. 13.*) *in virtute non est verendum, ne quid nimium sit, quia in ipsa est modus.* Vtinam quem virtus petit, modum obseruarent eius affectæ; verùm semper quid detrahunt, voluptuosi non parum addunt. Adnectit *cap.14.* Seneca: *Non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet, cuius aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deseruntur ab illa; miseriores, si obruuntur.* Inspecta à pincerna illo vitis paulatim crescebat: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere in gemmas. Gen.40. vers.10.* Ad edulia celeri volatu tendebant aues: *Aues comedere ex eo.* Quàm lenta vitis, quàm celeris auis! Ob id monebat Samuël Israëlitas, vt ad virtutem properarent: *Requieuit omnis domus Israël post Dominum. Ait autem Samuël ad vniuersam domum Israël dicens: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos.* Adhortationis fructus fuit quiescere: pro verbo illo in Hebræo est *festinare.* Notauit Abulensis *quæst. 23. In Hebræo ponitur hic verbum, quod significat festinare, vel parare se, scilicet quòd omnis domus Israël festinauit post Dominum ad sequendum eum.* Cucurrerant ad idola: ergo admonuit Samuël, vt ad Numinis inuolarent obsequia: tenetur namque qui ad voluptatem citato gradu contendit cæcus, tendere non lento ad virtutem inoculatus.

§. XXII.

Virtute melius quàm armis reportantur triumphi, & premuntur aduersarij.

ARdentia arma obsistente Numine hebetantur; sine armis hostes, Numine fauente, vincuntur. Syrus robur exercitus parat in Elisæum: *Misit illuc equos, & currus, & robur exercitus. 4. Reg. 6. vers. 14.* Elisæus inermis virtute capit, & in Samariam ducit: *Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate.* Copiosus exercitus Elisæi triumphis militauit; Elisæus armis destitutus, sed virtute armatus subegit. Parum nocet homo iratus, si Deus propitius: parum iuvat homo propitius, si Deus iratus. Notauit Ambrosius *serm.1. de Eliseo: Elisæus Propheta, cùm eum vellet Rex Syriæ captiuare, ac suæ subdere ditioni, multisque eum armatorum cinxisset agminibus, non est territus, non turbatus, sed annuntianti puero ait: Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. O fides sancti Prophetæ! Non timet aduersarios, quos prospicit, quoniam scit Angelos secum esse, quos credit.* Tumebat Syrus instructus satis copiosis agminibus, aderat Elisæus armis destitutus, sed virtutibus obarmatus. Ergo Syrus, quem corrupti mores eneruabant, virtuti cessit, & virtus sine armis vicit. Adnectit Ambrosius *serm.2. Graviores inimici sunt praui mores, quàm hostes infecti.* Habebat Syrus contra se mores suos, quibus eius robur impugnabatur; pro se habebat Elisæus concinnos mores, quibus munitus vinceret, aduersarioque subiugaret. Huius veritatis non ignarus Samuël, aiebat: *Præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim.* Non ait; præparate arma, sed corda, vt qui nouerat, triumphos non tam reportari armorum copia, quàm virtutum elegantia. Audi Iosephum *6. antiquit.* apud Abulensem *quæst.25. Estote iusti, & malitiam depellentes ab animabus vestris, eáque purgantes totis mentibus imitate Deum, eumque bonis actibus honorate; hæc enim vobis omnibus facientibus bona prouenient, seruitúsque fugabitur, & de hostibus repentè triumphus afferetur, quem promereri non armis poteritis, non robore corporum, non multitudine populorum; non enim malis Deus se promittit talia prabiturum, sed bonis existentibus, atque iustis.* Iustitia inuicta armatura est; sine æquitate cedit ærea galea pastoris lapidi, & Dauid puerulus abiectis armis triumphat armatus virtutibus.

§. XXIII.

Curet superior subditorum famam non lædere, quo possit ad virtutem optimis consiliis instruere.

MAteria est gloriæ principalis delinquentis reatus, & quidem nisi districtionis occasiones emergerent, locum pietas non haberet. Otiaretur superioris prudentia, si morum probitas omnia delicta excluderet. Solicita. Salutiferis medici manibus sola ægritudo indiget, & tunc plus medentis ars pollet, si vulnus sanauerit, & curam etiam cicatricis honestæ gesserit. *Fas est Principi* (aiebat Theodericus *3. var.46.*) *miraculosas notas vitiatæ opinionis abstergere:* Fas est abstergere, sed gloriosius vitare, Samuël populum monet, vt alienos

deos à se abjiciat: *Auferte Deos alienos de medio vestri.* Non ait deos vestros, sed alienos. Curauit studiosus eis notam non inurere, & idola simul auferre. Non semel vulnera ad salutem perueniunt facilius, si tractentur honestius. Huc voco, quod aiebat Abulensis *quæst.25. Non expressit, quod colerent Iudæi idola, sed quod erant in aliquibus peccatis, nolens infamare gentem suam.* Suppressit vocando alienos infamiam, reiectionem præcipiendo, adhibuit efficacem medelam. Vt discant superiores, prout res permiserit, reorum famæ consulere, & efficacissimam medelam vulneribus applicare.

§. XXIV.

Parum proderit virtutem amplecti, si vitium distuleris extirpare.

QVi voluptatis, virtutisque societatem facit (aiebat Seneca *lib.de vita beata c.15.*) *& ne ex æquo quidem fragilitate alterius boni quidquid in altero vigoris est, hebetat, libertatémque illam, ita demum, si nihil se pretiosius nouit, inuictam sub iugum mittit.* Quæ ab ingenio discrepant, malè conueniunt, contraria inter se semper dissidebunt, & dissidio pacem turbabunt. Non possumus Deo seruire, & mammonæ: non est Dei conuentio cum Belial. Ergo Samuël alienos deos iubet auferre, si cum Deo amicitiam exoptant stabilire: *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos.* Cum alienis diis nequibat virtus florere, nec tranquillitas quibat stare; opus erat conscientia stimulo angi, trepidatione concuti, & continuam rixam pati. Ergo deos monet abjicere, vt vera possint pœnitudine animum repurgare. Adest Caiet. *Vera pœnitentia non esset, nisi abjicerent deos alienos.* Plures sunt adeò cæcutientes, vt in ipso pelago existiment se posse inuenire portum. Qui feras cum labore, periculóque mansuefecit, non degit tutus, solicita est illarum possessio, recrudescit aliquando toruitas mitigata, & grauius emergit detrimentum, quia despicitur periculum. Qui arripuit pœnitentiam, omnem lapsus occasionem præcidat, nam si vel scintilla improbitatis remanserit, in incendium facilè excrescet, & omnem virtutis pulchritudinem exuret.

TEXTVS.

VERS. IV. Abstulerunt ergo filij Israël Baalin, & Astaroth, & seruierunt Domino soli.

§. XXV.

Qui soli virtuti famulatur, libertate inconcussa fruitur.

MAxima seruitus est cupiditati, aut libidini addici. His affectibus subiugatus ingemiscit captivus: anxia est vitiis dediti vita, suspiciosa, & trepida cogitatione concutitur, casum semper pauens, & quamlibet vmbram timens. Catenam auarus, libidinosúsque trahit, se fallit, si se liberum credit. Virtutis assecla nec varietate fortunæ concutitur, nec dubiis suspicionibus angitur, nec euentu deterretur. *In regno nati sumus* (aiebat Seneca *lib.de vita beata c.15.& 16.*) *Deo parere libertas est. Ergo in virtute posita est vera felicitas. Quid hæc tibi suadebit? Ne quid aut bonum, aut malum existimes, quod nec virtute, nec malitia continget.* Immobilis stat animus virtute suffultus, aduersus omnem fortunæ vultum nec alearum veretur iactum. Israëlitæ vbi Domino soli seruierunt, placida quiete vsi sunt: *Seruierunt Domino soli.* Huius seruitutis expende effectum: *Persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos.* Iam gemunt Philisthini sub iugo, qui potiebantur imperio, & iam Israëlitæ virtuti inseruientes potiuntur imperio, qui ingemuerunt olim sub iugo. Est namque magna libertas virtutibus inseruire, vt magna seruitus cupiditatibus famulari. *Patet, quod liberati fuerint* (inquit Abulensis *quæst.26.*) *quia immediatè ponitur bellum, in quo Deus perterruit Philisthinos fragore magno de cœlo.* Philisthini aut fugiunt, aut cadunt, dum Hebræi Numen colunt, & virtutibus inseruiunt.

§. XXVI.

Firmum non est virtutis propositum, si quod remansit cupiditatis vestigium.

VT salus non est firma, si febricula adurat, aut quantumvis leuis dolor frequenter inquietat; sic virtus consummata non floret, dum cupiditas viget. *Tutus honestus eligatur* (aiebat Seneca *de vita beata c.13.*) *& inscriptio ipsa excitans animum ad ea repellenda, quæ statim eneruant, cum venerint vitia.* Aliquid statuendum est, per quod animus ad virtutem excitetur; vt etiam omne illud deterendum, & abolendum penitus, cuius memoria inficit, & cuius præsentia lædit. Qui aliquod vitij vestigium remanere permisit, hostibus imprudenter arma ministrauit: scintilla leui flatu vires acquirit, & in incendium transit. Nouerant hanc philosophiam Israëlitæ, qui vt seruirent Domino soli, contenti non sunt idola abjicere, sed confracta penitus abolere: *Abstulerunt ergo filij, Israël Baalin, & Astaroth, & seruierunt Domino soli.* Quid est abstuletunt? Deleuisse penitus, ita vt nec illorum remaneret leue vestigium, aut quantumvis exiguum fragmentum. Firmum, ac stabile fuisse cultus diuini propositum, ostenderunt idola confracta, ac prorsus deleta; & quidem si remansisset aliquod idolorum vestigium, non adeò firmum constaret esse propositum. Ita Abulensis *quæst.26. Abstulerunt, scilicet confregerunt eos, proponentes nunquam vlterius habere illos in deos.* Qui proponit seriò, & ex animo virtuti semper inseruire, nil relinquat, quo possit aliquando recedere. Mihi crede; qui à se prorsus occasionem sceleris omnem non præcidit, infirmo proposito virtuti inseruire se prodidit.

§. XXVII.

Qui virtuti addicitur, curet vanitate non inflari, nec superbia denigrari.

VT ferrum rubiginem creat, vt lignum tineam alit, sic animus, dum virtuti inseruit, de ipsa solet virtute intumescere, & superbire. Ergo solicita vigilantia curandum est, ne quid virtutis occasione creetur, quod eius innubilet splendorem, aut imminuat claritatem. *Nihil est nobis dictu* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.38.*) *visu, auditu cum insania Circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xysti vanitate.* Parum erat atrocitatem fugere, libidinem abiurare, ni vanitatem etiam victoriæ respuerent, & superbiam proculcarent. Dum Baalin auferunt Israëlitæ, vt Domino inseruiant, Astaroth etiam abolere procurant: *Abstulerunt ergo filij Israël Baalin, & Astaroth, & seruierunt Domino soli.* Rabanus in Astaroth intelligit eum vanitatis, ac superbiæ motum, qui occasione virtutis solet oriri, & virtutem ipsam obscurare. *Astaroth* (inquit) *factura explorationum. Qui verus Israëlita est, aufert à se omnem facturam malignorum spirituum, & iactantiam, atque superbiam, & seruit Domino soli.* Dum quis attentis oculis explorat conscientiam, eámque nullis sordibus maculatam, immò omni virtutum genere experitur, exultam, solet intumescere, & grata sibi adulatione blandiri. Ergo hæc factura est solicitè refrænanda, curandum

curandúmque, ne Astaroth nascatur, cùm Baalin prorsus extinguitur: solet namque vanitas in ipsa virtutis officina exoriri, & contra virtutem matrem more viperæ deprætiari. Baalin auferatur, sed & Astaroth frænetur; nam qui de vitiorum triumpho vanitate sibi blanditur, & victoriæ gloriam sibi ipse imprudenter deprædatur.

§. XXVIII.

Mundi superbia deliria, & delicioſa carnis oblectamenta opus est despicere, & subiugare, vt vni Domino possis inseruire, & placere.

VIrtutis alumno voluptas est, sæculi ignorare voluptates, & quæ sæculo placent, despicere celsitudines. *Quò vos offendimus* (aiebat Tertullianus *in Apologetico c.38.*) *si alias præsumimus voluptates? si oblectari minùs nolumus, nostra iniuria est, si fortè, non vestra: sed reprobamus, quæ placent vobis, nec vos nostra delectant. Sed licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem, id est, animi aquitatem, & ampla negotia.* Vt sæculi asseclis humilia displicent, vt carni aspera abhorrent; ita virtutis studiosi superba respuunt, & blanda fugiunt, & quidem aliter nequirent vni Domino inseruire, & puris mentibus consecrari. Baalin, & Astaroth ab animo prorsus abiecerunt Israëlitæ, vt vni Domino obsequerentur, nec enim possent eius prorsus seruituti dicari, ni curassent splendoris, & voluptatis insanias prorsus expungere: *Abstulerunt ergo filij Israël Baalin, & Astaroth, & seruierunt Domino soli.* In Baalin eximia, in Astaroth voluptuosa signari docet noster Sanctius: *Vox ista Baalin aliquid significat eximium, & excellens.* Adnectit: *Astaroth pro fœmellis à præcipua aliqua dea, quæ Venus esse creditur.* Itaque vt ad Deum toto corde conuerterentur, vtque ad vnum illum aspirarent, sic expurgarunt corda, vt nil ex voluptuosis sordibus, aut ex fallacibus vanitatibus inhæreret, aut studium dissidiis periculosis turbaret. Ergo vanitatis, voluptatísque sordes absterge penitus, vt possis imperturbato animo sequi virtutem, & pretiosiorem tibi acquirere voluptatem. Quandoquidem digna homini voluptas est spurcas voluptates nescire, vt prædicabilis, & honesta superbia mundi excelsa, & ardenter ambita calcare.

TEXTVS.

VERS. V. Dixit autem Samuël congregate vniuersum Israël in Masphath, vt orem pro vobis Dominum.

§. XXIX.

Superior exemplo efficaciter mouet, & præeundo subditos ad virtutem adducit.

SEgnius mouent verba auribus commissa, quàm exempla oculis spectata. Hinc superior sine voce facilè promouet ad virtutem, aut edocet vanitatẽ. *Quæ ciuitas non fiat ex-u'abilis* (aiebat Cassiod. *10.var.13.*) *si Roma deliquerit? Rex minor ad potioris currit exemplum, & alieni facti iure inuidiam sustinet, qui peccati præstat exemplum.* Inuidiam sibi conciliat, qui prauis alios informat exemplis; & è contra gloriam, qui optimis deprædicabilem sibi conquirit famam. Samuël, vt suos ad orandum, & pœnitendum induceret, si in exemplum prudenter proposuit: *Congregate vniuersum Israël in Masphath, vt orem pro vobis Dominum.* Non ait, vt oretis, sed vt orem, quia sciebat quantum valeret apud subiectos superioris exemplum: nec falsus est, quandoquidem populus & orauit, & ieiunauit, & luxit: *Et congregati sunt in Masphath, hauseruntque aquam,* &c. Notauit Caiet. *Finis huius congregationis (vt subiungitur) non fuit oratio Samuëlis, sed communis, & publica abrenuntiatio idololatriæ cum confessione, & satisfactione.* Vt orarent exoptabat: ergo exemplo præiuit, & alios ad orandum facilè traxit: est enim superioris exemplum rhetorica ad suadendum energia, & efficax ad persuadendum rhetorica.

§. XXX.

Superioris vita pateat omnibus ad exemplum, & sit ad honesta illicium.

PRudenter monebat Seneca ambitum fugere, & hominũ oculos declinare. *Illud te admoneo* (inquit *epi.5.*) *ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud ambitionem peruersa via sequitur, deuita.* Optimum particulari consilium. Superiori tamen decet oculos procurare, non vt vanum sibi elucretur plausum, sed vt debitum subditis exhibeat exemplum: conspici velit, vt proficiat, non vt superbiat, & intumeat. Samuël populi iudex pro populo decernit orare, & coram populo: *Congregate vniuersum Israël in Masphat, vt orem pro vobis Dominum.* Vt populus suspicax est, & interpres pessimus, ni oculis hauriat deprædicanda exempla, semper præsumit indigna. Ergo Samuël coram populo oret, vt oratione muneri satisfaciat, & exemplo inferiores instruat. Vnde Dominus aiebat: *Vos estis lux mundi. Matth.5.v.14.* Lux bellum tenebris indicit, & ad spectandum candorem oculos allicit. Ergo lucis edocuit ingenium imitari, vt splendore tenebris bellum indicerent, & exemplis ad virtutem prouocarent. *Vocauit* (inquit noster Sanctius) *vt pro illis, & cum illis simul oraret.* O quàm oportet inferiores maiorum exemplis instrui, & ad virtutem ductari!

TEXTVS.

VERS. VI. Et congregati sunt in Masphath, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Samuël filios Israël in Masphath.

§. XXXI.

Satis non est animæ pulchritudinem concupiscere, sed opus sibi dignis actionibus comparare.

VIrtus semper pulchra, & spectantium oculis lucet grata: verùm cùm difficulter eius possessio obtineatur, plures animo excidunt contenti desiderio, & alieni ab exercitio. *Inest animis voluntas bona* (aiebat Seneca *lib.2.de Beneficiis, cap.25.*) *sed torpet modo deliciis, ac situ, modo officij inscitia. Hanc vtilem facere debemus; nec irati relinquere in vitio, sed vt magistri puerorum discentium patienter ferre offensationes memoriæ labentis.* Qui situ marcet, qui cupiditati indulget, abhorret difficultatem, amat virtutem. Ergo Samuël difficultatem emollire aggreditur, & exemplo præire conatur. Priùs admonet Baalin, & Astaroth abiurare, & auitæ religioni se restituere; posteà in Masphath congregat, & maculas lachrymis abstergere, & ieiuniis adhortatur animos expiare: profuisset namque aut nihil, aut parum animo solùm fouere desiderium, ni amplectantur exercitium. *Congregate vniuersum Israël in Masphath:* ac si dicat: Libertatem amatis:

ergo

ergo arripite pœnitentiam, cuius armis & interiores hostes subigatis, & externos etiam propulsetis. Ita Abulensis *quæst.* 25. nomine Samuëlis: *O viri, quibus adhuc hostes sunt grauissimi Palæsthini, & Deus iam incepit esse propitius, & amicus: non solùm concupiscenda libertas est, sed etiam faciendum, per quod vobis eius bona peruenirent: non enim optare debetis ab omnibus liberari, & agere pro quibus potius seruiatis.* Nonnulli exoptant libertatem, sed suis factis negotiantur seruitutem. Igitur oportet animum erigere, & ad consequendam animi libertatem non solùm concupiscere, sed honestis certaminibus comparare.

§. XXXII.

Deum conciliat pœnitentia omnibus requisitis integra, & circunstantiis perfecta.

PLures sunt, qui pœnitentiam ore proferunt, sed à corde prorsus abjiciunt. Fucata est pœnitentia ore solùm prolata; si præcordiis hæret culpa retenta. *Repete memoria* (aiebat Seneca *epist.* 10.) *quàm magno animo quædam verba proieceris, quàm roboris plena. Gratulatus sum protinus mihi, & dixi: Non à summis labris ista venerunt, habent hæ voces fundamentum, iste homo non est vnus à populo, ad salutem spectat.* Non spectat ad salutem, sed auget infirmitatem, qui corde fouet vota verbis contraria: ni cum lingua concurrat animus; dolor & fictus est, & cuanidus. Israëlitæ coluisse idola fatentur: *Peccauimus Domino*, & aquam hauriunt: *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino.* Quærunt Interpretes, quæ, & vnde hæc aqua oblata Domino, hausta; censéntque vero dolore è corde promanasse, & oculis effluxisse. Parum iuvaret oris confessio, ni cordis comitaretur & dolor, & angor. Ast vti Numini iucundum sacrificium eius sibi gratiam pœnitentia conciliauit, dum nullum ex requisitis omisit. Ita Abulensis *q.* 27. *Primum, quod requiritur ad verè pœnitendum est, quòd à peccatis præteritis recedamus, hoc fecerunt Israëlita, quia dicitur supra, quòd abstulerunt Baalin, & Astaroth, & seruierunt Deo soli. Secundò requiritur, quod aliquis de peccato doleat, & hoc fecerunt. Tertiò requiritur, quòd peccatum confiteamur, & hoc fecerunt similiter, quia dixerunt: Tibi peccauimus, Domine. Quartò requiritur satisfactio pro præteritis, & hoc fecerunt Israëlitæ, quia dicitur hic, quòd ieiunauerunt die illa coram Domino.* Perfecta pœnitentia ita Deum sibi conciliarunt, vt hostibus fuerint terrori, & infame iugum excusserint è ceruice.

§. XXXIII.

A concupitis abstinere est sine sanguine sacrificium, & gratum Numini obsequium.

HOminis vita militia est; non solùm cum externis hostibus confligimus, sed nobiscum decertamus. Subrepit blandus affectus, larvatus appetitus, blandimenta robur nostrum expectorant, & fallaci dulcedine subiugant. Quàm benè, & verè Seneca *epist.* 51. *Nobis militandum est, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur: debellandæ sunt in primis voluptates.* Minus periculosum est cum sæuo hoste manus conserere, quàm prauis affectionibus inseruire. Multum in hoc certaminis genere profecit, qui acre cupiditatibus bellum indixit. Israëlitæ haustam non sine labore aquam, quam fors acris expetebat sitis, Domino consecrarunt: *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa.* Sitientes, quam labore hauserant, aquam Domino consecrarunt, & quamvis per se sacrificium non esset aqua, vbi adurgebat sitis, placuit effusa & in Numinis obsequium sitis ardori negata; vbi se ipsos deuicerunt, facilè postea superauere aduersarios: *Persecuti sunt Philisthæos.* Pingue Deo sacrificium fuit desideria frænare, & appetitus flammam restinguere. Adest Abulensis *q.* 28. *Si quis aliquid desiderat, vt in cibo, vel in potu, & cùm possit illo frui, propter Deum cessat effundens, vel disperdens, dicitur effundi illud Domino.* Sacrificium, & quidem Deo gratum fuit sicco ore, & atido ventre orare, & naturam luxuriantem reprimere. Dauid, quàm ardenter concupierat, aquam libauit. *Libauit eam Domino.* 2. *Reg.* 23. *v.* 16. Aqua exigui erat pretij, cohibita sitis flamma magni fuit animi: ergo appetitus mactatus holocausti, & quidem gratissimi vicem obtinuit, & Deum promeruit. Redeat datus Abulensis: *Cùm accepisset Dauid, noluit bibere, sed libauit coram Domino.* Subjicit: *Illud autem Deo gratum fuit, fortè magis quàm sacrificium, quanquam non esset sacrificium.* Aqua sitienter concupita se interdicens anxietatem mactauit: ergo obsequium gratissimum Numini exhibuit.

§. XXXIV.

In labris sæpè relucet, quod præcordiis abditissimis latet.

VT calor præcordiis abstrusus, interioráque depastus indicia sui profert, & medicus adusta lingua, & hiscentibus labrjs agnoscit, quod intra latet: sic animi affectus non ita premi possunt, vt aliquo modo se non prodant, & omne cautelæ artificium eludant. *Affectus* (aiebat Seneca *epist.* 75.) *sunt motus animi improbabiles, subiti, & concitati, qui frequentes, neglecti que fecere morbum: sicut distillatio vna nec adhuc in morem abducta tussim facit, assidua, & vetus phthisin.* Interior è capite fluxus præcordia angens oculos fugit, sed tussis ostendit. Rarò industria sic internos affectus potest dissimulare, vt nequeas, si perspexeris deprehendere: vultus prodit, vox indicat, modus manifestat, Israëlitarum plures idololatriæ occulto aliis crimine polluebantur, & nihilominus in Masphath à Samuële sunt deprehensi: *Samuël indicauit filios Israël in Masphath*, id est, idololatras ab aliis discreuit. Quòd si inquiras, quo signo? Respondebit Hieronymus apud nostrum Sanctium degustandam aquam tradidisse, qua hausta ita idololatræ labia sibi hærebant muta, vt efformare nequirent verba. Accipe Hieronymum: *Tradunt, quod quicumque idololatra hanc aquam gustasset, labia eius ita sibi adhærerent, vt nequaquam ea ab inuicem idololatra separare posset.* In labris morbus dignoscebatur, & quamvis altissimis præcordiis improbus lateret affectus, illum evulgabat labiorum modus. Certè loquendi modus, oris habitus, quid corde geratur sæpissimè publicant, & cautela renitente declarant.

§. XXXV.

Scelera non solùm mortifero præcordia adurunt aconito, sed improbando sigillant ora silentio.

LEuiathan in secreto calami dormit, & ne lux possit irrumpere (teste Iobo) vmbram à densatis caligínibus tegit: *Sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus: protegunt vmbræ vmbram eius. Iob.* 40. *v.* 16. Secretiora penetrat & cùm penetrat, ea secum tenebrarum trahit volumina, vt nullum luci permittat aditum, splendori nullum ingressum. Vbi vitalis calor languescit, obtunduntur sensus, caligat oculus, pallescit vultus. *Algidissimi* (aiebat Plutarchus *lib.* vtrius maior vtilitas aquæ, &c.) *proinde sunt examines, vt etiam acies, si tenes nouacularum his admouere, obtuderint eam ex effuso*

effuso rigore. Adeoque ipso in animante, quæ minimè compotes ignis sunt, his sensus est hebetior. Hebetior redditur sensus vitalis caloris defectu, & quod corpori accidit, animo etiam contingit, languente virtutis calore gelascit Spiritus, & sceleris veneno intercluditur halitus, lingua obmutescit, & auris riget. Quam benè Tertullianus aduersus Gnosticos *cap.* 1. *Cæterum si plaga saucianerit, intimat virtus, & properat in viscera, statim omnes pristini sensus retorpescunt, sanguis animi gelascit, carne spiritus exolescit.* Vt scorpio non solùm iniecta plaga adurit viscera, sed deprauat etiam labra; sic scelus, si possederit viscera, occludere solet labra. Samuël, vt Israëlitas idololatriæ scelere inquinatos deprehendat, aquam præbet hauriendam, & potus vulgauit culpam. *Indicauit Samuël filios Israël in Maspha.* Hausta ea aqua periculoso silētio labra sibi adhærebant, & damnando silentio clausa peribant. Ita datus suprà Hieronymus. *Tradunt, quòd quicumque idololatra hanc aquam gustasset, labia eius ita sibi adhærerent, vt nequaquam ea ab inuicem idololatra separare posset.* Aqua vitiorum in Scripturis ænigmate labia claudebantur, & cùm vomitus esset effugium, infirmitas ipsa impediebat remedium. Inaures postulauit Aaron vitulum conflaturus. *Tollite inaures aureas.* Exod. 32. *vers.* 2. Ipso auro, quo vitulus formabatur, obsurdescebat Dei vocibus auris, & ipsa culpa impediebatur medela. Opportunè Tertullianus iam datus *cap.* 3. *Vrgetur Aaron, iubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri. Amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium Dei voces.* Leuius esset damnum, si auris vocibus diuinis pateret; verùm idolum abstulit aurium ornamentum, & vsum.

§. XXXVI.

Citiùs sibi peccator adsciscit mortem taciturnitate, quàm crimine.

VEnenum intimis visceribus illapsum, si euomatur, effugitur, si insideat inuisceratum, præcordia adurit, & vitam abrodit; nec aliter vitiis contingit: scelus humana fragilitate admissum vera confessione expiatur: quòd si os damnabili silentio comprimitur, & vita spirituali prorsus carebis. Parum interest scire remedia, ni vulneribus applices medicamina. Benè Seneca *epist* 75. *Non enim vt cætera memoriæ tradidisse satis est, in opere tentanda sunt: non est beatus, qui scit illa, sed qui facit.* Medicaminis notitia in culpam vertitur, si despicitur, & sæpè malè verecundus nocentior sibi existit ipsa verecundia, quam plaga. Deliquerant Israëlitæ vanissima figmenta colendo; eorum alij culpam confessi sunt. *Peccauimus Domino.* Alij ora compresserunt, nec peccata salubriter euulgarunt. Ergo ij subierunt mortem plus taciturnitate, quàm crimine. *Iudicauit Samuël filios Israël in Maspha.* Adest supra datus Hieronymus: *Tradunt, quòd quicunque idololatra hanc aquam gustasset, labia eius ita sibi adhærerent, vt nequaquam ea an inuicem idololatra separare posset. Hoc indicio idololatra deprehendebatur, & interficiebatur. Quod & sequentia demonstrant in eo, quod ait: Iudicauit Samuël filios Israël in Maspha. Iudicare in hoc loco, idololatras secundum legem morti tradere intelligendum est.* Compressa labia mortem sibi asciuerunt, vera confessione culpam expiantia fugarunt: vt noueris sibi salutem adimere, qui recusat confessionis antidotum, & abstrusum corde premit venenum.

§. XXXVII.

Lachrymæ vera pœnitudine effusæ Deum placant, & aduersarios eneruant.

QVi vniuersam vitæ rationem cæca appetitus temeritate transigunt, frequens naufragium incurrunt, quod solùm pœnitentiæ tabulam rapiens potest euadere, & fortunatè portum appellere. Hanc Deus hominibus medicinam ostendit, cum ad misericordiam maturauit. Audi Tertullian. *lib. de Pœnitentiâ cap.* 2. *Deus post tot, ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum sæculi dote, post eiectum paradiso, mortique subiectum, cùm rursus ad suam misericordiam maturauisset, iam inde in semetipso pœnitentiam dedicauit, rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus homini, & imagini suæ.* Docuit veniam; pœnitentibus promittens ardentes criminum flammas lachrymis posse restingui, & cordis candorem recuperari. Deliquerant Israëlitæ Baalim adorantes, & figmentis vanissimis inseruientes, vtque venenum criminis euomerent, ceruorum instar ad lachrymarum vndas inuolarunt, & vera pœnitudine vitæ, & saluti prouidè consuluerunt: *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Quid tunc? Palæsthini iam se imperendos suspicantur, immò debellandos verentur, & ne imparatos clades prosternat, in campum militares producunt copias contra eliquatas doloris ardore lachrymas: *Audierunt Philisthiim, quòd congregati essent filij Israël in Maspha.* Vbi pœnitentiæ arma Israëlitas audiunt prensare, Philisthini accelerant impedire. Minus extimescerent armis instructos, plus verentur lachrymis irroratos; nec timor fuit vanus, nam impetiti iacuerunt, & Israël lachrymis consecutus est triūphos: vbi pugnauit pœnitentia, oppressit aduersarios ruina: *Persequuti sunt Philistheos,* lachrymarum iaculis, non præpilatis sagittis, & fugarunt hostes, & attriuerunt. *Quid est aquam haurire* (verba sunt Gregorij apud nostrum Sanctium) *nisi de profunda animæ pœnitentis confusione lachrymarum fluenta producere.* Dum commissa plangunt, Philisthinos oppugnant, lauroscque reportant, nam ipsa lugentis confusio est aduersariorum euersio.

§. XXXVIII.

Qui apprehensa pœnitentiæ tabula vitauit naufragium, ad pelagus non redeat infidum.

METus salutis administer est, honestam consulit fugam, vt imminentem vitarit plagam. Procellosa tempestas, dum minatur naufragium prudentem confugere, si liceat, persuadet ad portum, & si incolumis appulit portum, ad pelagus non rediuit infidum. Optimè Tertullianus *de Pœnitentiâ cap.* 7. *Euasimus semel, hactenus periculis nosmet inferamus, & si iterum euasuri videmur? Plerique naufragio liberati exindè repudium, & mari, & naui dicunt, & Dei beneficium, salutem suam scilicet memoria periculi honorant.* Periculi memoria prudentibus est, ne iterum periclitentur cautela; nolunt iterum redire, vnde anxiis votis desiderarunt euadere. Ionas naufragium semel passus, quod sciam, procellosum non rediuit ad pelagus, vt repetat datus Tertullianus: *Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterum diuinæ misericordiæ oneri esse formidant videri inculcare, quod consecuti sunt: bona certè solicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere.* Timor modum imposuit temeritati, & modum consuluit saluti. Ecce Israëlitæ idololatriæ scelus cohorrescunt, & horror docuit omne prorsus fugere scandalum, & declinare periculum: *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu*

Domini. Laudabili timore, & salubri verecundia sibi prouiderunt,& omnem idololatriæ occasionem animitus propulsarunt. Ita Glossa: *Vt sicut aqua effusa non redit,sic nec ipsi redirent ad idololatriam.* Vera pœnitudo omnem sibi peccandi facultatem præcidit, & ne iterarit errata, omnem liberioris vitæ aditum præclusit, illecebrásque ac blandimenta prorsus abiecit: vt nouerint, qui detersere iam culpas, conciliatrices culparum auersari etiam illecebras.

§. XXXIX.

Culpæ sordes sic pœnitentia detergat, vt nec odorem anteactæ vitæ relinquat.

NOn est frequenter tanta delictorum pœnitentia,vt omnia prorsus erauerit,nec aliquod vestigium reliquerit. Aliquid anteactæ vitæ aut lucet in verbis, aut conspicitur in factis. Vitiis dedici etiam virtutis vmbram refugiunt, qui honestatem sequi proposuerunt, illam religiosè non adeò colunt. Notauit Tertullianus *lib.de Pœnitentiâ cap.1. Eam maximè pœnitentiæ speciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde figunt, meminisse curantes, ne quid boni rursus præstent.Contra pœnitentiam malorum leuius incubant.*Sic vitiis inseruitur, sic cupiditatibus studetur, vt virtutis dolor, aut sapor displiceat: quæ inquinant, solùm delectant. Virtus non sic colitur, vt resplendeat pura, immò sæpè de vitiorum consinio exhalatis deturpatur nebulis obscurata. Hinc Israëlitæ,vt verum pœnitentiæ hieroglyphicum exprimerent, aquam fuderunt: *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini.*Si inquiras,cur non alio liquore vsi fuerint ad pœnitentiam exprimendam, respondebit Caiet. ex aliis liquoribus non parum vasi adhæresceres; ex aqua,si effundas, nihil. Ergo vt exprimerent omnia animi vitia sic detergenda, & à corde sic propulsanda, vt nec odor, nec color remanserit, pœnitentiam aqua adumbrarunt, & suo exemplo nos edocuerunt: *Fuderunt aquam*, quia ita idololatriam ab animis prorsus abiecerunt.*Vt quemadmodum aqua sic abjicitur,quod nihil eius remanet in vase, non color, non odor, non sapor; ita monstrabant se sic abdicare idololatriam,vt nihil eius in ipsis remaneret.*Liquores alij aut tenaciùs vasi hærent, aut colorem imprimunt,aut odorem spargunt.Aqua nullum sui vestigium relinquit. Ergo ea fuit Israëlitarum anteactæ vitæ pœnitentia, vt nec saporem permiserit, nec odorem.

§. XL.

Parum interest exterius virtutibus inseruire, si animum contigerit discordare.

MIhi crede, etiam virtus in scenam vertitur. Scenici, & histriones sunt, quos putabas virtutis alumnos,& improbis affectibus expurgatos.Quàm benè Chrysolog.*serm.9. Illa iustitia, quæ est hypocrisis,iustitia non est,mentitur oculis,fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit sæculo, Deo non fit.* Vt histrio pretioso ornatu fulgens exteriùs Rex nitet, interiùs infamis sordet; sic nonnulli exteriùs ostentant virtutem, cùm intus amplectantur prauitatem.Olim victimarum examinabantur præcordia, vt placerent sacrificia, nec enim placere poterant sacrificia,si exesa, aut deprauata, interanea. *Ei offero* (aiebat Tertullianus *in Apologet. cap.30.*) *optimam, & maiorem hostiam, quam ipse mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam.* Illudere est videntes, Arabicæ arboris lachrymas consecrare, & interius deprauatis affectibus inseruire. Israëlitæ non solùm aquam effundunt, sed in Domini conspectu: *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Cùm nihil diuinæ oculos perspicaciæ possit effugere, superuacaneum videri potuit aquam in Domini conspectu effusam referre. Quid ergo & effusam, & in Domini conspectu expresserit nobis Textus? Vt noueris aquam effudisse, non vt oculos fallerent, sed vt peccata delerent. Notauit Caietanus: *Quod autem dicitur in conspectu Iehouah, ad testimonium spectat, quod in veritate ita intus se habebant, quemadmodum foris effundendo aquam significabant.* Non otiosum fuit illud in conspectu Domini,quia sæpè interior affectus ab actu dissidet, & oculos fallit. Vxorem, maritúmve, altero decedente, videas amaras ad speciem lachrymas fundere, cùm corde sæpiùs contingat gaudere.

§. XLI.

Publicum præbeat exemplum, qui publicum perpetrauit scandalum.

NOn est iustitia facienda, vt sibi intuentium alliciat aspectum, & euanidum lucretur plausum. *Mercedem rapit præsentem* (aiebat Chrysologus *serm.9.*) *præmium non quærit in futuro; cæcat oculos cæca ipsa, non videns vult videri: propter quam cæcitatem Christus præsenti sic inchoat in præcepto. Attendite, hoc est, ne gestiatis attendi: ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Hypocrisim vetat, exempli splendorem non innubilat;immò alibi dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Quod ad eos præcipuè spectare cognoscitur, qui scandalis alios perturbasse non dubitatur.Ob id Samuël idololatriam publicè vult abdicari: *Conuenerunt in Masphath*, vt laudabili, ac publica pœnitentia, quæ omnium patuerat oculis, aboleretur & culpa. Adest Caiet. *Noua est hæc ceremonia ad significandum sensibili signo totalem abdicationem idololatriæ:ad hoc enim hausta aquam publicè effuderunt coram Deo.*Quia publicè coluerant delicia,oportuit,vt publica virtutis exhiberent exempla; sicque pœnitudine allicerent ad virtutem, quos pessimis exemplis induxerunt ad prauitatem.

§. XLII.

Qui carnis inseruiuit oblectamentis, austeris fuget oblectamenta ieiuniis.

VT olim aries asperrimum,ac bellicum instrumentum hostiles muros oppugnabat, ac subruebat;ita ieiunium virtutis aries in pectore collocatum fallax expugnat oblectamentum.Benè Chrysologus *serm.7.Ieiunium, quod contra vitia prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur,quia illo in interioribus præsidente vitia nos quatere in interioribus non valebunt.* Non valent vitia corda quatere,si ieiuniis didicerint communiri: nec solùm ieiunium à vitiorum adsultibus liberat,sed de subiugatis voluptatibus triumphum reportat. Ob id Israëlitæ idolis fractis ieiunarunt, vt abstergeret ieiunium quas euanidum reliquerat sordes oblectamentum: *Ieiunauerunt in die illa.*Opportunè Greg.apud nostrum Sanctium: *Dum mens flendo compungitur,necesse est,vt etiam caro,quæ delectationibus subiacuit,affligatur.*Vt aqua maculas abstergit,ita ieiunium delectationum sordes abradit;ergo ieiunauere Israëlitæ,qui se delectationibus sordidauerant,vt elutis reatibus plus mitarent,& plus ieiuniis macerati placerent.

§. XLIII.

Strages aliis ob culpam illata est prudenti contra appetitum medela.

RE tundatur ambitio cæca cupientum (aiebat Cassiod. *12.var.6.*) *proterua refrænetur audacia: qui lucrum*

de

de malo quærit, pœna proposita terreatur. Terret alijs inflicta pœna, & prudẽs vitat scandalum, vbi aliter offendit. Supplicium, quod ob concupitam Bersabee Dauid pertulerat, teste Glossa, ab aquæ potu Dauidem arcuit, & præcedens ruina, ne biberet, fuit cautela. Ecce Israëlitæ in Maspath congregati aquam hauriunt, & haustam effundunt: *Congregati sunt in Maspath, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Nouerant Philisthæos grauissimam pertulisse cladem, non ignorabant filios Heli ob admissam culpam prostratos: ergo alienis malis edocti in castra se receperunt virtutis. *Maspath* (inquit Rabanus) *speculatio, vel contemplato, vel intentio, vel locus iudicij.* Ad saniorem se mentẽ receperunt. vbi aliorum stragem cogitarunt. *Conuersio* (inquit Lira) *incepit à tempore, quo populus iam viderat malum, quod euenerat propter peccata filiorum Heli, & audierat plagã Philisthinorum propter Arcam Domini.* Aqua cupiditatis in sacra Scriptura symbolum effusa est, quia dum cupiditas filiorum Heli merita punitur ruina, cæteris fuit pro medela.

§. XLIV.

Sit tribunal patria æquitatis, non messis cupidinis.

ALiquando tribunal, iudicij locus non potest dici, quia constat venalitatibus sordidari. Timentur minus aliquando aduersariorum arma, quàm iudicis auarissimi timeantur iudicia: hostis denudat ornatos, iudex aliquando nudos. Quam benè Cassiodorus 12. *var. 7. Cane, ne grauior fias hostibus, si adhuc nudare velis exutos. Clamydes non paueſcant qui arma timuerunt: rapinas non sentiant post prædones.* Prædo reliquit aliquando, quod iniquus iudex auferret: iudex, si auarus, nõ reliquit, quod prædo diriperet. Samuel populum iudicat, & locus merito iudicij titulo insignitus resplenduit, quia ibi æquitas, & iustitia floruit: *Iudicauit Samuel filios Israel in Maspath.* Idem est *Maspath*, ac *locus iudicii*, teste Rabanno, qui addit: *Benè conuenit iste locus tam sancto viro, qui in iustitia, & veritate iudicauit, & summa prudentia gubernauit populum.* Sic populum iudicauit, vt tribunal æquitatis esset patria, nec odiosa macularetur rapina, cùm aliquando sententiæ, more vestium suspensæ habeantur, & emendibus adaptentur.

§. XLV.

Pars fortunæ est odioso antecessori succedere, & eius prauis actionibus contraire.

ASsertio meritorum est (aiebat Atalaricus 8. *var.* 20.) *potuisse eligi post improbitatem iudicis accusati, quãdo excessus præcedentiũ non corrigitur, nisi cùm successor optimus inuenitur.* Vt contraria contrariis curantur, & pestiferum frigus recedit, dum calor vitalis viget: vt nubila, quæ crassa, ac terrea spiramenta conflarant, salubri aura pellantur; sic prudenti successore antecessoris delicta emendantur. Ecce Samuel propriis meritis ornatus de filiorum Heli rapacitate plus micat, & veluti geminata face propria luce & prædecessorum temeritate clarescit. *Iudicauit Samuel filios Israel in Maspath.* Æquitati studuit, cupidini non seruiuit, vt Samueli conueniat, quod aiebat citatus Atalaricus: *Decessorem tuum summouimus amore generalitatis, vt tu saluberrimus adueniens. Contraria prioribus imitare, & laudanda peregisti. Ille calumniis odiosus, tu stude, vt iustitia reddaris acceptus. Rapax ille, tu continens, bonorum omnium breuis est definitio vitare, quæ fecit.* Quæ fecerunt filij Heli, Samuel prorsus effugit, atque vitauit. *Non es calumniatus nos* (aiebat populus *cap. 12. vers. 5.*) *neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam.* Non habuit fuscinulam tridentem in manu, non fouit appetitus insaniam: ergo, vt decessor odium sibi conflauit publicum, sic Samuel amorem promeruit sibi cunctorum.

§. XLVI.

Melius sæpè medetur culpis vrbana lenitas, quàm torua rigiditas.

MEntis inopes (aiebat Plutarchus lib. ad Principem indoctum) *plerique Reges, & Principes imitantur imperitos statuarios, qui grandem speciem, & amplam futuram existimant colossorum, si tibiis vehementer diductis inflatos, & hiantes finxerint. Etenim hi vocis minis, obrutus torui tate, morum asperitate, & consuetudine dura, in socialique grauitatem, ac maiestatem exprimere putant se principalem.* Dura medici manus vulnus exasperat, & quidem facilius obediunt, quæcumque honestius tractantur. Oris benignitas, sermonis suauitas facliùs imprimit cordi mandatum, dum vrbanè allectat affectum. Samuel populum in Maspath conuenire iubet, & assequitur; ibi paterno affectu causas discernit, & culpas carpit. *Iudicauit Samuel filios Israel.* Quid tunc? Affabili energia ab erroribus reuocat, & vlcera antiqua sana: *Ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino.* Fortasse si toruitate vultus subditos percelleret, si verborum asperitate irritaret, delicta non plangerentur, sed contra inurbanum superiorem in campum prodirent. Opportunè Abulensis *quæst. 29. Samuel hortatur hic Israelitas, quod abiicerent idola, & magis erat hoc per modum beneuolentiæ, quàm per modum rigoris.* Duin animos vrbanitate allicit; dum corda affabilitate demulcet, culpas abiicere persuadet, obtinuit efficax placiditas, quod aspera obtinere nequiret toruitas. *Laudabile est* (scribit Cassiodorus in Gnomologia) *vt populus iudicem benignum faciat, & mansuetus iudex gratissimum populum æquabili ratione componat.*

§. XLVII.

Pax, & concordia fatalis est aduersariorum ruina.

VT coluber medicamentis incantatus torpescit, vt effumigatus fugit; sic diabolus concordia tabet, & in imis pace effugatus, & effumigatus deliteſcit. Prodest Tertullianus ad Martyras *cap. 1. Fugiat conspectum vestrum. & in ima sua deliteſcat contractus, & torpens, tanquam coluber excantatus, aut affumigatus. Nec illi tam benè sit in suo regno, vt vos committat sed inueniat munitos, & concordia armatos.* Concordia, & Christianorũ pax, est diaboli venenum, calamitatis exilium, & salutis fulcimentum. Falcati illius Ezechielis currus animalia, & si diuersa, ea concordia contra inimicos armabantur, vt passu simillimo graderentur. *Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Ezechiel. 1. vers. 7. Scintillas, immò & fulgura in hostes eiaculabantur vnita, & inuicta concordia armata. Prodest datus suprà Tertullianus: *Pax vestra bellum est illi.* Non adeo infausta aduersarijs existerent leonis toruitas, aquilæ agilitas, hominis sagacitas, bouis maturitas, ni concors esset consensus, & gressus vnus. Ergo Samueli, vt contra Philisthinos pararet arma, primum curæ fuit inuincibili suos munire cõcordia. *Iudicauit Samuel filios Israel in Maspath*, id est, diremit lites, sopiuit odia, composuit dissidia. Ita Abulensis *quæst. 28. Istud iudicium fuit reconciliatio Israelitarum inter se, quia non solùm reconciliauit Israelitas Domino, sed etiam inter se ipsos.* Iam Philisthini fugiunt perterriti, iam cadunt percussi, dum Israëlitæ lachrymis abstergunt culpam, & inter se nouis vinculis satagunt stabilire concordiam.

NAXERA
Lib. I.
Reg. Cap. VII.
Cap. IV.
15

§. XLVIII.

Gratum Deo holocaustum, & hostium magnum exitium est iniurias remittere, & de iniurio benemereri.

PAtientia virtutum magistra est, eius in schola discitur aduersitatem tolerare, & quod Christi discipulorum elogium est, dolorem iniuriarum decoquere, & de aduersario benemereri. Hanc cœlestem concinnandis virtutibus Philosophiam Christus edocuit mandatis, & confirmauit exemplis. Notauit Tertullianus *lib. de Patientiâ cap. 3. Patientiâ eruditus non contendit, non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem eius audiuit, arundinem quassatam non confregit, lignum fumigans non restinxit.* Arundine percussus non fregit arundinem, fumo exasperatus lignum non contriuit, immò dum ad passionem ducitur, detonsi agni ingenium induit, vt proprio vellere percutientem adornarit. *Quasi agnus coram tondente se obmutescet. Isai. 53. vers. 7.* Quod expendens. Chrysologus *serm. 23.* sic ait: *Et volens, & tacens tondetur, vt tegat illam, quam Adam primus intulit nuditatem.* Non solum iracundis verbis non carpsit iniurium, sed vellus exhibuit, quo tegeret denudatum, & dum agnus præbet vestimentum, Numini gratissimum est holocaustum. Filij Israël in Masphath conuenientes aquam in conspectu Domini effundunt: *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Non est in sacra Scriptura insolitum aquæ hieroglyphico iram designari: ergo opimum offerunt sacrificium, dum mactant recruciationis affectum. Samuël, vt filios Israël concordia vniret, laborauit, & vnitos contra aduersariorum audaciam detriumphaturos obiecit. *Iudicauit Samuël filios Israël in Masphath.* Iudicare hoc loco idem est, ac odia antiqua restinguere concordiam stabilire, & iniuriarum vindictæ de inimicis prorsus desiderium depellere: Ergo iudicium Numinis fuit holocaustum. Ita Abulensis *quæstione 28. Istud iudicium fuit reconciliatio Israëlitarum inter se, quia non solum reconciliauit Israëlitas Domino, sed etiam inter se ipsos, scilicet vt iniurias sibi remitterent.* Vindictæ ardorem sopitum obtulerunt Domino, adeóque gratum fuit sacrificium, vt statim de hostibus reportarint trophæum. Est namque iniuriarum remissio, & sacrificium Numini, & excidium hosti.

TEXTVS.

VERS. VII. Et audierunt Philisthiim, quod congregati essent filij Israël in Masphath, & ascenderunt Satrapæ Philisthinorum in Israël. Quod cùm audissent filij Israël, timuerunt a facie Philisthinorum.

§. XLIX.

Non potest Respublica consistere fortunata, si eius superiores fœda sordidarit rapina.

BOnus princeps rapacitati bellum indicit, & populum iustitia commendabili regit: verùm si auaritia semper sordida, & æquitati semper inimica iudicem, aut præsulem defœdauerit, procuranda Reipublicæ marcescet floriditas, & iuris nescia turbabit omnia rapacitas. *Nec potest* (aiebat Cassiodorus 5. *variar. 15.*) *amari rapacitas continenti Principi nulla redemptione placitura.* Origo omnis criminis est cupiditas, quam innocui semper iudices totis oculis inspectarunt: quod si hæc lues aliquem infecerit, pestis grassanter contra Reipublicæ salutem viguit. Iam Philisthini stragis suæ secum ferebant præsagium, cùm eorum rectores infelix denigrabat elogium. *Ascenderunt Satrapæ Philisthinorum.* Satrapa, vt placet Glossæ Morali, interpretatur *rapiens*, & satis rapiens: ergo exitium secum ferebat populus à Satrapis gubernatus. *Satrapæ* (inquit Glossa) *interpretantur satis rapientes, propter quod significant dæmones, qui rapere student homines per peccata.* Vt dæmones ad peccata instigant, eorúmque delectantur erratis; ita auari præsules, aut ad peccata instigant, aut dissimulant, vt copiosioribus fruantur rapinis, & indignis emolumentis. Miser Philisthæus à Satrapis denudatur, ab Hebræis imperitur. Vbi Satrapa ascendisse dicitur, & eorum populus cecidisse refertur: *Humiliati sunt Philisthiim*: & quomodo poterant non humiliari, qui suorum patiebantur rapinam, & aduersariorum experiebantur valentiam?

§. L.

Verentur dæmones sacra comitia, & piæ congregationis lamenta.

NIhil concordia præstantius, discordia nihil periculosius. *Pardali cum Tyrreno simulatas* (inquit Plutarchus in præceptis politicis) *quæ ex temibus & priuatis causis in rebellionem erecta Sardeis penè obruit. Quare non debemus ciuiles, sicut in corpore, offensiones, quæ cito tabe inficiunt, paruifacere, sed occurrere, reprimere, & opitulari.* Concordia, vnionéque parua vtiliter crescunt, si verò intercesserit discordia, vel maxima dilabuntur. Ob id Philisthæi summo opere studuerunt, ne Israëlitæ concorditer celebrarent comitia, ne florerent concordia: *Audierunt Philisthiim, quòd congregati essent filij Israël in Masphath, & ascenderunt Satrapæ Philisthinorum in Israël.* Et quæ modo Philisthæis certaminis causa? Conuenisse certè concorditer Israëlitas, quod edictis cauerant, & legibus semper vetuerant. Ita Abulensis *quæst. 29. Sciendum, quòd istud ideò est factum, quia postquam Philisthiim subiecerunt Israëlitas maximæ subiectione, cùm capta est Arca propter peccata filiorum Heli, decreuerunt, ne Israëlitæ haberent aliquas congregationes, & hoc, vt non haberent opportunitatem ad iniendum consilium, vt reuelarent illis; ideò nunc scientes, quod congregarentur, irruerunt super eos ad delendum ipsos.* Dum congregati non conuenerant Israëlitæ, dum sacra non celebrabant comitia, dum ad sibi Deum exorandum concordes non depromebant vota, nihil Philisthæi sibi suspicabantur auersi, immò congregatione lege vetita otiabantur securi: ergo bella instauruere soliciti, vbi Israëlitæ conuenerût concordia armati, quasi deuota congregatio, & concors illorum vnio infaustissimum Philisthæis esset præsagium, immò pernicioſissimum bellum. Nec solùm concordia spiritualibus certaminibus necessaria, sed Martialibus etiam bellis. *Vnum ergo politico* (verba sunt dati Plutarchi) *ex illis, quæ eius officij sunt reliquum est quo nullum est bonum aliud excellentius, vt concordiam semper constituat, amicitiámque inter ciues suos mutuam, contentiones, dissensiones, simultatem omnem discutiat.* Nihil aliud curæ fuit Samuëli ac populum congregare, & omnem simultatem, vt vidimus supra, extinguere: & nihil aliud Philisthæis adeò ominosum, infaustúmque, & ob id comitia sacra impedire, & salubria consilia ipsis in radicibus satagebant resecare.

§. LI.

Benè politicus præsagit aduersariorum consilia, & sibi matura præcauet prouidentia.

NIl adeò arma tractanti curandum est, vt prænoscere aduersariorum studia, vt armari possit matura, & prudenti cautela. *Attentione, vt ait Cato, vel magnum efficitur parvum* (scribit Plutarchus in præceptis politicis) *& parvum in nihil redigitur.* Attentione hostilis conatus impeditur, aut retunditur, aut frustratur. Dum bellum vrget, dum aduersarius approximat, ipsa perturbatio aut consilia impedit, aut robur expectorat, aut arma debilitat. Miraculo opus fuit, vt Philisthini verterent terga, & Israëlitæ coronarentur victoria. *Intonuit Dominus fragore magno super Philisthiim, & exterruit eos, & casi sunt a facie Israël.* Iam si quæras, cur opus miraculo, Textus indicat: *Audierunt Philisthiim, quòd congregati iessent filij Israël in Masphath, & ascenderunt Satrapæ Philisthinorum in Israël.* Statim ac venati sunt indicti conuentus notitiam, exercitum parārunt, & acies in campum armis instructas produxerunt: ante quàm scirent Israëlitæ inimicos exercitum cogisse, militēsque obarmasse, irruentes contra se copias spectarunt: ergo miraculo opus fuit, vt Israëlitæ victoriam referrent, & Philisthæi fugerent. *Non est intelligendum* (inquit Abulensis *quæstione* 29.) *quòd audierint hoc Philisthini, postquam congregati fuerunt Israelitæ in Masphath; nam solum steterunt ibi vna die, & hoc quidem non plena, quoniam cùm ipsi starent ibi, irruerunt super eos Philisthini, & factum est bellum, quod habetur infra. Non poterant tamen Philisthini in eadem die audire, & congregari, & quò posteà fieret bellum: sed est sensus, quòd audierunt Philisthini, quod congregabantur Israëlita in Masphath; nam Samuel prædixerat per aliquot dies ante hoc, quod congregarentur de omni terra Israelitarum in Masphath, & dum hoc mandatum fuisset datum audierunt Philisthini, qui etiam congregati sunt, parantes se ad bellum contra Hebræos.* Itaque Philisthæi prouida sagacitate, quid aduersarij molirentur, venati sunt; Israëlitæ verò nescierunt Philisthæos delectum cogere, quousque iam adurgebantur periculo: ergo vt imparati reportarent victoriam, & parati arriperent fugam, opus fuit ingenti miraculo. Sine aliquo prodigio improuidi, imparatique non vincent, nec & sagaces, ac prouidi terga vertent. Et quidem exoculatæ desidiæ est hostiles animos non venari, vt periculosæ ignauiæ studiis cognitis obdormire.

§. LII.

Peccatores, etsi tantisper afflicti se abstineant, antiqua posteà prosequuntur studia, & contra virtutem instaurant bella.

EA est Numinis misericordia, vt peccatores patienter sustineat, & ne percutiat, patientiam extendat: frena tamen aliquando præcipiti injicit, vt vexatio det intellectum, & effugiat miserum præcipitium. *Nos* (aiebat Theodoricus 4. *variarum* 29.) *quibus cordi est post primam culpam non statim desiderare vindictam, ad monitionem potius iussa conuertimus, ne sit nostra districtio nimia, quam lenis patientia non præcedat.* Ne seuera videatur districtio, peccatorem Deus & monitis instruit, & salubri afflictione cohibet. Verùm licet peccator tantisper quiescat admonitus, redit citò consuetudine deprauatus. Philisthæi abstinuerunt à bellis tantisper experti duram Arcæ præsentiam, & generalem perpessi plagam: modo verò iam bella instruunt, & iam ad antiqua redeunt: *Ascenderunt Satrapæ Philisthinorum in Israel.* Notauit noster Sanctius. *Neque fortasse Philisthæi, cùm iam essent in se ipsis, & in agris experti seueram Dei manum, ausi sunt iterum aliquid contra Israelitas bellicum moliri.* Adnectit: *Vbi verò vident in Masphat à summo præside haberi comitia... ostentant metum, ac tandem in Israeliticos fines hostiliter irrumpunt.* Qui ob plagam siluerant, iterum iam militarem delectum cogunt, & hostiliter irrumpunt. Peccatores namque infirmitate, aut calamitate percussi tantisper à vitiis solent abstinere, & posteà impetu ardentiori redire.

§. LIII.

Suspicionibus non fundatis credere est sibi periculum procreare.

VT frequens periculosum est citò accedere opinioni, quin illam coarguamus, & prudenti discussione examinemus; quod posse accidere suspicamur, futurum credimus, & dum fictis, aut infirmis coniecturis regimur, periculis imprudenter objicimur. *In causis* (aiebat Cassiodorus 3. *variarum* 26.) *semper est suspecta potentia, dum velle creditur, quod posse iudicatur.* Dum velle aliquem credimus, quod posse suspicamur, ad periculosam, cæcámque cautelam confugimus, & ipsa cautela nobis periculum procreamus. Orationis causa conveniunt Israëlitæ in Masphath, tunc Philisthæi re indiscussa contra se Hebræos hostile quid suspicantur moliri, & suspicionibus ducti in campum prodeunt armati, & dum arma arripiunt, pereunt: *Audierunt Philisthiim, quod congregati essent filij Israel in Masphath, & ascenderunt Satrapæ Philisthinorum in Israel.* Contra Israël bella instruunt, cùm solum orationi Israëlitæ intendunt, & certamine Philisthæi prosligantur, & percutiuntur: *Casi sunt à facie Israel.* Cladis huius causa nulla alia fuit, quàm suspicionibus adhærere, nec prudenti solertia discutere. Ita noster Sanctius: *Suspicati aliquid in suum caput ab aduersariis adornari, ipsi quoque parant arma, & delectus habent militares, ostentant metum, ac tandem in Israeliticos fines hostiliter irrumpunt.* Cæcis suspicionibus impulsi hostiliter irrumpunt, & dum irrumpunt, & pereunt. Si solicitius conuentus causam exploraſſent, nec arma caperent, nec perirent. Hinc disces, quàm periculosum sit inexploratis suspicionibus credere, & vanis discursibus gubernari.

§. LIV.

Qui delinquit admonitus, aliquando deperit cæcus.

VEniæ aliqualem locum habet, qui ante admonitionem delinquit aut periculi ignarus, aut cæca cupidine illectus: qui verò post correctionem effrænis temerariis ausibus peccat, seueritatem exasperat. *Non habet veniæ locum* (aiebat Cassiodorus 4. *variarum* 29.) *qui delinquit admonitus.* Ante admonitionem peccare, ignorantiæ adscribitur; post admonitionem, pertinaciæ, & obstinationi vertitur. Ipsa notitia culpam exaggerat, & præcedens admonitio districtionem seueritatis commendat; quandoquidem punire nolle probatur, qui correxisse blanda admonitione cognoscitur. Iam Satrapæ in Arcæ reductione miracula viderant, iam Hebræos speciali Deo curæ esse cognouerant: *Quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa, cap. 6. vers.* 16. & tamen iterum adornant prælium. *Ascenderunt Satrapæ Philisthinorum in Israel*, & qui sibi consulere noluerunt admoniti, modò ceciderunt attriti: imò hoc ipso in conflictu priùs Deus terroribus exoculatam frænat audaciam, priùs cœlestibus minis prudentem arripere monet

fugam, ne cruentam intulerit plagam: *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos.* Exterruit fragore, ne feriret fulmine. Quid tunc? Certaminibus insistentes cadunt hostili mucrone vulnerati, & pereunt occisi. *Cæsi sunt à facie Israel.* Ne cæderentur, deterrebantur; aut dum terrores despiciunt, dum fragoribus obsurdescunt, miserrimi, ac infelicissimi cadunt: digni profectò perire, dum admoniti prosequuntur arma tractare. *Hic ponitur diuinum miraculum* (inquit Abulensis *quæstione 30.*) *scilicet quod misit Deus magna tonitrua.* Miracula patrat ne plagam inferat: sine excusatione periit, qui admonitus non aufugit. Dignam pertulere mulctam, quia imprudenter exacerbauerunt patientiam. Si se continuissent deterriti, non iacerent suppliciis dignissimis castigati.

§. LV.

Principis oculi militibus vires inspirant, & aduersarios eneruant.

PRincipis adspectus militum armat constantiam, & dum laudabilis ambitio studet domino præsenti placere, viriliter aggreditur militare. Non est ignauiæ locus, vbi regalis militem inflammat adspectus. Quàm benè Atalaricus 8. *variarum* 21. *Vidit te adhuc gentilis Danubius bellatorem, non te terruit Vulgarum globus, qui etiam nostris erat præsumptione certaminis obstaturus. Peculiare tibi fuit & retinentes barbaros aggredi, & conuersos terrore sectari. Sic victoriam Gothorum non tam numero, quam labore inuisti.* Exiguus militum ad victoriam satis fuit numerus, vbi in omnibus Principis decertabat aspectus; quod adeò verum est, vt miraculo eoque ingenti opus sit ad victoriam, si Principis oculus militum non obarmarit valentiam. Ecce inter Hebræos, Philisthinósque prælia desudant, & vt Hebræi coronentur victoria, opus fuit vibrari cælitus fulmina: *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos.* In die illa exterruit, quando Principes Philisthinorum campo decertantes militum inflamabant audaciam, vbi constantiam munichant. Non fuerunt otiosa miracula, vt referretur victoria. Expende militares Philisthinorum copias non deseruisse stationem, quantumvis horrisona tonitrua aures percuterent, & terrores ingeminarent. Et cur cœlestibus minis perculsi, fulguribus deterriti maluerint mortem oppetere, quàm sibi fuga consulere? Quia Principes certaminibus aderant, *Ascenderunt Satrapæ Philisthinorum in Israel.* Eligebant milites glorioſam mortem antea oppetere, quàm in Principum oculis inhonestam fugam arripere. Notauit Abulensis *quæst. 29. Isti erant Principes, vel Reges in terra Philisthiim.* Adnectit: *Isti omnes conuenerunt cum magna multitudine armatorum contra Israel.* Fors ni Reges vires militibus inspirarent, miraculis opus non esset; aut vbi Principes certaminibus præsidebant, necessarium fuit Israëlitis ad reportandam victoriam cœlum pugnare, & hostes fulminibus referire. Vt noscas quantum valeat ad inserendas militibus vires regalis oculus, & superioris aspectus.

§. LVI.

Prouida solicitudine contra discrimina non munitus ingenti timore percellitur obturbatus.

LVcrosa semper est, si vigilet in excubiis, cautela audaciam inimicis ingerit imparatus, hostilem temeritatem frænat prouidenter munitus. *Munitio ciuitatis* (aiebat Cassiodorus 12. *variarum* 17.) *quando in pace ab exteris gentibus discitur, quod veraciter in certamine timeatur... ideoque omnes debent agnoscere, quod futuris hostibus gratum non sit audire. Quapropter ex nostra iussione possessores admonere curabis, vt iuxtà montem Caprarium, & loca circumiecta muris fouearum ingentium ora pandantur: talisque ibi pateat hiatus, vt nullus relinquatur introitus.* Solicita non premitur anxietate, qui prouidenti se armauit solicitudine: vt acerrimo incipit timore percelli, qui noluit excubiis salubertimis vigilare. Israëlitæ Masphath conuenerunt ad certamina imparati, armisque nudi; aduersarij opportunitatem nacti, Israëlitas adoriuntur, qui Philisthinorum inopinè copiis inspectis acri clamant timore concussi, & tarda solicitudine anxij: *Timuerunt à facie Philisthinorum.* Timorem ingeminabat hostilis manus armata, & Israëlitarum inertia penitus nuda. Et quidem ni miraculis protegerentur, hostium ingemuissent præda, aut plagis confossi, aut infami catena deuincti. *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim.* Et cur modo eluctantes flammas æther eiaculatur, cùm aliis in conflictibus nec tonitruum deterruerit, nec fulmen percusserit? Quia opus fuit miraculo, eoque ingenti, ne gemerent hostilibus armis captiui, qui inueniebantur prorsus imparati, & cautella nulla protecti. Opportunè Abulensis *quæst. 29. Timebant Israelitæ nimis Philisthinos quia sciebant venire illos cum magna multitudine parata ad bellum, ipsi autem non erant parati.* Non adeò verentur aduersariorum ferociam, si solicita se præmuniuissent cautela; verùm gemitibus soluunt, sibi non prodiuisse, nec contra hostiles adsultus obarmasse. Profectò imparati essent hostilium armorum victima, ni cœlum ingentia in campum produxisset miracula.

§. LVII.

Quisquis studiosius colit virtutem, acrius subibit certamen.

FIli (aiebat Ecclesiasticus *cap. 2. vers. 1. accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Quos videt hostis vitiis subiugatos, contemnit, in transfugas ad virtutum castra ardentissima mouet bella, & duriora instruit certamina: ergo opus est ad seruitutem Dei accedenti animum exerere, & omni se cautela contra inimicum armare. dum Israëlitæ Baalim, & Astaroth inseruierant, Philisthinorum siluerunt arma; verùm vbi se restituerunt virtuti, & idolis contritis, decreuerunt inseruire religioni, iam Philisthæi delectum cogunt, & in certamen exurgunt: *Ascenderunt Satrapæ Philisthinorum in Israel.* Ardentiori conatu insurgunt, quia feruentius virtutem Israëlitas colere agnoscunt. Notauit Abulensis *quæst. 29. Magis tunc timuerunt quam aliàs timere solebant* Rationem subdit: *Quia intelligebant, quod Philisthini vellent eos penitus delere.* Dum penitus idolis renuntiarunt, penitus deleri timuerunt, quia aduersarij iam non ardebant solùm subjicere, sed penitus extirpare, & quo passu deuotionis crescebat studium, aduersariorum flammescebat etiam & odium.

§. LVIII.

Cœleste sibi auxilium crediderit affuturum, qui ad virtutum transfugit castrum.

SVnt, qui fragilitatem, imbecillitatémque suam cum aduersariorum ferocia, ac sæuitia metientes non audeant iugum excutere, veriti ne dum honestè rebellant duriora vincula subeant; deberent tamen expendere virtutis studiosis diuinum adesse auxilium, & bellum non suis tantum, sed cœlestibus etiam viribus superandum. Quàm benè, & verè Seneca *epist. 41. Prope est à te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet malorum, bonorúmque nostrorum observator, & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita nos*

nor ipse tractat. *Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exurgere ? Ille dat consilia magnifica, & erecta.* Non est facilè appetitum subiugare, dolorem despicere, cupiditati bellum inferre, omnem humanarum rerum noxiam à corde affectionem expungere, adstat tamen Deus vires inspirans, & suo nos munimine obarmans: ergo timorem excute, & diuino auxilio fide. *Non dices* (subnectit Seneca) *ista res maior est, altiorque, quàm vt credi similis huic, in quo est, corpusculo possit ? Vis istuc diuina descendit, animum excellentem moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus, optamúsve, videntem cœlestis potentia agitat, non potest res tanta sine adminiculo Numinis stare.* Non potest reportari victoria sine Numinis adminiculo, adest tamen præsentissimum eius auxilium vitia abiurantibus, & ad virtutem seriò adnitentibus. Vt conuenerunt Israëlitæ contritis idolis ad Numen exorandum, & de retroactis sceleribus pœnitendum, Philisthiim delectus cogunt, & in ardentissimam pugnam insurgunt: *Ascenderunt Satrapæ Philisthiim in Israel.* Israëlitæ inermes vires suas cum hoste metientes trepidant: *Quod cùm audissent filij Israel timuerunt à facie Philisthinorum*: verùm adest illis Deus, quo reportauerint triumphos, & contriuerint aduersarios: *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & casi sunt à facie Israel.* Quàm imprudenter se pugnæ subduxissent ignauo timori cedentes, quàm prudenter se gesserunt non referentes pedem cœlesti fauore confisi, & viribus superuis iuuandi: adest namque semper Deus virtutis studiosis, & honestatis amicis. *Hic ponitur diuinum miraculum* (inquit Abulensis *quæst.* 30.) *scilicet quod misit Deus magna tonitrua super Philisthinos, & exterruit illos.* Hoc nos Deus facto edocuit terga hostibus non vertere, sed viriliter decertare, & auxilio eius confidere.

TEXTVS.

Vers. VIII. Dixerúntque ad Samuëlem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum.

§. LIX.

Populis est pro muro vir Deo dicatus, & eximiis virtutibus expolitus.

DElirant qui arbitrantur pios viros sæculi voluptatibus renuntiantes inutilem, & otiosam vitam traducere, cùm vniuersali saluti inseruiant, & Reipublicæ pacem, incolumitatémque laboriosis afflictationibus stabiliant. *In primis* (aiebat Tertullianus *de Patientiâ cap.* 13.) *afflictatio carnis hostia Domino placatrix per humiliationis sacrificium, cùm sordes, cum angustiam victus Domino libat, contenta simplici pabulo, puroque aque potu cùm ieiunia coniungit, cum cinere, & sacco immiscuit: hæc patientiâ corporis precationes commendat, deprecationes affirmat; hæc aures Christi Dei aperit, seueritatem dispergit, clementiam elicit.* In viro religioso habet populus placatoriam hostiam; habet, qui Dei seueritatem emolliat, qui ad clementiam alliciat. Magno lucro Respublica viros Numini deditos alit, & necessaria ad angustum victum impendit. Ecce Israëlitæ hostilibus agminibus cincti periissent, ni Samuël eximius Dei Propheta impetrasset miracula, & retudisset orationibus aduersariorum ardentia tela. Nouerant quantum illis in Samuële subsidium, & ideo ad eius preces cucurrerunt: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum.* Plus impetrauerunt, quàm discupierunt; optabant non subire iugum, & reportauere trophæum: *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & casi sunt à facie Israel.* Notauit Caietanus: *Confidebant in Samuelis oratione, quia Propheta Domini erat.* De corde corde pudico, de ore ieiuno oratio commendationem accepit, & victoriam impetrauit. Vnus Samuël fuit populo pro inexpugnabili muro, & pro telis præpilatis fuit aduersario.

§. LX.

Prodest Sacerdotis oratio, quam populi comitatur ieiunium, & placendi Domino desiderium.

SAcerdos apud Deum intercessor existit, & publicam causam agit, eius oratio humiliter Numinis iracundiæ obsistit, & eius dignitas, si fas est dicere, ad clementiam cogit. *Supplicandum vobis est* (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 2.) *beatissime pater, & latitiam, quam per vos, Deo largiente, percepimus, custodire nobis vestris orationibus sentiamus. Quis enim dubitet prosperitatem nostram vestris meritis applicandam ? Quando honorem adipiscimur, qui à Domino diligi non meremur, & permutatione efficaci bona percipimus, dum talia non agamus.* Permutatione efficaci dum Antistitis Deus orationem recipit, bona fidelibus impertitus distribuit: verum tunc & oratio pinguior, & impetratio facilior est, cùm lachrymis generalitatis ascendit ornata, & ieiuniorum afflictationibus communita. Redeat datus Cassiodorus: *Ecclesiasticis siquidem ieiuniis fames est exclusa popularis, decoris lachrymis tristitia fœda discessit, & per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius quod grauabat.* Ne, quod grauabat, traheretur diutiùs, ad Samuëlis preces cõfugit populus: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum.* Ad orationem Samuëlis confugerunt, sed generali ieiunio, & pœnitudine commendarunt: *Ieiunauerunt in die illa atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino.* Quid tunc? *Clamauit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudiuit eum Dominus.* Sacerdotis orationem pro ieiuno, pœnitentéque populo deprecantem gratis Deus auribus percepit, & annuit. Prodest Tertullianus: *Ita statim delictum ieiunio diluit, vt periculum præli simul fugerit. Cùm Samuël offerebat holocaustum, in nullo magis procuratam audiuimus Dei clementiam, quam abstinentia populi.* Vbi peccata pœnitentia diluta, vbi ieiunia celebrata, sine rubore oratio Sacerdotis ascendit, & de hostibus insperatos triumphos reportauit. Iuvat namque plurimum Sacerdotis oratio, si pro quibus oratur, & ieiunium commendet, & pœnitentiâ abrasis sordibus mundet.

§. LXI.

Qui omnem in Deo ponit fiduciam, reportat facilè de aduersariis victoriam.

ERecta fiducia, & prudens in Domino confidentia cœlestia prosè sortitur auxilia, quibus & hostis perit, & victoria arridet: è contra sibi fidere, & spiritus superbos fouere, discrimina procreat, & casus miserandos conciliat. *Fiducia sui* (aiebat Plutarchus de audiendis Poëtis) *suisque fretum præstantissimis dotibus, intelligentis est excelsos animos gerere.* Qui se dotibus præstantissimis existimat adornatum, despicit sæpè periculum, & dum superbit, incurrit. Philisthæi viribus confidentes in Israëlitas irruunt; Israëlitæ ad Samuëlis recurrunt preces, in Domino solum suam collocantes fiduciam, & sic euadere sperantes miseriam: *Dixerunt ad Samuelem Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum.* Vnicè à Domino sperauere salutem: ergo Philisthæi sibi fidêtes corruerũt;

&

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Israëlitæ suas in Domino collocantes spes de aduersariis triumpharunt. *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israël.* Cæsi sunt Philisthiim suis viribus confidentes; Hebræi vicerunt à Domino solo victoriam præstolantes. Notauit Abulensis *quæst.29. Hoc fecerunt, quia spes eis nulla erat nisi in opere Dei.* Dum nihil militari peritiæ, dum armis nil adscribunt, victoriam referunt, & prudens in Domino fiducia, inopina est coronata victoria.

§. LXII.

Feruens iusti oratio suis est inexpugnabile scutum, & aduersariis enorme fascinum.

QVemadmodum doloribus, timoribus, aliisque malis pressos (aiebat Philo *lib.de Somniis*) fauor, sedulitas, dexteritásque amicorum sæpè refouet; sic non sæpè, sed semper grauissima onera, quæ nobis imponit, vel corporis coniuncti necessitas, vel externus casus, aliquis ex improuiso irruens, dimouet præsentissimum sermonis, rationisve remedium. Inopinus sæpè nos casus prosterneret, & ne feruens ad Deum oratio ascenderet, impediret, ni ipse Deus contra hostile robur vires refunderet,& orandum edoceret. Oratio de pectore pudico est pro enormi hostibus fascino, & pro inuicto precantibus est auxilio. *Affectibus* (subnectit Philo) *seu animæ vulneribus oratio remedium est saluberrimum*, adde, & præsentissimum, nam inuictas Dei vires sibi auxiliares adsciscit, quibus obarmata triumphatura semper procedit. Bellum contra Israëlitas Philisthæi adornant;Hebræi ad orationem confugiunt: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.* Paruit Propheta: *Clamauit ad Dominum pro Israël*, & iam orationis clamor inimicorum est terror. *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos.* Oratio inuicto robore armata aduersarios non solùm deterruit, sed dettriumphauit. Ita Abulensis *quæst.29. Hoc erat ad exemplum Moysi, quando pugnauerunt Israëlitæ in deserto contra Amalecitas, quia tunc fuit dux belli Iosuë, & Moyses orabat ad Dominum,dum pugnabant Israëlitæ, erectis manibus in cœlum, & dum relaxaret eas, vincebant Amalecitæ Israëlitas; cùm autem haberet erectas, vincebantur Amalecitæ.* Subdit rationem Abulensis: *Quia tunc videbatur instanter orare; & cùm deprimebat manus, vincebantur Israëlitæ,eo quòd tunc videbatur cessare ab intercessione pro eis, vt patet Exod.17.* Pugnabat Iosuë, sed in eius arma oratione destituta aduersariorum arma valebant: at vbi oratio feruens stabat pro Israëlitis, inimicorum robur fatiscebat veluti sacro fascino præpeditum,& illigatum.Ergo ad orationem Samuëlis confugiunt Israëlitæ, vt qui non dubitabant inuictas orationis contra hostes vires:*Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.* Nec eos sua fefellit fiducia, Philisthini namque oratione prostrati sunt: expende Israëlitas, Moyse orante, vires erexisse, & contra inimicos pugnasse; vt modò etiam, orante Samuële,persecuti sunt Philisthæos: esset enim periculosa imprudentia ad orationem confugere, & inerti otio indulgere.

§. LXIII.

Deliciæ militares vires prorsus eneruant, austeritas, & rigiditas robur ædificant.

ATletæ (aiebat Tertullianus ad Martyras *cap.3.*)*segregantur in strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lectioribus, à potu incundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur:quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria sperant.* Deliciosus miles est hostilium mucronũ præda, & quo plus indulget ventri, tanto inertior inuenitur certamini. Israëlitæ post solemne ieiunium ad Samuëlis orationem confugiunt: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum*; & dum Samuël pro ieiunis, & impransis clamat, æther pro ieiunis acriter pugnat, & tropæis orantes coronat. Vicerunt benè pransos, & deliciis deditos oratione adiuti, & austeritate ieiuniorum armati: *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos,& cæsi sunt à facie Israël.*Notauit Tertullianus: *Dominus intonuit voce magna super eos, confusi sunt, & corruerunt in conspectu Israël ceciderunt pastos impasti,armatos inermes: hæ sunt vires ieiunantium Deo, cœlum pro eiusmodi militat.* Pro abstinentibus à deliciis, pro à luxuria vacantibus militat cœlum: nec profuerunt Philisthæis copiosa arma, vbi eos eneruarunt voluptuosa delinimenta. Hinc formam habes ad spiritualem militiam: pugnat cœlum pro orantibus, ieiunantibúsque, & dæmonum suggestiones redduntur irritæ contra armis ieiuniorum munitos, & contra fallacias deliciarum orationibus obarmatos.

TEXTVS.

VERS. IX. Tulit autem Samuël agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino,& clamauit Samuël ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus.

§. LXIV.

Eucharistia semper dæmonibus fuit exitium, & fidelibus propugnaculum.

EVcharistia nostræ fragilitatis fulcimentum est:grádi caret contra hostes subsidio, qui non munitur hoc epulo. *Languentes releuat* (aiebat Iulius Firmius *de error.profan.relig.cap.19.*) *errantes reuocat,lapsos erigit,qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insignia.Christi panem, Christi poculum quare, vt terrena fragilitate contempta, substantia hominis immortali pabulo saginetur.* Saginatur immortali pabulo anima, & dum homo reficitur, hostis panico perculsus pauore terretur. Hordeaceus ille Gedeonis panis sic hostes terrore impleuit, vt terga verterint se fortunatos arbitrati,si fugerint. Samuël agnum offert, & altari oblatus Hebræos roborat, aduersarios debilitat: *Tulit Samuël agnum lactentem vnum.* audaciæ tulere supplicium, qui contra agno armatos iniere prælium: *Exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel.* Notauit Glossa: *Agnum, id est, tenellum,per quem significatur Christus, de quo dicitur. Ioan.1. Ecce agnus Dei.* Agnus pro acerrimo ariete fuit, omnia inimicorum machinamenta subruit,& suos spoliis ditissimis exornauit.

§. LXV.

Saluti, & securitati consulitur, si optimum ad Dei honorem offertur.

DEpræliatur non semel cum religione auaritia,vult quid sacrare,sed cupit optimum retinere; cæcutit tamen,& sibi ipsi inuidet,dum vult reiectaneis placere, quibus solet frequenter exasperare. *Ei offero* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.30.*) *optimam,& maiorem hostiam ... non grana thuris minus assis, Arabicæ arboris lachrymas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi boui mori exoptantis.* Imprudenter cupit inire gratiam, qui ipso obsequio exasperauit patientiam. Claudum, & mutilum offerre est maiestatis iniuria. Redeat iterum Tertullianus *cap.13.Non dico quales sitis in sacrificandò, cùm*

cum enecta, & tabidosa, & scabiosa quaque mactatis, cum de opimis, & integris supervacua quaque truncatis capitula, & vngulas, quæ domi quoq; pueris, & canibus destinassetis. Cum de decima Herculis nec tertiâ parte in aram eius imponitis. Laudabo magis sapientiam, *quod de perdito aliquid eripitis.* Prudentia esset (inquit Tertullianus) de prorsus amittendis aliquid præcidere, & reseruare; verùm dum cæci adoratis idola, cæcutitis; quia enecta, & flaccida consecratis; quandoquidem ratio suadet meliora litare, & deuotione gratiâ meteri. Samuël, vt Deo offerat, agnũ opimum, & integrum eligit, & dum offert, & integrum, & opimum de hostibus decantandum reportauit trophæum. *Tulit Samuël agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino.* Non triumpharet, si sacrificio majestatem ostenderet. Notauit Abulensis *quæst. 29. Sicut nos pro cibis nostris eligimus ea, quæ sunt sapidiora, & teneriora; ita Deus vult, quod in sacrificiis sint ponerentur ea, quæ erant meliora.* Delicatius, & tenerius obtulit sacrificium, & Numen sic ea reuerenti oblatione placauit, vt inimicos prostrauerit: *Exterruit eos, & casi sunt à facie Israël.*

§. LXVI.

Grandi pretio emunt frequenter homines luctuosam stragem, cum exiguo potuerint promereri sibi salutem.

MEro ab vna vite expresso promeruit sibi pincerna Pharaonis gratiam. Pistor plurimis cibis labore compactis, & sudore conditis maturauit sibi ruinam, cuius alter patibulum, quàm alter nobile coemerit præmium. Quisquis libidini, appetituique inseruit, emit multis innubilare honorem, & debilitare salutem: qui inseruit Deo thuris asse, meri guttis vera pietate oblatis eum colit, & salutem sibi stabilit. Confragoso vertice Balac ædificat septem aras, mactat totidem vitulos, imponit arietes de Balaam consilio, vt habes Numer. 23. & post anxios labores, post tot sumptus non solùm votum non assequitur, sed solicitat imprudenter excidium: *Vt malediceres inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis eis.* Magnis expensis nil aliud obtinuit quam vires suas eneruare, & magno pretio perire. Samuël vnicum agnum Deo offert: *Tulit Samuël agnum, lactentem vnum.* Et cum modicus fuerit sumptus, fuit triumphus magnus: *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & casi sunt à facie Israël.* Minus constitit salus, quam gemitus, victoria quam ignominia. Notauit Glossa: *Agnus oblatus pro populo Dei victoriam præstat:* Agnus vnicus comparauit illis victoriam, tot constructæ præruptis silicibus aræ, tot pingues vituli, tot crassi arietes Balac acceleruere miseriam: vt noueris constare maiori pretio cladem, minori salutem.

§. LXVII.

Vnicum Missæ sacrificium affert dæmonibus ruinam, & fidelibus affert victoriam.

DVm sacrificium Christi sanguine rubet, hostis deperit. In altari habet Christianus armarium, quo vincat, & missilia, quibus hostis percussus cedat: ibi floret sine sudore palma, ibi sine certamine obtinetur victoria. Angelus virga Moysis virgæ simili armatus Gedeonem fugam meditantem tuetur: Gedeon supra petram carnes, & azymos panes offert, & oblatis Angelus iam disparet. Et cur modo Gedeonem deserat, qui nuper, vt protegeret, adstabat? Quia iam Gedeon, pro quo militabat contra hostes sacrificium, non indigebat vel Angelis ad trophæum: *Ascendit ignis de petra, & carnes azymosque panes consumpsit; Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius. Iudic. 6. vers.* 21. Superat Angelus, vbi in castra Madian descendens panis omnes inimicorum vires non tantum labefactabat, sed penitus euertebat: *Videbatur mihi*, refert cõmilitoni commilito, *quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, & in castra Madian descendere: cúmque peruenisset ad tabernaculum, percussit, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit. Iudic. 7. vers.* 13. Panis, qui odore fragrans ascenderat in cœlum, hostile descendebat in castrum; vtque Angelus typici panis robur edoceret, sacrificio peracto æthera repetiuit. Iam Gedeon non tentat fugam, sed assequitur victoriam. Ergo Samuël quo suppetias trepidantibus ferat, & ardentem audaciam aduersariorũ extinguat, agnũ purissimũ offert holocaustũ, & holocaustũ præsentaneũ est aduersariorum excidium. *Tulit Samuël agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino.* Aër sacratis flammis rubebat, & cœlum contra aduersarios terribili fragore tonabat: *Intonuit Dominus fragore magno in die super Philisthiim, & exterruit eos.* Sacrificium versum est contra inimicos in telum. Notauit Lira: *Samuële orante, & holocaustum pro populo offerente, fuerunt cælitus debellati, secundùm quod dicitur infra.* Annuit Glossa Moralis: *Dicitur tenellus teneritudine pietatis, quam bonus Prælatus offerre debet in Sacramento Eucharistiæ pro suorum subditorum salute, & dæmonum repulsione. Ideò subditur: Intonuit Dominus, &c.* Philisthiim verterunt terga, & Hebræi recuperauerunt amissa dum peraguntur altaribus sacra: est namque Missarum sacrificium libertatis restitutio, & dæmonum furoris repressio.

§. LXVIII.

Floret Respublica, si ministrorum manus nulla rapina sorduerit, & solicitudo generalitatis commodis vigilauerit.

QVod sit ambitu lucri (aiebat Cassiodorus 4. *variar.* 37.) *causa videatur esse dispendij.* Sæpè est causa generalis dispendij quod minister sibi applicat cupiditate sordida lucri, & dum oblata perueniunt ad Dominum imminuta, accipientis gratia non promeretur, & populus prægrauatur. *Auaritiam fuge* (monebat iudicem Cassiodorus 12. *variarum* 1.) *cui cuncta crimina detestabili deuotione famulantur, quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gregatim quoque malefidas cohortes admittit ... Proindè ad vtilitates publicas esto solicitus. Persona tua refugium sit oppresso, infirmo defensio, præsidium aliqua calamitate concusso.* Inauarus superior, alienus à cupiditate minister generalitati consulit & calamitatem depellit; verùm non plures inueniuntur, quorum manibus quid non adhæreat, & maculis detestandis inficiat. De opimis, & integris victimis Sacerdotes idolorum aliquid præcidebant, & hoc aut illo nomine sibi applicabant. Ita Tertullianus *in Apologetico cap.* 13. *De opimis, & integris supervacua quæque truncatis capitula, & vngulas ... de decima Herculis nec tertiam partem in aram eius imponitis.* Quid ab hostiis præcidebant, & cùm tres partes populus solueret, nec tertia pars perueniebat ad Herculem. Sub Samuële populus floruit, inimicus luxit, quia quidquid à populo accepit, illibatum altaribus consecrauit. *Tulit Samuël agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino.* Expende illud, *integrum*, id est, nil vt filij Heli, sibi concupiuit aut rapuit: ergo populus floruit. Innuit Abulensis *quæstione* 30.) *integrum Domino, id est, obtulit illum agnum integrum in holocaustum.* Integrum peruenit holocaustum ad Dominum, quia nec vngula remansit apud ministrum.

NAXERA
Lib. I.
Reg. cap. VII.
n. 15

TEXTVS.

VERS. X. Factum est autem cùm Samuël offerret holocaustum Philisthiim iniere prælium contra Israël : Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israël.

§. LXIX.

Cœlesti epulo armatis satis non est hostem fugere, sed fugare.

SAtis est inermi, & impasto, si hostis audaciam effugerit, & insidias eius vitarit, optimis verò armis instructus, & magnificis congiariis honoratus quid ampliùs debet tentare, hostes videlicet non solum eludere, sed prosternere. Ob id cùm Samuël oblato agno populum obarmasset, iam cœlestis clangor animos ciet, & inimicos debellare suadet : *Factum est cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa.* Fragor Israëlitis indidit animos : *Persecuti sunt Philisthæos*, quasi satis non esset agno obarmatis vitasse pericula, sed opus reportauisse trophæa. Et quidem cùm oblatus agnus sic debelitaret hostes, vt nec prensare arma valerent, dedecori esset non vincere. *Manus semiustulati* (verba sunt Iosephi apud nostrum Sanctium) *vt ne arma quidem retinere possent, in fugæ spem totam ponebant.* Si hostes fugerent, Hebræi vitassent periculum, sed cùm agnus Philisthinos exarmasset, & vires Israëlitis validissimas indidisset, magnum esset probrum non detriuisse aduersarium. Mulier illa, cui insidias draco prætendebat, fugit in solitudinem, ibi à Deo passa est : *Vt ibi pascant eam. Apoc. 12. vers. 6.* Iam cœlesti epulo saginata alis aquilinis armatur, & armatam conspiciens draco fugam adoritur : *Abiit facere prælium cum reliquis.* Si inquiras, cur post epulum non colubinis, sed aquilinis alis fuerit instructa, respondebit Plinius aquilæ proprium esse serpentem insequi, & dilaniare : *Acrior est, cum dracone pugnat* (inquit *lib. 10. natur. histor. cap. 47.*) *illa ob hoc rapit vbicumque visum.* Itaque mulier, ante quàm cœlestibus pasceretur deliciis, fugit serpentis dolos, iam eis deliciis innutrita aquilæ alas induit, vt assequeretur triumphos. Nec aliter accidit Gedeoni ; fugere moliebatur Madianitarum vires, verùm dum armatur, pane, iubetur non inire fugam, sed obtinere victoriam : *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian. Iudic. 6. vers. 14.* Magna tritici fortitudo, quæ Madianitam debilitabat, & Gedeoni animos infundebat.

§. LXX.

Inita cum impiis fœdera esse solent victoriæ obstacula.

NOn quidquid militari robori accrescit, aduersario nocet, immò quod cæco ambitu putatur commodum, inuenitur detrimentum. Fœdus initum militares copias videtur augere, sed sic cum impiis iniatur inuenitur eneruare. Non semel Philisthiim arma contra Israëlitas mouerunt, nec tamen cœlesti fragore concussi, aut micante fulgure expauerunt deterriti, modo ingemunt & exterriti, & prostrati : *Iniere prælium contra Israël : intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim.* Quòd si causam inquiras cœlestis indignationis, inuenies, teste Ecclesiastico *cap. 46.* iniuisse cum Tyriis fœdera : *Intonuit de cœlo Dominus, & insonitus magno auditam fecit vocem suam, & contriuit Principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim.* Fœdus cum Tyriis celebratum magnum ad reportados triumphos videbatur subsidium ; verùm indè emersit ruina, vndè certior sperabatur victoria. Iniuit noster Sanctius : *Externum sibi asciuerunt auxilium à vicinis populis, à Tyriis puta, & his qui Tyriorum suberant imperio.* Dum Tyriorum impietate Philisthinorum adaugebatur impietas, & maturabatur calamitas, Tyrij illis non tam aduentauere subsidio, quàm concordauere dispedio. Nam militares vires dum impio fœdere colligantur, supernis fulminibus prosternuntur : vt noueris, fœdera cum religionis inimicis contra religionem inita non semel esse præcipuissima stragis causa.

§. LXXI.

Vbi religiosè procuratur Numinis cultus, cœlesti brachio oppugnatur aduersarius.

DEo studiosè impensus cultus, & pronus ad religionis defensionem affectus pacem conciliat, & virginem afferre solet victoriam. Deus exercitus, & quidem innumeri apud Isaiam Dominus perhibetur, cum religiosis vocibus celebratur. Seraphin dum repetitis acclamationibus Numinis concelebrant sanctitatem, & militarem deprædicauere virtutem : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Idem fuit exercituales copias contra religionis hostes producere, & religioso cultu honorari. *Illa Angelorum circumstantia non cessat dicere : Sanctus, Sanctus, Sanctus* (scribit Tertull. *de Oratione cap. 3.*) *proindè igitur & nos Angelorum, simueruimus, candidati iam hinc cœlestem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis edisci mus.* Bernardus vt Cherubin gladio munitum, sic Seraphin contra hostes vocibus arbitratur armatum. Ipsum audi *serm. 5.* de verbis Isaiæ : *Quid æstimare vetat deiecto lucifero ad perniciem excubias Seraphin constitutos, sicut eiecto homine (teste Scriptura) Cherubin ad custodiam posuit Deus.* Vt gladius Cherubicus militabat in hostem, sic cultus Seraphicus deterrebat ; Deus namque, dum religiosè honoratur, arma capit, & hostem destruit. Philisthæi in Hebræos irruunt imparatos, & inermes ; pro eis tamen stabat oblatus agnus, religioséque impensus cultus : *Factum est cùm Samuël offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israël.* Quid tunc ? *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim.* Pro Philisthæis copiosus stabat exercitus ; pro Hebræis oblatus agnus. Ergo Philisthæi militarunt Israëlitarum triumphis, & diuitauere trophæis. Ita Augustinus : *Infinita Philisthinorum agmina quasi arenæ maris per plana terræ Israël se effuderunt, quæ Dominus Samuele orante ingenti cœli fragore perterrebat, quatenus per hoc & Israëlitæ non propria virtute vicisse intelligerent, & hostes Dei protectionem, & auxilium erga hunc esse populum scirent.* Sua clade nouerunt Philisthæi quantum valeret Dei cultus, & quæ parum iuvaret impios instructus armis exercitus.

§. LXXII.

Cùm nulla in castris culpa grassatur victoria sine difficultate obtinetur.

ARma sunt pacis fulcimenta, Reipublicæ propugnacula tranquillitatis subsidia ; verùm oportet iustitia confœderari, vt æquitatis legibus suffulcire. *Propositi nostri est* (aiebat Theodericus *4. 3. var. 12. vt prouincias nobis (Deo auxiliante) subiectas sicut armis defendimus ita legibus ordinemus, quia semper auget Principem obseruata iustitia.* Obseruata iustitia, legibus subiecta modestia armorum exacuit acies, & militares roborat vires. Quod si qui Martialibus incumbunt bellis, legibus se arbitrantur immunes ; si rapinis studeant, & insanis luxuriæ appetitionibus seruiant, iam nec armis efficacia, nec

Reipublicæ

Reipublicæ remanebit tutela. *Militaribus officiis assueti* (aiebat Cassiodorus *1. var. 11.*) *ciuilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc iustitiæ parere despiciunt, quoniam ad bella Martia semper intendunt, dum nescio quo pacto, assiduè dimicantibus difficile est morum custodire mensurã.* Dum morum non custoditur mensura, facilè armorum acies ab aduersariis retunditur, & Reipublicæ tranquillitas perturbatur. Muro æneo repellitur hostilis adsultus, si custodiatur æquitas, & omnis ab exercitu exularit vitiositas. Abstulerant filij Israël Astaroth, ænigma Veneris; Baalim confregerant audaciæ, ac temeritatis emblema: ergo dum repurgatis sceleribus inseruiunt iustitiæ, lauro redimiuntur victoriæ. Philisthæi iustitia corruunt destituti, quantumuis armorum potentia efloruerint validi: *Cæsi sunt à facie Israël.* Israël videns Deum interpretatur: ergo hostis ab Israële subigitur. Notauit Iosephus *lib. 6. Antiquitatum cap. 2.* & apud Sanctium. *Hostis in conspectu aciem explicat, rem factam se habere putans interceptis Iudæis imparatis ad pugnam, & tantum non inermibus, vt qui non in eum locum ad hoc conuenerant. At longè aliter accepti sunt, quam crederent, etiam si quis prædixisset. Primum enim terra, iubente Deo, sub pedibus eorum intremuit, & vacillante vestigio nutabant; nonnulli etiam in improuisos hiatus prolabebantur: deinde fulminibus crebris attoniti, & ignitis fulgoribus oculos, ac manus semiustulati, vt ne arma quidem retinere possent, in fuga spem totam ponebant.* Alias inierant prælia contra Hebræos armis munitos, & subegerant corruptis moribus deprauatos. Contra inermes pugnabant modo; verùm quia Venus ab eorum exercitu afuit, quia religio, & virtus effloruit, inermium Deus causam suscepit, & improbos armatos deuicit. Notauit noster Sanctius: *Prudens quisque facilè cognoscere et inuitas esse acies, quas armat, & moderatur Deus, & murum esse aheneum, cùm nulla in castris culpa grassatur.* Ecce nulla grassante culpa vicit inermis, ac nudus, & culpis grassantibus corruit militaribus copiis armatus, vt aciem Principes nouerint, si velint hostes detriumphare, ab exercitibus libidinum victimas, vigilanter depellere, & iustitiam custodire.

§. LXXIII.

Qui sacris adstantes perturbare moliuntur, seueris pœnis mulctantur.

PLures sunt, qui templa adeant, non vt conciones sitientibus auribus percipiant, non vt sacris religiosa attentione adstent, sed vt nutibus attendentes perturbent. Quàm benè aiebat Seneca *epist. 108. Quidam veniunt, vt audiant, non vt discant: sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis ducimur.* Quod Seneca de Philosophorum scholis scripsit, dicere potuisset de templis: vt theatrum templum aliquando voluptatis causa, & concupiscentiæ aditur, & ibi videas errores committere, vbi fas erat de erroribus pœnitere. *Magnam hanc auditorum partem videbis* (subnectit Seneca) *cui philosophi schola diuersorium otij sit. Non id agunt, vt aliqua illic vitia deponãt, vt aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant, sed vt oblectamento aurium perfruantur.* Non hic aliquorum stat culpa, sed vlterius serpit; non solùm ipsi non proficiunt, sed proficientes impediunt. Et quidem timere debuissent ingenti supplicio mulctandos, & ad aliorum exemplum durissimè corrigendos. Adstabat populus Samuëli sacra celebranti, cùm Philisthæus init prælium, vt à sacris abducat, & interpellat: *Cùm Samuël offeret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel.* Quid tunc? *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israël.* Si inquiras, cur modo durè adeò extertiti, & seuerè puniti, cum aliis initis prælijs has cœlestes iras non fuerint experti, ipsa temporis circunstantia respondet, scilicet perturbasse sacrificio adstantes, & expiationi attendentes: ergo digna castigati sunt pœna. *Dominus Samuële orante* (inquit Aug.) *ingenti cœli fragore perterrebat.* Discant alieno supplicio polituli, vanitulique, cùm sacrificium offertur, bellum nutibus non inire, nec religiosè attentos turbare, alioquin dabunt dignissimas pœnas, & cœlestes patientur flammas.

TEXTVS.

VERS. XI. Egressique viri Israël de Masphath persequuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque ad locũ, qui erat subter Bethchar.

§. LXXIV.

Tunc floret consummata victoria, cùm cœlestis militat prouidentia, & humana desudat etiam industria.

PRodest nihil humanum robur auxiliis cœlestibus destitutum: cœleste languescit auxilium, si humana vecordia apposuerit obstaculum; floret verò perfecta, & consummata victoria, si superno fauori labor adiungatur industrius, & iners effugiat somnus. Dei virga Ægyptios proterit; sed Mosis manu apprehensa: *Reuersus est in Ægyptum portans virgam Dei in manu sua.* Exod. 4. *v.* 20. Leprosa fatisceret manus, ni virga vires inspirasset: virga otiaretur, ni manus apprehendisset, & laborasset: at vbi manus virgæ adiungitur, hostis confusis vndarum voluminibus mergitur. Prælium incunt contra Hebræos Philisthini è sententia processurum putantes; verùm non potuerunt vires humanæ deiicere, quos cœlestibus constabat suppetiis defendi: *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthinos & exterruit eos.* Fragore tonitruorum exterruit, panico timore percussit; victoria tamen consummata non est, quousque Hebræi arma prensarunt, & fugientibus infligentes vulnera peremerunt: *Egressi viri Israël de Masphath persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos.* Fragore Philisthini fugam arripuere perterriti, ab Hebræis ceciderunt percussi: opus fuit ad perfectam reportandam victoriam, Deum terribiliter tonare, & Hebræos manus certaminibus admouere. Notauit Caiet. *Prima duæ percussiones fuerunt à Deo; hæc autem tertia fuit humanis manibus effecta.* Ni Hebræus manum admoueret, Philisthæus non caderet; ni intonuisset Deus, non fugeret; vbi verò cœlesti auxilio iungitur humana solertia, perfecta reportatur victoria.

§. LXXV.

Satis non est ad tranquillitatem hostem fugare, sed necessarium persequi, & vincere.

EAm inter virtutem, & vitium differentiam constituimus: nolumus abolere virtutem, ambimus adaugere incrementis non modicis prauitatem. *Initiatos nos credimus, in vestibulo eius hæremus* (aiebat Seneca *lib. 7. natura. quæst. c. 31.*)... *Quando ergo ista in notitiam nostram perducentur. Tardè magna proueniunt vtique si labor cessat.* Cessat labor, quia in virtutis vestibulo hæremus, nec ad vlteriora gressum explicamus: virtute satis nobis est initiari, & leuiter tantum aspergi. Vitiis toto animo adhæremus, & proficere cupimus: immò si aliquando ad saniorem mentem reddimus, vicisse iam credimus, subsistimusque vitiis non prorsus deletis, sed aliquantulum effugatis. Hinc est, quod recrudescit sæpè vitiorũ torui-tas mitigata, non prorsus extincta. Cum tempestate depræliabantur Apostoli, cúmque ad portum, qui in scapha erat, recurrerent, eos Dominus suis factis contra hostes

NAXERA Lib. I. Reg. cap. VII. n. 15

depræliari edocuit, dum mari non solum tacere, sed obmutescere iussit: *Dixi mari: Tace, obmutesce, & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna Marc. 4. vers. 39.* Mari comminatur, & ventus cessat. Iam si inquiras, cur non solum vndis tacere, sed obmutescere iusserit, respondeo, opus fuisse ad magnam tranquillitatem; vt fluctus tacendo mitescerent, obmutescendo periret. Et si mare cogat fluctus, & si vortices mitiget, adhuc fluctuatio aliqua perseuerat, & procellæ vestigium durat. Ergo obmutescere imperat, vt omne tempestatis indicium prorsus aboleat, & fors tranquillitate magna Apostoli non fruerentur, si maris vndæ etsi ventis non attollerentur percussæ, fluctuarent inquietæ. Tunc tranquillitas facta est, cùm non solùm silentio edomuit, sed loquendi facultatem eripuit. Satis non est, si vitia taceant, sed opus est ad tranquilitatem, vt excitare iterum volumina nequeant. Iam arripuerant fugam Philisthæi cœlesti fragore stupefacti; verùm Hebræis satis non fuit fugare, sed vt plena fruerentur victoria, conati sunt interimere: redire namque potest inimicus fugatus, sed non redibit occisus. *Persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque ad locum, qui erat subter Bethchar.* Quousque error omnis expurgaretur, persequuti sunt, ne si respirare permiserint, iterum bella instaurarent. *Persequuntur eos* (inquit Rabbanus) *vsque in domum agnitionis: vsque quo sciicet omnis error expurgetur, & Deus verè cognoscatur.* Acoinit Caietanus: *Israëlitæ videntes Philisthinos reiectos à Deo egressi è ciuitate persequuti sunt fugientes.* Persequuti sunt, vt prorsus delerent, nam aliter, & si fugati, redirent.

§. LXXVI.

Vbi non defudauit cauta prouidentia, miraculis opus est, vt obtineatur victoria.

QVi priùs prouida non fuerit cautela munitus, stragibus subiacebit improuidus: imparata semper sunt pauida, & audaciæ inimicorum subiecta. Timor vires debilitat, perturbatio robur expectorat, consilium, nutat: vbi hostilis clamor aures percellit, & impetendus nullam sibi armorum defensionem prouidit. Optimè Cassiodorus 1. *variarum* 40. *Ante distribuenda sunt arma, quàm possit flagitare necessitas, vt cùm ea tempus exegerit, parationes ad imperata sufficiant.* Arma prouidenter parata hostilem audaciam aut frænat, aut fugant. At si bellum imparatos inueniat, miraculis opus erit, vt inermes vincant, & hostes cadant. Conuenerant Hebræi in Masphath nil aduersi suspicantes, cum Philisthæi imparatos intuiti ineunt prælium, & indubium sibi promittunt triumphum. Non cessit res è sententia, immò ingenti contriti sunt plaga: *Egressi filij Israël de Masphath persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos.* Palmam reportauerunt Hebræi, sed quia Deus & horribili fragore inimicos perterruit, & fulminibus vstulauit: miraculosè reportata est victoria, nec sine ingenti miraculo imparati potirentur victrici palma. *Hic ponitur* (inquit Abulensis *quæstione* 30.) *diuinum miraculum, scilicet quòd misit Deus magna tonitrua super Philisthinos, & terruit eos.* Dum improuidi, imparatique ingentibus miraculis consequuntur victoriam, edocemur, opus esse miraculo, vt improuidi, oscitantésque assequi potuerint palmam. Ergo cùm frequens non sit miraculum, hostis agit causam, qui non præparatur ad pugnam.

TEXTVS.

VERS. XII. Tulit autem Samuël lapidem vnum, & posuit eum inter Masphath, & inter Sem: & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque: Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus.

§. LXXVII.

Pertinacior durat iniuriarum memoria, citiùs è memoria excidunt beneficia.

ITa natura comparatum (aiebat Seneca *lib. 1. de Beneficiis cap. 1.*) *vt altius iniuriæ, quàm merita descendant, & illa citò defluant, has tenax memoria custodiat.* Deteriores brutis non semel sunt rationales, nam feræ officia sentiunt, & memoriæ tradunt: leonum ora impunè tractantur à magistris; elephas obsequitur cibo recreatus & à ruina semel exemptus. Homines recusant beneficium agnoscere, & rubore suffunduntur, si palam opus sit confiteri. Benè Seneca *lib. 2. de Beneficiis cap. 23. Verentur palam ferre, vt sua potiùs virtute, quàm alieno adiuturio consequuti dicantur.* Huius illaudandæ verecundiæ non inscius Samuël, cùm à Deo celebrem Hebræi accepissent triumphum, monumentum beneficij præconem erexit, & ne è memoria elaberetur, curauit: *Tulit Samuel lapidem vnum, &c. Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus.* Eum erexit lapidem, qui facilè amoueri non posset veritus, ne vt negarent beneficium elocare procurauerint saxum. Notauit Abulensis *q. 31. Iste lapis erat magnus, ad hoc, quod non faciliter moueretur, & maneret in memoriam æternam in locum illum.* Ingens adeò fuerat beneficium, vt excitari indicem potuerit videri otiosum; verùm Samuël, vt qui nouerat, quàm citò officia è memoria elabantur, eum erexit lapidem, qui nec temporum adsultibus imminui, nec ingratitudinis conatibus quiret auelli.

§. LXXVIII.

Plus inuidet sibi ingratus, quàm officiat illi inimicus.

PLures, dum accepta beneficia aut obliuioni tradunt ingrati, aut affectant ignorare superbi, beneficientiæ fontem sibi intercludunt, & obstaculum liberalitati opponunt. *Viderit* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ cap. 2.*) *in gratia hominum, si etiam bonis factis pœnitentiam cogit: viderit & gratia, si captio eius ad benefaciendum incitamento est.* Adnectit: *Quantum enim compendij, si grato benececeris, vel dispendij, si ingrato.* Ingratus argumentum nihil debentis odio solet quærere; verùm sibi odio inuidet, & ingratitudine nocet. Qui à Deo accepta bona ad iniuriam irrogandam conuertit, sibi ingratitudine pericula grauissima conciliauit: *Nescius quia ego dedi ei frumentum, & vinum, oleum. Osea. 2. vers. 8.* Ne redderet gratiam, ignorantiam affectauit. Quid tunc? *Corrumpam vineam eius, & ficum eius: de quibus dixit: Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei: & ponam eam in saltum, & comedet eam bestia agri.* Vide quæ dispendia ingrata ei attulerit ignorantia, diuitias abstulit, & bestiis deuorandam obiecit. Ergo vt hunc Samuël populo vitaret scopulum triumphi à Deo populo dati æternum erigit monumentum. *Huc vsque auxiliatus nobis Dominus.* Gratitudine sic felicitatem firmauit, vt ausi non fuerint hostes instaurare certamina, veriti maiora illis impendenda à Numine beneficia: *Humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltra vt venirent in terminos Israel.* In terminos

terminos Israël irrumperent, quantumvis aggeribus, & munitionibus circumvallarentur muniti, sed timuerunt, quia beneficij cælitus concessi confessione protegebantur armati. Non ausus est inimicus arma capere contra Numini gratos, moueret bellum contra beneficiorum oblitos *Post hoc* (inquit Abulensis *quæst.* 31.) *iam non veniebant ad terram Israelitarum ad pugnandum contra eos, sicut anteà faciebant.* Gratitudo ad vlteriora beneficia honestum incitamentum, inimicorum confregit ausum. Plus timendum esset Israelitis a beneficiorum obliuione, & ingratitudine, quàm ab hoste, quia hostis extimuit gratos, & auderet contra armis, & munitionibus cinctos.

§. LXXIX.

Concionator muneri satisfaciens est dæmonum horror, vitiorum terror.

COncionator, dum ad virtutes promouet, dum vitiorum fœditatem ostendit, magnum dæmonibus dolorem infert: habet Respublica in zelotypo prædicatore subsidium, experitur dæmon, dum mores expoliuntur, tormentum. *Omnibus natura* (aiebat Seneca *epist.*108.) *fundamenta dedit, semenque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus: cùm irritator accessit, tunc illa animi bona velut sopita excitantur. Non vides quemadmodum theatra consonent, quoties aliqua dicta sunt, quæ publicè agnoscimus, & consensu vera esse testamur.* Non potest non ostensa veritas, & virtus placere: qui philosophum audiunt, aliquid, quo mores componant, surgunt. Si concionator vita, & doctrina virtuti suppetias ferat, vitium elanguet, & dæmon mœret. *Notitia salutarium disciplinarum nos sumus* (aiebat Tertullianus de cultu fœminarum *cap.*9.) *Nos destinati à Deo ante mundum in æstimationem temporum tanquam castigando, & castrando* (*vt ita dixerim*) *sæculo, eruditur à Domino.* Subiicit Septimius. *Nos sumus circumcisio omnium, & spiritalis, & carnalis, nam spiritu, & carne sæcularia circumcidimus.* Circumcisio macerata carne abigebat culpam, & redintegrabat ipsa præcisione naturam. Ergo concionatores, dum præcidunt verbi Dei gladio deliciarum redundantiam, redundantiæ concupiscentiam, instaurant naturam, & dæmonibus incutiunt pœnam. Philisthæi contra Israelitas armantur; verum cœlum pro illis tonat, & hostis tonitruorum horrore perculsus non solùm fugit, sed cadit: *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos.* Rabanus in fragore prædicatores agnoscit, quorum voces sunt contra dæmones venenata tela, & ardentissima iacula. Ipsum audi: *Cùm per prædicatores Euangelij Dominus intonat spirituales hostes in fugam conuertuntur coram Israel, id est, populo Dei, & persequuntur eos vsque in domum agnitionis.* Dum ostendunt peccati fœditatem, dum ad virtutis alliciunt pulchritudinem, exarmant hostes, quorum arma erant delicioſæ fallaciæ, mentæ deliciæ. Tantum à prædicatore resultat populis commodum, & tantum dæmonibus detrimentum.

TEXTVS.

VERS. XIII. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt, vt venirent vltra in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis.

§ LXXX.

Qui Dei beneficium gratus honorat, iterum subire periculum vitat, & inimicorum vires enervat.

PRomeretur Deus, dum eius beneficientiam memoria honoramus, & gratitudinem pendimus: benefactori è memoria elabendum est beneficium, accipientis memoriæ hæsurum. *Danti* (aiebat Seneca lib.2.de Beneficijs *cap.*23.) *in tantum producenda est notitia muneris sui, in quantum delectatura est eum, cui datur: ita accipienti adhibenda concio est* Nihil ingrato deterius; Deo oneri est, nam cùm benefacere studeat, & thesaurum diuitiarum cælestium penes se clausum retinere nesciat, ingratitudinis præpeditur impedimentis, & retardatur obstaculis. Quos dæmon erga Deum gratos videt, expauet. *Dei beneficiũ* (aiebat Tertullianus de Pœnitentia *cap.*7.) *saltem suam scilicèt memoria periculi honorat.* Qui periculo exemptus beneficium gratitudine honorat, vlteriora pericula vitat; non vult diuinæ iterum misericordiæ oneri esse, modum sibi imponit, & periclitari iterum extimescit. Redeat Tertullianus: *Ita modus temeritatis testatio est timoris. Timor autẽ hominis Dei honor est.* Dum exoculatæ temeritati imponit modum, dum audaciæ injicit frænum, beneficium lucratur, & benefactori obsequitur. Accepta de Philisthinis victoria Samuel lapidem erigit, vt Israelitarum constantiam armet, & temeritatem hostium eneruet: quod feliciter assecutus est: *Nec apposuerunt vt venirent vltra in terminos Israel.* Iam si scruteris, cur temeritati suæ modum Philisthæi imposuerint? respondebit Textus, erectum lapidem non solùm ad debitæ gratitudinis testimonium, sed etiam vt contra hostiles irruptiones validissimum esset fortalitium. Samuel prægrande saxum erexit ad populi tutelam, & contra inimicorum audaciam. Itaque curauit, ne vt anteà facilis esset aditus inimicis, & expertus periculum, noluit iterum experiri miraculum. Lapis Israelitis fuit adiutorium, Philisthinis durissimũ frænum. *Vocauit nomen loci illius Lapis adiutorij.* Iosephus putat horruisse inimicos lapidem vti inuictam Hebræorum fortitudinem. Ipsum audi: *Lapidem fixit velut terminũ victoriæ, & hostiũ fugæ, eũque lapidẽ fortitudinẽ appellauit, qui Hebræis signũ esset diuini solatij contra hostes adhibiti. Inimici post illam plagam nequaquam super eos egressi sunt.* Erectus lapis victoriam consummauit, & Hebræorum fortitudinem stabiliuit: horruerunt Philisthæi lapidis conspectum, quia beneficij erat clarissimum testimonium, & decorum gratitudinis argumentum. *Inter Deos* (aiebat Cassiodorus in Panegyrico) *proximè agnouisse, qui præstitit, reddidisse est beneficium: quod descendit a superis sola animorum licet mercede taxari, Fabricator mundi ad potiora munera modulatis inuitatur eloquijs.* Lapis erat pro lingua Deumque gratitudine ad munera potiora inuitabat: ergo Philisthæus timebat, & Israelita dum periculi armabatur memoria, satagebat etiam propulsare pericula. Non audebat Israelita terminos sibi lapide designatos transgredi, nec Philisthæus cum memoria munitis, & fortitudine armatis confligere. Itaque Israelita lapide admonebatur periculum fugere, & Philisthæus contra gratos Numini non audere.

§. LXXXI.

Melius stabilitur otium semel acriter consligendo, quàm sæpè eneruiter decertando.

SI quid animi affectibus inconsultè permittas, ingentem tibi perturbationis materiam creas: parum interest cupiditatem extenues, ni prorsus extinguas. Aduersarius leuiter percussus ad condictum reddit; confossus altis vulneribus aut perit, aut timet. Disertè Seneca *epist.* 116. *Intrantibus resistamus, quia facilius (vt dixi) non recipiuntur, quàm exeunt. Aliquatenus in his dolere, aliquatenus timere, permitte. Sed illud aliquatenus longè producitur, nec vbi vis, accipit finem.* Scintilla paulatim augescit, & incendium non semel transit. Satis homini roboris est, si illo velit vti, nec labori parcere: verùm dum contenti sunt plures adfectionum insanientium feritatem mansuefacere, recrudescit inopinè torui-tas mitigata, & vrgentissima afferre solet discrimina. Extinctus valido certamine leo favum Samsoni obtulit; abactus, aut leuiter vulneratus rediret, & certamina noua tentaret. Samuël à persequendis Philisthinis non destitit, donec occideret, aut saltem durissimè premeret, abiectis, depulsisque ex omni Israëlitarum ditione lapidem erexit, & otium populi stabiliuit: *Hucvsque auxiliatus est nobis Dominus.* Sæua adeò plaga hostis contritus est, vt à conflictu abstinuerit, & Israëlitas iterum impetere detrectarit: *Humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltra, vt venirent in terminos Israël.* Terminos attingere non sunt ausi, quia ingenti plaga percussi: forsitan si aliqui intra terminos permitterentur manere, vires resumerent, & pacem interturbarent. Innuit Iosephus: *Inimici post illam plagam nequaquam super eos egressi sunt, sed timore, & memoria rerum, quæ super eos accesserant, quiescebant. Fiducia, quæ fuerat Palæsthinis aduersus Hebræos, post hanc victoriam facta est Hebræorum.* Præcisis, fractisque prorsus hostium acri certamine viribus, pax effloruit, & Israëlita quieuit. Ergo disce quantum vtilitatis afferat vnicum certamen strenuè initum. Samuël semel obtinuit, quod repetitis minus viriliter conflictibus non haberet. Naas dextro oculo cruto fœdus cum inimicis inibat: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dexteros.* 1. *Reg.* 11. *v.* 2. Aliquid luminis, & cæcitatis voluit associare, ne valerent iugum excutere: verùm Saül inito validè conflictu profligauit, prorsusque contriuit: quod in Panegyrico Ennodius de Theodorico repete de Samuële. *Est plena dos Principis omni honore augustior, si labori; prima dextris omnibus co tua naturam certamina suscipiens, ne resistendi spes relinqueretur inimicis.* Spes inimicis spiritualibus non relinquitur, si virili fortitudine contra naturæ adsultus pugnetur.

§. LXXXII.

Lucrosa prudentia est suppliciis resipiscere, nec fortunam proteruitate cæcissima prouocare.

PLerique (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ cap.* 7.) *naufragio liberati exinde repudium, & mari, & nauidicunt.* Prudentes dicunt repudium, & semel naufragij imminentis solicitudine eruditi iterum subire formidauere periculum cauti. Laudabili certè solicitudine vitatur, quod detrimentum attulisse cognoscitur. Tulerant Philisthæi ingentem cladem, se in Israëlitarum terminos effundentes: ergo abstinuerunt ab irruptionibus profligati, & accepta plaga fuit, ne aliis laborauerint, medicina: *Humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltra, vt venirent in terminos Israël.* Si proterui, contumaceſque supplicio non resipiscerent, grauiora sibi pericula procrearent; verùm supplicio attriti didicerunt contineri. *Inimici post illam plagam* (inquit Iosephus) *nequaquam super eos egressi sunt, sed timore, & memoria rerum, quæ super eos accesserant, quiescebant.* O si plures hanc Philisthinorum imitarentur prudentiam! Alius, dum indulget libidini, insidiatur robori: alius exoculata ira efferuescens altissimum vulnus tulit: alius dum auaritiæ studet illicitæ, amisit opes, & vnde quærebat lucrum, promanauit dispendium; & tamen rarus modum sibi imponit, nec vexatus discit; immò plures contra se ipsos proteruè indurati, & cæcitate proteruj repetunt culpam, & incrementant imprudenter miseriam.

§. LXXXIII.

Dæmon tunc viuidiùs accenditur, cùm solicitiùs virtutibus impugnatur.

ALtissimo dolore premitur dæmon, cùm eius olim iugo subiecti ad virtutum castra transeunt, & dolore exulceratus nihil non tentat, vt iterum seruituti subjiciat. Pharao cum curribus; & equitibus Israëlitas persequitur, cùm à se longiùs recedere suspicatur. Opportunè Tertullianus *de Pœnitentiâ cap.* 7. *Pernicacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit. At quia tunc maximè sauit, cùm hominem plenè sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur.* Philisthæi lugebant prorsus exterminati, & ab Israëlitis deuicti: *Humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltra, vt venirent in terminos Israël.* Putares otiosum esse accisis iam eorum viribus, & arma non tractantibus manum cogere, & anxia solicitudine inuigilare; & nihilominus Samuël solerter studuit Dei manum pro se habere, & inimicos frænare: *Facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuëlis.* Callebat benè Samuël nec reportatâ victoriâ otio indulgendum, vt qui nouerat hostem dolore pressum ipsa certaminis cessatione insidias instruere, & incauta victorum inertia contra ipsos armari. Ergo manum victor opposuit, nec otio indulsit. Huc voco, quod aiebat datus Tertullianus: *Doleat, & ingemiscat necesse est venia peccatorum præmissa tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retrò sua erasos. Dolet, quòd ipsum, & Angelos eius Christi seruus ille peccator iudicaturus est.* Subnectit: *Itaque obseruat, oppugnat, obsidet; si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris singularibus irretire, aut fidè terrena potestatis formidine euertere, aut à via certa peruersis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit.* Vt coluber effumigatus, & incantatus ad tempus contrahitur, inuolutúsque delitescit, opportunitatem verò nactus mortale virus effundit: ita dæmon pœnitentia effumigatus, & incantatus delitescit ad tempus; sed dum homo de securitate sibi blandiur, incautum acriùs aduritur: ergo vigilare est opus, ne de ipsa malitia exoriatur procella: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea,* aiebat Sponsus, *Cant.* 1. *v.* 8. Virgæ illi, vt Ruperto placet, quæ de Pharaone, eiúsque curribus detriumphauit, assimilat: addit-que: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Victrici congruebat plausus, non gemitus. Cur ergo imitetur turturem gemibundam, quæ eximiam adeò reportarat victoriam? O eximiam prudentiam! Pharaonem fluctibus mersit, sed post victoriam non deponit arma, immò copiosis faciem irrorat lachrymis, vt hostilibus opponatur insidiis. Et Samuël etiam solicitat Dei manum post humiliatum, ac detritum inimicum: *Facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuëlis.* Si inimicus non audet attingere, si certamina refugit instaurare, cur Samuël militaribus copiis cingatur, & continuis conflictibus deprælietur? Quia non ignorabat versipellem aduersariorum astutiam; premebant dolorem, sed bellandi obseruabant opportunitatem; videbantur

bantur abstinere armis, sed otiosa arma captiosis deseruiebant insidiis. Notauit noster Sanctius: *Fieri potuit, etiamsi id ex Scriptura non habeamus, vt potius Samuel Palæsthinorum fines sit ingressus vindici manu.* Humiliatis, detritisque Philisthæis adhuc Samuël exercitum adornat, & in excubiis perstat, vt qui nouerat hostes dolore premi, victoriáque redimitis laqueos prætendere, & insidiari.

TEXTVS.

VERS. XIV. & XV. Et redditæ sunt vrbes, quas tulerant Philisthiim ab Israël, Israëli, ab Accaron vsque Geth, & terminos suos: liberauitque Israël de manu Philisthinorum, erátque pax inter Israël, & Amorrhæum. Iudicabat quoque Samuël Israëlem cunctis diebus vitæ suæ.

§. LXXXIV.

Non floret triumphus perfectus, donec quæ abstulerat, reddiderit aduersarius.

ASTutus hostis, si non possit prorsus euertere, semper nititur detractis aliquibus spoliis ditari. Nō est perfecta victoria, si gaudet hostis accepta præda: ergo sinit prædam, vt obscurarit victoriā. Satis non est aduersarium fugare, ni cogatur, quæ abstulerat, reddere. Pharao duris percussus flagellis abeundi populo libertatem fecit, sed oues, & armenta retinere solicitè studuit: *Ite, sacrificate Domino. Oues tantum vestræ, & armenta remanent. Exo. 10. v. 24.* Dum armenta cupit retinere, triumphum adnititur obscurare. Quid tunc Moyses? *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula.* Nec vngulá apud hostē remanere permisit, quia si aduersarius gloriaretur vel vngula, perfecta nō resplēderet victoria. *Nec remanebit ex eis vngula* (inquit Stephanus *in Allegor. Tilmani*) *id est, extremitas, quia diabolus semper insidiatur calcaneo, id est, fini hominis.* Vngulam adnisus est retinere, vt doloris aliquod haberet solatium, sed Moysi non concessit, vt de hoste triumphum reportaret perfectum. Samuël Philisthæos detriuerat: *Humiliati sunt Philisthiim*; verùm detritis adhuc tranquilla pax non florebat, donec compulit ciuitates, quas abstulerant, reddere. *Facta est itaque manus Domini super Philisthæos.* Noluit, vt silerent bella, quamvis populus decantanda potiretur victoria. Quia adhuc in hostium potestate aliquæ remanserant ciuitates, quibus non redditis, nec Israëlita triumpho resplendebat integro, nec Philisthæus carebat aliquali solatio: *Redditæ sunt vrbes, quas tulerat Philisthiim ab Israël, Israëli vsq; ab Accaron, Geth, & terminos suos, liberauitque Israël de manu Philisthinorum, erátque pax.* Tunc pax effloruit, cùm nil apud Philisthinos remansit: redditis ciuitatibus populus dicitur liberatus: *Liberauit Israël*, & tranquillitate triumphus perfectus: *Erátque pax.* Innuit Abulensis q. 32. *Nunc Philisthini timore Israëlitarum reddiderunt eis loca, quæ à principio tenuerant.* Loca ab hostibus retenta essent infausta Israëli præsagia. Ergo quousque omnia sibi Israël plenè restituit, nec libertas consummata, nec felicitas perfecta.

§. LXXXV.

Prudentia est tempori cedere, & pacem vel dispendio aliquo stabilire.

OMni quippè regno (aiebat Cassiod. 1. *var.* 1.) *desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur: hæc est enim bonarum artium decora mater, hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans; facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoscitur, qui eam minimè quæsisse sentitur.* Pacis ignorat commoda, qui Martia semper suspirat bella, nec solùm vtilitatis inuenitur ignarus, sed sibi ipsi aduersatur inuidus: etsi aliquod sustineatur dispendium, pacis est solicitandum otium tranquillum. Negotiatio est aliquid amittere, ne maiora cogaris perdere. Prudens cedit tempori, vt consuluerit honori. Ciuitates, quas Philisthæi abstulerant, redditæ feruntur: *Redditæ sunt vrbes, quas tulerant Philisthiim ab Israël, Israëli.* Et cur Philisthæi non spectant vi spoliari, sed gestiunt ante certamina offerre? Quia cum accepta ingentissima clade viribus destituti vlteriorem præsagirent, maluerunt pacem emere, quàm perire. Adest Abulensis q. 32. *Fortè fuit hoc factum sub conditione pacis, quia volebant Israëlitæ nunc, cùm superiores essent, pugnare contra Philisthinos, vt redderent eis loca, quæ antiquitus possederant.* Timebant Philisthini, si ingrueret bellum grauissimum sibi periculum: ergo vt pacem emerent, ciuitates obtulerunt, mallentes quid amittere, quàm totum perdere.

§. LXXXVI.

Enitendum est, vt ab hostibus accipias, quæ eis indecorè tributa pendebas.

QVi laudabiliter excussit iugum, qui indignis noluit emere pacem tributis, nondum ad perfectam libertatis laudem peruenit, si non compulit inimicos, quæ olim accipiebant, tributa pendere, & seruitutem testari. Vtque moribus thesim adaptemus, satis non est, quæ olim indigna tributa pendebas, sensibus denegare, sed enitendum ita rationi, æquitatíque subjicere, vt non solùm non tentent accipere, sed cogantur pendere. *Vetas me* (aiebat Seneca *epist. 65.*) *cœlo interesse, id est, iubes me viuere capite demisso? Maior sum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium sim mei corporis: quod equidem non aliter adspicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum.* Adnectit: *Nunquam me caro ista compellet ad metum, nunquam ad indignam bono simulationem, nunquam in honorem huius corpusculi mentiar. Cum visum fuerit, distraham cum illo societatem: & nunc tamen dū hæremus, non erimus æquis partibus socij: animus ad se omne ius ducet. Contemptus corporis sui certa libertas est.* Nonnulli libertate se posse frui arbitrantur, si sensibus adulentur, cùm solùm qui ad seruitutem redigunt, perfruantur. Nil statuerunt corpori contra rationis legem concedere, sed nec rigida austeritate subjicere. Oculos diuagari permittunt, vescuntur delicatè, ornātur splendidè, sensibus blandiuntur, & secura stabilique frui pace arbitrantur, cùm nisi ex corporis contemptu, & bellosensibus illato oriri nequeat pax tranquilla, & tranquillitas firma. Quousque sensus inseruiant, quousque rationi pareant, nec pax effloret, nec salus viget. Iam Samuël hostes debellarat; iam quas malè possederant, ciuitates abstulerat, nec tamen armis abstinuit, quousque quinque illi Satrapæ tributum pependerunt, vt qui nouerat non posse imperturbabili pace gaudere, quousque hostes cogeret sub tributo inseruire. *Liberauit Israel de manu Philisthinorum, eratque pax inter Israel, & Amorrhæum.* Iam erat perfecta pax, quia Amorrhæus, quæ solebat accipere, cogebatur tributa soluere. Ita Abulensis *quæst.* 33. ex sententia Litæ: *Nicolaus dicit, quod Philisthini habuerunt pacem cum Israëlitis, & reddebant eis tributa.* Quousque quinque illi Satrapæ, quibus adumbrantur sensus, subacti à Samuële attulerunt tributa, pax nec secura erat, nec stata. Mihi crede; non frueris tranquillitate firma, nisi ita edomes sensus, vt rationi non solum bella non inferant, sed perfectè pareant.

§. LXXXVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. LXXXVII.

Qui magistratu fulget, si exauguretur, iam perijt.

VT hominibus aliis imperare iucundum, sic carere dignitatis infulis est amarum. Pluris æstimatur dominari, quàm viuere, & ambitores, vt volaticum assequantur imperium, vitæ sitienter adeunt periculum. *Quod simulacrum* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap.12.*) *non prius argilla deformat cruci, & stipiti superstruct? In patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur.* Vt dii aliqui dedicentur, crucem patiuntur, & vt vita aliquando alicuius partis scissione redimitur; ita dignitas, quæ pro vita est, multis laboribus procuratur. Zara de dignitate decertans manum iam dignitatis insigni resplendentem retraxit, nec in lucem gestiuit prodire. *Protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: Iste egredietur prior. Illo vero retrahente manum egressus est alter.* Gen.38. *vers.*27. Ambiuit præ fratre fulgere, passus est priùs fratrem vitam nascendo exordiri, quia certamen non tam erat pro vitæ longitudine, quàm pro dignitatis honore. Samuel omnibus vitæ suæ diebus populum iudicasse refertur, cum post obitum illud munus vitam produxisse sciatur: *Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ*, cùm constet Samuelem, regnante adhuc Saule, vixisse, nō videtur omnibus diebus vitæ suæ Israelem iudicasse. Quomodo ergo & exauguratum. Textus vitam produxisse refert, & cunctis vitæ suæ diebus præfuisse tradit: *Cunctis diebus vitæ suæ*? Quia iam exauguratus (inquit Abulensis quæst. 33.) durabat, sed non viuebat, quasi solùm vitæ tempus debeat censeri, quo alijs constiterit dominari. Samuelem virum sanè omni humilitate, virtuteque excultum nec ambitus obscurauit vmbra, nec dominandi superbia; Textus tamen, vt nos hanc veritatem edoceret, viri etiá sanctissimi vitæ tempus à consulatus, magistratusque duratione supputauit, quasi cum dignitate vita fuerit etiam finita, ita vt postea non vixerit, sed durarit. *Cunctis diebus vitæ suæ* (inquit Abulensis) *id est, omnibus, diebus quibus vixit in principatu. Nam postquam Saul factus est Rex, transiuit ad ipsum potestas, & ideò Samuel non iudicabat.* Dum non iudicabat, non viuebat, quia licèt durarit, eo tempore non resplenduit. Addit Abulensis: *Ideò dicitur cunctis diebus, id est, cunctis diebus, quibus fuit in principatu, & potens fuit ad iudicandum: isti enim sunt dies vitæ eius.* Dies vitæ à dignitate censentur, à duratione non numerantur: vt noueris aliquos tunc solùm viuere, cùm cæteris contigit imperare.

TEXTVS.

VERS. XVI. Et ibat per singulos annos circumiens Bethel, & Galgala, & Masphath, & iudicabat Israelem in supradictis locis.

§. LXXXVIII.

Circa inferiores ministros debet iudex solerter inuigilare, quia solitant præscriptis, & legibus contraire.

PLures inferiores iustitiæ ministri videntur æquitatis patroni, cum reuera æquitatem impugnauerint inimici: lucris inhiant, dissimulant, aut absoluunt scelestum, si intercedat copiosum aurum. Et quidem ni superior Argos in modum totus oculus solerter inspiciat, æquitas labefacta laborat. *Incitet te* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.*9.) *ad bonorum desiderium, sæpissimè quod videris, quia in his, quæ feceris, iudex, & testis ero.* Immo ne esset iudex, oportebat, vt adesset semper testis. Quando inferior plus superioris veretur aspectum, quàm suspiciat legis præscriptum. Ob id Samuel quotannis ditionis suæ terminos perlustrabat, ne inferiores iudices, dum remoti, legibus aduersarentur corrupti. *Ibat per singulos annos circuiens.* Superioris oculus continebat inferiores in officio, & præcipua Samuelis cura circa inferiorum iudicia, ac ministrorum versabatur examina. Notauit Abulensis *quæst.*33. *Faciebat hoc, ne daretur locus minoribus iudicibus prænaricandi in iudicio, si nullus iudex superior frequenter se intromitteret de causis populi.* Præmiserat Abulensis: *In quo apparet magna diligentia illius circa regimen populi.* Inferiorum iudicum, ministrorumque facta assidua solicitudine discutiebat, quia ab hac frequenti, exactissimaq; discussione bonum populi statum pendere non ignorabat. O tempora, ô mores! Populum audio continuis querelis ingemiscentem, quòd iustitia, æquitasque à iustitiæ ministris aliquando prorsus euertatur, & iam non montium latebris, sed in ciuitatibus latrocinia peragantur, & homines dispolientur.

§. LXXXIX.

Eis tribunalia locis debent statui, ad quæ litigantes sine magno possunt labore confluere.

EAm sibi domum, & tribunalis sedem iudex deliget, ad quam possint litigantes sine magnis itineris sumptibus, aut laboribus concurrere: sæpè namque aut longi itineris labor tardat, aut difficultas impensarum molestat. Non potest non querelis pulsari, quem difficulter constat adiri. *Multis* (aiebat Cassiodorus 6. *variar.*10.) *facultas sua non sufficit ad triumphum, multis philosophantibus corporis valetudo substrahitur.* Trium. pharet discussa æquitatis trutina, aliquorum causa, si itineris, aditus, difficultatisque non retardatet molestia. Multos, ni arduitas accedendi remoueret, causa iuuaret: verùm plures aut paupertate præpediti, aut molestia itineris retardati nequeunt iustitiam suam tueri; nec coloratis fraudibus refragari. Ob id Samuel commodis locis tribunalia statuit, & accedendi sine magnis expensis, aut laboribus opportunitatem exhibuit: *Ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Masphath, & iudicabat Israelem in supra dictis locis.* Ipse itinerum laboriosas subibat molestias, vt litigantium & impensas vitaret, & querimonias; neque enim poterant non dolere, si nequirent absque magnis laboribus, & sumptibus aduentare. Notauit Abulensis *quæst.*32. *In istis tribus locis sedebat ad iudicandum, & omnes, qui in circuitu aliquas causas habebant, veniebant ad illa loca, & ne venirent Israelitæ de vltimis finibus Israel ad Samuelem, si ipse semper esset in vno loco determinato: releuabat eos à magnitudine expensarum, quas facerent, si venirent ad ipsum, cùm ipse discurreret per tria loca Israel, quæ inter se erant satis distantia.* Profectò ministris, iudicibusque ea loca debuissent ad habitandum designari, ad quæ nec accessus laboriosus, nec impendiosus recursus. Sunt namque plures ministri, qui vt lautius, delicatiusque viuant, vltimas ciuitatum domos eligunt, & distantia dependentes, & concurrentes affligunt. Vnius commoditas multorum afflictio est, & domus laxa pluribus inuenitur molesta.

§. XC.

Ad Prouinciam explorandam delegatus itineris expensis studeat populum non premere, sed leuare.

CONstat optimam esse politicem, causarum exploratores, inspectores morum delegare, ne inconcinnitas sylueſcat, si prudentis falx examinis non præcidat. Circuire oportet Prouincias, vt maior sit cultus morum, cùm trutina adest examinum: miserandùm tamen esset, si ipso laboraretur remedio, & qui delegatur ad populos releuandos, & optimos mores componendos munus suspirarit, vt niteſceret pompa, aut indecora diteſceret auaritia. *Ornamenta iudicij nostri* (aiebat Cassiodorus 7. *variarum* 38.) *regia tibi largitur auctoritas, quod præbeat & exactæ vitæ testimonium, & futuræ prosperitatis polliceatur augmentum.* Regia liberalitas auctoritatem largitur, vt delegatus nihil obscurum patiatur. Conuenit Reipublicæ iudices, & legatos ad Prouincias explorandas dirigere; nocebit verò, si contingat magnis expensis, & itinerum sumptibus populos diuexare. Samuël per Bethel, & Galgala discurrebat, vt lites dirimeret, moréſque componeret; ibat tamen nulla pompa comitatus, nec ministris otioſiſſimis circumfusus: *Ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Masphath.* Ibat mores componere, non itinerum sumptibus, & expensis grauare. Notauit Lira: *Ibat per loca ad iudicandum opportuna proprio labore, & expensa, vt habetur infra* 12. Sine pompa pergebat, ne expensis populos degrauaret, nec plures deferebat, secum ministros, vt eorum solùm vtilitati consuleret.

§. XCI.

Iudex in iudicium præceps non feratur, sed causas solerter speculetur.

IVdicem quidem (aiebat Plutarchus *lib. de Audiendo*) *in disputandis causis decet neque infestè, neque ambitiosè audire, sed ex consilio ad æquitatem.* Si iudex immaturè sententiam proferat, sibi conciliabit inuidiam, & suspicionis incurret notam. Qui post accuratum examen post litigantium iura patienter audita, & prudenti explorationis trutina examinata ius dicit, honori suo prudenter attendit: verùm nonnulli iudices aut auro corrupti, aut cæcis affectionibus inclinati nolunt audire, quia decernunt condemnare. Ad rem Tertullianus *in Apologetico cap.* 1. *Cæterùm inauditam si damnent præter inuidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non possint.* Videntur decreuisse damnare, qui detrectauerunt audire, quando si audirent, non condemnarent. Samuël in Masphath tribunal collocauit: *Ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Masphath, & iudicabat Israëlem in supra dictis locis.* Masphath idem est ac speculario: ergo speculationem adhibuit, vt à se omnem suspicionem auerteret. Opportunè noster Sanctius: *Masphath speculationem valet, quam si iudex non adhibeat, sed terrenè præceps in iudicando feratur, labatur necesse est, & commissam sibi causam omninò conturbet, aut prodat.* Lenta celeritate, & celeri lentitudine oportet causam discutere, & sententiam maturè ferre.

§. XCII.

Iudex si vnum Deum spectat, omni suspicione sententiam liberat.

SIcut hæc duo (aiebat Plutarchus *lib.* de instituendis liberis) *quasi virtutis elementa, spes honoris, & supplicij formido. Hæc enim ad maleficia tardiores; altera proptiores adhonestissima studia.* Adnectit ex Pythagora: *Stateram ne transgrediaris, quòd ratio potissimum iustitiæ ducenda sit neque hac transcendenda.* Supra se supremum constitutum iudicem, eumque integerrimum meminerit, qui tribunal dirimendis causis ascenderit. Sciat iudicibus etiam examen decretum, & infligendum supplicium; ne dum sibi ampliorem arrogant facultatem, & legum sustineant querelam, & pari cogantur mulctam. Samuël populo ius dicturus Bethel primam sedem elegit: *Ibat per singulos annos circuiens Bethel, Galgala, & Masphath, & iudicabat Israëlem in supra dictis locis.* Iam si quæras, cur Bethel aliis locis ad iustitiæ prætulerit solium, respondebit noster Sanctius, feciſſe id, vt præ oculis diuinum haberet semper iudicium. Bethel primam iudicij diuini sedem Iacob agnouit, & timuit: *Quàm terribilis est* (aiebat) *locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei. Gen.* 28. *vers.* 17. In Hebræo legitur *Heloim*, id est, domus iudicis: ergo expauit, vbi iudicium agnouit. Notauit Caietanus hic: *Locus ille quàm timendus erat: & hoc ex experto in se timore agnouit; timuit autem diuinum iudicium.* Itaque Bethel diuini iudicij fuit sedes: ergo in Bethel tribunal Samuël constituit, vt à se prolata sententia omni suspicione luceret libera. Audi nostrum Sanctium. *Bethel domus significat Dei, in qua disceptari debent causæ; quod tunc faciunt iudices, cùm in iudicando vnum spectant Deum, ad cuius voluntatem, & legem totam iudiciorum rationem attemperant.* Qui Dei præcepta audit, ad cupiditatis voces obsurdeſcit; qui ad Deum solum adspicit, vultus potentum non timet: ergo Samuël ibi collocauit tribunal, vbi ratio supremo iudici agnoſcebatur reddenda, vt incorrupta semper agnoſceretur iustitia.

§. XCIII.

Si iudicem nil sordidet lubricum, & cœnosum, conforme semper æquitati profert iudicium.

NVllum repudiat (aiebat Cassiodorus 12. *var.* 2.) *sequenda iustitia, omnes clarificat, quos sui participatione sublimat. Minorem se ille solus facit, qui ab ipsa discessit. Cur accipiendi vota sectemur? Nullam gloriam recipit, qui diues vocatur. Contra omni laude decoratur, qui iustus edicitur.* Iudex iustus non habetur, si muneribus inhiare putatur; cui tribunal messis est aurea, stare non creditur pro iustitia, immò dum aurum sectatur, legibus aduersarius censetur. *Desideremus potiùs* (aiebat datus Cassiodorus) *quod nos pretiosiores locupletibus facit. Falces accipimus, vt graues esse debeamus. Tribunalia conscendimus, vt morum gradibus habeamur. Nil vile, nil cupidum iudices decet. Claras enim suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt.* Non solùm debet iudex nulla venalitate sordeſcere, sed omni integritate micare. In Galgalis, vbi duodecim illi lapides à profundo eruti, collocati sunt, tribunal Samuël constituit. *Iudicabat Israelem in præfatis locis.* Non caruit documento illic sententiam ferre, vbi in sublimi constituti lapides illi; nam vt sublimia conscendentes, & arduis in locis micantes, quidquid cœnosum, & humidum reliquerunt? sic qui celsa tribunalis inscendit, à se omnem debet

maculam propulsare, & cupiditatem abjicere. Opportunè noster Sanctius: *Vt ergo lapides, qui prius delituerunt fluctibus submersi, in arduum locum emerserunt, deposuerintque quidquid humidum erat, & cœnosum; sic expedit maximè, ne quid sit in iudicem lubricum, & cœnosum, cui adhæreant aliena, sicut lapidi, aut sabulo, quod in alueo canditur fluminis, adiunguntur arenæ, quæ inolescunt illi, faciúntque, vt accretione noua ex aliena substantia sensim augeatur.* Lapis, dum in profundo erat, sensim aliena substantia increscebat adauctus, omnia tamen ignorauit augmenta in cacumine constitutus: ergo nouerit iudex alta conscendens indignis accessionibus non pinguescere, sed æquitatem incorruptè sectari. Adnectit noster Sanctius: *Oportet igitur, vt occultas illas, & cœnosas sedes derelinquant, & se ad aridum locum, & patentem efferant, vbi nihil occultè moliantur, nihil sine testibus faciant, nihil attrahant ad se alienis opibus, quod in ex sua tandem commoda conuertant.* Lapides sordidam cupiditatem damnarent, si iudex in sublimi constitutus eorum ingenio inueniretur contrarius, & tacitis admonitionibus surdus. Lapis in sublimi positus omnem cœnositatem excluſit, & aliena substantia incrementari iam respuit.

§. XCIV.

Iudex à se debet circumcidere quidquid videtur æquitati, & legibus aduersari.

QVi celsa conscendunt, omnium oculis exponuntur, nec conuenit irrisione signari, quos fas est dignitatis titulo suspici. *Qui præmiorum celsa petimus* (aiebat Cassiodorus 12. *variarum* 2.) *vitiorum humilia deseramus. Sit in nobis frons libera, vt aliorum possimus emendare peccata. Æquat crimen omnes, quos inquinat, & ideò dissimilis ab accusato debet esse, qui iudicat.* Quam à se non præcidit, in alio iudex cupiditatem inuerecundè damnauit: audacter solus reis potest irasci quem constat eisdem reatibus non teneri. Temerata conscientia iudicis premuntur labia, nec in consimilem culpam audet proferre seueritate sententiam. In Galgalis, vbi Iosue quidquid defœdabat, præcidit tribunal Samuël prudentissimus collocauit: *Ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Masphath, & iudicabat Israëlem in supra dictis locis.* Iam si quæras, cur in Galgalis potiùs, quàm alio in loco tribunal Samuël constituerit? Respondeo, Galgala fuisse locum, in quo Iosue dura cultri acie quidquid populum sordidabat, præcidit. Eo in loco commendabatur iudicium quia ibi quidquid legi aduersum præcisum, & amputatum. Adest noster Sanctius: *In iudiciis circumcidere se debent ipsi iudices, & illa amputare, quæ rectum transuertunt iudicium, manus nimirum, quas continere debent à rapinis; oculos, ne externam hominum speciem intueantur, & personas accipiant; & illa tandem omnia, quæ excæcant oculos, & animos alliciunt.* Nil à se quidquid sordidum iudex amputarit, iudicium liberè nequibit proferre: ergo Samuël vbi circumcisio facta, statuit tribunal, quo iudices doceat omnes à se affectus degeneres amputare, vt sine rubore sententiam in reos valeant proferre.

§. XCV.

Vbi indulgentior resplendnit beneficientia, grauior deuenustat culpa.

QVid turpius (aiebat Seneca 2. *de Beneficiis cap.* 14.) *quam* (quod euenit frequentissimè) *vt nihil interſit inter odium, & beneficium.* Iniuriis appettere, quando beneficia gratitudinem extorquebant, reatum exaggerat: à feris turpiter discrepat, qui beneficiis obligatus benefactori probatur infensus; quandoquidem feræ ipsæ sentiunt beneficium, & impendunt obsequium. *Leonem in amphitheatro spectauimus* (Senecam audi *cap.* 19.) *qui vnum è bestiariis agnitum cùm quondam eius fuisset magister, protexit ab impetu bestiarum.* Magistro non solùm non nocuit, sed defendit, propriæ quodammodò generositatis existimauit iniuriam, ni magistri quondam non suscepisset tutelam. Non habet, quo excuset reatum, qui inficiari nequit, quia ante oculos beneficium. In Galgalis tribunal Samuël constituit, vt reos ipse locus acriùs reprehenderet, & feriret: *Iudicabat Israëlem in supradictis locis.* Testabantur in Galgalis lapides à profundo Iordanis eruti, & in arduo collocati. Iordanis vndas montium ingenium fuisse imitatas, vt Israëlita sicco vestigio ad sedes inuolaret commodis plenas: ergo beneficij indices erant contra ingratos durissimi testes, & dum eximiis beneficiis publicabant obstrictos, seueriùs damnabant reos; neque enim poterat non confundi vel procacia, vbi cumulata adeò resplendebat munificentia. *Tertia ciuitas fuit Galgala* (inquit noster Sanctius) *in qua locati sunt duodecim lapides, quos è Iordanis alueo sumpserunt Hebræi tanquam siccati fluminis illustre testimonium.* Illustre beneficij testimonium grauiter arguebat delictum. Quid enim poterant respondere, quos constabat tot miranda beneficia offensionibus compensare?

TEXTVS.

VERS. XVII. Reuertebatúrque in Ramatha: ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israëlem: ædificavit etiam ibi altare Domino.

§. XCVI.

Bonus Reipublicæ administer nunquam otio indulgeat, sed labori labor succedat.

PLatonici Deum solicita omnia curantem vigilantia statuebant, ne dignitatem eius obscurarent. Epicurei vt ineptè majestati adularentur, summo otio deditam testabantur; sed quod putabant dignitatis argumentum, erat notissimum probrum: quandoquidem si posset otio indulgere, à munere compertum erat cessare. *Platonici quidem* (inquit Tertullianus *in Apologetico cap.* 47.) *curantem rerum; contra Epicurei otiosum, & inexercitum, & vt ita dixerim, neminem humanis rebus.* Inexercitus, otiosúsque gubernator non solùm esset Reipublicæ nemo, sed graue attulisset detrimentum sectatus inertissimum otium; quandoquidem dignitatis celsa occuparet, & dignitatis munera non impleret. Minister deprædicandus aliquando grauiorem leuiori solicitudine mellit, otio tamen inerti nunquam indulget. Ecce Samuël post multas peruagatas Prouincias, post itinerum longas molestias domum repetit: *Reuertebatur in Ramatha.* Putares ibi otio indulturum, vt animos resumeret, viréſque repararet tantisper; verùm Samuël ibi dirimendis causis assistebat, nec publica negotia tardabat: *Ibi iudicabat Israëlem.* Post itinerum labores domi non quiescebat, sed populum iudicabat, Reipublicæ administros edocens, & suis actionibus instruens. Notauit Abulensis *quæst.* 33. *Nunc in vrbe sua iudicabat, vt nullum ei tempus à laboribus vacaret.* Si alius esset, post itinerum molestias se negotiis subtraheret, & plurimos dies sensibus recreandis impenderet. Verùm vt Reipublicæ ministrum impleret, otia non nouit: *In vrbe sua iudicabat, vt nullum ei tempus à laboribus vacaret.*

§. XCVII.

§. XCVII.

Bonus Reipublicæ administer ampla sibi palatia non molitur construere, sed Principis gloriam adnititur adaugere.

NVllam gloriam recipit (aiebat Cassidorus de ministris loquens 12. var. 2.) *qui diues vocatur*, immo patitur notam, si exiguo ante à patrimonio præditus, pretiosa supellectili, & laxa domo agnoscitur ampliatus: esto æquitati non fuerit aduersus, suspicioni tamen habetur obnoxius. Samuël post longa magistratus tempora reuertebatur in Ramatha, & cum altare Domino ibi erexisse tradatur, nil ampliùs laribus addidisse refertur: *Ædificauit etiam ibi altare Domino.* Et cur vt hæreditate accepit, paternas domos reliquit, & Domini altaria solummodo ampliare curauit? Quia si regiam sibi domum superbis sumptibus moliretur construere, à Domino aut Republica multa putaretur auferre: noluit sumptibus insanis admirationem venari, sed illibata æquitatis fama splendere. *Ædificauit ibi altare Domino, id est, in vrbe sua Ramatha* (inquit Abulensis *quæst.* 23.) *ædificauit altare, vt coleret Dominum.* Domini ardenter procurauit honorem, non sibi adaggeravit aurum non adauxit patrimonium.

§. XCVIII.

Non debet audaci suspicione notari, quem liquet eximiis virtutibus efflorere.

NOn semel quæ virtutis magnates operantur, ad speciem legibus contraire videntur; debetur tamen illis benignum iudicium, quando pro illis est diuturnum cultæ virtutis experimentum. *Vituperant* (aiebat aliorsum Tertullianus in Apologetico cap. 3.) *quæ ignorant, & id, quod sciunt, eò quòd ignorant, corrumpunt; cum sit iniustius occulta de manifestis præiudicare, quam manifesta de occultis prædamnare.* Honestius est ob manifesta iniquam suspicionem reprimere, quàm ob suspicionem facinora deprædicanda obscurare. Samuël altare Domino ædificat: *Ædificauit ibi altare Domino:* & quamuis ad speciem latæ Deuteronomij 12. legi videretur contrarius, nullis tamen suspicionibus fuit aspersus. Maluerunt ad rem intrinsecè non malam speciale factum illi priuilegium credere, quàm damnare. Innuit Abulensis *quæst.* 34. *Contra legem communem erat fieri altare in aliquo loco extra locum sanctuarij, vel alibi immolari victimas: potuit tamen facere illud licitè Samuël quoniam viris Prophetis, qui à Deo monebantur ad agendum ea, quæ agebant, multa licuerunt quæ aliis hominibus non licebant.* Vt ineptum esset speciale priuilegium credere, si non eximius virtute videretur latis legibus contraire; sic prudentiæ erat consonum, suspicari virum adeò eximium speciali priuilegio gaudere: vt hinc discas Sanctorum facta coniecturis leuibus non abrodere, sed quid arcanum putare.

§. XCIX.

Virtute eximij aliquando lege communi non tenentur, quia speciali priuilegio donatur.

DIuina sunt ista indicia non humana, (aiebat Cassiodorus. 7. variar. 30.) *vt quem superna ad tempus debitum opus voluerunt perducere, merito videatur & laboris sui præmia suscepisse. Excubiarum suarum igitur competentia priuilegia consequentur, quia nullum emolumento suo fraudari desideramus, quem sine culpis ad primatum venire cognoscimus.* Excubiarum sibi adstantium priuilegio resplenduit, qui præ alijs publicis vtilitatibus inseruiuit. Quid ni supra alios priuilegiatus emineat, qui præ alijs ad publicam commoditatem laborat? Communi lege Deuteronomij 12. lata prohibentur cæteris altaria construere, & tamen Samuël speciali priuilegio agnoscitur fabricare. *Ædificauit etiam ibi altare Domino.* Diuinum iudicium fuit, vt altare ædificandi potiretur priuilegio, qui tam multiplici erga Deum, & Rempublicam resplenderat officio. Notauit Abulensis quæst. 34. *Contra legem communem erat fieri altare in aliquo loco extra locum Sanctuarij, vel alibi immolari victimas; potuit tamen facere illud licitè Samuël, quoniam viris Prophetis, qui à Deo monebantur ad agendum ea, quæ agebant, multa licuerunt, quæ alijs hominibus non licebant.* Quæ communi lege cæteri tenebantur ligati, Prophetæ absoluebantur eximij, vt constaret singulari priuilegio nobilitatos, quos excellens, & heroica virtus cæteris ostendebat præpositos. Quòd si Samuël vniuersali lege resplenduit exemptus, quis putet purissimam, sanctissimamque Virginem, cùm cæteris antecesserit merito, generali non absolutam edicto? *Fidem pristinam* (monebat Atalaricus. 8. variarum 7.) *maiori nunc vos conuenit deuotione monstrare: quia benè prospicit rebus futuris, qui regnantium seruit initijs; dum ipse & in reliquum perseuerare creditur, qui primordia fouere sentitur.* Quid Atalaricus posset sperare, à quibus primordia culminis agnoscceret non foueri, & quis eius splendori contraire præsumeret, quem vniuersali plausu celebratum agnouit? *Indicamus autem fauore diuino, cùm ad regni culmina peruenimus, omnia nobis sic felicia, sic tranquilla cessisse, vt vnum loqui crederetis, quod generalitas insonabat; nec putaretur humanum, quod tot vota ingentium populorum nihil probata sunt habere contrarium. Vnde vos quoque prædicta conuenit imitari.* Quæ initium regni tot populorum celebrabant plausibus vota, suadebat imitari prudentia, nec fas erat dubitari diuino consilio factum, quod tot votis regni celebrabatur exordium.

CAPVT VIII.

1. FACTVM *est autem cùm senuisset Samuël, posuit filios suos iudices Israël.* 2. *Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioël, & nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee.* 3. *Et non ambulauerunt filij illius in viis eius: sed declinauerunt post auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.* 4. *Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuëlem in Ramatha.* 5. *Dixerúntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis. Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* 6. *Displicuit sermo in oculis Samuëlis, eo quod dixissent: Da nobis Regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuël ad Dominum.* 7. *Dixit autem Dominus ad Samuëlem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* 8. *Iuxtà omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.* 9. *Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos.* 10. *Dixit itaque Samuël omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regem.* 11. *Et ait: Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciétque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum.* 12. *Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum.* 13. *Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias & focarias, & panificas.* 14. *Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis.* 15. *Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, vt det Eunuchis, & famulis suis.* 16. *Seruos etiam vestros & ancillas & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.* 17. *Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui.* 18. *Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem.* 19. *Noluit autem populus audire vocem Samuëlis, sed dixerunt: Nequaquam: Rex enim erit super nos.* 20. *Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* 21. *Et audiuit Samuël omnia verba populi, & locutus est ea in auribus Domini.* 22. *Dixit autem Dominus ad Samuëlem: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem. Et ait Samuël ad viros Israël: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.*

TEXTVS.

VERS. I. & II. Factum est autem cùm senuisset Samuël, posuit filios suos iudices Israël. Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioël, & nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee.

§. I.

Mirum est, si vel ætate consumptus regimini sibi non videatur idoneus.

HA homines dominandi tenet cupido, vt viribus etiam destituti sibi videantur ad gubernationem apti. Ferè tota humanitas emoritur, & adhuc dominandi cupiditas gliscit, ætatem non sentit ambitio, immò in ipso occasu ardentiori gubernandi aduritur desiderio. *Sicut arbores annosas haud expeditum est* (aiebat Plutarchus *lib.* an seni sit tractand. Respub.) *diuturnam Reipublicæ procurationem conuellere, radicosam iam, illigatámque negotiis.* Vt annosam quercum arduum est euellere; sic annosum Reipublicæ gubernatorem à gubernando auocare: nec solum aliquos dominandi illigat appetitus, sed orbitatis, & solitudinis metus quantumvis senibus, dum gubernant, adulatores adstant, & officiosa turba circunstat: ergo timent in vita sepulchrum, si Reipublicæ dimiserint gubernaculum. Hinc mirandus est Samuël, qui iam senex se ipsum sponte exaugurauit, & filiis præfecturam reliquit. *Cùm senuisset Samuel, posuit filios suos iudices in Israel.* Vel tranquillo mari se recepit in portum, & ætatis agnouit obstaculum. Notauit Lira: *Posuit filios suos iudices, quia iam non poterat ita commodè ea loca ad iudicandum discurrere.* Si alius esset, tunc se Reipublicæ administrandæ aptiorem existimaret, & contra ipsam experientiam obstinatè contenderet. Paucos inuenies Samuëlis discipulos, plures vel recedente iam vita dominandi cæteris ambitiosos.

§. II.

Prudens tempus sibi colligit, nec totum aliis impendit.

NEmo nascitur aliis, moriturus sibi. Hinc prudentes sibi morituri negotiorum tricis se expediunt, & lucrosum otium disponunt; volunt portu emori, etsi pelago vixerint. *Finem constitue* (monebat Seneca *epist.* 15.) *quem transire ne possis quidem, si velis: discedent aliquando ista in fidiosa bona, & sperantibus meliora, quam assequutis.* Ab incautis, & malè securis bona discedunt; prudens, ne discedant, relinquit, & quam splendens apparatus, & mentitus cultus sitim ingerit, edomat, macerandóque extinguit. *Si quid in illis esset solidi* (Adnectit Seneca) *aliquando & impleret: nunc haurientium sitim concitant, & inuitant speciosi apparatus. Quod futuri temporis incerta sors voluit, quare potius à fortuna

fortuna impetrem, vt det, quàm à me, ne petam? Quare autem petam oblitus fragilitatis humanæ? Congeram in quid laborem. Ecce hic vltimus dies. Vt non sit propè, ab vltimo est. Nolunt sapientes à fortuna pendere, stant in excubiis non inermes, sed iam accincti, & ad vltimum diem parati. Samuël etsi Reipublicæ negotiis impeditus se subduxit, & maturè sibi fecessit. *Cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israel.* Magistratu se ipse exaugurauit, & filiis præfecturam reliquit, vt expeditior sibi viueret, & cœlestibus liberior vacaret. *Dicendum est* (inquit Abulensis *quæst.* 2.) *quòd fuerit maioris ætatis, scilicet septuaginta annorum, vel plurium, & sic quando constituerat iudices filios suos, esset annorum quinquaginta, vel quasi.* Quinquagenarius imminere iam mortem cogitauit, & viuere sibi negotiorum catenam rumpens decreuit: collegit tempus, ne si in aliorum causis, & negotiis totum expenderet, sibi ipsi deficeret.

§. III.

Non facilè negotia expediet, qui omnem Reipublicæ administrationem sibi arrogavit.

NOn sufficit, quantumvis solers, vnius vigilantia, vt eodem tempore plurima quiuerit expedire negotia. Ambitio dignitatis consortem refugit, sed vtilitas generalis deposcit. *Ne florens quidem ætate* (aiebat Plutarchus *lib.* An seni &c.) *& valens viribus vir commendatur, qui negotia publica sibi imponit simul cuncta, nequæ vllum relinquere vult alteri, sicut Iouem Stoici dicunt, in omnia intrudens se, omnibúsque ingerens ex immensa ambitione, vel inuidia eorum, qui in consortium aliquanti honoris in ciuitate, vel auctoritatis veniunt.* Multas sibi vites singularitatis confingit ambitus, sed negotiis impares ostendit effectus. Si ad vnum cuncta deuolvantur, ingemiscent plures dilatione tardati, & tarditate suspensi. *Perfectionem necessariarum rerum completam esse iudicamus* (aiebat Atalaricus Rex 8. *variarum* 12.) *si quemadmodum eligendo virum magnificum patritium armatæ Reipublicæ parti prouidimus, ita & de associando ei litterarum peritissimo consulamus. Decet enim tractatores habere doctissimos, quibus potestas summa committitur vt nullo defectu impediente meritorum prouisa Reipublicæ vtilitas explicetur.* Tunc Reipublicæ vtilitati prouidetur, cùm negotiorum pondus vnius humeris non imponitur, sed diuiditur Samuël inter duos Reipublicæ administrationem diuisit: *Posuit filios suos iudices Israel.* Et cur potestatem partiatur, qui solus obtinuisse dignoscitur? Vnum præferat, vt patris exemplum sequutus negotia expediuerit solus, ne dignitatis minuatur splendor, dum adiungitur socius. O prudentia! Nonerat experientia Samuël, non posse ab vno, quantumvis vigilanti, & solerti, commodè expediri negotia: ergo Reipublicæ, filiisque prouidit, dum non vni tantum pondus imposuit. Notauit Abulensis *quæst.* 2. *Duos filios habebat, & ambos iudices instituit, vt melius expedire possent iudicia, quamquam ipse solus tempore suo iudex fuerat.* Iudex fuerat solus, & quidem solertissimus; agnouit tamen experimento, vel validum humerum negotiorum mole prægrauari, & negotia non adeò benè expediri. Ergo vt Reipublicæ vtilitati consuleret, negotia diuidere procurauit.

§. IV.

Præfectura virum exigit ætate maturum, & moribus exornatum.

COnscientiam probamus (inquit Theodericus 4. *var.* 28.) *cui iucunda committimus, quia dignus est inter alios sequenda decernere, qui sibi modum visus est legitimæ conuersationis imponere.* Exculti mores indubium argumentum, sed matuti temporis decet expectari suffragium. Impubes celsa conscendens ingenerat suspicionem, quia periculosam sortitur ætatem. *Per præcones in conciones non Alcibiades, non Pythæas ad suggestum primos* scribit Plutarchus *lib.* An seni) *sed quinquaginta annis maiores ad dicendum, & consilium dandum vocant.* Canities, & comparata tempore experimenta prudentiæ inseruiunt, & scopulos gubernationis euadunt. *Maximè stat ciuitas* (adjicit vbi supra Philosophus) *vbi consilia senum, & iuuenum vigent hastæ.* Friget in senibus Venus, contentionis sedatur ardor, ambitionis languescit furor. *In rebus ciuilibus tractandis non vnus est defugiendus dominus puerorum, & fœminarum amor: verùm etiam multi hoc insaniores contentio, ambitio, cupiditas primatus: qui morbus maximè gignit inuidiam, æmulationem, & seditionem, quorum partim remittit, & obtundit, partim extinguit, & obrigescere facit senectus.* Languent ætate prolixa inconsulti motus, effrænes sedantur affectus. Ergo cùm Reipublicæ administratio animum deposcat tranquillum, congruit conscendere celsa annis maturum, & moribus exornatum. Samuël iam senex filios suos præfectura condecorauit: *Cùm senuisset Samuël, posuit filios suos iudices Israel.* Et cur patris referatur senectus, cùm ad magistratum euehitur filius? Vt intelligatur (inquit Abulensis *quæstione* 2.) ad regimen iam maturus: *Illi iam essent maturæ ætatis.* Ni matura ætas filiis suffragium ferret, Samuël nec filios ad potestatem iudiciariam efferret, & quidem electio prudentiæ nota, & Reipublicæ esset iniuria, ni tempore, & moribus approbata.

§. V.

Magnatum filij frequenter inueniuntur indignis affectibus sordidati.

FErarum catuli *sequuntur parentes* (aiebat Cassiodorus 2. *variarum* 14.) *à cespite suo virgulta non discrepant: propago vitis propriæ seruit origini, & discrepat homo à suo fusus initio.* Catuli parentum ingenium imitantur; filij parentum mores optimos non sequuntur, præcipuè à magnatibus, senatoribúsque exorti, nam cùm eorum delicatè nutriatur infantia, cùm indulgentiùs habeatur adolescentia, exoculata superbiæ turgent insania, & nil metuunt superba, ac audaci licentia. Quos nobiliori origine constat exortos, frequenter videbis prauis moribus sordidatos. Samuël populi iudex filios genuit suis moribus adeò dissimiles, vt ipso nomine iam prætenderent dignitate exaugurandos, & indignis cupiditatibus inficiendos: *Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioël, & nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee.* Ipsa nomina erant futurorum præsagia, & ab origine discrepantiæ argumenta. Notauit Rabbanus: *Abia pater Dominus, vel pater fuit. Benè ergo qui in inchoata iustitia non permanserunt, vel paternitatem Domini neglexerunt.* Nomen, dum à magnate publicabat exortum, prænuntiabat etiam indignis actionibus obscurandum: à magnatibus namque exorti, inueniuntur frequenter vitiis infecti.

§. VI.

Sæpè filij, quæ à parentibus beneficia acceperunt, ingratitudine compensarunt.

PArentes benè de filiis præsumunt, quia nihil ad eorum vtilitatem omittunt; nutriunt à pueritia, ipsis adlaborant, ipsis diuitias adaggerant: illa tamen officia, quæ obligarent vel extraneum, obligare non solent filium. *Proh dolor!* (aiebat Theodericus 2. *variarum* 14.) *non merebimur eorum affectum, pro quibus*

subire non recusamus exitium ? Maria ipsa sæuis tempestatibus excitata genitoris cura non refugit, vt peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat. Nullum pater ob filios laborem respuit subire, & filius non erubescit alimenta parentibus denegare. Ab auibus, quæ parentes solicitè alunt, pietate vinci non erubescunt. *Magnum pietatis tradit exemplum* (scribit de ciconia vbi supra Theodoricus) *nam cùm parentes eorum pennas senio coquente laxauerint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inueniri, plumis suis genitorum membra frigida refouentes efcis corpora lassa reficiunt: & donec in pristinum vigorem ales grandæua redierit, pia vicissitudine iuvenes reddunt, quod à parentibus paruulis susceperunt.* Educationis agnoscentes obsequium soluunt hilariter pietati tributum, & rationalis homo ferale nutrit non semel aduersus parentem odium. Ionathas à gigante defensus Dauidem exornat purpura, & Absalon nititur immatura ambitione priuare corona. Nec solum filij parentum spem eludunt generi non respondentes, sed ab optimis parentum moribus deuiantes. Filios attenta solicitudine educatos, litteris & moribus optimis expolitos, iudices constituit Samuël, sperans fore æquitatis patronos, non inimicos: *Posuit filios suos iudices Israël*: verùm patri reuerentiam non exhibebant officiorum obliti, & iustitiâ peruertebant auari: *Non ambulauerunt filij illius in viis eius.* Ipso in nomine patris obliuionem testabantur. Abia namque interpretatur, pater fuit; pro mortuo habebant, ac si iam non esset, sed è viuis excessisset: *Nomen secundi Abia.* Notauit Rabbanus: *Abia, pater fuit, benè ergo qui in inchoata iustitia non permanserunt, & paternitatem Domini neglexerunt.* A quibus sperabat cultum, accepit despectum: patris inueniebantur obliti, qui resplendebant à patre dignitatis insulis decorati.

§. VII.

Non semel qui dignitate habebantur anteà dignissimi, spem frustrarunt dignitatem adepti.

QVi ambitu obeunt capessendi magistratum, omnium sibi satagunt conciliare affectata modestia affectum: vestium ignorant pompam, concursus fugiunt frequentiam, hilarem conuiuiorum respuunt insaniam: hoc tamen totum, vt peruersa via ambitioni deseruiant; verum assecutos sic Circes adinstar solet dignitas in alios transfundere, & demutare, vt nequeas vel vestigium leuissimum repetire. Quam benè, & verè Plinius Iunior *epist. lib. 8. epist. 23.* de candidatis loquens: *Quotus quisque vel ætati alterius, vel auctoritati, vt minor cadit. Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt.* Quos videras acclines, demiraberis fastidioso supercilio tumentes, & sibi prorsus dissimiles. Samuël filios suos modestia eruditos exemplis optimis informatos, & ad omnem virtutem, vt videbatur, expromptos ad regiminis culmen extulit: *Posuit filios suos iudices Israel.* Dignitatis celsa iam adepti, adeò inseruierunt cupiditati, vt iudicium peruerterint, & æquitatem omnem violauerint: *Declinauerunt post auaritiâ, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.* Patris spem fefellerunt dignitatem adepti, qui antea sedulitate alebant, & censebantur idonei. *Posuit filios suos* (inquit Lira) *credens eos fore iustitiæ suæ imitatores, sed hoc non fuit ita.* Anteà vt erant patris optimo exemplo eruditi, institutionisque accuratissimæ studio efformati, speciem faciebant optimæ administrationis, si ad munus regiminis peruenirent: verùm qui, nullo refragante, dignitatis viri sunt digni, post culmen omnibus deliquerunt criminibus depravati.

TEXTVS.

VERS. III Et non ambulauerunt filij illius in viis eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.

§. VIII.

Diferta, delicataque iudicis mensa æquitatis est adversatrix, & cupiditatis nutrix.

DIferta mensa, & in fercula saporata distincta magnas expensas exigit, quas si patrimonium non patiatur, opus erit, vt cupiditas, & auaritia prædetur. Qui voluptati, ac libidini indulsit, multis se miseriis subiecit. *Copia ciborum* (aiebat Seneca *epist. 15.*) *subtilitas animi impeditur*; addere posset, & honestas etiam euertitur. Præmiserat satis discrtè: *Quantum potes, circumscribe corpus tuum, & animo locum laxa. Multa sequuntur incommoda huic deditos curæ.* Qui delicatioribus cibis, & mirè conditis mensas onerant, opus habent aurum quoquomodo ad sumptus conquirere, & æquitatis iniuria sæpissimè comparare. Quod census non præbet, lex violata offert, &, vt floreat mensa, marcet iustitia. *Samuëlis filij declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.* Iam si inquiras, cur filius iura omnia euerterit, cùm pater inuiolata seruarit? respondebit Iosephus Samuëlem naturæ vixisse, filios luxum, & saporatas epulas amasse. Ipsum audi: *A patris studiis recedentes muneribus, turpibusque lucris iustitiam comprimebant, & iudicia non vera, sed secundum præmia proferebant, & ad epulas, pretiosaque conuiuia declinantes, primum quæ erant inimica Deo, gerebant; secundò quæ patri aduersa.* Samuël angusta mensa contentus nil recepit, filius nil non extorsit laura, & opulenta mensa innutritus. Marcus Curius oblatum recusauit aurum, quia angusto victitabat edulio. *Samnites ad eum denicti venerunt* (scribit Plutarchus in Romanorum Apophthegmatis) *aurumque obtulerunt. Fortè autem coquebat in ollis rapas. Quibus respondit, non habere opus auro se, cui tale esset prandium. Malle autem imperare aurum habentibus, quam ipsum habere.* Non imperasset, sed aurum offerentibus paruisset diferta mensa vsus, & ferculis multis ingurgitatus; exiguo tamen edulio victitans auaritiam vicit, iustitiam coluit.

§. IX.

Iudex cupidus sententiam vendit, & ius pro qualitate muneris dicit.

HAbet hoc vitium (aiebat Seneca *epist. 73.*) *omnis ambitio: Non respicit. Nec ambitio tantum instabilis est, verùm cupiditas omnis, quia incipit semper à fine.* Cæca est auara cupiditas, non videt legum præscripta, quia semper inhiat ad diuitiarum augmenta; affectat culpas ignorare, legem non timet corrumpere, & tandem quidquid honestum, adlaborat euertere. *Nam nec me sensit quisquam aliqua venalitate pollutum* (aiebat Senator quidam 12. *variar. 2.*) *nec ego pertuli tributario indemotos.* Nil pertulit æquitati aduersum, qui gloriabatur se nulla venalitate pollutum. Dissimulasset, si concupisset. *Esto innocentiæ templum* (monebat Theodericus 1. *variar. 12.*) *temperantiæ sacrarium, ara iustitiæ. Absit à iudiciariis mentibus aliquid profanum! pio principi sub quodam Sacerdotio seruiatur.* Incorruptus iudex est innocentiæ profugium, iustitiæ templum; cupiditatis verò vernula semper est æquitatis iniuria: *Declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera,*

munera, & peruerterunt iudicium. Iudicium non dictabant legis præscripta, sed oblata copiosa dona. Quisquis auri afferebat copiam, efformabat sibi sententiam. Ita Iosephus: *Muneribus turpibus lucris iustitiam comprimebant, & iudicia non vera, sed secundùm præmia profebant.* Muneribus attemperabatur iudicium, & erat in eorum arbitrio non solùm post scelera absolui, sed commendari.

§. X.

Iudex cupidus sibi ipsi nocentissimus aduersarius.

VT negotiatio est aliqua amittere, vt maiora lucreris; ita est dispendium maiora amittere, vt exiguis fruaris: quod etsi in omnibus verum, in Rempublicam administrantibus sæpissimè comprobatum. Auri splendore obcæcati non vident exiguum lucrum grauissimam afferre dispendium: quandoquidem luget honore, & potestate priuatus, qui pecunia inuenitur corruptus. Opportunè Cassiodorus 7. *variar.* 47. *A quibus munia puerunt sustineri; si ciuitatum nerui passim videantur abscindi.* Ciuitatum est nervus incorrupta iustitia, & æquitas inuiolata: ergo si à Reipublicæ gubernatore nervos contingat abscindi, opus erit à culminibus deturbari. Samuëlis filij venalitate polluti more vestium sententiam vendebant: *Peruerterunt iudicium:* ergo maiores natu dignitate mulctarunt, & noua regiminis forma à culmine detruderunt: *Filij tui non ambulant in viis tuis, constitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Plus haberent, si minus acciperent, nam dignitate diu fruiti, licitis facultatibus abundarent ornati: ergo sibi ipsis aduersantur, dum vt diuitias aggerent, muneribus corrumpuntur. *Hic consequenter describitur* (inquit Lira) *populi petitio de Rege habendo, cuius vna causa malitia filiorum Samuëlis, vt hic scribitur.* Eos cupiditas à tribunali deiecit, & diuitiis dispoliauit: iam sordent, & deteſcunt mulctati, qui resplenderent, ni cupidi.

§. XI.

Non est superiori vertendum crimini non carpere, quod notitiam eius constat effugere.

NI ad Principem, superiorémque peruenerit reatus notitia, punire nequit sententia. Reus, dum latet occultus, existimatur innocuus: tunc solùm iudex delinquit, dum noto crimini ignoscit. Samuëlis filij delinquunt: *Declinauerunt post auaritiam.* Deus tamen patrem non punit; nec eius brachium præcidit. Iam si inquiras, cur ob filios Samuël duram non sustinuerit sententiam, cùm Heli acerbam passus sit mulctam? Respondebit Theodoretus, filiorum vtpotè distantium reatum Samuëlis effugisse notitiam, ad Heli peruenisse famam. *Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo.* 1. *Reg.* 2. *vers.* 23. Ergo Samuëlem non denigrarunt filiorum crimina, quia notitiam impediebat distantia: Heli deliquit, quia ipsa correctio quodammodo fuit licentia. *Quare Samuël non luit pœnas* (rogat Theodoretus) *propter scelera filiorum, sicut Heli?* Iam respondet: *Neque hoc sciebat Propheta, habitabat enim Ramathaim; illi verò Berſabee.* A patris oculis remoti sunt criminibus defundati: ergo Samuël non puniuit, quia non agnouit; Heli verò reprehensibilis fuit, quia leniter corripuit, quos grauissimis sceleribus sordidatos non ignorauit.

§. XII.

Prudens ad dignitatum celsa non efferet, quem minoribus non probauit.

SIne merito putatur remuneratum omne, quod subitum: nec inexplorati suspicionem potest refugere, qui dignitatum summa repentè inuentus est obtinere. Omnia temporis suffragio decreta tutiora sunt, & prudenter ad maiora extulisse creditur, qui post documenta laudatæ administrationis promouisse cognoscitur. *Securus celsa conscendit* (aiebat Atalaricus 7. *var.* 13.) *qui se in paulò minoribus approbauit, & certo procedit vestigio, qui gradatim desiderio potitur accepto.* Spem aliquando eludit, qui maiora conscendit, sed eligentem nos aspergit nota, si præteritis factis est inducta ad eligendum prudentia. Samuëlis filij antea audiuntur ad dignitatis apicem eleuati, quàm minoribus laudabiliter fuerint exerciti: *Posuit filios suos iudices Israel.* In fastigio fastigij apparuerunt indigni, quia paulò minoribus actionibus non exerciti: *Declinauerunt post auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.* Grauiori ipsorum, & populi damno auarum prodiderunt culmine ingenium, qui in minoribus non inferrent adeò graue nocumentum. Huc voco, quod aiebat Cassiod. 7. *var.* 13. *Omnia deliberata sunt robusta, & totum bonis actibus obtinuisse creditur, qui post documenta laudatæ militiæ promouetur.* Paternæ affectioni non tribueretur electio, si in minoribus præcederet approbatio: verùm dum repentè ad culmina refulserunt promoti, & quàm citò sunt deturbati.

§. XIII.

Graue est iudicem sordida auaritia pollui, sed deterius rapinis, & impietatibus defœdari.

MAximus Thrasea crebrò dicere solebat (verba sunt Plinij Iunioris 8. *epistol.* 22.) *qui vitia odit, homines odit.* Eis ferè omnes piaculis sordent, vt vitiis videantur scatere, & ad vitia solùm progigni. Impietas verò, quæ Numinis reuerentiam contemnit; rapacitas, quæ iustitiam polluit, inueniuntur præ aliis detestanda, vtpotè nocentiora venena. *Existimat quis* (aiebat Plutarchus de Superstitione) *summum bonum diuitias esse. Hoc mendacium venenum habet, depascitur animum, de statu eum dejicit suo; somnum adimit, furore implet, impellit de saxis, strangulat, liberam vocem adimit.* Adnectit: *Hæc miseranda sunt & grauia, quod multi morbi, & ægritudines instar vermium, & lumbricorum eorum contagione pullulent in animis. Igitur etiam ex his, de quibus sermo est, impietas, quæ nihil beatum esse, & incorruptum, præuè iudicat.* Qui in Deum impius, in homines etiam vesanus: verùm etsi in alio quovis impietas sit detestanda, in magnatibus, & audacior, & nocentior. Potestate abusi in omne flagitiũ inueniuntur prolapsi. Samuëlis filij etsi auaritia sordidati, non tamen rigidè adeò, vt Heli filij puniti: *Declinauerunt post auaritiam.* Si quæras, cur Samuëlis filij solùm dignitate mulctati, & Heli filij durius fuerint puniti? Respondebit Textus, Samuëlis filios solùm auaritia denigratos; Heli verò filios impietate pollutos: *Calce abiectistis victimam meam.* Alios dignitatis insulis auaritia denudauit, sed alios impietas, & honore priuauit, & luce. Accipe Theodoretum: *Isti in homines iniurioſi: illi in Deum impij fuerunt. Neque enim illi violauerunt matrimonia, nec libidinibus iniuria affecerunt diuinum tabernaculum: neque ventri suo dabant primitias hostiarum enerso ordine sacrificiorum. Eos autem solum accusat, quod corrumperentur muneribus.* Samuëlis filij vno in genere peccauerunt auari: Heli verò multis se sceleribus contaminauere impij; illorum auaritia aliquod attulit detrimentum; impietas horum acerbius damnum.

§. XIV.

§. XIV.

Non stat potentia dignitatis tutus, qui virtutum anchora non fundatus.

NOn est quod vnquam fortunæ armis putes te esse tutum (inquit Possidonius apud Senecam *epi.*113.) *tuis pugna contra ipsam: fortuita non armant.* Verùm dixit; nam quæ impetu veniunt, maiori fugiunt. Ast ea aliquos tenet amentia, vt se tutos putent ridenti vsi fortuna, quin curent habere virtutum pro se suffragia, sua illis satis videtur potentia, falluntur tamen, nam detinere nequit potentia, quem è culmine deturbat intemperantia, & rapina. *Quid est fortitudo?* (aiebat datus Seneca) *munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat; vtitur enim suis viribus, suis telis.* Qui dignitatis lumine versatur, à plurimis obsidetur; pugnat inuidia, calumnia oppugnat: ergo ni æquitatis clypeum arripiat, ni virtutum tela, quibus aduersarios reprimat, habeat, solius potentiæ viribus non subsistet, sed impetitus & cadet, & corruet. Samuëlis filij, quia auaritiam sequuti: *Declinauerunt post auaritiam*, dignitatis culmine non perstiterunt immoti, immò corruerunt populi querelis iustissimis deturbati. *Filij tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Populus iustis querelis præualuit, potentia virtute nudos non texit. *Fuit eis multiplex causa ad petendum Regem* (inquit Abulensis *q.*3.) *Prima, quia filij Samuëlis non ambulabant in viis patris sui, & grauabant populum.* Non potuerunt opponere querelis incorruptam iustitiam, æquitatem inuiolatè seruatam: ergo virtutibus non fundati nec patris potestate, nec dignitatis potentia perseuerauerunt immoti. *O quàm magnis homines erroribus tenentur* (aiebat Seneca vbi supra) *qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere; felicissimósque se iudicant, si multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungunt, ignari quòd sit illud ingens, paratúmque regnum. Imperare sibi maximum imperium est.* Non potest, qui sibi non imperat, imperare, nam quantumvis armetur potestate, querelarum, & iniustitiæ rapietur turbine.

§. XV.

Sub iudice auaro gliscit audacia, & timet integra, & illibata conscientia.

MAgnum virtutis præmium est non timere; magnum sceleris supplicium timore acerrimo semper concuti. Liberam habet frontem, qui non deliquit, tortore conscientia discruciatur, qui peccauit: has tamen inuiolatas naturæ leges sic iudicis auaritia confundit, vt innocuus timeat, & culpis sordidus audeat. *Doceat me, quàm sacra res sit iustitia* (scribit Seneca *epist.*113.) *alienum bonum spectans, nihil ex se petens nisi vsum sui. Nihil sit illi cum ambitione, famaque, sibi placeat.* Qui iudex magnatibus vult placere, vt quid volaticæ acquirat gloriæ, æquitatis dispendio nititur adulari potentiæ. Qui aliena sibi discupit, iustitiam securitatis matrem euertit. Quid non tentet audacia, si redimatur pecunia? Quid non trepidet innocentia, si diuitis factiosa contra innocuum audiatur calumnia? Samuëlis filij auaritia infecti iudicia peruertunt, dum munera cupiunt: *Peruerterunt iudicium.* Iniquus impunitus audebat, punitus iustus obmurmurabat, quia mores censebantur ex pretio, non ex viuendi instituto. *A quo iudex munera recipit* (inquit Abulensis *quæst.*2.) *audacior fuit ad quæcumque litigia, & ad calumniandum expectans venalem sententiam.* Vbi sententia venditur, culpa absoluitur, iustitia opprimitur; sed esto: munera accipiens iustitiam non violarit, suspicionem nunquam effugiet. Semper enim iudex auarus iustitiæ creditur inimicus. *Si iudex accipiat munera* (inquit Abulensis) *etiamsi propterea non peruertat iustitiam, malè agit.* Rationem adjicit: *Suspectus redditur.* Indecoram non potest suspicionem effugere, si agnoscatur muneribus inhiare.

TEXTVS.

VERS. IV. & V. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël venerunt ad Samuëlem in Ramatha. Dixerúntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis: Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.

§. XVI.

Scelera magnatum sunt reprimenda, non tamen suggillatiua voce euulganda.

QVævis culpa, si fieri potest, sine peccatoris nota debet corrigi, sine infamia reprimi. Humanitatis est honori consulere, æquitatis scelera noxia amputare. *Quisquis ille* (aiebat Plinius 8. *epistolar. epist.*22. *qualiscumque fileatur: quem insignire, exempli nihil, non insignire, humanitatis plurimum refert.* Apertè carpere, & aliorum ludibrio corrigendum exponere, obscurat prudentiam, & corrigenti imprimit notam. Sæpè concionatores, dum ostendunt personam, intimant plagam. Vitia oportet carpere, sed & honori delinquentis consulere: quod etsi in omnibus obseruandum sit, præcipuè in magnatibus corrigendis; facilius namque exasperantur, duriúsque conqueruntur: insuper eorum dignitatis status, vel dum errant, debet reuerentiam suadere, & ad verba prudenter libranda cogere. *Vides à medicis* (aiebat Plinius 8. *epist.*24.) *quanquam in aduersa valetudine nihil serui, ac liberi differant, mollius tamen liberos, clementiúsque tractari.* Simili seruorum, liberorúmque ægritudini efficacia remedia adhibent, sed liberis vrbaniori modo, blandioríque impetio. Hanc politicem imitati sunt maiores natu Israël; nam cùm Samuëlis filij auaritiam sequuti iudicia peruerterent, omniáque confunderent, eis verbis vsi sunt, quæ potiùs sonarent optima patris non amplecti exempla, quàm fœdissima sectari vitia: *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis, constitue nobis Regem,* Vtrumque curarunt, & remedia adhibere, & verba suggillatiua vitare: iustitiam corrumpentes, iniustitiam sectantes deliquerunt, eis tamen verbis seniores sunt vsi, vt minus sonarent, quàm dicerent. Notauit Abulensis *q.*3. *Adiunxerunt, quòd non expediebat, hoc, quia filij eius non sequebantur vias ipsius; hoc autem dicebant, quia declinauerunt post auaritiam, accipientes munera, & peruertentes iudicium.* Honestis verbis vsi sunt, ne dignitate conspicuis denegarent reuerentiam, & publicam inferrent notam. Magnatum namque erroribus sic est adhibenda medicina, vt exhibeatur splendoribus reuerentia.

§. XVII.

Reipublicæ detrimentum est, si administrationem obtineat nimia ætate confectus, aut inconcinnis moribus sordidatus.

NImia ætas laboribus fracta nequit solerter Reipublicæ commodis studere, quantumvis æquitatem agnoscatur amare. Vt etiam quamvis solertia, ac viribus vigeat, Reipublicæ saluti non prouidebit solicitus, qui insanis inseruit appetitionibus deditus: itaque detrimentum

detrimentum affert Reipublicæ à nimis sene gubernari, & à vitiis infecto regi. *Si vir grandævus in Republica munera ciuilia cum ministeriis coniuncta excipiat* (scribit Plutarchus lib. An seni) *vt si auctionibus sit præfectus, vel portuum curæ, & fori, præterea, si legationibus, & profectionibus ad præsides, & potestates inhiet ... Id miserum mihi, mi Euphane, & putidum videtur, aliis forsitan etiam odiosum, & molestum. Quippè nec in magistratibus tanto natu virum congruum est iactari.* Non congruit Reipublicæ magistratu vti, qui nimia ætate muneri nequit attendere; vt etiam non congruit infulis exornari, qui cupiditati, aut ambitioni constat inseruire. Hinc maiores natu Israël Regem sibi dari deposcunt, quia Samuël, etsi æquitatis amator, senectute confectus; & filius, etsi opportuna ætate vegetus, cupiditatibus obscuratus: *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis.* Ac si dicant; Te nulla culpa denigrat, sed senectus magistratus labore exonerat; filij competenti ætate vigent, sed indignis actionibus sordent. Ergo Reipublicæ non congruit senectus nimia, nec ætas auara. Ita Abulensis *quæst. 3. Dixerunt: Tu senuisti, id est, iam non potes exercere actus iudicantis, qui sunt nimis laboriosi ... & filij tui non ambulant in viis tuis. Hoc adiunxerunt, quia primum non sufficiebat: nam licèt non posset eos iudicare Samuël, dicerat, quòd filij sui iudicarent; ipsi autem adiunxerunt, quòd non expediebat hoc, quia filij eius non sequebantur vias ipsius.* Itaque vt Reipublicæ prouiderent, curarunt, ne haberet administrationem Samuël ætate confectus, & laboribus iam non aptus, & ne haberet filius bonis moribus non instructus, est namque adæquè Reipublicæ incommodum, si à iusto gubernetur iam præ ætate confecto, aut ab iniusto, et si laboribus apto.

§. XVIII.

Si ad plures regimen constet æqualiter pertinere, minus solet studiosè tractari.

ORnat Reipublicæ faciem honorabilis regentium conuentus, & venustas augescit grata, quoties electa confluit ad Senatum frequentia. *Sicut cœlum stellis redditur clarum* (aiebat Cassiod. 6. *variar.* 11.) *sic reluctent urbes lumine dignitatum.* Vnum tantummodo oriri potest dispendium; si alter scilicet studeat otio indulgere, quia credit alterum pro Republica laborare. Et quidem aliquando vnius curæ iniunctum citiùs videtur perfectum, quàm fuerat plurimis demandatum. Piscium multitudinem iactum, iubente Domino, rete concludit, & quamvis per labiles vndas traheretur, pondus sentitur. *Non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Ioan. 21. vers. 6.* Id ipsum rete eisdem piscibus plenum vnus Petrus in terram traxit: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus.* Difficilius videbatur rete ad terram trahi ab vno, quam à pluribus labiles per vndas adduci, & tamen audis plures non valuisse, quod vnum constat parasse: *Non valebant illud trahere. Traxit rete in terram.* Et quæ huius discriminis causa est? Alij alias ingeniosè adinuentis ea mihi se offert, minus studiosè à pluribus rete illud trahi, dum alter alterius labore fidit, citiúsque à Petro, dum pondus totum vni sibi commissum credit. Innuit Gregor. in Catena: *Petro Sancta Ecclesia est commissa, ipsi specialiter dicitur: Pasce oues meas: quod ergo postmodum aperitur in voce, nunc significatur in opere.* Quod vni Petro specialiter demandatur, solicita cura perficitur; at quod pluribus erat iniunctum, tardius ad speciem agitur, & morosius. Grauem lapidem Iacob solus dimouit, quem plures amouere differebant, quia aliorum operam expectabant. *Non possumus* (inquiunt) *donec omnia pecora congregentur. Gen. 29. v. 8.* Nullus volebat in lapidis amotione desudare, quia ad alios etiam agnouerat pertinere: Iacob solus oitò perfecit, quod quisque distulit, & fortassis ob id cùm ad Samuëlem, filiósque populi regimen spectauit, vnum populus iudicem inaugurari expetiuit; quasi plus de vnius solicitudine, si ad illum res tota pertineret, præsumeret, quam de pluralitate spectaret. *Constitue nobis Regem vt iudicet nos.* Accipe Abulensem *q. 4. Filij Samuëlis erant duo, & sic neuter erat Princeps populi insolidum; ideò nullus eorum ageret curam de bellis populi tanquam de re sua; ipsi autem volebant aliquem, qui haberet curam de eis sicut de re sua.* Itaque satius duxerunt vnius humeris pondus imponi, quàm multis committi.

§. XIX.

Si quid desideretur, quævis occasio præripitur.

SI quod nos desiderium teneat, occasionem quærimus, immò rapimus, color quivis sufficit, vt quidquid fouere potest desiderata, elabi non patiatur solertia. *Vigilantis est* (aiebat Seneca *epist. 22.*) *occasionem obseruare properantem. Itaque hanc concupisce, hanc, si videris prende, & toto impetu, totis viribus id age, vt te istis officiis exuas.* Adde: occasionem obseruare non solùm esse vigilantis, sed discupientis. Filij Samuëlis minus rectè Rempublicam administrabant: ergo seniores, qui inaugurandi sibi Regem desiderio tenebantur, occasionem apprehenderunt, & consalutandum Regem elatis vocibus proclamarunt: *Filij tui non ambulant in viis tuis, constitue nobis Regem.* Sinistræ iudicum illorum administrationi, aliis suffectis, adhiberi potuit remedium, nec erat Regem huic depellendo morbo eligere necessarium; verùm occasionem arripuere, cùm ardens Regis fouerent animo desiderium, & institerunt consalutandum. Notauit Abulensis *q. 4. Non erat ista sufficiens causa petendi Regem; si enim erant iudices iniqui, poterant deponi, & constitui alij iudices.* Adnectit: *Respondendum est, quod ista causa, scilicet iniquitas filiorum Samuëlis non fuit, quæ impulit Israëlitas petere Regem, sed ipsi desiderabant nimis habere Regem, & nunc habita occasione petierunt, & sic iniquitas ista non fuit causa, sed occasio.* Aliqualis erat occasio ministrorum prauitas: ergo satis fuit Regem ardenter desiderantibus, & desideriis suis adulari cupientibus.

§. XX.

Pudet aliquos aliorum vitiis non infici, & reputant honorem sectari.

PAuci sunt (aiebat Seneca *epist. 23.*) *qui consilio se, suâque disponant, cæteri eorum more, quæ fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur.* Feruntur plures aliorum exemplo, non proprio reguntur consilio. Pudet portu consistere, si videant alios fluminibus innatare, quasi dedecus sit sequi optima non imitari communia. Israëlitæ, vt alias nationes viderunt Rege gubernari, ipsius Numinis honorabile detrectauerunt imperium, vt aliorum sequerentur vestigium. Pudebat illos ab aliorũ moribus discrepare, & laudabili singularitate fulgere. *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Ambiendum erat Numini subjici, & illos puduit gentium politicem non amplecti. Videbatur eis indecorum exambiendum priuilegium, & ethnicæ politices suspirabant institutum. Notauit Caietanus: *Ethnica ratio affertur, dicendo se velle habere Regem ad instar aliarum gentium. Hinc enim manifestè apparet, eos parumpendisse singulare priuilegium Dei, quo præstabant cæteris gentibus in hoc, quòd ipsi erant electi, & erecti in regnum, cuius Rex esset Deus.* Consonat Abulensis *q. 4. Videbatur eis indecorum esse, quòd cùm ipsi essent magnus populus, non habere Regem.* Hebræus populus Deum

non solùm vniuersalem Dominum, sed specialem Regem sortitus, cæteris nationibus præstabat singularitate expetenda, & tamen visa est eis singularitas indecora: pudebat eos sequi rationem, & suspirabant amplecti cæterorum consuetudinem.

§. XXI.

Amentia est non duratura exambire, & magnis laboribus procurare.

Finem omnium rerum spectа (aiebat Seneca *epist.*119.) *& supervacuæ dimittes.* Ipsa rerum breuitas schola sapienti est; nullus sapiens anxijs votis exambit, quod vel in ipso ambitu agnoscit ambitorem deferere, & manu apprehendentem fugere. *Post Darium, & Indos* (adnectit) *pauper est Alexander Macedo: quærit quod sumn faciat, scrutatur maria ignota, in oceanum classes mittit nouas, & vt ita dicam, mundi claustra prærumpit; quod naturæ satis est, homini non est. Inuentus est, qui concupiscceret aliquid post omnia: tanta est cæcitas mentium.* Cæcis mentibus perituris inhiamus, & nos præteruolantia exambimus. Hinc maiores natu Israel, ne ætati inferrent iniuriam, Regem sibi constituere noluerunt, & dari sibi à Domino postularunt: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Et cur ipsi non deligunt, & constituunt? Quia nouerant à Domino non electum nullatenus posse manere, & prudenter detrectabant magnis laboribus comparare. Ita Abulensis *quæst.* 5. *Quæret aliquis, cùm Israelitæ nimis desiderarent Regem, quare petierunt illum à Samuele; poterant enim ipsum per se constituere, cùm totus populus hoc vellet.* Audis quæsitum? audi responsum: *Quamquam Israelitæ constituerent alias Regem, non duraret; propter hoc autem voluerunt, quod per manus eius fieret.* A Domino per Samuelem Princeps designatus duraret, à se refragante Domino salutatus, quàm cito euanesceret dignitate exauguratus, & nudus. Ergo ne canis inferrent iniuriam, suamque obscurarent prudentiam, noluerunt magnis laboribus comparare, quod non posse prænoscebant subsistere.

§. XXII.

Imprudens est, qui ad maiora elatus turget antiquæ fortunæ oblitus.

PLus incipit cupere cui contigit plus habere. Scias, quam difficile est à ratione non deuiare, & in alium non transfundi, quem felicitas extulit, & omnibus inuidendum exposuit. *Tanta est* (inquit Seneca epist. 119.) *cæcitas mentium, & tanta initiorum suorum vnicuique, cùm processit, obliuio: Ille modo ignobilis anguli non sine controuersia dominus de tanto sine terrarum per suum redditurus orbem, tristis est.* Alexandro exigui populi anteà domino totus non sufficiebat orbis, & ipsis rerum augmentis ardentior sitis crescebat flamma, & ambitionis honorum, splendorisque incremento furebat dementia: verum etsi hoc vitium plurimis sit frequens, frequentius inuenitur in illis, quos è media plebe fortuna extulit, & dignitatibus exornauit. Hi à se ipsis recedunt, & antiquæ sortis, originisque obliti, suæ felicitati obicem opponunt insani: Samuelis Leuitæ filij ad supremam iudicariæ potestatis dignitatem elati, pretiosis se, ac delicatissimis cibis pascebant, & pompaticè incedentes cæteros exasperabant: ergo iuvenum insolentia irritati eos è dignitatis culmine deturbare aggrediuntur, & apud Samuelem parentem repetitis querelis vociferantur: *Filij tui non ambulant in vijs tuis, constitue nobis Regem.* Harum querelarum causam inquirunt Interpretes, existimantque ipsos occasionem præbuisse nimia superbia turgentes, & fastu nimio à Leuitarum origine deuiantes. Obliti sunt se Leuitæ esse filios, quia sors illos euexit dignitatibus exornatos; ergo si patris modestiam fuissent imitati, non lugerent à dignitate delecti: ast dum excedunt modum antiquæ fortunæ obliti infulis sunt denudati. *Ad epulas, pretiosaque conuiuia declinantes* (inquit Iosephus) *primum, quæ erant inimica Deo, gerebant, secundo, quæ patri aduersa.* Samuel ad supremum Reipublicæ honorem, promotus eximia modestia est vsus; respuit pretiosam mensam, aduersatus est pompaticam circunstantiam: at filij se Leuitas obliti, quia ad suggestum resplenduerunt promoti, cæteros fastu, sumptuque adeò exasperarunt, vt varijs criminationibus eos obscurarint, ac tandem à culmine dignitatis depulerint.

§. XXIII.

Grauius sæpissimè aditur, vt leuius incommodum euitetur.

SÆpè laboramus remedio, dum inconsulti vota nostra non discutimus, nec prudenti trutina desideria examinamus. Vt vitemus friuola, & leuia, impatientes grauiora adscicimus, & nos cæcis nexibus implicamus. *Alius* (aiebat Seneca *epist.* 4.) *se præcipitauit à tecto, ne dominum stomachantem diutiùs audiret; alius, ne reduceretur è fuga, ferrum adegit in viscera.* Quam stultum fuit luctuoso præcipitio Domini stomachum fugere, & adacto in vilcera ferro seruitutem vitare. Mihi crede; vt pueri sic homines extimescimus leuia, & qui auctoritatem habemus senum, stultitiam retinemus puerorum. Ecce maiores natu Israël dum iudicum auaritiam moliuntur effugere, inuenti sunt sibi grauamina durissima incrementare: *Filij tui non ambulant in vijs tuis, constitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Grauiorem regiminis sibi solicitant formam, vt vitarint iudicum auaritiam. Et quidem Samuel aiebat: *Agros vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis.* Iudices accipiebant oblata munera; agros verò, & vineas non auferebant violentia, cum violentia aliquando à se electorum eos dispoliatit, & optima quæque abstulerit; verum sic obcæcati deerrarunt, vt grauiori detrimento adniterentur subvenire leuiori incommodo. Notauit Glossa Moralis: *Sequuntur maiora mala, quàm fuerit regentium rapina.* Durius erat fœcundis prædijs dispoliari, quàm munuscula dilargiri; & tamen, ne afferrent munera, amiserunt prædia. Et quidem fames non semel honoris nota redimitur, & volatica fastus gloria dispendio animæ procuratur: ergo curandum est ita incommodis subuenire, vt non contingat augere.

§. XXIV.

Nonnulli quod semel decreuerunt inconsulti, visis etiam incommodis prosequuntur indurati.

CVm sit conducibilior pœnitentia, quam pertinacia, præferunt plures pertinaciam pœnitentiæ, nolunt, quam semel decreuerunt, demutare sententiam, quasi referre etiam prudenter pedem, intulerit notam. *Adhuc* (aiebat Seneca *epist.* 4.) *non puerilia in nobis, sed quod est grauius, puerilitas remanet. Et hoc quidem pejus est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum.* Leuiter, inconsulteque puerorum instar decernimus, & senum adinstar sententiam tueri prudentiæ ducimus. Maiores natu Israël inconsultò Domino, & Samuele nouam decernunt introducere politiam, & extraneam regiminis formam: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Samuël quanta incommoda nouam gubernationis formam sequantur, dilucidè ostendit: *Agros vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, &c.* Sperares à cœptis

cœptis desistendum, & saniori consilio statutum semel demutandum; verùm ne auctoritati, grauitatique imprudentiæ notam demutatione viderentur inferre, maluerunt semel decretis insistere: *Rex erit super nos.* Grauius reputarunt à semel cœptis discedere, quàm incommoda præuisa subire. Notauit noster Sanctius: *Neque ea de re Samuelem consulunt, aut per otium secum ipsi deliberant, sed præcisè dicunt: Constitue nobis Regem, sic offirmato in eam sententiam animo, vt propositis etiam his incommodis, quæ declinari non poterant, si regia inducatur, & peregrina forma, ab eo tamen consilio, quod semel arripuere, dimoueri non possint.* Inconsultè nouam regiminis decreuerant formam, & quantumvis incommoda emergerent, à sententia discedere reputauerunt senectutis iniuriam. Senatus maiores, quæ decreuerant, obstinato animo defenderunt, quæ obstinatè defendebant, puerìliter, imprudentérque cogitarunt.

§. XXV.

Non videntur grauia tributa, dum Princeps ad suorum tutelam Martia tractauerit bella.

PLacet in duce purpura inimicorum sanguine gloriosè rubens pluſquam murice pretioſo reſplendens: & gratanter populus pendit tributa, ſi generaliteris ad tutelam deſudant arma. Quid neget ſubiectus, ſi pro ſalute cunctorum Princeps aciem ducat armatus? E contra odioſum eſt luxuria, intemperantiáque, quæ offeruntur, conſumi, & laborioſè acquiſitis ad otium vnius inertiſſimum diſpoliari. *C. Cæſar, quem mihi videtur rerum natura edidiſſe* (inquit Seneca ad Heluam, *cap. 9.*) *vt oſtenderet, quid ſummavitia in ſumma fortuna poſſent, centies ſextertiò cœnauit vno die, & in hoc omnium adiutus ingenio: vix tamen inuenit, quomodo Prouinciarum tributum vna cœna ſtaret.* Tributum degrauabat Prouinciam, vt lautiſſimam Cæſar inſtrueret cœnam. Gemebant miſeri, quia famem, vel cibario pane non poterant conſolari, cùm plurima cogerentur impendere. *Diligenda ſunt iſta* (aiebat Caſſiodorus 12. *variar. 16.*) *vnde Reſpublica videatur eſſe firmiſſima.* Adnectit: *Præbeant igitur poſſeſſores ſtipendia ſuæ gratia profutura.* Quod in omnium vtilitatem conuertitur, alacri deuotione præſtatur. Regem, dacémque ſibi conſtitui Iſraëlis natu maiores depoſcunt: *Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Samuël, quanta ſalutando Regi pendenda forent, prædicit: *Segetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit*; & nihilominus cœptis perſiſtunt: *Rex erit ſuper nos.* Si inquiras, cur auerſentur iudices exigua accipientes munera, & nouam introducant formam magna impenſuri tributa? Reſpondebit Ioſeph. Samuëlis filios in luxum omnia conuertere. *Ad epulas, pretioſáque conuiua declinantes, primum, quæ erant inimica Deo gerebant.* Detrectarunt quid ad accipientis ſolum delicias exhibere; non recuſarunt autem, vt placet Litæ, Regi bella curanti, ſuóſque tuenti tributa ampliora præſtare. *Audierant Naas Regem filiorum Ammon diſponentem exercitum ad veniendum contra eos; & ideò volebant habere Regem capitaneum ſui exercitus contra eum, & hæc cauſa hic tacetur, ſed infra exprimitur 12. capite.* Si tunc populum gubernantes, quæ accipiebant, in omnium ſalutem expenderent, nullatenus reclamarent; maluerunt tamen maiora tributa pendere bella curanti, quàm minora otio, & epulis indulgenti: nec enim grauanter ſolvuntur tributa, ſi in ſoluentium commodum deſudant arma, & tractantur bella.

Eman. de Naxera in Reg.

§. XXVI.

Bona politices mavult quid ſuæ poteſtati detrahere, quàm aliorum querelis, & offenſionibus exercere.

PRudentia eſt iuſtas querelas, offenſionéſque vitare, & quod expedit, ad finem vſque perducere. Aliquando, quod de poteſtate minuitur, rectoris famæ applicatur. *Hoc verè* (aiebat Caſſiodorus 8. *variar. 23.*) *theſauris reponimus, quod famæ commodis applicamus.* Famæ, & regendi prudentiæ ſæpè applicatur, quod de ſuperba poteſtate minuitur. Cógregati vniuerſi maiores natu Iſraël Samuëlem adeunt, & regem ſibi conſalutari depoſcunt: *Conſtitue nobis Regem.* Quid opus fuit Samuëlem adire, cùm electum valerent ipſi ad dignitatem evehere? *Quæret aliquis* (inquit Abulenſis *quæſt. 5.*) *cùm Iſraëlitæ nimis deſiderarent Regem, quare petierunt illum à Samuele? Poterant enim ipſum per ſe conſtituere, cùm totus populus hoc vellet.* Non ignorabant poſſe ſe conſtituere Regem; Samuëlem tamen, ſi delegiſſent, offenderent; maluerúntque querelam, & offenſionem vitare, quàm abſoluta potentia vti; ſatiùs, quàm tot nominibus de populo benemeritum exaſperare, duxerunt conſulere. *Hoc fecerunt* (addit Abulenſis) *ne offenderent ipſum Samuelem; ipſe enim iam iudicare non potens filios ſuos iudices conſtituerat: ſi autem Iſraëlitæ & inconſultè deponerent filios eius à principatu, ordinantes Regem, nimis iniuriosè agerent in Samuëlem, quod recuſabant.* Filios deponentes, ſuam oſtenderent poteſtatem, ſed exaſperarent Samuëlem; ei verò rem totam committentes, querelam vitabant, & deſiderata complebant: ergo benè politici maluerunt quid ſuæ poteſtati præcidere, quàm querelas excitare. Hinc diſcent Reipublicæ gubernatores conducibilius eſſe ſine querelis deſiderata perficere, quàm oſtentando potentiam ſibi inuidiam conciliare.

TEXTVS.

VERS. VI. Diſplicuit ſermo in oculis Samuëlis, eo quòd dixiſſent: Da nobis Regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuël ad Dominum.

§. XXVII.

Bonus Reipublicæ adminiſter ægriùs fert Dei, Principiſque honorem imminui, quàm dignitate priuari.

BOnus Reipublicæ adminiſter non ſuis commodis, ſed ipſius Reipublicæ, & Principis honeſtis inuigilat incrementis; ſua poſtponit, & Principi ſolicitè inſeruit. *Seruire vos conuenit* (aiebat Atalaricus 9. *var. 9.*) *vtilitatibus noſtris.* Ab ambitu inuenitur remotus, cui placet celſa conſcendere, vt poſſit ibi officiis vtilioribus inſudare. Qui ſe, ſuáque præponit Domini, & generalitatis oblitus, auara cupiditate agnoſcitur deſœdatus. Iſraëlitarum maiores depoſcunt Regem, & quamvis Regis conſalutatio Samuëlis, filiorúmque eius eſſet à dignitatis culmine depoſitio, non doluit ſe, ſuóſque deponi, ſed Dei, qui Regis exercebat munus, honorem imminui: *Diſplicuit ſermo in oculis Samuëlis.* Et cur diſplicuit? *Eo quòd dixiſſent: Da nobis Regem.* Non adeò ægrè ferret filios ſuos amoueri, & alios iudices ſubrogari, quàm tulit conſalutari Regem, quia Deus ſpecialis populi Rex videbatur reiectus, & eius maieſtatis ſplendor aliquantulum imminutus. Ita Ioſephus *lib. 6. cap. 4. Hæc populi voluntas vehementer Samuëlem conſtriſtauit, qui propter innatam iuſtitiam non amabat regiam poteſtatem, vt nimiam. Valdè enim*

optimatum gubernatione delectabatur, non aliam ad felicitatem populi conducibiliorem existimans. Itaque non dolebat filios à præfectura depelli,sed nouam gubernandi formam minus populo opportunam induci. Consonat Lira: *Displicuit propter honorem diuinum, qui videbatur contemni, seu diminui, eo quod retinuerat sibi in populo Israël nomen regium.* Dolor Samuëlis eximiam eius commendauit virtutem, quando eligeret, se, suósque deponi, si Principis honor resplenderet illæsus,& populi felicior efflloreret status: est namque soliciti serui non tam sua, quàm Principis, & Reipublicæ desiderare incrementa.

§. XXVIII.

Sæpè qui posset applicare medelam, vltimus habuit infirmitatis notitiam.

QVod deterius in peccatore, est erroris amor, debuisset peccandi sibi occasiones præcidere, & dolet delinquendi opportunitate carere. *Initium est salutis* (aiebat Epicurus apud Senecam *epist.* 28.) *notitia peccati.* Egregiè dixit, sed ob id ipsum qui corrigi nolunt, ignorari discupiunt. *Quidam* (aiebat Seneca vbi supra) *vitiis gloriantur. Tu existimas aliquid de remedio cogitare; qui mala sua virtutum loco numerant?* Non solùm de remedio non cogitant, sed ne remedium applicetur solicitant, eos præcipuè errata sua adlaborant latere,qui,si noscerent,adniterentur corrigere.Hinc fit,vt culpæ notitia ad illum peruenerit tardior, ad quem peruenire oportuisset celerior. Filij Samuëlis iudiciaria potestate abusi muneribus corrumpebantur, & more vestium sententias vendebant,quas quisque sibi pro arbitrio proprio adaptabat. Cúmque omnis Respublica iustitiam omnem, iuráque corrumpi obmurmuraret, & gemeret, Samuëlem sic scelus latuit,vt solùm ad ipsum peruenirent notitia, cùm Regem petiuit generalis querela. *Displicuit sermo in oculis Samuëlis.* Qui sermo? filios scilicet suos potestate abuti, & muneribus subornari.Ita testatur Abulensis *q.6. Fuit tristitia propter verba ista in Samuële tripliciter. Primo,quia innotuit sibi malitia filiorum,quæ hactenus occulta fuerat,nec quidem doluit,quia innotuit ei malitia; sed quia ipsi iniqui erant.* Per compita de filiorum indecora auaritia resonabat querela, quin ad Samuëlem peruenerit fama, aut quia adulatio absondebat quidquid patri poterat displicere, aut quia ipsi filij cauta solicitudine satagebant celare. Si Samuël sciret, filios sine dubio frænaret;verùm ipsi, ne occasio fugeret delinquendi, omnem notitiæ aditum præcludebant, vtque lateret patrem scelus solertissimè procurabant.

§. XXIX.

Nonnullis rationi videtur accedere, quod constat consuetudine stabiliri.

FRequenter argumentum pessimi turba est,& rationi inuenitur aduersum,quod à plurimis experitur; verùm quisque ad aliorum confugit consuetudinem, vt proprium tueatur errorem, quasi ambitio,cupiditas, vestium lasciuia, conuiuiorum pompa non debeant fugi,quia à plurimis compertum est frequentari.Et quidem adeò exarmata sunt iura,adeò corrupti sunt mores, adeò deprauata sunt tempora, vt à consuetudine discedere,& vertatur crimini,& sit rubori. *Refertur de Philosopho Stilpone* (scribit Plutarchus *lib.* Quemadmodum sentias) *videre visum eum in somnis expostulantem secum Neptunum, quod bouem, vt Sacerdotibus moris erat, non immolasset sibi.* Crimen Stilponis erat consueta sacrificia non peragere, & aliorum vestigia sequi. Quid tunc Stilpon? *Neptune, tu ne puerorum more ades querulus, quod non ære alieno facto vrbem implerim nidoris,sed exiis, quæ suppetebant mihi domi,tibi sacra modicè fecerim?* Ratio,iúsque exigebant Stilponem cæteris pauperiorem eorum sumptus non imitari,sed se cum fortuna sua metiri, & tamen quia cæteri offerebant bouem, visus est Stilpon reprehensione dignus,quia ab illa consuetudine alienus. Maiores natu Israël Regem sibi deposcunt,nationes cæteras Regibus gubernari testati, & eorum consuetudine ducti: *Constitue nobis Regem,vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Quid tunc? Ægrè Samuël doluit allegari consuetudinem, vt qui nouerat consuetudine expugnandam fore æquitatem. *Displicuit sermo in oculis Samuëlis.* Vbi pro virtute inoleuit consuetudo, difficillimum erat remedium, quia nullum à ratione subsidium. Ita Abulensis *q. 5. Potest accipi, tanquam istud sit excusativum petitionis eorum, scilicet non petimus aliquid irrationale,nec nouum,nec inauditum,quia omnes gentes Regem habent; nos autem soli priuamur hoc honore.* Eorum petitio rationis armis nequibat depelli, quia aliarum nationum consuetudine allegabat suffulciri. Placebat illis error vsu introductus, displicebat eis status à consuetudine cæterorum alienus.Nil adeò difficile est, vt longa consuetudine roborata mutare, & plurimorum exemplis armata euincere.

§. XXX.

Rarus est, qui domus, familiæque suæ incrementa respuat, vt publicæ vtilitati prospiciat.

QVod ad generalitatem spectat,debet priuatis commodis anteferri;priuatum tamen commodum publico contingit præponi. Horatius Cocles, vt patriæ salutem tueretur, se confertis hostium cuneis obiecit, alios adhortatus; verùm sequentem non habuit, quia sibi quisque consuluit. *Postquam respexit* (inquit Seneca *epist.*120.) *& extra periculum esse patriam, periculo suo sensit. Veniat, si quis vult, inquit, sic eumtem sequi.* Non poterant multi Horatij sequi vestigia, quia plures contraria imitabantur exempla. Dum lautè viuant, dum familiæ nitorem augeant, dum domibus domos coniungant, dum auri talentis talenta adjiciant, contemnent Reipublicæ incolumitatem, & paruipendent salutem.Hinc sæculis deprædicandus est Samuël,qui cùm à populi senioribus inuitatus regiam posset in familiam suam dignitatem inuehere, doluit inuitari, quia noua illa regiminis forma erat Reipublicę contraria vtilitati, & saluti. *Displicuit sermo in oculis Samuëlis.* Quis sermo? Quo inuitabatur ad regium fastigium, ad supremum imperium. Si alius esset, occasionem non solùm non respueret,sed auidissimè raperet.Notauit Abulensis *q.6. Iosephus dicit, populum Hebræorum petiisse à Samuël, quod faceret Regem aliquem de filiis suis, quia ipsi desiderabant habere Regem... Dicit tamen, quod hæc verba grauiter concusserunt Samuëlem propter infertam ei iniuriam.* Rationem subnectit Abulensis: *Optimam enim illius tunc conuersationis electionem diligebat valdè, quæ dum Sancta esset, beatos etiam cines vtentes se faciebat.* Eximium familiæ suæ splendorem adderet, sed Reipublicæ decorem minueret: ergo maluit Reipublicæ consulere, quam posteritatem regiis honoribus adaugere. Discant hinc, qui aliquam Reipublicæ administrationem sortiuntur, non augere patrimonia, sed Reipublicæ sollicitare incrementa.

§. XXXI.

Volatici, ac mundialis honoris ambitio dura imponit nobis tributa, & adducit detrimenta.

FAteor, insitam esse hominibus gloriæ cupidinem: fateor, ferè omnes hac siti aduri: fateor falso sæpè splẽdore obcæcari. Nec inficiaberis ambitionis seruũ multis dominis inseruire, & magna tributa pendere. *Multis seruiet* (aiebat Seneca epist. 14.) *qui corpori seruit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert.* Idem dictum puta de gloriæ cupidine, ac de corporis amore. Adde, ambitiosos sæpè delirare, & falsum honorem ingentissimo pretio emere. Exemplo sunt Israelitæ, quorum cùm Deus curam gereret non solùm vt vniuersalis Dominus, sed vt specialis Princeps, nationum exemplo persuaserunt sibi magnum esse honorem Regem sortiri, & nouam politiæ formam instituerunt sibi concedi: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut vniuersa habent nationes.* Ambitus cæcus suis Samueli displicuit: *Displicuit sermo in oculis Samuelis*, vtque à sententia retraheret, ad quæ dispendia, & tributa tenerentur, expressit: *Segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit.* Tributis tamen, & subiectione non sunt deterriti, quia ambitioni annexa esse nullatenus fuerant ignari. *Putabant* (inquit Abulensis *quæst.* 4.) *magnum esse honorem populi, & quòd ipsi priuentur hoc honore, erat eis graue.* Adnectit: *Habentes Regem quoddam genus magnæ subiectionis tolerant; studia tamen non attendebant ad hoc.* Maiori honore fruebantur à Numine vt Principe gubernati; putauerunt tamen, si haberent Regem, honorem sibi adaugeri debuisse: ego vt falso illo fruerentur honore, non dubitarunt magna sustinenda incommoda, & ingentissima fore persoluenda tributa: emitur namque vmbratilis honor vera subiectione, indecoraque seruitute.

§. XXXII.

Plus leue exasperat damnum, quàm eximium obligauerit beneficium.

NOn omnes beneficia obligant, immò aliquando exasperant, & irritant. *Adeo in contrarium itur* (aiebat Seneca lib. 3. de Beneficijs, cap. 1.) *vt quosdam habeamus infestissimos non post beneficia tantum, sed propter beneficia.* Eo ingratitudo deuenit, vt periculosa res sit in aliquos beneficia conferre. Argumentum nihil debentium supercilioſi, & tumidi quærunt. Quòd si nec beneficijs alliciuntur, quid facere putas, si aliqua iniuria pulsentur, aut incommodo afficiantur. Certum non est beneficijs aliquos demerendos, sed certissimum post ingentissima etiam beneficia quauis specie incommodi exasperandos. In omnes paradisi arbores Adamo fecerat Deus facultatem; quia tamen vnicam denegarat, inuenit astutus serpens, quo illi conciliarit inuidiam, & mulierem inflammauerit ad querelam. Nec aliter accidit Samueli; multis laboribus, multis sollicitudinibus, bellis multis Israelitarum prosperitatem adauxerat, & salutem: verùm cùm eius filij munuscula acciperent, & hanc, aut illam sententiam iuriminus consonam pronuntiarent, iam eos satagunt dignitate priuare, & nouam politices formam inducere. Sermo Samueli displicuit: *Displicuit sermo in oculis Samuelis*, vt qui non putaret ob leuia incommoda obliuioni tradenda ingentissima beneficia. Ita Abulensis *quæst.* 9. *Dicendum, quod hoc non obstante erant ingrati, quia licèt filij Samuelis non benè gubernarent, aliquid tolerare deberent propter honorem Samuelis, qui eis tanta dona contulerat, & fecerat.* Samuel miraculis ab Hebræorum ceruicibus seruitutis iugum excusserat, allophylorum audaciam fregerat, populum ad tranquillum statum reduxerat, & tamen maioris ad illos exasperandos ponderis fuit, filios munusculis subornari, quàm parentem tot, tantisque beneficijs eorum gratitudinem promereri. Nil speres, quantumuis magna beneficia contuleris, si reculam deneges, aut leuissima causa exasperes. Plus namque valet leue incommodum ad ingratiam procreandam, quàm beneficiorum copia ad gratitudinem promerendam.

§. XXXIII.

Erga Deum, & homines erit ingratus, qui honoris est ambitiosus.

DEos, qui metuit, cuncta metuit (aiebat Plutarchus de superstitione.) Adde, qui Deum non metuit, nil metuit. Et quidem qui sanctissimis Numinis præceptis non paret, vt volatico fruatur honore, nulla erga homines tenebitur lege. Quid ab homine sperandum, si multis à Deo beneficijs obstrictus, vt honoris sequatur vmbram, recedit ingratus? Samuel magnis beneficiis populi sibi gratiam meruerat, magnis laboribus beneuolentiam sibi pararat; omnium tamen populus oblitus est, cùm suaue Domini iugum impatiens expulit, & nouam regiminis formam ambitiosus suspirauit. Eodem tempore Dei dominium abiecerunt, & Samuelem iudiciaria potestate mulctarunt: *Constitue nobis Regem.* Videbant gentes à Regibus gubernari, & arbitrati sunt honorem esse à Monarcha regi. Ita Abulensis *quæst.* 4. *Putabant magnum esse honorem populi.* Ergo vt quid delusi honoris adquirerent, Dei regimen respuerunt, & Samueli etiam subijci detrectarunt: neque enim poterant in Samuelem esse grati, qui Numini comprobabantur iniurij: *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Nunquam in mentem illi venerat populum tot beneficijs obligatum posse resilire, & Numinis regimini, aut ipsius Samuelis potestati refragari. Docuit tamen experientia, Numini iniurios, & hominibus ingratos, esse ambitiosos. *Verba ista fuerunt dura in conspectu Samuelis* (inquit Abulensis quæst. 5.) *quia nunquam ille aliquid tale sperauit à populo proponendum.* Non videbatur possibile, Deum, Samuelemque à populo reijci post tot beneficia, & exantlatos labores pro populo; verùm dum à Domini imperio recedunt honoris vmbratilis ambitiosi, erga Samuelem existunt etiam ingrati.

§. XXXIV.

Liuore, ambitioneque aduri videtur, qui non admonitos deturbare molitur.

INiqua liber suspicione procedit, qui solam culpam desiderat amputare. Districtio iniquitatis occludit linguam, si prius salubris admonitionis adhibuerit medelam. *Nos* (aiebat Theodericus 4. *variar.* 29.) *quibus cordi est post primam culpam non statim desiderare vindictam, admonitionem potiùs iussa conuertimus, ne sit nostra districtio nimia, quam leuis patientia non præcedat ... quia non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.* Si præcedat admonitio, omnis est expers suspicionis correctio: plecti voluit, qui noluit præmonitus emendari. Aſt qui corrigere, & præmonere dissimulat, non tam culpam delere desiderat, quam personam. Natu maiores Israel Samuelis filios munerum præstigijs corruptos, & æquitati contrarios dignitate exaugurandos clamant, & nouam politices formam introducere adlaborant. *Constitue nobis Regem.* Dum priùs admonere dissimulant, dum, an respuerint admoniti, non expectant, inuidiæ, ambitionisve suspicionem non vitant. Notauit Abulensis *quæst.* 9. *Nunquã ante hoc querelã proposuerant*

coram eo, de filiis eius; ideò petere debebant primo, quod castigaret filios suos. Præcedens admonitio delinquentium ceruicem publicaret indomitam, & natu maiorum commendaret sententiam. Verùm dum nullam adhibere vulneri prætentauere medelam, inuidentiæ aut ambitus nequiuerunt vitare notam. Deliquerant Heli filij, & Deus patrem præmonuit, ne seuera nimis videretur animaduersio, si non præcederet admonitio.

§. XXXV.

Magna negotia immaturè non sunt expedienda, sed prudenti consideratione pensanda.

OMne subitum aut iniquæ suspicioni est obnoxium, aut prudentiæ probatur aduersum. Non debent magna sine orationis suffragio decerni, nec sine matura consideratione resolui. *Præcipua vestri ordinis cura* (scribit Cassiodorus 1. *variar.* 41.) *cautiora nos facit proferre iudicia, & amittendum reuerendo cœtui examinare cogit solicitius honor Senatus: quem non solùm volumus numero augeri ciuium, sed ornari maximè luce meritorum.* Electi honori proficit, quidquid examini diligentia prudens impendit, quia omni virtutum laude creditur relucere conspicuus, qui post solertem discussionem reperitur electus. Hinc maiores natu Israël, dum Regem exambiunt, quin rem per otium discusserint, & oraculum consuluerint, innubilarunt prudentiam, & populo non adeò tunc opportunam regiminis petierunt formam: *Da nobis Regem.* Samuël, quamvis importunis adurgeretur instantiis, ad orationem confugit, & matura, ac imperturbata meditatione pensauit: *Et orauit Samuël ad Dominum.* Samuëlis prudentia errorem effugit, maiorum natu celeritas & sibi, & populo nocuit. *Samuël* (scribit ad hæc verba Abulensis) *noluit quidquam respondere immediatè, vt proposuerunt Israëlitæ, dicens, quod referret Domino, & posteà responderet eis.* Si seniores per otium, & cum Domino rem consulissent, nunquam deerrassent; verùm dum sua prudentia fidunt, sibi ipsis rem laboriosissimâ pro vtili poscunt. Notauit noster Sanctius *Neque ea de re Samuëlem consulunt, aut per otium secum ipsi deliberant, sed præcisè dicunt: Constitue nobis Regem* Cùm tanti ponderis negotium citius decernunt, imprudenter impingunt.

§. XXXVI.

Omni adfectione animum conuenit repurgare, qui veritatem à Deo desiderat edoceri.

CONsilium à Deo quærendum vel idololatræ non ambigunt, imò aram ob id ipsum sub terra figunt. *Nunc ara Conso illi in circo defossa est ad primas metas sub terra,* scribit Tertullianus de spectaculis *cap.* 5. Sub terra latebat ara, aut quia consilium, & tectum debet esse & arcanum, aut quia defunctis tellure tectis debet assimilari, qui veritatem discupit edoceri. *Ipse sit & Deus Consus* (scribit Augustinus *lib.* 4. *de Ciuitate cap.* 11.) *præbendo consilia.* Deus præbet consilia; mens tamen non benè percipit, si ambitu surda, aut terrenis affectionibus obturata. Nulla cupiditate præpeditus ad cælestem vocem inuenitur dispositus. Samuëli seniorum sermo displicuit, quia diuino honori obsistebat, non quia filiorum, aut suis commodis repugnabat: *Displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent: Da nobis Regem.* Expende displicuisse sermonem, non quia ipse dignitate mulctatus, sed quia honor diuinus videbatur imminutus nullis humanis adfectionibus perturbatus; sed honoris solùm diuini zelotypus, à Deo in oratione circa regiminis formam instructus est. *Et orauit Samuël;* nec enim si dignitatis ambitu cæcus, aut degeneri affectu turbatus oraculi vocem percepisset, at veritatem audivit, quia quidquid obstare quibat, amouit. Notauit noster Sanctius: *Non affectione ducitur, aut priuatæ commoditatis studio.* A Numine quid sit agendum edocetur, quia affectibus terrenis exuitur. Nonnulli ita Deum consulunt, vt priuatæ commoditatis studio accesserint retardati, aut degeneri cupidine præpediti.

TEXTVS.

VERS. VII. Dixit autem Dominus ad Samuëlem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.

§. XXXVII.

Quæ denegaret propitius, sæpè Deus concedit iratus.

IN ægris opportunitas cibi salutaris est (inquit Seneca 2. *de Beneficiis cap.* 1.) *& aqua tempestiuè data remedij locum obtinuit.* Beneficium est profutura largiri, vt nocitura negare. Ægris febrium incremento laborantibus beneficium non est frigidam concedere, sed negare. *Sunt quædam nocitura impetrantibus* (addit Seneca *cap.* 4.) *quæ non dare, sed negare beneficium est.* Censenda est potiùs, & æstimanda vtilitas accipientis, quàm auiditas postulantis. Sæpè enim noxia nobis exambimus, & quàm sint pernicioſa, non licet dispicere, quia insanus affectus iudicium solet interpellare. Non tantum sunt inspicienda beneficiorum initia, sed etiam extrema. Ita est dare, quæ accepisse dolebit. Populus Hebræorum cæco ambitionis ardore Regem expetiuit: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Quanta detrimenta emergerent Numinis dominium respuentibus, Samuël prædixit, vt ad meliorem mentem reuocaret. Institerunt impetu illo flagrantis animi. Quid tunc? Deo annuente assequuntur infeliciter votum: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi.* Quæ enixè postulant eis Deus concedit non tam beneficus, quam iratus: & & quidem cùm ad meliorem mentem redierunt, accessione illa, quæ animum inflammabat, aut sopita aut mitigata, etsi serò cognouerunt: quàm satiùs illis fuisset non assequi vota, quàm obtinuisse expetita. *Ex hoc patet* (inquit Glossa Moralis) *quòd aliquando Dominus exaudit aliquid, quod non cedit ad bonum petentis eò quod malè petit, & talis exauditio magis est punitio, Oseæ* 13. *Dabo tibi Regem in furore meo.* Petebant non beneficium, sed detrimentum: ergo denegare fuisset misericordia, annuere postulatis fuit ira. Ob id Iacobus, vt Dei misericordiam exageraret, aiebat: *Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis: vt in concupiscentiis vestris insumatis. Iacob.* 4. *vers.* 3. Pietate plenum fuit concupiscentiis insumendum, & scelerisos dilapidandum negare: supplicium esset concedere. Ira fuit dedisse, quod nocuit acceptum, & accipienti luctum attulit impetratum.

§. XXVIII.

Vt Deus factam sibi iniuriam vleiscatur, aliquando quod desideramus largitur.

MVltisunt tam prauæ naturæ, vt malint suo arbitrio perire, quam alieno adseruari. Quidam superbè beneficium rejiciunt, & largitoris benevolentiam ad ipsius conuertunt iniuriam. *Fac nobis deos*, clamabat populus idololatriæ, & libidinis ardore percitus. *Exod.* 32. *vers.* 1. eos præcedebat Deus opaca nube, vt ardoris æstum temperaret, fulgenti columna, vt horrorem tenebrarum

tenebrarum depelleret: verùm ea furebant insania, vt imallent obscura brutalitatis sequi vestigia, quàm conspicua prudentiæ exempla. Quid tunc? Cùm posset Deus statim Moysen remittere, & falsum numen sequenti die conflandum retardare, distulit iratus, & tempus concessit, vtque assequerentur desiderata, permisit. Deum vitulum solemniter celebrarunt; sed quæ Numini illata est iniuria, ipso vitulo est vindicata. *Ceciderunt in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Quod expendens Tertullianus aduersus Gnosticos cap. 3. sic ait: *Deos sibi producere quærit, quos potiùs ipse perdiderit.* Iniuriam irrogauit populus Numini bouem desiderando, sed illatam vindicauit, bouem conflari, adorarique permittendo: eorum votum in ipsorum est conuersum supplicium, nec alio opus fuit, vt vindicaretur iniuria, quàm effigies illa grandi dispendio conflata. Nunc etiam populus Regem more gentium petendo Numinis gubernationem abijciunt. Conqueritur Deus sibi intulisse petitione procaci iniuriam: *Non enim te abiecerunt sed me.* Quid tunc? Votis annuit, & annuendo factâ sibi iniuriam durè puniuit: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi.* Regè consalutare offensa fuit, & offensæ etiã vindicta. Notauit Cyprianus: *Exclamauit iratus Dominus, & dixit: Non te spreuerunt, sed me, & vt hoc vlciscereturr, excitauit eis Saul Regem, qui eos iniuriis grauibus affligeret, & per omnes contumelias, & pœnas superbum populum calcaret, & premeret.* Insaniuit populus contra Deum iniurius, & ambitiosus: ergo ipsa eorum insania fuit seuerissima pœna: sæpè namque Deus id ipsum, quod in eius exoptamus iniuriam, in acerbam nobis conuertit plagam. Vt noueris, quàm vera sit nostra thesis, scilicèt, Deum factam sibi iniuriam seuerè vlcisci insanis votis annuendo, & male concupita præstando.

§. XXXIX.

Solatium Prælato est, si acerbus casus non contigit eius inertia, sed alienæ cupiditatis, & ambitionis insania.

Sæpè in Republica contingunt amara, sæpè cruenta: ira sanguinem fudit, ambitio optimam Reipublicæ formam sæpissimè conturbauit. Quæ omnia regentis non innubilant gloriam, si occasionem non præstitit eius oscitans negligentia, immo solicita impedire conata sit vigilantia. Quis potest alienam intemperantiam prorsus prohibere? Quis insanientis audaciam quibit frænare? Magnum in aduersis regenti solatium est soleter munus obiisse, & nil ex his, quæ ad illum pertinent, incuriosè tractasse. *Animum nostrum Patres conscripti* (aiebat Theodoricus 1. *variar.* 30.) *Reipubl. curis callentem, & diuersarum gentium consilia perscrutantem pulsauit sæpuis querela populorum, orta quidem ex causis leuibus, sed graues eructauit excessus. Deplorat enim pro spectaculorum voluptate ad discriminis se vltima peruenisse, vt legum ratione calcata desperatè persequeretur innoxios seruilis furor armatus.* Seruilis furor Rempublicam conturbauit, dum Princeps Reipublicæ vtilitati consuleret prouidus, & inuigilaret attentus: ergo stragis petiuit solatium à sollicita vigilantia, & vigilanti cautela. Huc videtur spectare quod Deus cum Samuele disserens, ait: *Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ambiebat populus more gentium Regem; contristatus est Samuel ob nouam politices formam, veritus, ne eius incuria, aut negligentia occasionem aliquam præstitisset: ergo illum solatur Deus asserens, eius causa populum ad eam insaniam non deuenisse, sed Regem, quod Deum auersarentur, postulasse: *Non enim te abiecerunt, sed me*; id est, nullam tu causam eis præbuisti, sicut nec ego; conantur tamen nouam regiminis formam introducere ambitione inflammati, & superbiæ ardore cæci. Adest noster Sanctius: *Consolatur Samuelem Dominus, cùm illum à culpa liberat, docetque à morum, ingeniique leuitate potiùs ortum esse illud populi consilium, quàm quòd causa alia vrgeret grauior, quæ illam administrationis nouam formam eligeret.* Si illi nouæ administrationis formæ ansam præbuisset Samuel aut iniuria, aut inertia, fas erat, vt magna afficeretur tristitia; verùm dum nihil omisit, solatium habuit; constabat namque eam perturbationem oriri ab ambitu subditorum delirante, non à Præsule inerti. Et quidem magnum gubernatori solatium est, si fortè aliquod contingat erratum, nil omisisse, quo mores componeret, & tranquillitatem foueret.

§. XL.

Plus iustos angit culpa infici, quàm dignitatibus dispoliari.

Cæca hominum cupiditas, ambitiosaque vanitas per calcatas leges ad dignitatum solet celsa inuolare, & nullis, vt assequatur, legibus contineri. Nullum respuitur peccatum, vnde lucrosum prouenire potest augmentum. Fratres, absente Ruben, Ioseph venditores existunt? cúmque Ruben eius doleret casum: *Puer non comparet, & ego quò ibo.* Gen. 37. *vers.* 30. Fratres, vt placet Philoni, pecuniæ obtulerunt partem, & iam Rubenus approbat venditionem. *Illis fassis venditum* (inquit Philo lib. de Ioseph.) *& pretium proferentibus: Bella, inquit, negotiatio, partiamur lucrum.* Non metuit denigrari offensa, vt augeretur pecunia: verum virtutis alumni, & æquitatis studiosi sollicitiùs curant culpa non infici, quàm ambiant commodis frui, aut dignitatibus exornari. Iacob, dum à matre benedictionem præripere suadetur, respondet: *Timeo ne putet me sibi voluisse illudere. Gen.* 27. *vers.* 12. Ni sollicitet, primogenitura carebit; si accedat, aliquali ad speciem offensa parentem exasperabit? is tamen erat Iacob, vt non vereretur maioratu priuari, & leui etiam culpa timeret infici. *Timebat* (inquit Lira) *deprehendi à patre.* Nec aliter Samueli videas accidisse? nouam administrationis formam expetunt Israelitæ: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Samuel tristatur: *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Eo dolore perculsus ingemuit, vt ipse Deus cum fuerit solatus, & dolenti blanditus: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me.* Quærunt Interpretes, huius exulcerati doloris quæ præcipua fuerit causa? testanturque indiguisse solatio, non quia priuabatur gubernatione, sed quia verebatur, ne causam aliquali dedisset crimini. Ergo Deus inquit *non te abiecerunt, sed me.* Quasi dicat; nullam occasionem præstitisti, nullam culpam in Reipublicæ administratione perpetrasti, sicut nec ego: ergo luctui impone modum. Ita noster Sanctius: *Consolatur Samuelem Dominus, cùm illum à culpa liberat.* Duo poterant Samuelem angere, scilicèt defœdari aliquali culpa, & antiqua priuari dignitatis excellentia. Et cur Deus non soletur exauguratum, & soletur suspicione criminis trepidum? Quia licèt culpa solùm esset suspecta, & à dignitate depositio non dubia, plus dolebat Samuel vel suspectam offensam, quàm reuera dignitatem amissam: ergo opus non fuit solari dignitate nudatum, sed alicuius criminis, suspicione perculsum: *Consolatur Samuelem Dominus, cùm illum à culpa liberat.* Quàm aliter multis accidit, lamentantur dignitatum insulis denudari, non dolent culpis aspergi.

TEXTVS,

TEXTVS.

VERS. VIII. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi

§. XLI.

Homines agglutinari solent erroribus pertinaciùs, adhærere virtutibus leuiùs.

HOmines quàm aliter malorum, bonorúmque pœnitentiam tractent, vel ex eo agnoscitur, quòd circa malorum pœnitentiam leuiter incumbunt, circa bonorum tenaciter adhæresc̃t. *Eam maximè pœnitentiæ speciem* (inquit Tertullianus *de pœnitentiâ cap. 1.*) *quæ optimis operibus irrogatur, in corde fingunt, meminisse curantes, ne quid boni rursus præstent: contra pœnitentiam malorum leuius incumbant.* Beneficiis amplissimis obligati, cœlestibus bonis allecti fugiunt amplectendum, amplectuntur auersandum: in virtutum via leuissima vestigia ponunt, in vitiorum erroribus altissima imprimunt. Qua die filij Israël Ægyptum reliquerunt, ducenti Domino obtemperarunt; verùm ab illa die exasperarunt inobedientes, irritarúntque contumaces; à virtute facilè deuiarunt, vitiis pertinaciter adhæserunt. Samuële exhortatore idola abiecerant, adurgente periculo cœlestem opem implorarant: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum*, supra *cap. 7. vers.* 8. Citissimè tamen Dei dominium respuunt, & more gentium habere Regem exambiunt: *Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto vsque ad hanc diem; sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.* Ac si dicat: si me citissimè dereliquerunt magnis beneficiis obstricti, quid mirandum à te citò recedant, & derelinquant? Notauit Abulensis *quæstione* 17. *Quasi dicat: Non est admirandum, quòd hoc faciant, quoniam non est opus nouum, sed est sicut omnia alia, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de terra Ægypti, scilicet semper ab illo die peccauerunt, & nunc etiam peccant.* Adnectit: *Rarissimè Israëlitæ Deum colebant conferendo ad tempora, in quibus non colebant; & ideò illa tempora, quibus colebant, reputabantur quasi nihil.* Itaque cuiuis dici virtutibus impenso respondebant anni plures vitiis insumpti, & vanitati dicati: virtus deserebatur faciliter, scæleribus incúbebant pertinaciter.

§. LXII.

Solatium est à Deo deficientibus non præesse, contumacibus non imperare.

FRequenter homines aliquo errore ducuntur. Opus est meminerit, qui ad gubernationis culmen ascendit, hominem se esse, & hominibus imperare. *Non omnes homines* (aiebat Plinius *lib. 9. epist. 12.*) *aliquo errore ducuntur? Non hic in illo sibi, in hoc alius indulget?* Vt nauis rectori opus est gubernaculo assidere, & contra insanientes vndas, & ventos actiùs adspirantes pugnare: ita superiori est opus alia circumcidere, alia attollere, alia deprimere, & frequentibus excubiis inuigilare: verùm si subiecti frænos abrumpant, si omnis rationis limites transiliant, commodum est eiusmodi non regere sed se eorum gubernatione abdicare. Syluæ ligna ad imperium, oliuam, vitem, & ficum inuitarunt: *Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem. Iudic. 9. vers.* 8. Oliua, vitis, & ficus prudentissimè recusarunt imperium, quia nouerant à Deo deficientibus imperare esse incommodum, & periculum. Audi Isidorum apud Glossam: *Ligna syluæ sunt homines infructuosi, vani, vagi, æterno incendio præparati.* Inuideret sibi vitis, si acceptasset imperium, & consuluit sibi, dum repudiauit dominium. Nil enim adeò amarum, & periculosum, vt refractariis præesse, & improbis dominari. Deus pro Rege erat Israëlitis Samuël pro iudice, & superiore; cúmque suaue Domini iugum è ceruicibus molirentur excutere: *Constitue nobis Regem*, ne Samuël potestate carere doleat, Deus abiectum se ab illo populo Samuëli denuntiat: *Sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.* His verbis afflictum solari testantur Interpretes. Ita Abulensis *quæst. 17. In hoc Deus consolatur Samuëlem, ne doleat, quod Principatus auferatur à domo eius.* Si quæras, quod solatium amittenti principatum sit, quòd Domini excusserint iugum? Magnum equidem fuisse, respondeo; nam si in eis circunstantiis principatu potiretur, refractariis, & leges calcantibus imperaret: adeóque periculosum, & graue est dominari improbis, vt grande fuerit solatium non sortiri eiusmodi imperium. *In hoc consolatur Samuëlem, ne doleat, quod principatus auferatur à domo eius.* Vtilissimum erat tunc principatum relinquere: esset amarissimum obtinere. Nil enim tam difficultatibus, ac doloribus plenum, vt vanis, vagisque dominari, & corrigendi obligatione adurgeri.

TEXTVS.

VERS. IX. & X. Nunc ergo vocem eorum audi; verumtamen contestare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos. Dixit itaque Samuël omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regem.

§. XLIII.

Quidquid potestas audet, & licere sibi credit.

PLatonem Cyrenæi rogarunt (inquit Plutarchus ad Principem indoctum) *leges vt ipsis scriberet, traderétque, ac Rempublicam ipsorum ordinaret: id ille abnuit, magna molis esse fatus, ita fortunatis leges sancire Cyrenæis.* Diserтus Plato noluit operam perdere, & leges Cyrenæis condere, nam cùm tunc potestate, & felicitate florerent, leges solummodo acciperent, vt ad potestatis suæ elogium audacissimè proculcarent. *Nihil enim æque est intractabile* (addit) *asperum, & præfractum, vt homo, cui felicitatis opinio inhæserit. Quapropter imperantibus operosum est consilium dare de imperio. Quippè doctrinam velut imperatricem formidant admittere, ne potestatis eorum circumcidat bonum, si efficij frænum ei iniecerit.* Lex frænum potestati injicit, dum ad æquitatis, & rationis iura componit cúmque magnates, potentésque omnia sibi licere credant, audite legem formidant. Alexander temeritatem existimabat virtutem. *Pro virtute* (inquit Seneca *1. de Beneficiis, cap. 3.*) *erat felix temeritas.* Adnectit: *Hic à puritia lauro gentiúmque vastator tam hostium pernicies, quam amicorum, qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis mortalibus.* Quis Alexandro poneret legem, quándo temeritatem existimabat virtutem? Hanc veritatem noster Textus dilucidè ostendit, cùm plurima à Regibus perpetranda ius regium appellat: *Prædic eis ius Regis.* Ius existimabant Reges non quod legibus consonum, sed quod potestati collibitum. Opportunè Abulensis *quæst. 17. Vocantur hic iura Regis ea, quæ Reges ab eis exigere poterant.* Ius non cum lege sed cum potestate concordabat, & quidquid potestati placitum, à lege putabatur præscriptum. Consonat Lira: *Plura exprimuntur à Samuele, quæ non pertinent ad ius ipsius Regis, vtpotè omnia illa, quæ reddunt populum subditum seruilem, & quæ non respiciunt bonum commune; sed magis hominis in regno positi voluntatem.* Nonnulli ex Regibus, quos habuerunt, vt Roboam, iuri suo imputabant, quæ contra ius, & contra rationem audebant: vt huius sæculi diuites, & potentes omnia etiam arbitrantur sibi licere, & à præscriptis legum absolui.

§. XLIV.

§. XLIV.

Nil debet Principi à subditis denegari, si necessitate constiterit adurgeri.

BOnus Princeps maris adinstar quidquid accipit, ad offerentium commodum reddit. Stomachus etiam cibos omnes amplectitur, sed vt decoctos, & defæcatos pro membrorum qualitate distribuat, & salutem vegetam alat. Exercranda sunt commoda vexatorum calamitatibus acquisita. Hinc est, quòd si ad Reipublicæ salutē opus fuerit grandi tributo, subiectus debeat alacriter dilargiri, & Princeps ad commune bonum insumere. Quid Principi subiectus denegarit deuotus, si Princeps subiectorum tranquillitatem, incolumitatémque exambierit solicitus? *Tributa quidem nobis annua deuotione persolutis* (aiebat Cassiod. 6. *var.* 24.) *sed nos maiore vicissitudine decoras vobis reddimus dignitates: vt vos ab incursantium prauitate defendant, qui nostris iussionibus obsecundant. Erit enim gaudium vestra quies, suaue lucrum, si nesciatis incommodum.* Quidquid Principi solicito subiectus exhibet, sibi ipsi applicari dignoscitur, dum anxietas, & solicitudo redimitur. Solicitis cor superioris curis inuigilat, vt subiectus pace, & tranquillitate oblectatus quiescat: ergo auara manu non debet retineri, quod liquet ad largitoris vtilitatem spargi. Samuël ius Regis prædicit: *Prædic eis ius Regis*: sed quamvis aliqua viderentur dura, admisit populus voluntate deuota. Quòd si inquiras, cur ius adeò graue non suaserit detrectare sententiam? respondebit Lira, eam legem intelligendam fore, si Princeps ad subditorum illis egeret tutelam, & ad reportandam de aduersariis victoriam: ergo paruerunt, vt qui nossent Principi egenti nil denegandum, quando agnoscitur in subiectorum vtilitatem vertendum. Audi Liram: *Sciendum, quòd aliqua sunt de iure Regis in necessitate positi propter bonum commune regni; & sic omnia, quæ inferius exprimuntur à Samuële, sunt de iure Regis, quia in tali casu omnia sunt Regis, vel Principis, & exponenda, vel expendenda pro bono communi.* Quem laborem recusset membrum, si labor ad totius corporis spectauerit commodum. Et quid denegetur Principi, si pro suorum salute constiterit desudare?

TEXTVS.

VERS. XI. Et ait: Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciétque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum.

§. XLV.

Magnates priùs curant superbam, & euanidam pompam sibi acquirere, quàm subiectorum vtilitatibus prouidere.

OPtimus superior lucis adinstar resplendet, sed ipso splendore iuvat, & vitali influxu prodesse omnibus adlaborat. *Seruare proprium est excellentis fortunæ, quæ nunquam magis suspici debet, quàm cùm illi contingit idem posse, quod diis* (aiebat Seneca 1. *de Clementia cap.* 5.) *quorum beneficio in lucem edimur tam boni, quàm mali. Deorum itaque sibi animum asserens Princeps alios ex ciuibus suis, quia vtiles, bonique sunt, libens videat; alios in numerum relinquat: quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur.* Itaque superior Numinis ingenium imitatus tuebitur æquitatem, suorum, quantum fas est, conseruabit numerum, & salutem; verùm adeò fæpiæpiùs superiores exorbitant, vt quæ ad plausum, splendorémque spectant, studiis anhelarint solicitis, cæteris rebus positis. Consalutandi Principis à Samuële iura prædicuntur: *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciétque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum.* Adiecit: *Et constituet sibi tribunos, & centuriones.* Profectò Samuël ordinē inuertisse videtur; nam cùm tribunus pro dirimendis sit litibus, cùm centurio pro reprimendis sit hostibus, priùs debuisset referre ad communem vtilitatem spectantia, quàm ad pompam, splendorémque pertinentia. Cur ergo priùs egit de his, quæ ad regalem pompam, quàm de his, quæ ad subditorum tutelam? O arcanum! Si munus, vt fas erat, consalutandus administraret, priùs de prouidendis tribunis, & centurionibus cogitaret; verùm, vt noscerent pompam vtilitati communi præponendam, priùs retulit quadrigarum studium, & postea militiæ, æquitatisque ministerium. *Plura exprimuntur à Samuële* (inquit Lira) *quæ non pertinent ad ius ipsius Regis, vtpotè omnia illa quæ reddunt populum subditum seruilem, & quæ non respiciunt bonum commune, sed magis hominis in regno positi voluntatem.* Consonat Caietan. *Non est sensus, quòd infra scripta sint iuris, sed iuris Regis, hoc est, erunt iuris, quia Rex volet esse ius.* Itaque ius putabatur priùs splendorem euanidum adaugere, & postea subditorum vtilitati consulere.

TEXTVS.

VERS. XII. Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum.

§. LXVI.

Iura, & arma regnorum sunt fulcimenta.

LEx sine armis facilè corruit, & in potestatem hostilem deuenit: arma sine lege ferociunt, & tam propriis, quàm extraneis vim inferunt: si tamen leges, & arma fœderentur, Respublica nec perturbatione interna concutitur, nec hostili manu fœdatur. Moysen, quem populi ducem Numen delegit, legem, & virgam video prensare manu. Virgam tulit, qua elementis imperauit; legem, qua impietatem repressit, vt ea tunc floreret Respublica, cui erat in virga militare præsidium, & in lege saluberrimum documentum. *Propositi nostri est* (aiebat Theodericus 4. *variar.* 12.) *vt Prouincias nobis, Deo auxiliante, subiectas sicut armis defendimus, ita legibus ordinemus.* Vt arma Rempublicam custodiunt tutam, sic leges reddunt pacatam. Prouidendum est, ne animos inquietet hostilis insolentia, & ne tranquillitatem domestica perturbet audacia. Ob id cùm Regis consalutandi ius prædicitur, tribunos, centurionésque designaturus refertur: *Constituet sibi tribunos, & centuriones.* Tribuni erant iudices, centuriones milites: *Tribunos* (inquit Hugo) *id est, iudices.* Benè: sed iudices videbantur potius dirimendis populi causis designandi, quàm ipsi Principi deligendi. Cur ergo ait: *Constituet sibi?* Quia ni iustitia muniret, armísque defenderet, citissimè collaberetur imperium: at cùm leges florent, cùm arma vigent, regnum stabilitum durabit: ergo sibi tribunos, & centuriones designet: *Constituet sibi.* Sunt namque firmissima imperij fulcra iura inuiolata, & arma hostili cruore rubentia. Innuit Abulensis *q.* 18. *Constituet sibi tribunos, & centuriones, id est, etiam de filiis vestris faciet tribunos, isti erunt Principes armatorum in bello.* Adnectit: *Istud autem non erat grauamen Israëlitis*; imò erat Israëlitis commodum tribunis probis gubernari, & ducibus strenuis defendi.

TEXTVS.

VERS. XIII. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas.

§. XLVII.

Magnates cùm plures cogant laboriosè eorum luxibus inseruire, detrectant mercedem laboris reddere.

MAgnates, & ampliori fortuna vtentes luxui student nouas quotidiè voluptates architectati, & aliorum operis, & vigiliis ad laboriosas delicias vsi; & cùm merces debeatur sudori, de mercede non cogitant, cùm exactissimè inseruire sibi compellant. *Hoc enim* (aiebat Seneca *epist.*78.) *iam luxuria commenta est. Ne quis intepescat cibus, ne quid palato iam calloso ferueat, cœnam culina prosequitur.* Capacibus scyphis bibunt, fracta insuper glacie ostria lucrina ipsa in mensa aperiuntur, familiæ strepitus circa cœnationis horam auditur coquorum tumultus, varia inferuntur obsonia, quæ stomacho recrudescant. Cúmque vnius fastidioso palato tot homines famulentur, debita laboribus præmia, sæpissimè denegantur. Cogunt famulos vigilanti sedulitate inseruire, sed stipendia laboribus nolunt reddere. Si seruus in cibo parando, aut in veste leuissimè deliquit, domus clamoribus obstrepet, sed licet diligentissimè inseruiat, nullam, aut tardè, mercedem recipiet. Filias in vnguentorum compositione laboraturas denigrandas tetra focorum fuligine, siliginei panis conformatione lassandas testatur Samuël, & hoc totum, vt vnius hominis palato deseruiant, cum mercede defraudatæ ingemiscant: *Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas.* Horum verborum hunc sensum esse testatur Abulensis *q.*137. *Littera ista intelligitur, quòd violenter, & nullo dato pretio filiæ Israelitarum subjicerentur in famulatum Regis in panificas, vnguentarias, & focarias.* Itaque nec poterant non seruire, nec Princeps recordabatur mercedem reddere. Quo exemplo, quod frequenter accidit, Textus expressit. Non audent inferioris fortunæ homines magnatibus, latéque incedentibus, quæ ad luxum, & euanidam pompam expetunt, non largiri, nec valent debitum sibi pretium iteratis precibus consequi.

TEXTVS.

VERS. IV. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit servis suis.

§. XLVIII.

Quod non sine gemitu à subiectis penditur, non semel parasitis, & histrionibus applicatur.

ALiquod esset solatium, si quod subiectus pendit, aut Principis splendori, aut pendentis inseruiret vtilitati; est tamen miserum dispoliari, vt parasitus indecenter diresca, & histrio fulgeat. *Qui enim* (aiebat Theodericus 4.*var.*14.) *debent ad fiscum celerius esse deuoti, nisi qui capiunt commoda donatiui? Quando amplius de nostra humanitate recipiunt, quàm stipendij iure præsterur. Nam si liberalitatis nostræ causa tractetur, nos potiùs voluntaria tributa soluimus, qui fortunas omnium subleuamus.* Fortuna pendentis subleuata exactionum minuit onera, quandoquidem grauanter non penditur, quod benè collocari dignoscitur. Ingens verò discruciat dolor, si anxiis sudoribus comparatum luxui, & vanitati sordescat applicitum. *Solere aiunt barbaros Reges Persarum ac Syrorum* (inquit Cicero *act.*5. in Verrem) *plures vxores habere; hi autem vxoribus ciuitates attribuere hoc modo: Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. Ita populos habent vniuersos, non solùm conscios libidinis suæ, sed etiam administros.* Tota ciuitas laborabat, vt pretiosæ margaritæ è mulieris collo penderent, & digiti lapillis fulgurantibus emicarent. Antiochus seditionem concitauit, cùm Tharsenses, Malotásque 2. Machab. 4. ad concubinæ immundissimum mundum dedit. Ergo Samuël hæc populo incommoda prædixit, vt à sententia reuocaret, & deterreret: *Agros quoque vestros & vineas, & olieta optima tollet, & dabit servis suis.* Quibus servis? Non strenuè in acie confligentibus, non maria ad publicam vtilitatem tranantibus, sed eis, qui circunstant, vt adulationibus decerrent ad oblectandam superbiam aut promouendam insaniam. *Accipiet ista olieta, & vineas* (inquit Abulensis *q.*236.) *vt servos suos, scilicet illos qui sibi assistunt, ditet de possessionibus subditorum.* Subditi, acquisitis non sine magno labore facultatibus, ingemiscent dispoliati, vt otiosi refulgeant splendidi.

TEXTVS.

VERS. XV. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, vt det Eunuchis, & famulis suis.

§. XLIX.

Quod iusta causa tributum constat imponi, ablata debet cessare.

TRibutarius debet Principi prompta deuotione inseruire, cùm necessitas tributum agnoscitur postulare: ea tamen solicita Principi sit vigilantia, vt neque exactores diripiant, nec subiecti, cessante causa, persoluant. *Tempora exactionum* (aiebat Cassiod.12.*variar.*2.) *statuta seruentur: ita tamen vt nullus sub immaturæ compulsionis iniuria se ingemiscat exactum, nec iterum subturpi venalitate inducias largitas damnosa præbeatur: dilatio enim tributi maior sit causa dispendij, quando vrit suspenditur, quod nullis protractionibus euitatur.* Precauit, ne crudeli indulgentia pendentis augeret damnum, dum exactor tantisper accipere differt tributum. Nec solùm conuenit exactorum rapacitatem frænare, sed rationem tributorum exigere. *Expensarum quoque fidelem notitiã quaternis mensibus comprehensam consuetudine custodita, ad scrinia nostra dirigere maturabis, vt totius erroris discussa caligine publici ratiocinij possit claritas apparere.* Si ratiocinij publici claritas non appareat, si variis artibus tenebrescat, subiecti facultas depauperatur, & thesaurus Principis non augetur. Iam si cessante causa perseuerarint grauamina, pulsabit semper querela. Ius Regis consalutandi prædicitur, segetes, & vinearum reditus, scilicet addecimandos, vt militibus possit stipendia dilargiri, & ciuium tranquillitas efflorere: *Segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, vt det Eunuchis, & famulis suis*, id est, exponit Abulensis *q.*237. vt militibus præbeat annonam, vtque decentem habeat circunstantiam: *Accipiet istos reditus decimarum Rex à vobis, vt inde sufficiat seruis suis. Vocantur autem hic Eunuchi milites speciales Regis assistentes.* Itaque, vt militibus redderet stipendia, exigebat illa tributa: *Vt det Eunuchis, & famulis suis.* Dum circumsonabant Ammonitarum arma, dum perstrepebant prælia, fas erat tributa exigere, vt impenderet militibus. Si verò cessante causa servis, eunuchisve opus non erat impendere, æquitas vetabat exigere. Ita Abulensis supra datus: *Illa quidem exiget Rex, quandiu fuerit in necessitate constitutus. Cùm verò cessauerit causa, non licet sibi exigere.* Vt fas est, subiectos Principi nihil negare, quandiu necessitas vrget, ita est fas, dum non vrget, iugum lenire, & subiectos releuare.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XVI. & XVII. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo: greges quoque vestros addecimabit, vósque eritis ei serui.

§. L.

Durissimum est, si à superiore subditus tractetur vt seruus.

SVperior nomen sortitur patris, vt nouerit se, suáque subiectis postponere, & decenti comitate, vtbanáque affabilitate tractare. Peccat aliquando subditus aut errore prolapsus, aut cupiditate illectus; sed comiter, & leniter corrigendus est. *Nemo ad supplicia exigenda permittit* (inquit Seneca *lib. 1. de Clementiâ cap. 14.*) *nisi qui remedia consumpsit. Hoc, quod parenti, etiam Principi faciendum est: quem appellauimus patrem patriæ non adulatione vana adducti. Cætera enim cognomina honori data sunt. Magnos, & Felices, & Augustos diximus, & ambitiosæ maiestati quidquid potuimus titulorum congessimus, illis hoc tribuentes: patrem quidem patriæ appellauimus, vt sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suáque post illos ponens.* Vt minori pretio quàm filius cætera apud patrem habentur; sic apud optimum, moratúmque superiorem subditus filij loco habetur, & æstimatur: si corrigendus est, eo modo supplicium debet inferri, vt omnibus liqueat non præcipiti iracundia, aut praua voluntate inflictum, sed exigente culpa decretum. *Tardè* (adnectit Seneca) *sibi pater membra sua abscindat, etiam cùm abscideri, reponere cupiat, & in abscindendo gemat, cunctatus multum, diúque. Propè enim est, vt libenter damnet, qui citò: propèst vt iniquè puniat, qui nimis.* Tristis punientis gemitus ostendat non libenter, sed coactè punire, & necessitate coactum pœnam inferre. Inuenias, sibi clementissimos, circa subiectos asperitate seueros. *Cùm eos etiam* (aiebat Plinius 8. *epist.* 22.) *qui non indigent clementia vltius, nihil magis, quàm lenitas deceat. Atque ego optimum, & emendatissimum existimo, qui cæteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet: ita peccatis abstinet tanquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitæ genere teneamus, vt nobis implacabiles simus, exorabiles istis etiam, qui dare veniam, nisi sibi, nesciunt.* Quòd si hic in puniendo decet modus, vel cùm exasperauit reatus, qualiter cùm culpa abest, debet tractari subiectus? Qui tumidi, dignitatéque superbi in mancipiorum numerum subiectos referunt, & fastidioso supercilio despiciunt, munus adulterant, & inuidiam sibi conflant. Et quæ grauior calamitas, quàm superiorem pati & tumidum, & amarum? Regem Numinis loco deposcebant Israëlitæ; vtque Samuël à sententia abduceret, prædixit fore à Rege dispoliandos, & in seruorum numero habendos: *Greges quoque vestros addecimabit.* Adnexuit: *Vosque eritis ei serui, & clamabitis in die illa.* Et cur anxietatem clamoribus non promant dispoliati, qui ingemunt serui? Quia cùm essent ingenui (inquit Abulensis *q. 237.*) durè tractabantur, ac si empti de lapide. Et quæ grauior illis potuit denunciari calamitas, quàm superior, qui illos in seruorum censum redigeret, & inurbanè tractaret? *Vos eritis ei serui* (inquit Abulensis) *id est, ita affliget vos sicut seruos.* Intoleranda afflictio ingenuis erat despici, & mancipiorum instar tractari: ergo vt à sententia reuocet, post labores alios hunc adiecit, vt qui nouerat esse durissimum, si ingenuus subditus à superiore habeatur vti vilissimus seruus.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem.

§. LI.

Cæca ductus cupiditate, dum sibi solicitat oblectamentum, inuenire solet supplicium.

QVi cæca ducitur cupiditate, ea solet sibi solicitare, quæ infensus posset inimicus discupere. Sine rationis gubernaculo vitam traducentes insanis cupiditatum vorticibus concutiuntur, & vbi sibi promiserant tranquillum portum, luctuosum experiuntur naufragium. Quàm benè Philo *lib. de profugis. Sæpè res minus felix fuit, quàm opinio.* Qui opinionem non discutiunt, & prudenti trutina pensitant, anxios sæpè labores sibi conciliant, quia vbi promiserant sibi delusi felicitatem, anxium inuenerunt angorem. Filij Israël gentium exemplo persuasi Regem sibi postularunt, & à salubri Numinis regimine desciuerunt: *Da nobis Regem, vt iudicet nos.* Votum adepti clamoribus aërem verberant, & à facie Regis clamant: *Clamabitis in die illa à facie Regis vestri*, id est, à facie Regis, quem desideraſtis, & expetistis. Et cur clament, cùm exambierint? Si anhelauerant Regem sortiri, vt securum profugium, vt tutum contra hostiles adsultus propugnaculum, cur vota assequuti ingemant, & anxiis aërem suspiriis feriant? Quia dum cæca, & non explorata cupiditate ducuntur (inquit Abulensis *q. 237.*) sibi ipsis imprudenter aduersantur. *Euenìebat Iudæis* (inquit) *vt à Regibus, à quibus se putabant saluandos ab hostibus, lacerarentur magis, quàm ab hostibus.* Itaque quod ab hostibus existimauere profugium, experti sunt grauius præ hostibus detrimentum: ergo clamant, & se ipsos tarda pœnitudine accusant. Dignum supplicium fuit, vt qui oculos aperire detrectarunt opportunè admoniti, aperirent violenter oppressi. Adnectit Abulensis satis opportunam fabellam, scilicet columbas contra miluum accipitrem in Regem consalutasse, à quo maiora detrimenta sustinuerunt, & irremediabilibus gemitibus deplorarunt:

Accipitrem milui pulsurum bella columbæ
Accipiunt Regem, Rex magis hoste nocet.

Nil magis, ac vota nostra solicito indiget examine, nam si cæca cupiditate ducimur, nobis ipsis calamitatem maturamus.

§. LII.

Eis se tricis solet cæca cupiditas implicare, vt nequeat faciliter expediri.

RVdes aues fallacis oblectamenti cupidine illectæ illicis tenaci visco ramulis insident, aut reti pedem injiciunt; vnde se expedire non possunt, & gemitibus caram voluptatem ostendunt. Iam non licet fugere, quia volatus impeditur, dum pes tenetur. Nec aliter ac auibus peccatoribus videas accidere; eis se aliquando difficultatibus inuolvunt, vt nec possint rumpere, nec valeant sustinere. *Lux obtenebrescet* (aiebat Iobus, *cap. 18. v. 6.*) *in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur. Arctabuntur gressus virtutis eius, & præcipitabit eum consilium suum... tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis.* Qui sitit oblectamentum, siti inflammatus non attendit captiosum laqueum, & dum non potest effugere laqueum, sitis ipsa durum conuertitur in tormentum. Opportunè Lira: *Consilium, quod*

quod cogitabat sibi fore ad commodum, erit sibi nocivum. Regem postularunt Hebræi: *Da nobis Regem, vt iudicet nos*; consecuti sunt desiderium, sex exertis clamoribus seram ostenderunt pœnitentiam, & cupiditatem iuerunt improuidam. *Clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis.* Et cur clament, nec moliantur iugum excutere? Quia iam (respondet Abulensis quæst. 237.) quos elegerant superiores, eis prævaluerunt viribus, vt iugum nequiuerint excutere, nec sufferre: eis se difficultatibus implicarunt, vt fuerit rumpere arduum & sustinere miserrimum. *Ipsi non poterant deponere Regem, quoniam nimis erant confortati Reges super illos.* Non loquitur Textus de Regibus iura tuentibus æquitateque gubernantibus, sed de illis, qui potestatem in tyrannidem detorquentes nec rationi obtemperabant, nec iuri parebant. Ergo qui inconsulto desiderio abducti, & gemitibus doluerunt vexati. O quoties involamus cæca auiditate ad vitium, eisque nos inuoluimus, implicamúsque tricis, vt nec vitare possimus gemitum, nec facilè excutere de ceruicibus iugum.

§. LIII.

Recrudescit, si præscita, dum remedio caret miseria.

ANimalium plura hominibus sagaciora præsentibus non fidunt, sed futura sæpe præsagiunt. *Mergi* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 48.) *quibus nomen est ex facto, cohabitatores piscium, aquatiles volucres, futuras tempestates naturaliter præuidentes sicca petunt, stagna derelinquunt. Delphini fluctus pelagi metuentes vadosis littoribus immorantur.* Prouidenter sibi consulunt præsentientes futura, & opportuna quærunt remedia. Homo stupet, nec futura, quantumuis coniectura non desit, prænoscit, aut, si prænoscit, non cauet. Hinc sæpè Deus imbecillitati succurrit, vtque improuida compescat desideria, pericula prædicit futura. Ea tamen, est aliquorum stupiditas, vt nec prænoniti sapiant, sed insanis appetitionibus pertinaces indulgeant. Ergo his ipsa notitia postea calamitatem adauget, quandoquidem nec calamitatis habent effugium, nec ignorantiæ solatium. Petierant Israelitæ vana superbia, & superba vanitate Regem sibi constitui: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Samuel, vt à ratione vidit abductos, quanta indè detrimenta emergerent, declarauit: *Prædic eis ius Regis.* Institerunt sententiæ animo obfirmato, & iam compotes facti ingemiscunt dolore acerbo: *Clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa.* Clamorem ingeminabant non solùm miseria, sed præhabita etiam miseriæ notitia. Ni prænouissent potestatem in tyrannidem ab aliquibus fore conuertendam, aliquod calamitatis haberent solatium. Modo verò ipsa præscientia erat doloris augmentum; quandoquidem non ignari calamitatem adsciuerant, quam effugere iam non poterant. *Pœnitentia ducti* (inquit Iosephus) *rogabitis Deum, vt vestri misereatur, & donet à regali onere velocissimam libertatem, qui vestras non suscipiet preces.* Consonat Abulensis *quæst.* 27. *Si hoc non fuisset eis prænuntiatum à Deo, habuissent aliquam occasionem ad dicendum, quod ipsi non acciperent Regem, si præsciuerant, quæ mala inde secutura erant.* Nec calamitati suæ blandirentur ad ignorantiam recurrentes, eis prædixit Samuel futura, vt ipsa prænotione duriùs torqueret miseria. O quàm durè, diréque diuexabit damnatos non ignorasse tormenta, & despexisse pericula!

TEXTVS.

VERS. XIX. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam: Rex enim erit super nos.

§. LIV.

Nonnulli malunt grauia incommoda deuorare, quàm à prolata semel sententia recedere.

INter detestandas hominum pestes ea sibi, & reliquis grauissima est, quam tumida superbia, & superba solet inducere pertinacia. Malè cœpta, & imprudenter decreta tuentur plures, reueriti, ne si pedem retulerint, prudentiæ, constantiæque suæ inferant notam, cùm tutior sit pœnitentia, quàm pertinacia. *Tibi insanabilis animus est* (aiebat Seneca *lib.* 1. *de Irâ, cap.* 16.) *& sceleribus scelera contexens, & iam non causis, quæ nunquam malo defuturæ sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare: perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, vt nisi cum ipsis exire non possit.* Non est aliquibus medicina, quia in malè cœptis persistere habetur prudentia. Etiamsi ingeratur oculis veritas, tuentur errorem, & ingentissima tentabunt incommoda deglutire, ne dicatur ab inceptis etiam honestè recedere. Quàm benè datus Seneca! *Etiamsi ingeritur oculis veritas: amat, & tuetur errorem, coargui non vult, & in malè cœptis honestior illi pertinacia videtur, quàm pœnitentia.* Regem expetiuerant Israelitæ, oraculum, quanta detrimenta, quàm grauia damna cogantur aliquando sustinere, prædicit, vt ab inceptis retraxerit: verùm maluerunt non dubia pericula deuorare, quàm à sententia recedere: *Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt, Nequaquam: Rex enim erit super nos.* Ea firmitudine, ea obstinatione tuiti sunt, quòd decreuerant, vt nullis incommodis cesserint, sed in sententia perstiterint. Notauit noster Sanctius: *Obdurauerat iam in sua cogitatione populus, & nunc præcisè negat vllam sibi admittendam gubernandi formam nisi regiam; deuorat omnia, quæ ex Dei ore à Samuele denunciantur.* Prædicit Samuel, aliquem ex Regibus ad tyrannidem deflexurum, prædicit dispoliandos, afflictandos, premendos; prosequuntur nihilominus iam decretum, ne videantur minus consultè petiisse, aut sententiam demutasse.

TEXTVS.

VERS. XX. Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.

§. LV.

Alienis erroribus error sæpè defenditur, & vitiorum consuetudini virtus postponitur.

QVisquis delinquit, frequentibus aliorum delictis errorem suum aut releuat, aut honorat; quasi honestiùs fuerit minus delinquere, & leuiùs aliis peccare. *Indè etiam poëtarũ furor* (aiebat Seneca de breuitate vitæ *cap.* 16.) *fabulis humanos errores aienium, quibus visus est Iupiter voluptate concubitus delinitus duplicasse noctẽ. Quid aliud est vitia incendere, quam auctores illis inscribere deos, & dare morbo exemplo diuinitatis excusatam licentiam.* Licere sibi putat vnã noctẽ euanidis insumere, qui affert in defensionẽ, Iouẽ voluptate delinitũ noctẽ duplicasse. Honestum videtur, quod minus malũ. Iam si consuetudo errantium vigeat, pudor amittitur, & pro verecundia succedit

succedit audax procacia. *Pudorem rei tollet* (aiebat Seneca *lib. 3. de Beneficiis, cap. 15.*) *multitudo peccantium, & desinet esse probri loco commune maledictum.* Dum per plures error serpit, habetur probro errore non infici, & putatur dedecus turbam errantium non imitari. Numinis speciali gubernatione gaudebat Hebræorum populus, sed vt vidit gentes cæteras arbitrio hominum gubernari, hanc expetiuerunt gubernationis formam, & aliam habere existimauerunt infamiam: *Erimus nos quoque sicut omnes gentes.* Eximius illis erat honor speciali Numinis cura regi, & existimarunt dedecus formam gubernationis omnibus gentibus cõmunem non imitari. Ita Abul. *q.* 237. *Ista fuit vna causa, quare Israëlitæ voluerunt habere Regem. Videbant enim omnes gentes habere Regem, & iste principatus erat honorabilis: putabant igitur, quòd dedecus esset ipsis priuari regio honore.* A gentibus discrepare erat virtus, & honor; ipsi verò erubescebant ab aliorum consuetudine discedere, & virtutibus inseruire. Cúmque omnia illis in figura contigerint, quis dubitet hoc ænigmate, quod moribus accidit, adumbrari. Erubescit iuvenis, si reliquorum non sequatur vestigia, & errorum imiteur exempla. Se despectam dolet fœmina, si modestiam sequatur, & vt aliæ, vestium superbia, & auri splendore non obscuretur. Itaque virtus consuetudini postponitur, & error alienis erroribus defensatur. Rarus est, qui malit vivere rationi, cùm plures malint morem gerere consuetudini.

§. LVI.

Humana imprudentia res non à ratione metitur, sed euentum intuetur.

Quàm sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana (aiebat Tertullianus de spectaculis, *cap.* 2.) *præsertim cùm aliquid eiusmodi de gaudiis, & de fructibus suis metuit amittere.* Humana stultitia contra conscientiam producit in aciem varia argumenta, & dum quid auidius anhelat, rationem deserit, & ad euentum recurrit, quasi non debeat detrectare, quæ felicem euentum non dubitantur sortiri. Sine rationis gubernaculo plures vitam transigunt, & pro illice fortunam solum attendunt. Hebræorum populus Regem exambit, & cæteras gentes habere Regem in desiderij patrocinium adducit: *Erimus nos quoque sicut omnes gentes.* Non explorant, an à ratione discedant, sed cæteras gentes hac gubernationis forma felices considerant: nam de more est pluribus attendere euentum, non audire rationis consilium. Ita Abulensis *quæst.* 237. *Arguebant Iudæi ex statu omnium gentium, scilicet, omnes gentes habent Reges, & non eueniunt eis mala; ex hoc ergo habeamus nos sicut omnes habent.* Expende illud, *Ergo*, quasi dicant: Cæteræ gentes sub Regis imperio felicitantur: ergo nos etimus etiam felices; Rex ergo consalutandus est. Ratio sub Numinis dominio perseuerare suadebat, euentus ad habendum Regem prolectabat: ergo euentum attenderunt, & rationem proculcarunt. Nec aliter accidit illis, qui apud Hieremiam Reginæ cœli libare statuerunt: *Facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina sicut fecimus nos, & patres nostri, Reges nostri, & Principes nostri in vrbibus Iuda, & in plateis Hierusalem, & saturati sumus panibus, & benè nobis erat malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus. Hierem. 44. vers. 17.* Errorem suum, vt §. præcedenti dicebam, alienis erroribus tuebantur, & arbitrabantur dedecus à tot, tam nobiliúmque exemplis recedere, & viam singularem inire. Hieremias adhortabatur, vt æquitatis, ac rationis amplecterentur præscripta; illi vero ad euétuum recurrebant propugnacula: *Omnes prædicti* (inquit Glossa Moralis ad hunc locum) *in cultu fortunæ sunt occupati, nam ad quærendum bona fortunæ sunt totaliter intenti. Quæ bona sunt excellentia mundiales quantum ad superbos, diuitiæ temporales quantum ad cupidos, & auaros; deliciæ carnales quantum ad gulosos, & luxuriosos.* Abiurauere rationem falsam; sequuti felicitatem; nam insipientia humana sibi, vti sapienti, blanditur, si attendat solum euentum.

§. LVII.

Laborare solet politica, nisi ad aliquem specialiter Reipublicæ spectauerit causa.

AD nullum pertinet, quod ad plures pertinet: si nullus specaliter aut laudanda sit sollicita diligentia, aut sugillanda oscitans fuerit incuria, torpet solicitudo, vigilantia dormit, sedulitas marcet, & dum quisque se labori subtrahit, aut gloriam partiri renuit otiantur arma, non expediuntur negotia, nec Reipublicæ florent augmenta. Piscium multitudine Apostolicum rete diteścit, & cùm rete trahendum esset per vndas plures, qui in naui erant, illud non valebant trahere: *Iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Ioann. 21. vers. 6.* Non multò post solus Petrus idem rete, & eisdem piscibus prægrauatum ad terram eduxit: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus.* Cùm difficilius sit quàm per vndas trahere, rete ad terram educere, inquires, quomodo ab vno potuerit ad terram educi, quod à pluribus rete per molles vndas nequibat trahi? Ad quod respondebit Gregorius in Catena, Petro specialiter gubernationem commissam: *Petro sancta Ecclesia est commissa; ipsi specialiter dicitur: Pasce oues meas. Quod ergo postmodum aperitur in voce, nunc significatur in opere.* Dum ad se specialiter opus illud pertinere agnouit Petrus desudauit industriè, & eduxit rete solicitè. Dum extractio ad plures pertinuit, quisque se labori subduxit, & aliis omne pondus reliquit. Itaque dum quisque minus solerter agit, extrahendi rete difficultas accrescit. Per plures difficulter fiebat, quod vnius speciali studio perfectum est, vt piscium captura fuerit ad regimen pro doctrina. Dum ad nullum specialiter regimen pertinet, & solicitudo marcet. Hac fortè ratione ducti, dum Regem petunt Israëlitæ, aiunt: *Egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Ac si dicant: Ni fuerit aliquis, ad quem specialiter pertineat armorum administratio, & negotiorum expeditio, causa Reipublicæ laborabit, & salus publica non vigebit. Hunc penitiorem esse horum verborum sensum tradit Abulensis *quæst.* 237. *Cùm populus viueret sine Rege, si aliqua bella insurgerent, totus populus habebat curam de his... Cùm autem Regem haberent, Rex haberet sollicitudinem omnium istorum.* Adnectit: *Visus est eis igitur principatus iste conueniens, vt curam suam imponerent Regi.* Visum est eis vtiliorem gubernandi regiminis esse formam, si cui specialiter incumberet cura, quàm si ad plures spectaret Reipublicæ causa, quia experti fuerant nullum sollicitè laborare, dum constabat ad plures regimen æqualiter pertinere. Et quidem cùm frequenter discrepent plurium sententiæ, cùm alter alteri refragetur, rerum opportunitas non semel amittitur.

§. LVIII.

Dux strenuus militibus est scutum, milites sunt duci inerti propugnaculum.

VT otiosi inueniuntur milites; sic aliquando etiam duces marcent inertes: ambiunt Martialem gloriam, sed periculosam refugiunt pugnam. Ducis nomen promittit militibus anteire; contingit tamen non semel sequi. Pectus objcit aduersariorum telis, qui strenuus,

milites pro muro hostibus opponit ignauus. *Qui in hostili acie viam desiderat* (aiebat Theodericus in Panegyrico Ennodij) *me sequatur: non respiciat alterum, qui dimicandi poscit exemplum. Virtus multitudinem non requirit. Ad paucos vadunt bella, bellorum fructus ad plurimos.* Plures bellorum exambiunt fructum, cùm vitare soleant congressum. Qui ducis munus implet, militum pectora hostilibus non objicit telis, sed animos inflammat despectis propriis periculis. Honestè ferociens ante aciem Dux procedit militum propugnaculum, hostium excidium. *His dictis* (adnectit Cassiodorus) *poculum causa popposcit auspicij, & laxatis in prælium habenis effusus vt torrens fata, vt leo arma vastasti.* Non dissimilem ducem expectabant Hebræi, viam scilicet cæteris ostensurum, & iniendi congressus cum hostili manu exemplum: *Egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Indecorum esset, si hostilibus mucronibus dux electus milites objiceret; honestũ, si armatas acies ductaret: ergo honorem offerunt, eo tamen pacto, vt primus horrori sit inimicis, & vires sequentibus decantandis infundat exemplis. *Egredietur ante nos*, *scilicet* (inquit Abulensis *quæst.* 237.) *ibit ad bellum coram nobis; nam sic faciunt Reges aliarum gentium.* Milites animo cadunt si ducem suspicentur ignauo timore perculsum; resumunt animos, si præcedere conspiciant acies interritum.

TEXTVS.

Vers. XXI. Et audiuit Samuël omnia verba populi, & loquutus est ea in auribus Domini.

§. LIX.

Prudens superior magnatibus non adulatur, sed Numini obsequi adnititur.

Sæpè bene geriter Magistratus (aiebat Cassiodorus 9. *variarum* 25.) *si cœlestis metus humanis motibus opponatur. Hinc enim virtutum omnium sumitur manifesta cognitio; hinc sapientia veritatis sapore conditur. Sic ad omnia redditur humilis, quem imbuit doctrina cœlestis.* Qui salubri Dei timore obarmatur, variis, ac degeneribus motibus sapienter obnititur, & quia solùm cupit gratiam Numinis elucrari, magnatibus nescit vituperanda adulatione blandiri; potiùs expectat diuinum placitum, quàm superbientium magnatum votum, nec paret spebus inescatus, nec timore potestatis deterritus, quia solida virtute suffultus. Populi seniores, & maiores natu semel, & iterum Samuëlem adurgent, Regem desiderantes, & exposcentes: *Congregati vniuersi maiores natu de Israël venerunt ad Samuëlem in Ramatha.* Impatiens, ambitiosúmque audit desiderium, sed consulere procurat oraculum: *Audiuit Samuël omnia verba populi, & locutus est ea in auribus Domini.* Maluit nec ad vnguem à Dei voluntate discedere, quam obsequendo Principibus adulari. Notauit Caietanus: *Pertinacis populi sententiam circa habendum Regem refert Samuël ad Deum iterum consulendo ipsum: in hoc ostendens se nolle recedere à diuina voluntate.* In implicitis, ac difficilibus negotiis edocuit semel, & iterum Deum consulendum, & iteratis precibus auxilium eius fore implorandum: à diuina voluntate noluit recedere, quantumvis auctoritas, & nobilitas Regem institerint postulare. Si alius esset Samuël, conaretur potentium mercari gratiam, & opportuna occasione mereri benevolentiam; verùm factis superiores edocuit magnatum votis non adulari, sed Numinis voluntatem perquirere. Paruit, sed cùm Deus iussit, non cum humana auctoritas depoposcit.

TEXTVS.

Vers. XXII. Dixit autem Dominus ad Samuëlem: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem. Et ait Samuël ad viros Israël: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.

§. LX.

Beneficium est petenti nocitura differre, si dilatio fortè quieuerit insaniæ ardorem sopire.

Efferuescens, ac cæcus cupiditatis impetus prudentiæ habenis non paret, in præceps fertur, non licet tunc salubria dispicere, quia desiderium gestit temeritas adimplere: Ergo oportet prudenti dilatione cæcum ardorem mitigare, si ratione nequeas ad saniorem mentem reducere. Apertè denegare viuidiùs inflammabit desiderium, ac periculosum excitabit dissidium: statim obtemperare cæcis conatibus ingens patiet detrimentum: ergo vti prudens nauclerus arte curat declinare procellam, si fortè tempestatis mitigare possit audaciam: ita prudens errantium si non possit ratione vota corrigere, sataget arte, & dilatione sedare. *Sunt quædam* (aiebat Seneca *lib.* 2. *de Beneficiis, cap.* 14.) *nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est. Æstimauimus itaque vtilitatem potiùs, quam voluntatem petentium; sæpè enim noxia concupiscimus, nec dispicere, quàm pernicioſa sint, licet, quia iudicium interpellat affectus.* Adnectit: *Sed cùm subsedit cupiditas, cùm impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit detestamur pernicioſos malorum munerum auctores.* Vt parentes, filiis ardore febrium æstuantibus, frigidámque pertinaciter deposcentibus, promissa, si tantillum spectarint, aqua blandè fallunt, & saluti consuluntis ciunt namque sæuam esse voluntatem exorari in perniciem; ita Samuël cœlesti oraculo instructus parentis instar Regem se daturum spopondit, sed in tempus opportunius distulit, si fortè dilatum tempus flagrantem illum animi impetum quiuerit mitigare, & tenebras insanientis desiderij depellere: *Dixit autem Dominus ad Samuëlem: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem. Et ait Samuel ad viros Israël: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Facta spe ad propria remisit, non distulit, vt pendentes dilatione torqueret, sed vt tempus insanientem impetum mitigaret. Ita Abulensis *quæst.* 238. *Constitue super eos Regem, id est, dic, quòd vis constituere Regem, quamquam immediatè non constituas, sed expectabis tempus.* Tempus expectatur, si fortè impetus ille deferuerat, ardórque dissideat; est enim pietas petenti nocitura negare, aut saltem tempus ad medelam differre.

§. LXI.

Propriis sedibus exulantium quàm citò oportet negotia expedire, & eorum incommodis misereri.

Opus est plurimis propria deserere, & ad negotia tractanda curiam, & subselia non sine incommodo adire, & quamvis omnes dilatio torqueat, pluréſque malint spes suas præscindi, quàm trahi, eorum præcipuè minister, iudexve debet misereri, quos constat relictis laribus diuagari. Ad demortuam principis filiam vitæ restituendam tendebat Dominus parentis precibus exoratus, cùm mulier diù sanguinis fluxu laborans turbam secat, & magna victa difficultate appropinquat. Idem fuit fimbriam tangere, & sanitatem recipere:

Accessit

Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Math. 9. vers. 20. Puellæ domi iacenti salutem tantisper distulit, vianti fœminæ stanti impertiit. Cuius discriminis si inquiras causam, mihi ea videtur, aliam scilicèt domi claritatem sustinere, extra domum aliam non solùm infirmitate, sed aliis etiam incommodis laborare. Nec aliter paralyticis illis, quorum vnus funibus per tegulas dimissus, alter domi doloribus divexatus, videas accidisse. Ad centurionem aiebat Dominus: *Ego veniam, & curabo eum.* Matth. 8. vers. 5. Ad alium: *Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Luc. 5. v. 19. Et cur statim alteri salutem impertit, & alteri solùm promittit? Fortè ipse Textus explicuit. Salutem exambiebat alter, sed propriis laribus residens; alter verò extra domum variis incommodis impeditus, & difficultatibus magnis tardatus. Ergo ad nostram eruditionem cum morbo domi colluctantis tantisper desiderium distulit; alterius morbo, & varijs difficultatibus diuexati citissimè desiderium absoluit, vt edoceret factis, citiùs expedienda negotia extra proprias sedes degentis, quàm laribus propriis commorantis. Samuel etiam, quia seniorum votis annuere opportunius tempus requirebat, ad propria remisit, ne desideriis adusti, & superadditis etiam extra domum propriâ incommodis laborarent vexati: *Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Notauit Abulensis *quæst.* 238. *Id est, non maneatis hic amplius expectantes Regẽ, quia ego constituam vobis Regem, sed non possum immediatè constituere, quousque Deus mihi reuelet; quem constituam; vos autem non est tandiu opportunum hic manere expectantes, sed vadant singuli in ciuitates suas.* Misertus est eorum; nec enim extra proprias domos quibant non pati incommoda, & sustinere dispendia.

CAPVT IX.

1. *Erat vir de Beniamin nomine Cis filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore.* 2. *Et erat ei filius vocabulo Saul, electus, & bonus: & non erat vir de filiis Israel melior illo: ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* 3. *Perierant autem asinæ Cis patris Saul: Et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum vnum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas. Qui cùm transissent per montem Ephraim.* 4. *Et per terram Salisa, & non inuenissent, transierunt etiam per terram Salim, & non erant: sed & per terram Iemini, & minimè repererunt.* 5. *Cùm autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum, qui erat cum eo: Veni, & reuertamur, ne fortè dimiserit pater meus asinas, & sollicitus sit pro nobis.* 6. *Qui ait ei: Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis: omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc, si fortè indicet nobis de via nostra, propter quam venimus.* 7. *Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid, feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarcis nostris, & sportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud.* 8. *Rursum puer respondit Sauli, & ait: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram.* 9. *Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum; venite, & eamus ad videntem. Qui enim Propheta, dicitur hodie, vocabatur olim videns.* 10. *Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus: Veni, eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei.* 11. *Cumque ascenderent clivum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hic est videns?* 12. *Quæ respondentes dixerunt illis: Hic est, ecce ante te, festina nunc: hodiè enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.* 13. *Ingredientes vrbem, statim inuenietis eum, ante quàm ascendat excelsum ad vescendum: neque enim comesurus est populus, donec ille veniat, quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt, qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodiè reperietis eum.* 14. *Et ascenderunt in ciuitatem. Cumque illi ambularent in medio vrbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, vt ascenderet in excelsum.* 15. *Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem quàm veniret Saul, diens.* 16. *Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israel, & saluabit populum meum de manu Philisthinorum, quia respexi populum meum; venit enim clamor eorum ad me.* 17. *Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.* 18. *Accessit autem Saul ad Samuëlem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, vbi est domus videntis.* 19. *Et respondit Samuël Sauli: dicens: Ego sum videns, ascende ante me in excelsum, vt comedatis mecum hodiè, & dimittam te mane: & omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.* 20. *Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israel? nonne tibi, & omni domui patris tui?* 21. *Respondens autem Saul, ait: Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin? Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?* 22. *Assumens itaque Samuël Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati: erant enim quasi triginta viri.* 23. *Dixitque Samuël coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres seorsum apud te.* 24. *Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saul. Dixitque Samuël: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocaui. Et comedit Saul cum Samuële in die illa.* 25. *Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est cum Saule in solario, straueruntque Saul in solario, & dormit.* 26. *Cumque mane surrexissent, & iam eluesceret, vocauit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saul: egressique sunt ambo, ipse videlicet, & Samuël.* 27. *Cumque descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuël dixit ad Saul: Dic puero, vt antecedat nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.*

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. I. Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore.

§. I.

Oportet non denigrari prosapia, qui eligitur ad dignitatum excelsa

QVI dignitatis apice omnibus lucet conspicuus, nulla est næuorum macula deturpandus. Dignitatis adauget splendorem, si electus nobili vena procreatus, & virtutibus expolitus. *Ante vobis contulimus honores* (aiebat Atalaricus 8. *variarum* 10.) *sed nunc ipsam ereximus dignitatem. Per omnes est nimirum splendor refusus, quem præsens potest habere patritius, quoniam illa est natura purissimi luminis, quæ relucet & proximis. Sed quamuis sit vobis notissimus candidatus, qui domini aui nostri tam claris, aut diuturnis adhæsit obsequiis, tamen iuuat ea repetere quæ constat ad institutoris eius gloriam pertinere. Primum, quod inter nationes eximum est, Gothorum nobilissima stirpe gloriatur.* Ad commendandam electoris prudentiam retulit electum non solùm meritorum adornari pompa, sed etiam nobilibus stemmatis, condecorata prosapia; aliter namque dignitas aliquam obscuritatem contraheret, si parum defæcato sanguine electus sordesceret. Ob id Sacer Textus Saül præmisit originem, quia eligendus erat ad dignitatem: *Et erat vir de Beniamin nomine Cis.* Non fuit otiosum sanguinis puritatem referre, vt dignitas pleno posset splendore micare. *Hic ponitur* (inquit Abulensis *quæst.* 2.) *cognatio patris Saül, & describitur per aliquos proauos, scilicet per quatuor, vel quinque.* Illustres ostendit proauos, vt electus dignosceretur non solùm exornatus virtute: *Electus, & bonus,* sed purissimo niteresceret etiam sanguine: aliter namque originis nota dignitatis existeret nebula.

§. II.

Filiis corporis habitudines, dum generantur, sæpè à parentibus refunduntur.

CVm sanguine transfunduntur etiam filiis proprietates parentum. Ab inualido rarò generatur robustus, ab exiguo non producitur frequenter procerus: ipsa generatione qualitas genitoris transfunditur, & radicis in fructu infirmitas, aut salus videtur. *Adolescentem videns Diogenes furibundum, & vecordem* (scribit Plutarchus *lib.* de instituendis liberis) *parens inquit, adolescens te seminauit temulentus.* Vt plurimum quæ ossibus parentum hæsit infirmitas luxu, ac libidine procreata, ad filios perseuerat transmissa: vt è contra etiam optima parentum valetudo in filiorum relucet robore, & perdurat salute. Saül ad bella deligitur, & quia ad Martiales conflictus corporis robur, viriúmque fortitudo requiritur, non solùm de robore, viribúsque Saülis agitur, sed eius patris etiam fortitudo refertur: *Erat vir de Beniamin nomine Cis ... fortis robore.* Et quidem supervacaneum cui videatur parentis referri fortitudinem, cùm Saül ad deterendum eligitur hostem? Quid patris robur intererit ad cõflictum, aut quid noceret imbecillitas ad congressum? Lira existimat, Textum patris fortitudinem retulisse, vt Saül integra salute, & eximia corporis habitudine præditus intelligatur. Pater viribus integer refertur, vt filius robustus, & ad Martiales labores aptus intelligatur, qualitates namque parentum frequenter deriuantur ad filios, & agnoscitur in propagine, quid præcesserit in radice. *Fortis robore* (inquit Lira) *hoc dicitur ad denotandum fortitudinem Saülis: quia fortes homines solent fortes generare. Consequenter ostenditur aptitudo Saülis ratione morum.* Quia virtus non transit hæreditaria, opus fuit virtutem Saülis exprimere: *Electus, & bonus,* & pater viribus præualuisse refertur, vt Saül & validus, & ad certamina aptus agnoscatur.

TEXTVS.

VERS. II. Et erat ei filius vocabulo Saül, electus, & bonus: & non erat vir de filiis Israël melior illo: ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.

§. III.

Integra dignitatis resplendet pompa, quem suspectæ ambitionis nulla defædauit nebula.

DIgnitatis ambitus ambitoris mores tantisper obscurat, quia non creditur humilitate fundatus, qui dominandi cupidine existimatur adustus. Ascendisse reluctanter culmina, ascendentis adauget famam; procurasse variis artibus, obscuram imprimit notam, quia non creditur meritorum suffragium, quod obtinuit ambitionis solicitum artificium. *Significas* (aiebat Plinius 9. *epist.* 19. *legisse te in quadam epistola mea iussisse Verginium Rufum inscribi sepulchro suo:*

Hic situs est Rufus, pulso qui vendice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Reprehendis quod iusserit: addis etiam: Melius, rectiusque Frontinum, quod vetuerit omnino monumentum sibi fieri: meque ad extremum, quid de vtroque sentiam, consulis. Vides dubitantem, audi respondentem: *Vterque ad gloriam pari cupidine diuerso itinere contendit: alter dum expetit debitos titulos: alter dum mauult videri contempsisse.* Glorioſum esset vtriusque monumentum, ni aliqua ambitione fœdatum: verùm dum Rufus gloriam expetiuit gloriæ prætendit caliginem ambitiosus, & Frontinus, dum fugiendo ad speciem gloriam, adaugere conatus est famam, apparuit etiam superbus. Ambitio laudis, aut culminis prodit animum elatione superbum non solidis virtutibus adornatum. Ergo vt omnem à salutando Rege Textus ambitus suspicionem propulset nomen expressit: *Et erat ei filius vocabulo Saül, electus, & bonus.* Saül, vt Interlineari placet, interpretatur, *petitio.* A populo fuit petitus, non propria ambitione ingestus, quod apud Hugonem Cardinalem notauit Origenes: *Saül interpretatur petitio: sic prælatus petitus debet, non se ingerere, Hebræor. 5. Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* O quot non expectant vocari, sed honorem gestiunt sibi præripere! Saül ipso vocabulo ostendebat se à populo fuisse expetitum, non ambitionis solicitudine electum: omnem ambitus suspicionem nomen excluſit, nec enim si suspicio illum obscurasset ambitus, plenè resplenderet electus. Nonnulli appellari poterant petitio, non quia aliis petentibus fuerint electi, sed quia molestissimis precibus, & continuis petitionibus munus extorserint importuni.

§. IV.

Decet decora corporis proceritate exornari, qui ad culmen electus, & cæteris dignitate antelatus.

PRæ corporis magnitudine virtus æstimanda est: exiguo in corpore inuenitur magnus animus, in procero exiguus: verùm cæteris paribus decens corporis habitudo eligenda est, quia pusillitas, dum obijcitur visui, habetur contemptui. Refert Plutarchus lib. de instituendis liberis, Archidamum Regem à Lacædæmoniis reprehensum, quod vxorem duxisset corpore pusillam; verebantur namque, ne pusilli filij regio honore non haberentur digni, sed abjicerentur despecti: *Excelsitas animi perhibenda Lacedæmoniorum est, qui Regi suo mulctam dixerunt Archidamo, quòd pusillam statura vxorem ducere sustinuisset, addito elogio, quòd non Reges ipsis, sed dare regulos deliberasset.* Egregia corporis statura suadet reuerentiæ officium, pusillitas persuadet despectum. Ergo Saül in Regem eligendus egregia commendatur statura decorus. *Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* Decens proceritas oculos ad se trahebat, & Saülem imperio dignum formæ venustas deprædicabat. Ita noster Sanctius: *Vt ipsa species externa aliquid aliis majestatis ostentet, ne despicabilis forma his, qui externam tantum speciem intuentur, vt planè vulgo homines plerumque faciunt optimæ naturæ, & incorruptis moribus auctoritatem detrahat.* Despicabilis forma detrahit auctoritatem, & obsequelæ detrectat officium, qui præcipientis animo gerit contemptum. Aristoteles *lib. 4. Politicor. cap. 4.* tradit apud Æthiopes sanctum: *vt secundum magnitudinem, aut secundum pulchritudinem magistratus, honorésque publici distribuentur.* Ergo cùm homines imperio arbitrentur dignos, quos egregia statura, & augusta forma commendat, hoc spectari fas fuit in Saüle, quem in Regem Deus elegit, & purpureis vittis ornauit.

§. V.

Qui antecedit dignitate, & præire debet virtute.

BOna de superiore opinio præceptorum est energia, nec enim audet dictionem extrahere, qui superiorem nouit virtutibus refulgere. Si hac, aut illa causa præcipiès contemnitur, & præceptum etiam despicitur, & dignitatis euadit iniuria, si subiecto obmurmurandi sit causa. Nil inueniat, quod carpat in præsule inuidia, vt dignitatis plena resplendeat pompa. *Nescivit* (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 24.) *quisquam de te submurmurare contraria, cum tamen de principali gratia sustineres inuidiam. Derogare cupientes vicit integritas actionis. Aduersarij tui sæpè locuti sunt coacti, quod animus non habebat. Nam qualibet malitia formidat contra manifesta bona aliquid profiteri, dum generalibus odiis veretur exponi.* Is erat electus, vt vel aduersariorum occluderet linguam, & suspicionem temeritatis refrænaret audaciam. Non audebat deprauato affectui quis adulari, quia timebat generalibus odiis exponi, dum quidquid aduersum obloqueretur, non adscribebatur obmurmurati actionibus, sed deprauatis obmurmurantis affectibus. Ea erat actionum integritas, ea morum floriditas, vt quantumvis inuidentium animus interiùs æstuaret adustus, exterius fateretur laudem coactus. Ob id cùm Saül in Regem consalutandus esset, electus, & bonus deprædicatur, vt constaret antecedere virtute, dum præponebatur cæteris dignitate: *Erat ei filius vocabulo Saül, electus, & bonus: & non erat vir de filiis Israël melior illo.* Vt tota splendoris pompa eluceret dignitas, refertur spectabilis cæteris morum probitas. Adest Hugo Cardinalis. *Talis Eman. de Naxera in Reg. debet esse, qui eligitur ad custodiam animarum, bonus in se electus ex aliis.* Consonat apud Hugonem Origenes: *Ille eligendus est in Prælatum de quo constat, quòd inter alios optimus est.* Obedientiæ difficultas emollitur, si præsul optimis exornatus moribus agnoscatur; si iniqua etiam suspicio deprauatum calumniari nequeat affectum, nec corruptum degeneribus affectionibus animum. Discant electores optimos dignitatum luminibus exornare, & electi discant deprædicandis factis vel inuidorum linguas occludere.

§. VI.

Ad prælaturam eligendus est eximia patientia præditus, & excellenti charitate adornatus.

MVltis fragilitas delinquit humana; alios obscurat ignorantia, deturpat alios malitia; alios iracundiæ furor præcipitat, alios lenta ingenij morositas, tardat. Ergo ni superior prudenti exornetur patientia, & benignæ charitatis resplendeat flamma, nec subiectis consulere, nec munus quibit implere. *Non facilè credendum est* (aiebat Seneca *lib. 2. de Ira, cap. 22.*) *nec apertis quidem, manifestisque statim accedendum: quædam enim falsa veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus, veritatem dies aperit. Ne sint aures criminantibus faciles. Hoc humanæ naturæ vitium suspectum, notúmque nobis sit; quod quæ inuiti audimus, libenter credimus, & antequam iudicemus, irascimur. Quid quòd non criminationibus tantum, sed suspicionibus impellimur, & ex vultu, risuque alieno peiora interpretati innocentibus irascimur.* Cuique Senecæ doctrina congruit, sed præcipuè superioribus, & prælatis. Non debent faciles aures præbere, nec ex leuibus causis peiora interpretari, aut conjicere. Conducibilius est aliquando falli, quam indagatione delinquere. Patientia improbitatem fatiget, charitas afflictum releuet. Meminerit superior non solùm potestatis, sed etiam humanæ naturæ; se in aliorum erratis coarguat, & an aliquando deliquerit, circumspiciat; cogitet secum, an si aliquo errore seductus vellet leniter corrigi, & patienter tolerari. *Castigabat quidam filium suum* (inquit Plinius 9. *epist.* 12.) *quod paulò sumptuosius equos, & canes emeret. Huic ego (iuvene digresso) Heus tu, nunquamne fecisti, quod à patre corripi possit? Fecisti dico. Non interdum facis quod filius tuus, si repentè pater ille, tu filius pari gravitate reprehendat . . . cogita & illum puerum esse, & te fuisse, atque ita quod es pater, vtere, vt memineris & te hominem esse, & hominis patrem.* Itaque nonnulla & tempori sunt donanda, & propriæ fragilitatis recordatione iracundia mollienda. Deliquerat ouis, & pater optimus vt erroneam quæreret, prudentia carentem cogitauit, & humeris lassam tulit; vt minueret offensam, erasse persuasit sibi seductam. Prodest Tertullianus *de Patientia cap. 12. Erroneam ouem patientia pastoris requirit, & inuenit. Nam impatientia vnam facilè contemneret. Sed laborem inquisitionis patientia suscipit, & humeris insuper aduehit baiulus patiens peccatricem derelictam.* Itaque ad superiorum eruditionem & patienter quæsiuit erroneam, & humeris tulit fessam, humerus testatus est tolerantiam, adinuentio deprædicauit prudentiam: periret ouis, ni pastor & blando sibilo alliceret, & humeris asportaret: ergo vt superiori, fraterno nexu copulatas has virtutes necessarias ostendat, Saül validis humeris constare declarat. *Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* Et quid iuuet humeri excessus, vt à Numine agnoscatur aliis prælatus? Non posset, ni validus adeò, vt eminénsque humerus esset, ad dignitatis culmina peruenire, & cæteris anteponi? O attende, amabo te humerum describi, sed in humero charitatem, & tolerantiam signari: ergo vt noscas magna superioribus opus esse patientia, & viuida

amoris flamma, dum à Deo eligitur, ab humero, & sursum cæteris antefertur. Ita Hugo Cardinalis : *Per humerum intelligitur patientia, per sursum intelligitur charitas, quæ omni virtute excellentior est.* Itaque ab humero, & sursum eminere describitur, vt eximia ornandus patientia, & ardenti charitatis flamma, prælarus cæteris agnoscatur.

§. VII.

Præstans forma, & corporis elegantia solent virtutibus insidias prætendere, & causam vitiorum agere.

COrporis elegantia, oris venustas per se accusanda non est, vtpotè à Numine dilargita, & ad conjiciendam artificis pulchritudinem argumenta. Verùm frequenter hoc fauore homines abuntur, & famulantur intemperantiæ, quæ fas erat deseruire modestiæ. *Accusandus decor non est* (aiebat Tertullianus *de cultu fœminarum c.2.*) *vt felicitas corporis, vt diuina plasticæ accessio, vt animæ aliqua vestis vrbana; timendum tamen est vel propter incuriam, & violentiam spectatorum.* Qui pulchritudinem superbè ostentat, delinquendi occasiones sibi conciliat : formæ dignitas frequenter possidenti est periculum, aspicienti incitamentum. Pulchritudinem abscondit, qui magni pudicitiam habet. Quam benè allegatus Septimius *cap. 3. Vbi pudicitia, ibi vacua pulchritudo, quia propria vsus, & fructus pulchritudinis corporis luxuria.* Adeò huius pessimi fructus corporis elegantia est ferax, vt non rarò dum forma clarior, animus fordescat obscurior. Saül electus, & bonus dicitur, & cæteris elegantia corporis antelatus : *Electus, & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo.* Procopius, & Theodoretus existimant, nullatenus hic animi dilaudari virtutes, sed eximias corporis dotes. Quòd si inquiras, vnde conjiciant Saülem eximiis virtutibus non ornatum, respondebunt, ex ipsa corporis elegantia, & venusta forma, quasi virtus langueat interna, dum pulchrior, & gratior externa forma. Ipsos audi: *Quomodo bonum nominauit Saülem ? Non dedit ei testimonium virtutis animæ, sed formam, & magnitudinem. Narrat enim pulchro, & præstanti corpore fuisse.* Itaque, vt Theodoreto, & Procopio placet, dum Textus retulit bonum: *Electus & bonus*, non deprædicauit virtute ornatum, sed procerum, & venustum ; nam licet aliquando virtute inueniatur pulchritudo associata, frequentius tamen inuenitur opposita. Quod si mauis, ad nostræ thesis confirmationem expende sacram Scripturam, dum Saülis venustatem deprædicauit animi virtutem expressisse, ne sinistra aliqua suspicio arbitraretur vitiis defœdatum, dum audit pulchrum.

§. VIII.

In superiore requiritur mentis perspicacia, & eximia etiam prudentia.

SVperior, si ingenio sit tardus à subiectis habetur despectus: ni sit prudens, erit subiectis nocivus. Vt nauis sine gubernaculo nauigantibus est periculum ; sic superior sine prudentia obsequentibus est naufragium. *Magna est enim, infinitáque prudentia* (inquit Cassiodorus 8. *var.* 9.) *quam nemo sic assequitur, vt eam non necessarie, & per alios quærere videatur. Senes ipsi consiliis sapientiam discunt, & à maturis in commun quæritur, quod pro omnium vtilitate tractatur. Solatium curarum frequenter sibi adhibent maturi Reges, & hinc meliores æstimantur, si soli omnia non præsumunt.* Itaque in superiore est præsumptio detestanda, vt deprædicanda prudentia : nil potest ad commune tractare commodum, nisi attulerit prudentia suffragium. *Duo sunt* (aiebat Aurelius Victor in vita Traiani) *quæ ab egregiis Imperatoribus expetuntur : sanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique prudentia.* Superior sine capite nec difficultatibus obuiare, nec subiectis potest consulere. Videntes Philisthini Dagonem suum deiectum, nihilominus throno restituere insistunt. *Restituerunt eum in locum suum* 1. *Reg.* 5. *v.* 3. verùm cùm Arca caput eius, manúsque præcidit: *Caput Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen*, nec cæca proteruia, nec proterua audacia throno restituit, sed truncum spernit: *Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Si viribus imbecillum, & deiectum adorarunt, cur modo throno non restituant manibus, & capite orbum? Quia nil illis infeliciùs, quàm superior sine capite: si truncus prudentia, & mentis perspicacia priuatus thronum occupet, nil speres non calamitosum, & asperum, quandoquidem potentia coget, & temeritate decernet. Quòd si vt aliqui existimant, throno remansit insidens truncus, fuit vt augeretur supplicium, vtque sustinerent truncum dignitatis insulis decoratum, qui restituerunt deiectum. In primo ex quatuor fluminibus omnem terram irrigantibus agnouit Philo *lib.* 1. Allegoriarum prudentiam : *Ibi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est. Gen.* 2. *v.* 11. Accipe Philonem : *Sicut metallorum optimum, probatissimúmque est aurum ; ita inter animæ virtutes prudentia habetur probatissima.* Itaque primus prudentiam designauit, quia sine prudentia nullus prouentus, aut fructus: ergo Scriptura hanc virtutem in Saüle consalutando expressit, antequàm corporis fortitudinem declararet : vt doceat in superiore, quod primum requirendum prudentiam esse, quæ in modum salis, & à corruptione defendit, & saporatè omnia condit: *Electus, & bonus*, id est, vt placet Iosepho, cæteros prudentia antecellens, perspicaciáque vincens: *Erat iuvenculus, formáque pulcherrimus, & corpore valdè procerus, quique multos mente, & prudentia præcederet, vocabatúrque Saül.* Prudentia commendatur; nam sine prudentia fortitudo non proficeret, sed noceret.

§. IX.

Ad munus eligendus est aptior, quamvis cæteris non sit virtute excellentior.

AD munus ritè obeundum requiritur & dignæ actionis integritas, & morum probitas : verùm quamvis virtute habeat pares, deligendus est, qui ad munus non habuerit consimiles. Repelli debet, si quis virtute careat, quantumvis aliis prærogatiuis emineat; cæteris tamen præponendus, & dignitatis luminibus est ornandus, qui honestis moribus excultus, & opportunis ad munus dotibus decoratus : verùm etsi non sit eximiis virtutibus præditus, qui regimini inuenitur aptus, debet eligi, & cæteris anteponi: Saül fortitudine, & viribus alios antecedebat: ergo ad bella deligitur, & virtute excellentioribus anteponitur : *Electus, & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo : ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* Nullus illo melior ad bella gerenda, imò ipse melior cæteris ad arma, & negotia ciuilia tractanda: ergo hic à Domino eligitur, & nobis eligendi forma exhibetur. Audi Caietan. *Quoad actiones ciuiles relatiuè ad communem populum intelligitur : dico autem ad communem populum, quia Samuël erat melior illo.* Itaque si virtutem compares, Saül erat bonus, sed Samuël melior ; si ad exercendum munus, Saül erat melior, & si Samuël esset bonus : ergo hic præfertur, & Samuël senio iam grauatus postponitur, quia dum virtus non desit, cæteris est anteponendus exercendis muneribus & industrior, & aptior.

§. X.

§. X.

Ad dignitatem ritè deligitur eximiis virtutibus expolitus, dum tamen nullis præsumptionis nebulis obscuratus.

SVperbia virtutum tinea inter ipsas enutritur,& pascitur.Qui de virtute sibi adulatur,ipsa adulatione seducitur.Præsumptio præcipitiis vicina,& erroribus inuenitur semper obnoxia: verùm licèt in omnibus displiceat arrogans superbia, in culmina possidentibus est communi saluti aduersa,& regimini ipsi inimica. *Reges* (aiebat Cassiodorus 8. *var.* 9.) *& hinc meliores existimantur, si soli omnia non præsumunt.* Qui præsumptionis nebulis non obscurat prudentiam , qui mentis non impedit perspicaciam,apertis intuetur oculis veritatem, & vitat facilè errorem:at si arrogantia tumidus, & suis dotibus nimis fisus , magnis erroribus inuenitur expositus.Saül deligitur,quia etsi virtute emineret ornatus,& corporis dispositione etiam procerus,suis in oculis erat puvulus. Et quidem licet ni alios,vt corpore, humilitate vinceret,à Deo non luceret electus, & cæteris antelatus: *Electus, & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo.* Bonus dicitur,vt humillimus describatur;nec enim corporis prodesset præstantia, si odiosa cunctis emineret etiam superbia. Ita Abulensis *q.*4. *Considerandum, quod ista bonitas Saülis maximè erat circa humilitatem, quod erat valdè in eo admirabile:nam ipse erat vir in virtutibus excellens, & corporis statura admirabilis , quod solet homines superbos efficere:ipse autem hæc omnia habens erat valdè humilis.* Itaque vt electus Reipublicæ agnoscatur profuturus, humilitate deprædicatur ornatus. Et quidem Reipublicæ,armorúmque ei administratio non commendaretur, quantumvis aliis dotibus pelluceret eximius,si tumore sordesceret obscuratus. A Deo deligitur, quia humilis, omnibúsque etit vtilis, dum viribus prævalens nil sibi arrogarit inflatus,sed omnia Deo attribuerit modestus. Nil enim adeò in superiore pernicioſum est, vt exoculata arrogantia, & tumens semper superbia.

§. XI.

Perfectus sibi semper videtur parvulus, & si cæteros virtute supergrediatur eximius.

LAudabili humilitas cæcitate laborat ; ad aliorum virtutes agnoscendas perspicacissimo gaudet visu, ad proprias caret aspectu. Quæ de Lamia fertur, fabulam non inconcinnè humilitati adaptabis. In cista habet domi oculos repositos, foris ad aliorum virtutes deprædicandas gerit expansos. Ita Plutarchus *lib.de Curios. Nunc vt in fabula Lamiam perhibent carere domi luminibus captam, quæ in cista oculos habeat repositos , & foras cum prodit , sibi eos addat.* Exoculata est humilitas,vt propriam aspiciat gloriam; inoculata, & perspicax,vt intueatur alienam. Saül electus,& bonus ab humero,& sursum cæteros superabat : *Ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Cúmque omnes excederet eleganter procerus,propriæ magnitudinis prudenter inueniebatur ignarus.Ita testatur Samuël: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis , caput in tribus Israël factus es.*1.*Reg.*15. *vers.*17. Vides laudabili magia procerum simul, & parvulum:cæteros Saül virtutum magnitudine superabat , & tamen cum cæteris humilitas postponebat : se circumspiciens sibi videbatur meritis exiguus,ab aliis conspectus apparebat eximia virtutum grocerirate decorus.Notauit Abulensis *q.*4. *Considerandum , quod ista bonitas Saülis maximè erat circa humilitatem , quod erat valdè in eo admirabile,nam ipse erat vir in virtutibus excellens , & corporis statura admirabilis, quod solet homines superbos efficere , ipse autem hæc omnia habens erat valdè humilis.* Itaque quantò plus virtutibus eminebat excelsus, tantò sibi videbatur exiguus ; sicque humilitatis oculus cæcutiebat laudabiliter , vt statura eximiè procera sibi soli appareret pusilla.Perfecti namque,vt ægrè patiuntur ab aliis virtute vinci,sic non sustinent plausibus anteferri,immò se arbitrãtur aliis postpositos, cùm eos cæteris constat virtutibus antelatos.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. III. & IV. Perierant autem asinæ Cis patris Saül : & dixit Cis ad Saül filium suum: Tolle tecum vnum de pueris,& consurgens vade, & quære asinas. Qui cùm transissent per montem Ephraim , & per terram Salissæ , & non inuenissent , transierunt etiam per terram Salim , & non erant , sed & per terram Jemini , & minimè repererunt.

§. XII.

Perfectus ad obediendum repueraſcit,& priuilegium ætatis nescit.

OBedientia prosperitatis est vena, felicitatis mater; sine obedientia nec virtus floret , nec resplendet. Prouerbium apud antiquos fuit:*Obedientia felicitatis est mater.* Ita Erasmus *Chil.*4. *cent.*5. *adag.*59. Vtque mater filium in lucem edit, & alit ; ita obedientia virtutem & alit,& edit.Hac pluris habuerunt, quicumque se perfectioni dicarunt.Nescit verus obediens temporis priuilegium,non attendit, an in nobili, vel ignobili materia obsequelæ sit exercitium.A pastu fugerant aliquæ asinæ, vtque eas Cis reducat ad gregem , Saüli filio iniungit inquisitionis laborem : *Tolle tecum vnum de pueris , & consurgens vade , & quære asinas.* Saül ætate gradævus pueri ministerium implet,& patri incunctanter obedit: non opponit ætatem, non filij honorem , sed laudabili cæcitate mandata adlaborat implere,& paternis iussionibus obedire.Notauit Abulensis *q.*6.*Erat Saül iam vir plurimum quàm triginta annorum , & fortè quadraginta.* Addit : *Quia tamen erat vir valdè humilis,obediebat sicut parvulus ad omnia,qua iubebat pater suus : vnde ipse cum vno de pueris ibat ad quærendum asinas.* Asinas quærere propriũ videbatur servuli,& pueri,non ætate grandævi, & filij;verùm Saül & si filius,& grandævus pueri ad speciem subit exercitium , vt expleat patris mandatum, dúmque nil opponit, regalem thronum inuenit. Exhibuit Saül obediendi formam , & suis factis obsequendi tradidit regulam;dum grandis repueraſcit,& pueri socius ad asinas quærendas alacriter contendit. Si alius esset , opponeret curam illam non grandi filio , sed servulis demandandam , & puerulis iniungendam : ast vti humilis,& perfectus gestiuit implere iussa,& obediendo promeruit sceptra: *Quia vir valdè humilis, obediebat sicut parvulus.*

§. XIII.

Exhibitum parenti obsequium est promerendi artificium.

ARtificium promerendi (aiebat Tertullianus *de Patientiâ,cap.*4.) *obsequium est;obsequij verò disciplina morigera subiectio est.* Vt arte, industriáque solent facilè adquiri , quæ aliter sine magno labore nequirent haberi ; ita obedientia , quæ promerendi est ars , sine difficultate comparantur , quæ magnis aliter laboribus acquiruntur. Verùm etsi obedientia semper sit lucrosa, quę exhibetur parentibus,inuenitur vtilissima. Sibi inuidit,qui parentibus obsequi detrectauit,vt consuluit sibi,

qui mandatum promptus expleuit. Amissas asinas quærere Saül iubetur, & ne reluctantia, morave denigrarit obsequium, festinat perficere sibi iniunctum. Opus iubebatur, & iter arripiebatur: *Consurgens vade, & quære asinas: qui cùm transissent per montem Ephraim*, &c. Itineris terminus regalis fuit thronus, & dum paruuli adinstar obsequitur, à Propheta in Regem inungitur. Notauit Hugo Cardinalis: *Iussu patris quærens asinas perditas peruenit ad regnum.* Obedientiæ merces fuit purpura, & quam non facilè assequeretur pugnando, assecutus est obediendo. Abraham properat filium immolaturus, & dum implet obedientiam, stellis similem elucratur prosapiam. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas, Gen. 22. vers. 17.* In campum prodiens hostes deuicerat, Loth vinculis exonerarat substantiam, & captiuitatem reduxerat; nec audiuit tunc: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas.* Et cur modo tot luminosis astris nobilitetur? Quia vt ipse Numini, Isaac obsecutus est patri: ergo dum alter Numini, alter alacriter obediuit parenti, iam obedientiæ præmia cumulantur, & splendores augentur. Notauit Veronensis Zeno *serm. 2. de Abraham: Charissimi intrepidus ad ministerium immolationis armatur rimatur ad ictum vulneris securus animus, sed securior manus.* Ipsa obedientiæ executio securitatem adauxit, & Isaac stellas splendore deuicit, vbi vt patri obediret, ligatus iacuit.

§. XIV.

Oportet didicerit obedire, qui eligitur imperare.

Obsequio (aiebat aliorsum Curtius *lib. 8.*) *mitigantur imperia.* Mandatorum mitigat arduitatem, obsequendi expertus laborem: arbitritium alterius arbitrio sacrificare, obedientiæ altaribus litare iudicium, esse non ambigitur laboriosum: ergo oportet eius ceruicem triuerit obedientiæ iugum, qui adiuit imperium, ne laboris inscius aut durus imperet, aut tumidus exacerbet. Dauid, dum obediens patri refertur, ad culmen dignitatis adducitur: *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oues* (aiebat *Isai. 1. Reg. 16. vers. 11.*) Quid tunc Samuël? *Mitte, & adduc eum.* Patri obsequens gregem pascit, vtque obsequatur patri, gregem vocatus relinquit: ergo vbi emicuit obedientia, respleduit etiam corona. Oportuit, vt obedire edoctus, ad imperandum signaretur electus. Discat priùs obsequi, vt nouerit laudabiliter imperare. Nec aliter Saüli accidit; eius refertur obedientia, cùm cingendus erat corona: *Consurgens vade, & quære asinas.* Quin asinas perquirens laboraret solicitus, quin exerraret, campis anxius, quin iuga montium fatigaret anhelus, potuit ad regnum assumi; verùm conueniebat obedientiæ experiri labores, vt ipsa experientia eruditus imperio existeret aptus. Innuit, vt vidimus, Hugo: *Iussu patris quærens asinas perditas peruenit ad regnum.* Post obediendi labores peruenit ad regnum, vt ipso obsequio disceret aliis compati, vtque posteà mitigaret imperia, & animarum quæreret lucra.

§. XV.

Qui animarum saluti consulit, æternum sibi regnum acquirit.

Dum animarum zelotypus nullum laborem fugitat vt earum saluti prouideat, & variis erroribus dilassatas, morbisque vitiorum confectas salubria reducat ad pascua, assequitur sibi regna. *Vestra salus* (aiebat Cassiodorus 2. *variar. 41. nostra gloria est.* Dum errans reducitur ad salutem, suam adauxit reductor felicitatem; quibus ardua montium conscendit passibus quibus viarum vincit obstacula, quibus implicata sylvarum scrutatur latibula, eisdem properare non ignoratur ad regiæ, æternæque dignitatis sceptra. Perierant Cis asinæ exerrantium hominum vmbræ; nec mirum brutis exæquentur, dum brutalibus appetitibus sordidantur, Saül, vt amissas reducat, Ephraim montem conscendit, & Salissa terram excurrit: *Cùm transissent per montem Ephraim, & terram Salissa, & non inuenissent, transierunt etiam per terram Salim.* Montis difficultatibus non deterretur, itinerum excursibus anxiis defatigatur, campis exerrando conteritur; verum dum animas amissis brutis adumbratas perquirit zelotypus, regali throno censetur dignus. Dum itinerum ardua vincit, dum nulli laboti parcit, non caruit fructu, & si caruerit effectu. Samuël itineribus defatigatum recreat, & diadematis coronat: nec enim qui animarum sitiebat lucrum, poterat non acquirere sibi regnum. *Per Saül* (inquit Hugo) *qui iussu patris quærens asinas perditas peruenit ad regnum significantur Prælati, qui iussu Dei patris quærere debent animas perditas, & per custodiam animarum acquirere sibi regnum non terrenum, sed æternum.* Anxios Saül subiit labores, vt errantes reducat ad pascua, & regalia sibi labore promeruit sceptra.

TEXTVS.

Vers. V. Cùm autem veniisset in terram Suph, dixit Saül ad puerum, qui erat cum eo: Veni reuertamur, ne fortè dimiserit pater meus, & solicitus sit pro nobis.

§. XVI.

Curet citò ad patrem redire, qui errantibus desiderat prouidere.

Vltia contactu nocent vtque antidotis præmunitur prouidus, si peste laboranti accessurus sit medicus sic qui vitiorum contagio laborantibus prudenter optat succurrere, sibi debet solicitè prouidere. Nemo est, qui nobis aliquod vitium non commendet, aut imprimat, aut nescientibus allinat: facilè transitur ad plures. Catoni, Lælióque tenebras offunderet multitudo dissimilis luxuriæ, auaritiæque exempla virtutis robur aut eneruant, aut fascinant. Satis est ægroti pestilens halitus, vt salutem corrumpat, & lædat: ergo magna vigilátia opus est cum pessimis agenti, ne similis fiat. Hinc qui religioso zelo inflammati satagunt morbidis mederi, & ad rectam semitam errantes reducere, solicitè curant ad se ipsos sæpesæpius redire, & si quem contraxerunt pulverem, prorsus abstergere. *Nemo nostrum* (inquit Seneca *epist. 7.*) *qui cùm maximè concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest.* Asturo, malignoque conuersari aliquam rubiginem affricat, quam necesse est solicita cura abstergere, & ad abstergendum distare. Saül aliquod in quærendis asinis tempus posuerat patris præceptis obsecutus, sed redire ad patrem curauit prouidus: *Veni, & reuertamur* Noluit prudens, vt errantibus prouiderit, à patre longè seiungi, aut diù erroribus circumagi, vt qui nouerat ipso hominum conuictu virtutem aut lædi, aut obscurari aut imminui. Innuit Abulensis *quæst. 6. Veni, & reuertamur, scilicet non inquiramus vlterius asinas, sed redeamus in domum patris mei.* Voluit tantisper quiescere, vt quem contraxerat asinarum inquisitione, à se puluerem excuteret. Actionum coloribus Saül expressit, quid opus sit euangelicis operariis, & saluris animarum zelotypis: Errantes debent quærere, nullis vt reduxerint, laboribus parcere; quia tamen his occupationibus itineribúsque robur lassatur, & conuersatione improborum feruor minuitur, oportet ad orationem, patremque redire, & concinnandis virtutibus studere.

§. XVII.

§. XVII.

Superior pluris æstimet subditum, quam jumentum.

Tibi videatur thesis stulta, aut saltim otiosa, & quidem si omnes Prælati, superioréſque, vt fas est rationabili lance rerum pretia expenderent, & taxarent, dubitari nequiret pluris habendum hominem, quàm iumentum: verùm cùm aliquando accidat, superiorem æquam de rebus non ferre sententiam, non erit abs re hanc suffulcire doctrinam. *Inhumana praetereo* (aiebat Seneca *epist.* 47. *quod nec tanquam hominibus quidem, sed tanquam iumentis abutimur.* Adnectit: *Hac praecepti mei summa est: Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velles vivere.* Adjicit: *Vive cum servo clementer, comiter quoque, & in sermonem admitte, & consilium, & in convictum.* Quod si ita agendum cum seruo quomodo putas cum subdito? Sed ô miserum! agrotat subiectus, & vel in iumentorum censu non habetur; quandoquidem ipse negligitur, cùm de nutriendis, & curandis equis studium solicitum habeatur. Amiserat Cis asinas, earum inquisitionem Saüli filio commendauit: *Quare asinas.* Iam aliquod in quærendo tempus insumpserat, & patris solicitudinis erga se non inscius redire statuit: *Veni, & reuertamur ne fortè dimiserit pater meus asinas, & solicitus sit pro nobis.* O bonum superiorem, qui loco filij habebat, & seruum! Saül patris optimos mores deprædicauit, dum anxium conjecit: *Solicitus sit pro nobis* (inquit Abulensis *q.6.*) *idest, fortè iam magis tribulabitur pater meus pro absentia nostra quàm pro perditione asinarum. Sciebat enim Saül se à patre tenerrimè diligi.* Adnectit: *Voluit ergo cessare ab inquisitione asinarum ne per longam absentiam patrem afflgeret aduersa suspicantem.* Cis plus affligitur, ne quid aduersi filio, seruóque acciderit suspicatus, quàm de asinarum amissione certus: ergo virtutibus emicuit excultus, cùm sint, qui pluris æstimarint equum, quam filium.

TEXTVS.

Vers. VI. Qui ait ei: Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis: omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit: Nunc ergo eamus illuc si fortè indicet nobis de via nostra, propter quam venimus.

§. XVIII.

Rebus in dubiis, amissíve non sunt consulenda specula, vel auguria.

Augurandi, diuinandique scientia vt fallax, & vana, sic artifici, & consulenti inuenitur nociua. Dæmon nonnulla & prænuntiat, & detegit, vt malignitas, quæ non videtur, diuinitas habeatur. *Quæ illi accuratior pascua est* (scribit Tertullianus *in Apologetico cap.* 22.) *hominem à cogitatu vere diuinitatis auertat præstigiis falsis.* Adnectit: *Ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur diuinitatem dum furantur diuinationem.* Itaque cum de incolatu aëris, de vicinitate siderum, de commercio nubium futura nonnulla prænoscant, vt oracula venditant, & elusoriis phantasmatibus fallant: & tamen sint stulti plures, qui ad rei amissæ recuperationem diuinos adeant & ingenti pretio falli coëmant. Balac post constructas, aras, & perditas victimas ingemuit, & diuinum quæsisse doluit: *Iratus Balac contra Balaam complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus è contrario tertiò benedixisti: reuertere ad locum tuum. Num.* 24. *vers.* 10. Nullus fuit magiæ fructus, etsi Balaan ea arte famosus. *Balaan famosus erat in arte magica* (inquit Origenes *homil.* 13. *in Num. & in carminibus potens.* Existimauit Balac augurijs carminibúsque famosum Balaan sibi profuturum; verùm sera pœnitentia agnouit nihil proficere auguria, nec prodesse carmina. Audi Nazianzenum *orat.* de Iuliano loquentem: *Ipsi porrò Assia impietatis schola erat, tam quæ circa siderum scientiam, & genituras inanémque præscientiæ speciem, vanissimè occupatur, quam quæ circa præstigiarum artem earum assectam versatur.* Consonat Tertullianus de Idololatria, *cap.* 9. *Animaduertimus inter artes etiam professiones quasdam obnoxias idololatriæ. De Astrologis ne loquendum quidem est.* Consulunt Astrologi specula, rimantur astra, vt vendant imprudentibus ininissima auguria, & pro oraculis mera mendacia. Amiserat Cis asinas & quidem sibi pretiosas: filium seruo associatum miserat quæsiturum, cúmque iam Saül cassó labore defatigatus redire ad patrem disponeret, servus Samuëlem, qui Dei spiritu occulta agnoscebat, adeundum consuluit: *Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis: omne, quod loquitur sine ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc.* Vti prudens priùs statuit virum Dei esse, à quo vera promebantur oracula, non illusoria, & vanissima auguria. O si ab hoc seruo, qui aliqua amiserunt, discerent non consulere aruspices, nec adire præstigiatores! *Vir nobilis* (inquit Lira) *hoc dicitur: propter dignitatem Prophetiæ, quod patet ex hoc, quod sequitur: Omne, quod loquitur, absque ambiguitate venit.* Ac si dicat: Samuël non loquitur ambigua, vt diuini ad tuenda mendacia: ergo hic est circa amissa consulendus, non augur, aut diuinus est auscultandus. Profectò diuini ea arte oracula proferunt, vt ambigua spem fallant, & quouis euentu vmbratilem veri speciem contineant, vt est illud: *Ibis, redibis non morieris.* Si illud, non, adiungas, *morieris*, promittit vitam; si redibis associaberis, mortem vaticinatur, quo semper prædictio in ambiguo relinquitur, & consulens sæpè fallitur.

§. XIX.

Sæpesæpiùs quæ vtiliora, solicitantur postrema.

Sic humana prudentia caligat, vt laboriosè studeat euanidis, & non adeò attendat solidis. O quantis nos perplexitatibus expediremus, si inuolaremus ad certa, amaremúsque profutura! *Ante senectutem* (aiebat Seneca *epist.* 61.) *curaui, vt benè viverem: in senectute, vt benè moriar.* Ferè omnes desidetant in senectute benè oppetere, obliuiscunur tamen benè ante senectutem viuere: sectantur lubrica, in futurum relinquunt sana. Amissas pergit Saül asinas quæsiturus; iam campis exerrarat, iam montuosa inscenderat, iam latibula perlustrarat, cùm puer, præmisso Samuëlis elogio, adeundum consuluit: *Ecce vir Dei est in ciuitate hac vir nobilis: omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit, nunc ergo eamus illuc.* Consuluit benè, sed tardè. Si non ignorat Samuëlem ea scientia præditum, vt possit omnem ambiguitatem depellere, veritatémque eis aperire, quid laboribus teritur, & variis erroribus fatigatur? Adeat in primis Prophetam, & excusato labore securam nanciscetur notitiam. Profectò vt omnia in figuris contingebant illis, hic puer factis expressit, quod frequenter nobis contingit; non ignoramus vbi sit veritas, vbi salus, & & tamen cassó labore defatigamur, inutilibus curis distringimur, & ad extremum vtilia quærimus. *Postquam tot locis tam latè* (inquit noster Sanctius) *solicitéque lustratis, nullum inueniunt asinarum vestigium, ad patriam redeunt... Tunc autem ab ipsa Prophetæ habitatione*

admonitus seruus, quem viæ comitem habebat Saul, censuit ea de re consulendum esse Samuelem, cuius in rebus dubiis, aut etiam occultis explorandis comperta iam pridèm fuerat admirabilis scientia, & cælitus inspirata cognitio. Pollere Samuelem cœlesti luce compertum erat: adeundumque prudentia dictabat, & nihilominus vltimus consulitur, & aditur, vt videas certa dubiis postponi, & solùm necessitate cogente quæri.

§. XX.

Illustrior nobilitas non quæ natalibus orta, sed quæ propriis virtutibus, ac facinoribus parta.

TAntum quis nobilior erit (aiebat Cassiodorus 3. variar. 17.) *quantum & moribus probis, & luculenta facultate reluxerit.* Qui illustribus incunabilis natus, morum nebulis latere potest obscurus, qui verò quam à parentibus non accepit, virtutibus nobilitatem sibi acquisiuit, & deprædicandus omnibus, & conspicuus. Nullus non laudat, quem inuicta fortitudo, & excellens virtus sæculis omnibus patefecit: nesciunt plures si facta desint, quē clara vena produxit. Samuel vel à seruulo deprædicatur nobilis: *Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis.* Si inquiras, an hic seruus Samuelis prosapiam nouerit? Respondebit noster Sanctius, nobilem appellasse, non quia maiorum seruus agnouisset stemmata, sed quia ignorare nequibat facta. Asseruerat Samuel in libertatem Rempublicam, contriuerat Philisthinos, depulerat aduersarios: ergo vel seruulus nonobilem deprædicauit: *Dicitur nobilis* (inquit Sanctius) *non credo quoad natales spectat, sed quia multis nominibus notus, & suspiciendus in Israel: quia videlicèt vir sanctus, quia Propheta, quia index, quia domitis Philisthinis, & re Israelitica probè constituta pace tunc, & otio fruebatur Respublica.* Ni factis clarescceret, à puero non deprædicaretur nobilis, etsi natalibus præluceret insignis; eam tamen sibi facinoribus nobilitatem procudit, vt vel vltimis fuerit nota, & omnibus suspicienda. Est enim notior, clariorque nobilitas mirandis facinoribus acquisita, quam antiquissimis antecessoribus procreata.

TEXTVS.

VERS. VII. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? Panis defecit in sitarciis nostris, & sportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud.

§. XXI.

Quò quis pauperior, cœlesti excipiendæ luci inuenitur aptior.

DIuitiæ, honores, & alia quæuis, quæ audissimè quæruntur, sunt non raro veritatis obstacula, & veræ lucis impedimenta. Multum felicitas offundit caliginis possidentibus, tenebrarum multum exoptantibus. De Numine sæpè querimur, quòd nobis honores, diuitias, & quidquid exoculatorum turba anxiè discupit, non largiatur, cùm sæpè magno beneficio abstulerit, *Ex hac deploratione* (aiebat Seneca *epist. 75.*) *nascitur, vt ingrati diuinorum interpretes simus. Querimur, quod non semper, & quòd pauca nobis, & incerta, & abitura contingant.* Ac si dicat: paupertas esse solet eximium beneficium, & interpretamur tormentum; felicitas mouet caput, opinione illudit: & ne vera perspiciamus, offusa caligine facit, & discupimus ambitiosi. Ab his, quæ magni habentur, expediri oportet, vt ad cœlestem lucem recipiendam præparetur animus, & quidem vt pictores parietem dealbant, vt colorum florem inducant; ita Deus paupertate indigentiaque solet animum præparare, cùm vult ad sublimia attollere. Saul ante quàm pane, nummisque egeret, ad regni culmen non peruenit, nec oraculum cœleste à Samuele audiuit: *Sportulam non habemus, vt demus homini Dei nec quidquam aliud*, aiebat. Iam si inquiras, cur seruus adire prophetam non consuluerit, cùm copiosior pecunia, & viatici maior copia? Respondebit Glossa, itineris defatigationem, quærendi asinas anxietatem, pecuniarum indigentiam conduxisse, vt Prophetam adiret, & adeundo regnaret. Si oculis spectes humanis, infortunatum existimabis Saulem, vt qui post asinarum amissionem: post anxiam itineris molestiam extremam etiam pateretur inopiam? verùm Deus prouidenter disposuit, vt tunc omnibus rebus careret, quo Prophetam inaugurandus adiret. Ita Glossa Moralis: *Dominus reuelaurat auriculam ante vnam diem quàm veniret Saul, aptitudinem ipsius Saulis ad regnandum, & eius aduentum.* Itaque aptitudo paupertas fuit: spectauit Numen, vt Saul cœleste auscultaret oraculum, quousque omne humanum defecisset subsidium; his nos factis erudiens paupertatem, scilicèt, & humanarum rerum indigentiam dispositionem esse supernis recipiendis fauoribus opportunam: vt è contra auri copiam, deliciarum abundantiam, inuidendam aliis fortunam solet cælestem impedire coronam.

§. XXII.

Ingenuus recusat beneficium accipere, ni digna quiuerit gratitudine compensare.

VT indecorum est beneficia vendere, & euanidam beneficiis dilargitis gloriam mercari; ita inglorium est beneficium accepisse, nec gratitudine debita compensasse. Ingenuus, ni possit reddere, recusabit accipere. *Qui deuincti sunt muneribus* (aiebat Philo lib. 1. de vita Mosis) *promptissimè nauant operam, non conferendo, sed referendo gratiam debitam.* Nobilis animus prorsus refugit ingrati notam subire, vtque non subeat, satagit beneficia dignis actionibus compensare, Saul, vt amissas asinas recuperaret, nullum detrectauit laborem, cumque à seruulo admoneretur posse, si adirent Prophetam; certam de asinis venari notitiam respondit, se nihil habere, quo beneficium illud compensaret: *Quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris, & sportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud.* Ac sit dicat: ni Prophetam adeamus, amissis carebimus; si adeamus, beneficium recompensare nequibimus: ergo satius est ingratorum notam effugere, quàm iumenta amissa recuperare. Seruus quid grati Prophetæ offerant, se habere testatur: *Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argentei*; & iam Saul, quod recusabat, ne videretur ingratus, Samuelem adiuit lætus. Ita noster Sanctius: *Ingenui est hoc, & obseruantis animi, non eius, qui emèdum pretio putaret esse vaticinium.* Non ignorabat Saul, Prophetam vaticinia non vendere, nec dolebat se non habere, quo valeret comparare; immò quia certus, erat, Prophetam liberali animo beneficium largiturum, erubescebat non exhibere aliquod gratitudinis argumentum. Et quidem iugenuis, ni possint aliquo modo compensare, onerosum est beneficium accipere. *Hanc vnam, Cæsar, habeo iniuriam tuam* (querebatur Furnius apud Senecam 2. de Beneficiis cap. 25.) *effecisti vt viuerem, & morerer ingratus.* Ea erat beneficij magnitudo vt nequiret compensari: ergo dolebat Furnius ingratus videri. O si aliqui hanc amplecterentur doctrinam, nec sequerentur oppositam! Periculosum est aliquibus benefacere, quia argumentum nihil debentium

debentium linguaces quærunt. Alij cùm referre facile sit vel auaro sine impensis, vel inerti sine labore gratias agendo, ora improbo silentio sigillant, & se accepisse beneficia publice confiteri detrectant.

§. XXIII.

Non est idem vaticinia vendere, & xenium aliquod liberaliter oblatum accipere.

DEi ministri nil, quod ad animarum salutem spectet, fœda venalitate, aut venali cupidine dehonestant; quod gratis acceperunt, gratis etiam aliis communicarunt: non est tamen contra ministerij splendorem, virtutisque puritatem xenium aliquod accipere liberaliter dilargitum, & in argumentum gratitudinis oblatum. Distinguendum est inter vrbanitatem, & venditionem; turpe est vendere; inurbanum sæpè nil accipere. Ob id integerrimi ministri, dum eis offeruntur munera, exiguum quid solent delibare; ne videantur inurbani, alia remittere, ne muneribus obmurmurentur corrupti. Angeli apud Loth azyma acceptarunt, dum à flammarum vorticibus exemerunt: *Coxit azyma, & comederunt. Gen. 19. v. 4.* Nullus mentis compos suspicaretur beneficium venditum, quia obsequium acceptauerunt exiguum: ergo acceptarunt azyma vrbani, non venalitate polluti. Quod Samuël factis etiam edocuit: Dolebat Saül nil se habere, quod Samuëli posset offerre, à quo non dubitabat vaticinium accipere: *Ecce ibimus, quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sacculis nostris.* Dum Dei virum fatetur, venalitate obscurandum non arbitratur, dúmque aliquod munusculum desiderat dilargiri, integritatem huiusmodi munusculis edocet non obscurari. Notauit Procopius: *Non est, quòd Samuëlem corrumpendum muneribus fuisse existimemus; suspicatus est autem Saül tanquam Propheta, & Principi aliquid offerendum esse. Cæterum nihil attulit: contra verò humanitatis Prophetæ fructum percepit.* Munere non oblato, aut certè exiguo vaticinij fructum percepit, nec enim Samuël attendebat dona, vt proferret vaticinia. Quod si argenteum nummum accepit, non fuit vt adularetur cupidini, sed ne deesset vrbanitati. Addit Procopius: *Hæc falsò vtpotè homines praui de Prophetis sunt suspicati. Qui vel non acceperunt, vel à nullo acceperunt, quod simpliciter vituperari non potest. Nam Apostoli contra officium fecissent, quemadmodum Paulus dicit semel, & iterum. Quod opus erat, mihi misistis.* Itaque Apostolus sanctitatis norma doctrinam cœlestem non venditabat, sed gratis prorsus conferebat; aliquando tamen munus liberaliter oblatum accepit non cupidus, sed vrbanus. Audi de Samuële Rabbanum: *Quamvis dare descreuerint, non legimus, quòd Samuël acceperit; si tamen accepisset, non reputaretur in diuinationis præmium, sed in Prophetæ stipendium.* Indigebat Propheta, quo vitam aleret: ergo oblatam quartam partem stateris argentei accepit (vt nonnullis placet) non vt diuinationis pretium, sed vt aliquale vitæ adminiculum.

TEXTVS.

VERS. VIII. Rursus puer respondit Saüli, & ait: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argentei, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram.

§. XXIV.

Exiguis magna possunt acquiri, & pretiosa vilibus comparari.

PRouerbium est, magna magnis constare, & quidem verum, si applicaueris ad humana, non tamen si retuleris ad diuina. Multis constat dignitas, multis splendor volaticus, multis fastus noxius, & superbus. Quàm opportunè Tertullianus ad Martyras *cap. 4. Hodiè apud Lacedæmonas solemnitas maxima est, id est, flagellatio non latet. In quo sacro ante aras nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus, & propinquis, & vti perseuerent, adhortantibus. Ornamentum enim, & gloria deputabitur, maiore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quàm corpus.* Itaque vt constantiæ adolescentes assequerentur gloriã, vtque fortitudinis nanciscerentur famam, vitæ dispendio cruenta tolerabant flagella, & infelicissima non detrectabant martyria. Adnectit Tertullian. *Igitur si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis, & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, bestias tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ: possum dicere: modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis, & diuinæ mercedis. Tanti vitrum, quanti verum margaritum. Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso.* Licet tot laboribus verùm margaritum constaret, vt fragile constabat vitrum, ambitiosè foret comparandum, & sitienter inquirendum: verùm vt Deus humanæ fragilitatis satis gnarus, disposuit, vt magna exiguis compararentur, & pretiosa vilibus acquirantur; sic dæmon falsa speciositate splendentia, multisque fucis illita carissimè vendit, adeoque homines desipiunt, vt ad volaticam dignitatem, ad fugitiuum splendorem, ad euanidam gloriolam acquirenda nullis laboribus parcant, immò certaminibus anxiis contendant possidere, cùm pretiosam, ac solidam virtutem ne exiguis velint acquirere. Saül quartam stateris argentei partem Samuëli offert, & regnum accipit: *Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argentei; demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram.* Diadematis regalibus coronatur, & æternum regnaturus (ni ipse sibi obstitisset) inungitur, dum quarta pars stateris offertur: vt noueris quàm paucis à Deo emantur pretiosa, quàm exiguis profutura. *Quarta pars stateris* (inquit Lira) *valebat quinque obolos.* Quinque obolis emitur regnum, cum multis aureis ematur sæpè corporis, & animæ exitium. Vitrum ab stultis carissimè emptum nostram damnabit desidiam, quando paucis negligimus margaritum comparare, & cœleste regnum acquirere.

§. XXV.

Aliquando serui ditantur pecunia, cùm domini premuntur inopia.

NEscias quibus artibus copiosa serui exundarint pecunia, vel cùm eorum domini premuntur inopia. Contradicit status, sed industriæ prævalet modus. Villicus ille artem inuenit, qua otio indulgeret, & etiam mendicandi ruborem effugeret. *Nunquid dubium est* (aiebat Seneca 7. *de Benef. c. 4.*) *quin servus cum peculio domini sit. Dat tamen Domino suo munus. Non enim ideò nihil habet servus, quia non est habiturus.* Si conditionem spectes, nihil, aut parum servus erat habiturus, peculium tamen aliquando adeò copiosum habet, vt ipsi domino munera possit dilargiri, & pecuniam non modicam mutuare. Cùm Saül recusaret Samuëlem consulere, quia pecunia nudus non habebat, quod offerre quiret gratus, inter manus plicas inuenit servus argentum: *Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argentei, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram.* Domino omni pecunia carenti subuenit servus; nam sæpè serui ditantur copiosi, & domini premuntur pauperrimi. *Saülis famulo* (inquit noster Sanctius) *reliqua erat è viatico vna drachma argentea, quæ denarium valet.* Aliquid è viatico remanserat, quod Saül prorsus nesciuit, & servus vrgente necessitate erogauit. E viatico quid servus retinebat, cùm dominus nil remansisse putabat, vt huius historiæ penicillo videas adumbratum, quod servis nonnullis est frequentissimum.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. IX. & X. Olim in Israël sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns. Et dixit Saül ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei.

§. XXVI.

Si rationi consonum, arripiendum est à quocumque detur consilium.

SApientes potiùs rationi obsequuntur, quam vanitati adulentur; non adeò tument, vt aliorum sententiam auersentur; non cæcè adeò parent, vt sine discussione amplectantur. *Consilium sapiens* (aiebat Plutarchus *lib.* An seni) *multas vnum manus superat.* Sapienti multoties consilio obtinetur, quod multis viribus non perficitur: ergo sapiens non respuit, sed prudentiæ lance examinatum gratanter suscipit. Consuluerat seruus Saülis Prophetam adire, & notitiam de amissis asinis comparare; Saül, vt erat ingenuus, nec haberet, quo Prophetam remuneraret, ea difficultate impeditus retardabatur: seruus munusculum obtulit, & iam Saül sententiam est amplexus, & assecutus: *Optimus sermo tuus, Veni eamus.* Non est sequutus statim serui consilium, quia aliquod agnoscebat impedimentum; ast cùm ablatum vidit impedimentum, est amplexus serui consilium; edocens consilia examinanda, & à quocumque dentur, si rationi consona, nullatenus respuenda. Innuit Abulensis *quæst.* 9. *Ante hoc non consentiebat Saül puero suo, eò quòd non habebant, quid darent viro Dei; nunc autem inuento quod haberent, dixit: Optimus est sermo tuus, scilicet quod eamus ad virum Dei, & dicamus viam nostram, atque offeramus quartam partem stateris.* Magno detrimento Saül serui consilium despiceret, & minus prudens haberetur, ni difficultates expenderet: verùm dum difficultatibus deuictis est amplexus salubre consilium, sequendum nobis exhibuit exemplum. Inuenies, qui seruorum consilium respuant, quasi audire seruos sit splendoris nebula, & majestatis iniuria. Inuenies etiam qui cæcis oculis pareant, & seruulis præcipuè, si cupiditatibus adulentur, indecenter obediant. Saül, ante quàm consilij difficultatem expenderet, non paruit, nec cùm inuenit rationi consonum, respuit.

TEXTVS.

VERS. XI. & XII. & XIII. Cúmque ascenderent clivum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendum aquam, & dixerunt eis: Num hic est Videns? Quæ respondentes dixerunt illis: Hic est: ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso. Ingredientes vrbem statim inuenietis eum, ante quàm ascendat excelsum ad vescendum: neque enim comesurus est populus, donec ipse veniat: quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt, qui vocati sunt: nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.

§. XXVII.

Puellæ de industria cum iuvenibus longum sermonem texunt, & loquendi quamlibet occasionem arripiunt.

MVlieres ferè semper impatientes tacendi sunt; quidquid secretò acceperunt, effundunt. Vndè disertè aiebat Plutarchus *lib.* de garrulitate. *Morosam recipit curationem, & operosam philosophia garrulitas.* Fœminarum linguæ volubiliores sunt; nil prudenter nouerunt premere, ne desiuerint loqui. Serpens mulierem adiit, & cur de arbore scientiæ non comederet, interrogauit, vt qui nouerat, mulieres vel cum serpente sermonem texere, & quidquid nouerint, facilè effundere. Verùm etsi cunctis fœminis garrula loquacitas, & loquax garrulitas quodammodo sit propria, puellis, præcipuè si occasionem loquendi cum iuvenibus nanciscantur, videtur innata. Inuenit Saül puellas, dum Samuëlem quæreret, & an in ciuitate adesset, rogauit: *Num hic est Videns?* Interrogate longissimum sermonem texuerunt, & protelarunt: *Hic est: ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.* Cùm interrogationi satisfacere potuissent, dicendo: *Hic est*, quærit Lyra, cur tot verba contexuerint, futurúmque sacrificium, & quid in sacrificio futurum importune retulerint? Respondetque, Saülis venustate, ætatéque florida allectas detinere voluisse, vtque detinerent, verba plurima multiplicasse. Ipsum audi: *Istæ puellæ plura verba dixerunt Saüli, vt patet ex sequentibus, quia sicut dicit Dauid Salomon, volebant eum aliquantulum detinere verbis, admirantes pulchritudinem ipsius.* Vt pulchellum detinerent iuvenem, longissimum texuere sermonem, nec eam amittere voluerunt loquendi opportunitatem. Profectò pulchellas decet verecundior modestia, & modestior verecundia; sed quæ egrediuntur domo, quæ ad hauriendam tendunt aquam, vt plurimum plus garrulæ, quàm modestæ.

§. XXVIII.

Decens est, vt benedictio præcedat prandium, & Numinis inuocatio conuiuium.

VBique Dei memoria necessaria, præcipuè tamen vbi lauta instruuntur conuiuia, & splendet mensa differta; tunc enim, & edacitas proritata effræmor, & & cupiditas auidior; lectiores cibi proritant, generoni calices furim inflammant: ergo cœleste auxilium est implorandum, vt omne immodestiæ, gulæque propulsetur periculum. Ad hæc: decens est præmissa benedictione beneficia à Dei munificentia testari exorta, vt gratiarum etiam actione munifica Dei liberalitate largita. *Si honesta est causa conuiuij* (aiebat Tertullianus *in Apologetico capite* 39.) *reliquum ordinem disciplina de causa æstimate, quid sit de religionis officio: nihil voluptatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est vtile. Ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire.* In conuiuiis frequenter vini generositate lingua inflammatur, & temperantia saporatis ferculis læditur: ergo oportet ante conuiuia orationem præmittere, & Dei memoria cupiditatem frænare. *Ita tibi semper comedendum est* (aiebat Hieronymus ad Eustochium) *vt cibum & oratio sequatur, & lectio.* Consonat Synesius Episcopus Cyrenensis in concione Panegyrica: *Dum epularis, Dei memineris, si quidem tunc qui epulatur est, in peccatum proclivis est, ac lubricus, corpusque ipsum,*

ipsum, dum ex fœcundiore alimonia gliscit, & carne reficitur, animus à sapientiæ studio renouatur. Ergo cùm adeò necessaria sit ante conuiuium oratio, Samuël suo exemplo edocuit orationem præmittere, & præmissa temperanter manducare: *Ipse benedixit hostiæ, & deinceps comedunt, qui vocati sunt.* Ante benedictionem nullus audebat cibum attingere, nec post benedictionem temperantiæ leges violare. *Hinc colligunt multi* (inquit noster Sanctius) *& sanè meritò vsitatum esse quondam Hebræis sacr. re mensam, quæ ante benedictionem videretur profana.* Ne conuiuium illud videretur profanum, Samuël benedictione sacrabat, & oratione intemperantiæ periculum auertebat.

§. XXIX.

Digna sunt laude conuiuia, si charitatem foueant, indigna, si intemperantiæ deseruiant.

COnuiuia charitatis debent esse fomenta, non appetituum illicia. Exulare debet à mensa ingluuies, amicitia nouis vinculis copulari & ipsa communicatione adaugeri. *Beneuolentia* (aiebat Plutarchus *in quæst. comm.*) *vsu, colloquio, & ludo hominum politicorum allicitur: quando opportunitatem est nacta comitem ad animum humanum, & fauorem eliciendum. At hoc præceptum vide, an ne sit non modò ad forum, verùm etiam ad conuiuium aptum? Vt non prius inde discedendum sit, quàm aliquem ex reliquis accumbentibus, & præsentibus studiosum tui, & amicum parueris.* Adnectit: *Ad conuiuium pergunt, qui sapiunt non minus comparandorum amicorum, quàm eorum, quos comparârunt, oblectandorum causa.* Qui in conuiuiis non solùm ventrem implent, sed faciunt, qui mentem densis cibi, ac potus nebulis obruunt, hostes sunt & salutis, & sobrietatis. Prudens in conuiuio, nec alienum honorem liuido dente abrodit, nec splendorem obnubilat, nec conuiuas salibus pernicioſis oblectat, sed honestis colloquiis, laudandis salibus & fouet beneuolentiam, & conciliat amicitiam. *Cœna nostra* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap. 39.*) *de nomine rationem sui ostendit; vocatur enim quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes Deum maior est contemplatio mediocrium.* Samuël Propheta magnus conuiuium instruit, quod sacrificij nomine decoratur: *Sacrificium est hodiè populi in excelso.* Sacrificium erat Deo, iuuare pauperes, alere famelicos, oblectare pusillos; sacrificium erat, quia Deo acceptum, quod egenis erat subsidium. Ita Abulensis *quæst. 9. Istud est verius, scilicet quod esset sacrificium Domini, & non solùm esset conuiuium. De carnibus tamen, quæ manebant pro offerentibus, esset conuiuium.* Adnectit: *Deus iubet, quòd Israëlitæ in magnis festiuitatibus, cùm offerrent sacrificia pacifica, vocarent ad comedendum secum de sacrificiis illis Leuitas, & pauperes, & aduenas, pupillos, & viduas, &c.* Vbi mensa charitati apponitur, vbi inopibus explicatur, in sacrificium transit conuiuium. *Hieronymus dicit* (inquit Hugo) *in libro de Hebraicis quæstionibus, sacrificium in hoc loco prandium intelligitur, quod Samuël parauerat populo in Kalendis.* Hostia erat pacem reconcilians, Dei beneuolentiam promerens instructa mensa non ad edacitatis irritamentum, non ad vini delirium, sed ad exercitium charitatis, & ad fomentum virtutis.

TEXTVS.

VERS. XIV. & XV. Et ascenderunt in ciuitatem; cúmque illi ambularent in medio vrbis, apparuit Samuël egrediens obviam eis, vt ascenderet in excelsum; Dominus autem reuelauerat auriculam Samuëlis ante vnam diem, quàm veniret Saül, dicens, &c.

§. XXX.

Pro hospitis dignitate & exornari debet hospitium, & disponi prouidenter obsequium.

HOspitio excipere vrbanitatis lex consulit, & societas humana decernit, eo tamen honore hospes debet excipi, ea sedulitate tractari, quæ statum, dignitatémque deceat. *Laudo ciuitates* (aiebat Plutarchus in conuiuio) *earúmque rectores, qui hospitibus primum, deinde ciuibus vacant.* Hospitio excipere, iniuriæ vertitur, ni hospes dignis obsequiis colatur. Ob id, qui hospitem aliquem insperatè suscipiunt, dolent non posse ea officia præstare, quæ exposcit dignitas, & ambiret officiositas. Hinc disces, cur Deus, antequam Saül aduentaret, Samuëli prædixerit: *Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem, quàm veniret Saül.* Et quid opus erat aduentum prædicere, quando ipsa die poterat manifestare? Si quando Saül accedit, Samuël diuina inspiratione cognoscit: *Ecce vir, quem dixeram tibi*: prædictio videri potuit otiosa, immò, inquit Abulensis, fuit necessaria. Saül erat Samuëlis futurus hospes: ergo ne Samuël angeretur improuidus, aut Saül minus dignè offenderetur exceptus, Numen prædixit aduentum, vt instrueretur decenter prandium, & adornaretur hospitium. Innuit Abulensis *quæst. 9. Ante vnam diem, quàm veniret Saül, ne esset incautus, & posset parare ea, quæ pertinebant ad honorabilem receptionem Saülis, decebat enim, vt cùm immediatè in Regem assumendus esset, honoraretur nunc, cùm recipiebatur. Vnde ob hoc dicitur, quòd fecit Samuël istud conuiuium magnum, scilicet, vt susciperet honorabiliter venientem Saülem.* Si hospes insperatus aduentaret, Samuël laboraret solicitus, & Saül vrbanè adeò non honoraretur exceptus: ergo cùm prædicit aduentum, & hospitis consulit honori, & recipientis subuenit anxietati. Iam si Samuël ad futurum Regem excipiendum nil officiositatis omittit, sed omnia solicita vigilantia disponit, discant, qui in Eucharistia cœlestem Regem suscipiunt, omni solicitudine animum exornare, & quidquid tanti hospitis oculis displicere potest, abjicere.

TEXTVS.

VERS. XVI. Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & vnges eum ducem super populum meum Israël, & salvabit populum meum de manu Philisthinorum: quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.

§. XXXI.

Deus clamantes in angustia non deserit, & respiscentibus fauet.

ACerba, & implicita vita eorum est, qui indulgent cupiditati, qui fallaci credunt opinioni. Et quidem vt nauigantibus ventorum adsultibus iactatis, &

acri timore concussis solus relictus est clamor, quo Deum ad misericordiam alliciant, & appetens naufragium repellant; ita cæcis, & exerrantibus clamor pro remedio est, si corde contrito cœlum pulsarint, & ad exprompta Numinis benignitatem confugerint. Hebræi relicto Deo inseruierant idolis; idololatriæ pœna fuit idoneis gubernatoribus priuari, & hostibus truculentissimis adurgeri: ergo cum tota Respublica pessum iret, lachrymosum ad clamorem confugerunt, & iam Deus iniuriarum oblitus benignis oculis populum adspexit, & gemitus anxios audiuit: *Respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.* Clamor patulas aures inuenit, & imminenti calamitati succurrit. Ita Rabbi Dauid: *Cùm iam Samuël consenuisset, & populum non posset continere in officio, & filij eius se turpiter, & flagitiosè gererent, omnia pessum iuerunt.* Subdit: *Redacti in angustias cœperunt clamare ad Deum.* Oratio de afflicto corde, de contrito animo erumpens fuit afflictionis medela, & ægritudinis medicina. Iam Deus Saülem præparat, qui hostium adsultibus se viriliter opponat, quique suos in officio contineat. Et quomodo quiret Deus afflictorum clamorem despicere, aut ad eorum gemitus obsurdescere?

§. XXXII.

Reipublicæ salus, aut pernicies est superior vitiis obscuratus, aut virtutibus expolitus.

QVod enim (aiebat Plinius in Panegyrico) *præstabilius est, aut pulchrius munus deorum, quàm castus, & sanctus, & diis simillimus Princeps.* Princeps diis simillimus opem fert laturis naufragia, ægris, egentibúsque prouidet opportuna remedia. Superior Numini dissimilis populo est grassantissima pestis. Cœlestis sapientia, immortalis philosophia est laudabiliter gubernantium idea, quam si dignis actionum coloribus in se expresserint, Respublica absque dubio, pulsa calamitate, vigebit florida. *Ad miseros* (aiebat Seneca *epist.* 48.) *aduocatus es. Opem te laturum naufragis, captis, ægris, egentibus intentæ securi subiectum præstantibus caput... Omnes undique ad te manus tendunt, perditæ vitæ, perituræque auxilium aliquod implorant, in te spes, opésque sunt. Rogant, vt ex tanta illos voluptatione extrahas, vt discectis, & errantibus clarum veritatis lumen ostendas.* Boni Principis, superiorísque enumerauit officia, quæ si quis exactè expleuerit, Deum in se referens, & adumbrans, omnibus erit incolumitati, & saluti. Clamabat populus circumsedentium hostium armis obturbatus, & præsulibus afflictus; vtque Deus pientissimus est pater, afflictionis misertus benignis adspexit oculis: *Respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.* Quid tunc? Ducem eligit eis prærogatiuis adornatum, vt inimicorum sit terror, subiectorúmque salus: *Cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israël, & saluabit populum meum de manu Philisthinorum.* Existimares Deum patraturum miracula, eiaculaturum in hostes fulmina, vt deuictis hostibus misera illa respiraret Respublica; nullo tamen alio opus fuit; quàm benè moratum, & strenuum ducem eligere; factis edocuit Deus pro miraculis esse superiorem dignitatis culmine dignum, & Reipublicæ vtilitatibus consecratum. Pœna scelerum fuit præsulibus cupidis, appetituíque indulgentibus gubernari, clamoris præmium digno Principe, superioréque regi. Ita Rabbi Dauid: *Cùm iam Samuël consenuisset, & populum non posset continere in officio, & filij eius se turpiter, & flagitiosè gererent, omnia pessum iuerunt... Itaque deserti à Deo, & redacti in angustias cœperunt clamare ad Deum.* Omnia pessum ibant corruptis præsulum moribus, refloruérúntque omnia duce eximiis adornato virtutibus. Vt hinc noueris, quàm nostra thesis sit vera, scilicet à probo, aut improbo superiore pendere incolumitatem aut perniciem Reipublicæ.

§. XXXIII.

Iusti diuinam indignationem emolliunt, & imminentem Reipublicæ calamitatem auertunt.

VIri boni societas perquam vtilis est, de occursu suo vitia suffundit; ipse habitus sonat, ipse aspectus tenebras fugat: marcida, & oppressa vitiis indoles, si boni viri & præsidium, & exemplum nacta, reflorescit, & honestos fructus protrudit. Quàm benè Seneca *epist.* 49. *Nulla res magis animis honesta induit, dubiosque, in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, adspici frequenter. Occursus meherculè ipse sapientium iuuat, & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.* Virtutem edocet vir magnus etiam tacens, sicut iuvat etiã cum Deo loquens; periculis occurrit, oppressos iuvat, communem calamitatem cœlum clamoribus pulsando depellit, & ipsi Numini gratam vim infert. Periissent sæpesæpiùs vitiorum vernulæ, ni eis iusti pro scuto fuissent, iustorum verò nacti patrocinium, appetens euitauere naufragium. Israëlitæ, vt idola vanissima figmenta colerent, verum deseruerant Numen, & ab ipso deserti in eas deuenerunt angustias, quæ facilè releuari nequirent. Ammonita tentabat eorum oculos eruere, Philisthæus prorsus conterere. Difficili hoc in statu nonnulli iusti Dei pietatem imploratunt, & ad gemitus confugerunt, quibus Deus ad misericordiam maturauit, & à cladibus eripuit: *Hac ipsa hora, quæ nunc est, eras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israël, & saluabit populum meum de manu Philisthinorum, quia respexi populum meum; venit enim clamor eorum ad me.* Quorum clamor? virtutem colentium, inquit Lira; nam cùm hi eam non mererentur calamitatem legi obsequuti, & cum improbis essent permixti, Deus eorum precibus inclinatus, dum eorum saluti prouidit, & aliorum incolumitati fauit. Ita Lira: *Ex quo patet, quod licèt in populo Israël essent multi mali, tamen cùm hoc erant multi boni, quorum preces erant coram Deo exaudita.* Iusti misericordiam precibus exorarunt, & quàm merebantur improbi, iram Numinis auerterunt. Est namque iustus & ad componendos mores efficax documentum, & validum ad eludendas calamitates profugium.

TEXTVS.

VERS. XVII. Cúmque aspexisset Samuël Saülem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.

§. XXXIV.

Deteriora ferè semper eligimus, & præstantiora postponimus.

ELectio, si iudicij adfectionum nebulis non obscurati sit partus, Reipublicæ inuenitur auxilium, & electoris elogium; si tamen adfectio iudicium præoccupauit, non attenduntur mores, sed suspirari solent vtilitates: cúmque vtilitas, & adfectio iudicium subornent, deteriora ferè semper eligimus, & præstantiora postponimus. Adde, quòd licèt nulla adfectione præpediamur, nescio, quo, si fas est dicere, fatali errore deteriora sæpè præferimus. *Cognoscite* (aiebat Theodahadus 9. *var.* 7. *Patres Conscripti, quid fieri velimus, quando in iudicibus primum mores elegimus.* Sibi, iuríque

iurique blandiebatur, quia elegerat concinnis moribus expolitum, & meritorum suffragiis cæteris præstrendum, cùm frequenter aut iudicium interpellet affectio, aut merita confinxerit inclinatio. Saul, seruusque ad Samuelem accedunt, & ne Samuel seruum præferat, cælestis iterum reuelatio mentē electoris illustrat: *Cúmque aspexisset Samuel Saulē, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.* Profectò cui iterata reuelatio videatur supervacanea, quando inter Saulem, & seruum magna intercedebat distantia: Saul excedit nobilitate, & decora corporis magnitudine: ergo Samuel inter duos adeò dispares Saulem eliget, seruumque postponet. Ad quid ergo iterum cælestis allocutio, & superna reuelatio: Profectò Samuelem nil obscurabat terrenum; verùm adeò hominibus solitum est deteriora deligere, vt reuelatio non fuerit otiosa, immò electoribus pro doctrina. Innuit Abulensis *q.* 11. *Necessaria fuit ista locutio.* E duobus erat eligendus vnus, & licet Saul seruum multis nominibus antecelleret, electoris mentem lux cælestis instruxit, quæ, si desit, sæpiùs hominum eximiis dotibus clari, & virtutibus expoliti aliis postponentur, quorum nec mores probati, nec dotes conspicuæ; quasi sit infaustum meritorum fatum reiici, & solemne indignorum priuilegium præponi: *Necessaria fuit ista loquutio*, vt Saul præponeretur electus, seruoque prælatus.

§. XXXVIII.

Ad dignitatem eligitur dignus, si electoris nullis affectionibus præoccupatus.

ERrori electoris exponitur, si quid aliud præter cælestem legem attendat. Electio, à qua & Reipublicæ salus promanat, & laus etiam electoris perennat, nunquam degenerat terrenis affectibus sordidata. Opportunè Theodahadus 10. *variar.* 16 *Sic vobis securitatem dedimus, vt nihil nostro proposito addere videremur: talia siquidem, qualia promittimus, eramus acturi, quia Deo debemus ista, non homini. Nam qui per lectiones sacras antiqua regna cucurrimus, quid aliud optare possumus, nisi quod diuinitati in aliis placuisse sentimus.* Qui diuinitatis attendit placitum, qui cælestium legum contemplatur præscriptum, omnium consulet saluti, & prospiciet vtilitati. Saul, dum eligitur, salus populi nuncupatur: *Saluabit populum meum de manu Philistbinorum*, & ne depromissis ambigeretur, qualiter sit electus describitur. Ipse, & seruulus ad Samuelem accesserant, cùm Dominus eligendum cælesti luce designat: *Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.* Samuel, etsi Saulem aspexerit, non ducitur oculorum consilio, nec proceræ venustatis suffragio. Cælesti solum luce illustratus delegit, & ad eligendum Numen consuluit. Ergo dum electoris luce superna mouetur, electus cunctis vtilissimus declaratur. Innuit Abulensis quæst. 12. *Fieri potuit ista locutio largè dicta, scilicet quod Deus immutauerit intellectum Prophetæ ad cognoscendum, quòd ille, qui veniebat, erat Saul, qui erat in Regem constituendus.* Vt Saul in Regem electus agnosceretur omnibus profuturus, refertur Samuel elegisse non pulchritudine illectus, non magnitudine persuasus, sed cælesti lumine instructus, & Numini placendi studiosus. Et quidem eiusmodi electiones salubris comitatur effectus, vt contrarias miserrimus sæpè casus.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis.

§. XXXVI.

Non debet seruulis demandari, quod desideratur citissimè absolui.

FRequenter morosè geritur, quod seruulorum curæ committitur. Hispanum adagium est: *A lo tuyo tu*, & quidem verùm; nam cùm serui nec solicitudine angantur, nec ardenti desiderio pulsentur, nolunt celeritate defatigari, sed mandata vtcumque perficere. Tres viri in ipso feruore diei Abrahamo apparent, vtque prandium celeriter apparet, panes formare Saræ comittit: *Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Gen.* 18. *vers.* 6. Nec ipse laboris expers, sed ad armentum currit, & indè vitulum pinguem affert; & quidem vt conuiuium citiùs instrueretur, prudentia consulebat iuvenem seruum ad armentum mittere, & adolescentulis panis curam delegare. Sara senio confecta lentissimè panes conficiet; Abraham nimia ætate fractus vituli adductionem tardabit: ergo famulorum vtatur ministeriis, vt celerius mensam explicuerit hospitibus; immò vt mensam citiùs conuiuis explicet, panis conformationem, & adductionem vituli seruis non iniungit, vt qui nouerat, quàm morosè à seruis dominorum iussa perficiantur, & quàm lentis gressibus immorentur. Innuit Philo lib. de Abrahamo: *Præ lætitia gestiens approperauit omnia, quæ expostulabat extemporalis tractatio. Vxorem appellatiue mora fac è tribus mensuris subcinericios; ipse ad armentum contendit.* Meridianum, productumque tempus non patiebatur moras: ergo, vt approperaret conuiuium, tetendit ipse ad armentū. Huius veritatis satis gnarus videtur Saul, qui etsi famulo associatus, dum Videntis domum inuenire desiderat, inquisiturus approperat: *Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi vbi est domus Videntis.* Et cur seruum scisciturum non mittit, sed ipse accedit? Quia fortassis suspicatus est breue illud spatium lentiùs à seruulo dimetiendum, & morosiùs, quod desiderabat, inuestigandum. Innuit Abulensis quæst. 12. *Ibat ad quærendum vbi esset domus Videntis.* Desiderabat vbi esset domus Videntis, scire, vtque acceleraret notitiam, noluit seruo committere curam; serui namque solent morosè obedire, & ad quæ ardenter desiderant domini, gradibus lentissimis tendere.

TEXTVS.

VERS. XIX. Et respondit Samuel dicens: Ego sum Videns: ascende ante me in excelsum, vt comedatis mecum hodiè, & dimittam te mane: & omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.

§. XXXVII.

Non est humilitati detrahere, acceptas à Deo prærogatiuas, si ratio exigat, aperire.

HVmilitas accepta à Deo beneficia prouida cautela adnititur occultare, ne aut præsumptio fascinet, aut tumor obscuret. Qui inuenit thesaurum, abscondit, & ni absconderet, non haberet. *Quæ studiosius diligimus* (aiebat Cassiodorus 1. var. 44.) *maiori gratia*

custodimus. Humiles prudenti cautela cœlestia dona custodiunt, ne enormi laudis fascino contingat languere, aut elationis nebulis infuscari; tamen si vtilitas proximorum deposcat, si ratio suadeat, non refugiunt aperire, & veritatem referre. Saül ad Samuëlem, vt Videntis domum inquirat, accedit, & Samuël apertis verbis se Prophetam, Videntémque esse confessus est: *Et respondit Samuël Saüli dicens: Ego sum Videns.* Et adnectit: *Omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.* Plura, quàm postulabatur, promisit, & se cordium etiam abstrusa agnoscere declarauit. Et cur Propheta aut ambiguis verbis non celet gratiam, aut agnoscendi abstrusa non tacet prærogatiuam? Quia sciebat Samuël, inquit Abulensis, ad Saülis, & populi vtilitatem conducere: ergo confessus est cœlestia dona non inani superbia tumidus, sed vera charitate suasus. Audi Abulensem *quæst.12. Sciebat Samuël, quòd Deus miserat Saülem ad ipsum: ergo nolebat se aliquibus verbis palliatis occultare, sed indicauit immediatè, quòd ipse esset, quem quærebat.* Subjicit: *Et omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Hoc dicebat Samuël ad lætificandum Saülem.* Non ostentauit Dei dona, vt blandiretur vanitati, vt adularetur tumori, sed vt subueniret anxiæ Saülis solicitudini, & solicitæ anxietati: ergo factis edocuit Samuël nil humilitati detrahi, si accepta dona evulgentur ad Dei laudem, & proximorum salutem.

§. XXXVIII.

Deus aliquando dormientes instruit, & ventura somniis arcanis ostendit.

SÆpesæpius humorum lucta excitat dormientibus somnia, quibus rudes mulierculæ obturbantur, dum infausta verentur: verùm licèt inanibus his imaginibus fides adhibenda non sit, negari nequit, Deum aliquando dormientes instruere, & futura somniis prænunciare. Vidit Joseph futuram in spicis felicitatem. Edocti sunt Magi illi Christi adoratores contectam Herodis fraudem. *Non magis* (aiebat Tertullianus *lib. de Animâ cap.57.*) *mortuos verè patimur in somnis, quàm vivos, sed eadem ratione mortuos, qua & vivos. At somnia, quæ videntur, vera sunt. Non enim quia videntur, vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renunciantur.* Vt plurimum à diabolo procurantur somnia vana, quæ nos diuexent trepidos, aut inflent ambitiosos. *Scribis* (aiebat Plinius *1.epist.18.*) *te perterritum somnio vereri, ne quid aduersi in actione patiaris.* Adnectit: *Refert tamen euentura soleas, an contraria somniare.* Contraria somnis solent euenire, & ipse euentus edocet somniatis fidem non adhibere. Addit de se Plinius: *Susceperam causam Iunij Pastoris, cùm mihi quiescenti visa est socrus mea aduoluta genibus, ne agerem, obsecrare. Et eram acturus adolescentulus adhuc. Eram in quadruplici iudicio, eram contra potentissimos ciuitatis, atque etiam Cæsaris amicos. Quæ singula excutere mentem mihi post tam triste somnium poterant.* Plura erant quæ somnium adiuvarent, & à tuenda illa causa Plinium auerterent: verùm ille ne datam fidem desereret, Pastoris patronus subsellia adiuit intrepidus, & vicit omnium plausibus celebratus. *Ego tamen* (ait) *nam mihi patria, & si quid charius patria fides videbatur: prosperè cessit, atque adeò illa actio mihi aures hominum, illa iuuam famæ patefecit.* Effectus somnij vanitatem ostendit, & in phantasia casu multa obuersari edocuit. Samuël, quæ in corde Saül gerebat, se indicaturum promittit: *Omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.* Putant Hebræi, paulò antequam Samuëlem adiret, somniasse ad palmæ culmen se euectum, & somnio deligendum fore in Principem, præmunciatum. Ergo promittit Samuël somnij veritatem aperire, & quam gerebat corde, dubietatem depellere. *Tradunt Hebræi* (inquit Rabbanus) *fuisse in corde Saül, quia Rex esset futurus, cùm vidisset per visum se in vertice arboris palmæ collocari, quod est signum regnaturi.* Itaque, vt videtur, illo somnio Deus Saüli regnum prænunciauit, & euentu somnium inane non fuisse ostendit. Ex quibus patet, somnia à Deo aliquando immitti, quibus aut periculum arceat, aut euentura prædicat.

TEXTVS.

VERS. XX. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuentæ sunt. Cuius erunt optima quæque Israël? Nonne tibi, & omni domui patris tui?

§. XXXIX.

Qui ad magna à Domino electus, reculis non detineatur implicitus.

QVocumque te abdideris (aiebat Seneca *epist.82.*) *mala humana circumstrepent. Multa extra sunt, quæ circumeunt nos, quo aut fallant, aut vrgeant: multa intus, quæ etiam in media solitudine exæstuant, Philosophia circumdanda est inexpugnabilis murus, quem fortuna multis iaculis lacessitum non transit. In insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit, & arce se sua vindicat.* His reculis, quibus frequenter implicamur, philosophia docet exolui, & seriis, ac vtilibus studere. Cupiditatum euincet insaniam, anxiam compescet timoris solicitudinem, qui veræ se tradiderit philosophiæ: verùm etsi omnibus expediat euanida relinquere, & profuturis accuratiùs attendere; ille præcipuè hac lege tenetur, qui ad tractanda magna deligitur. Quærebat amissas asinas Saül totus his curis intentus, & intenta solicitudine anxius: Samuël verò, dum ad regnum euehit, exiguis his reculis studium non impendere admonuit: *De asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israël?* Ac si diceret: Ne solicitus sis de asinis, tum quia inuentæ, tum quia iam tibi à Deo maioris momenti res commendatæ. Ad regnum electo vilia sunt contemnenda, & pretiosa studiosè curanda: nec enim decet reculæ parui momenti solicitudinibus adurgeri, qui tenetur curis vtilioribus dedicari. Innuit Abulensis *quæst. 12. Quoniam ad alia maiora negotia ipse reducebat Saülem; erat autem de istis Saül solicitus, quia ipse nihil aliud inquirebat nisi asinas; ideo, vt hilaris esset, dixit, quod perderet hanc solicitudinem.* Decederet, si ad regnum electus sordescceret asinarum solicitudinibus implicatus: ergo admonuit Samuël solicitudinem ad maiora transferre, & reculis renunciare. Vt hinc discamus ad Sacerdotij dignitatem euecti, ad prouidendum Reipublicæ designati tempus non terere, nec exiguis implicari.

§. XL.

Splendidæ dignitates à plurimis exambiuntur, à cordatis verò onera grauissima habentur.

MVlta sunt, quæ extrinsecus nitent florida, cùm interiùs, & solicita anxietate, & anxia solicitudine diuexauerint plena. Dignitas suspiratur, splendor ambitur; sed quia sub illa bractea quid lateat, cæcis oculis ignoratur. *Hanc imaginem animo tuo propone* (aiebat Seneca *epist.75.*) *ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, gratiam exeutere: quorum alia inter diripientium manus scissa sunt, alia insida societate diuisa, alia magno detrimento eorum, in quos deuenerant, prensa.* Quæ putamus felicitates insidiæ sunt;

vtque

veque in hostili regione versantibus huc, illucque solicitis oculis est circumspiciendum, & palpitantibus præcordiis euigilandum: sic his, qui culmine splendent quiescere non licet, quia aut inuidia insidias extruit, aut æmulatio belligerat, aut casus timor divexat. Sed esto, nullis externis, qui alti incedunt, adurgeantur periculis, interna non possunt non vri solicitudine, & distorqueri anxietate. Samuël populi iudex, dum ægrè non tulit dignitatis insulis denudari, immò quam citiùs studuit exui, quàm sit onerosum aliis imperare edocuit. Saül de asinis inquisiturus Samuëli accedit, & illi statim regnaturum prædicit, & ad eius humeros imperium transferre quam citiùs gestit: *Et cuius erunt optima quæque Israël? Nonne tibi?* Et cur Samuël opportunius tempus non exspectet, sed statim futurum Regem prædicit? Quia exoptabat dignitate absolui, & eo onere liberari. *Non potest se continere Samuël* (inquit Caietanus) *à prænuntiando Saüli futurum regnum Israël.* Iam si obijcias ab ipso Samuële optabile deprædicari imperium: *Et cuius erunt optima quæque Israël? Nonne tibi?* Respondebit noster Sanctius, dignitatem quid optimum appellasse vulgi opinionem sequutus, ipse laboriosum onus sibi existimasse luce cœlesti illustratus. Audi nostrum Sanctium: *Porrò illud, optima quæque Israël, regnum est, quod hominum opinione optimum existimatur, & summum, tametsi qui bene hæc & ab omni cupiditate, atque ambitione liberati cogitant, onus potius, quam honorem esse meditantur.* Quia ab omni cipiditate, ambitioneque liber erat Samuël, discupiebat exolui, & dignitatem ad Saülem transferre; ideò etsi de amissis aliis solum inquireret, Samuël de regno egit, & vt potuit electionem maturauit. Nonnulli dignitatum splendore prolectati sitienter exambiunt, sed dum properant lucis flore delusi, perire solent ardoris flamma vitulari. Papilio circumvolitat circa lucis splendorem, sed dum accedit incautus, amittit alas adustus. Itaque cùm populus existimaret in imperio quæque optima contineri, Samuël censebat nil adeò optimum vt imperio liberari.

§. XLI.

Si quis dignitatis culmen inscendit, eius parentela quidquid optimum obtinuit.

IN consanguinitatis officina procuduntur sæpissimè merita: Excelsorum cognati cæteris inueniuntur præpositi, eis sæpesæpiùs, etsi inertibus, & ignauis, arma commendantur; eis, quantumuis scientiarum expertibus, magisteria traduntur, quia vt in Adamo contraximus omnes offensam, ita in præstantiori cognato videntur omnes ad honores sortitos fuisse iusticiam. *Omne bonum regia suadere debet affinitas* (aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 9.) Adnectit: *Vndè fas est de te meliora credere, quem nostri constat generis affinitate gaudere.* De affinibus semper meliora creduntur, & ob id ad celsiora semper leuantur: quasi ius ad potiora obtineant cognati, si dignitatum culmine effulserint consanguinei Samuël Saüli in Regem inaugurandum prænuntiat, & cùm prænuntiat, consanguineos optima sortituros declarat: *Et cuius erunt optima quæque Israël? Nonne tibi, & omni domui patris tui?* Optima quæque Saüli ad imperium electo debebantur, vt qui pro omnium dimicaret salute, & hostili triumpharet detrita ferocitate. Patris verò domui quo titulo quæque optima promittuntur, cùm ad certamina non vocentur? Profectò Samuël his verbis expressit, quod repetita experientia nos docuit. Si quis dignitatis culmine fulgeat erectus, iam inhiabit dignitatibus consanguineus, & alienis meritis arbitratur sibi deberi, quæ propriis facinoribus debuisset acquiri. Innuit Abulensis *quæst* 13. *Est sensus, quod omnes cognati Saülis fuerunt facti in magna potestate: nam cùm Saül factus esset Rex, eleuauit omnes cognatos suos ad magnos honores; nam Abner cognatus Saülis factus est princeps militiæ.* Abner tractasse arma non proditur, & iam magister militiæ habetur, quia cùm Saülis esset cognatus, omnibus habebatur honoribus dignus: Ergo omni domui optima Samuël promittit consanguinitatis titulo, non facinorum præconio.

TEXTVS.

VERS. XXI. Respondens autem Saül, ait: Numquid non filius Jemini ego sum de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin? Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?

§. XLII.

Quò excellentioribus quis virtutibus splendet excultus, & profundiori humilitate agnoscitur exornatus.

HVmilitas custos virtutum est sine qua nec meritorum floret venustas, nec morum refulget probitas. Qui de virtutibus turget, qui de eximiis dotibus superbit iam, quod habebat, amittit. Qui plus meretur, minus præsumit, & dum non præsumit, adauget. *Indubitata gloria* (aiebat Cassiodorus 9. *variarum* 25.) *morum custodisse mensuram. Quid ergo? Nunquid tali actione præsumens aliqua se elatione iactauit? dum est familiare hominibus extolli cùm benè de se cognouerint æstimari. Nonne tanta se communione tractauit, vt principis sibi gratiam ad beneficia tanta crederet esse concessam?* Loquitur Cassiodorus de magnis meritis exornato, qui cum glorioſis factis ad dignitatum sibi debitam peruenisset gloriam, omnia sibi collata existimabat ob Principis solùm benevolentiam. Est enim solemne dignioribus non præsumere, sed intra humilitatis limites contineri. Saül, quia magnis dotibus, ac virtutibus exornatus ad regnum deligitur, & cùm deligitur, se cæteris indigniorem fatetur: *Nunquid non filius Iemini ego sum de minima tribu Israël?* Se inter cæteros agnoscit minimum, cùm ob merita audit electum, & à Deo resplenduit electus, quia suis in oculis erat minimus. Adest Lira: *Ista dicit Saül ex humilitate, & quadam humana curialitate, quia pater Saül inter illos de tribu Benjamin erat famosus.* Inter Benjaminitas Saülis pater erat famosus, & tamen Saül laudabili cæcitate nullam in se agnoscebat excellentiam, ob quam mereretur coronam, virtutes humilitate adornauit, & quò plus emeruerat, præsumebat minus, nam qui virtutibus excellentes, se postponunt cæteris humiliores.

§. XLIII.

Alia fortuna opus est ad fortunam conseruandam & dignitatem tuendam.

MVltorum animos fortuna aliena solicitat, & dum plurium inflammat desideria, adfert possidenti pericula. Quoscumque felicitas extulit, ingentibus perturbationibus, si non concussit, obiecit. Vna hæc via est ad tuta vadendi, fugere excelsa, sequi mediocria. *Prudentissimus quisque* (aiebat Seneca *epist.* 75.) *cùm primum induci videt mœnuscula, à theatro fugit, & scit magno parua constare. Nemo manum conserit cum excedente, nemo exeuntem ferit: circa præmium vixa est.* Quod olim in theatro rarum, his temporibus frequentissimum. Si cui aut dignitas, aut magistratus contingant, inuidentia

plures exæstuant, & vt à culmine dejiciant, laborant. Æmulatio alieno splendore obtenebrescit, ambitio aliena fortuna tabet: ergo contra multas manus debet armari, cui contigit inopina felicitate fulgere. Huius veritatis non ignarus Saül cùm inuitaretur ad regnum, objecit esse numerum cognatorum exiguum: *Nunquid non filius Iemini ego sum de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin? Quare ergo locutus es sermonem istum?* Cognouisse Saülem ex verbis Samuëlis se ad regnum eligendum tradunt Interpretes: quærunt tamen, cur familiæ exiguitatem opponat? Quid oberit sua familia inter cæteras sit minima, vt regia tempora non exornarit corona? Non erit satis vel exiguus familiæ numerus, vt vnus eligatur ad sceptrum, & possideat dignitatis fastigium? Ergo licet minima sit familia, Saül poterit nobilitari corona. O dilaudandam prudentiam! Nouerat Saül opus esse ad tuendam illam felicitatem magno delectu, cúmque paucos haberet consanguineos, ad tutelam, inuitantem respuebat non insipienter fortunam, vt qui non dubitabat ad inopiam illam felicitatem tuendam opus esse laboriosa vigilantia, & auxiliari plurium solertia. Horum verborum penitiorem esse hunc sensum tradit Abulensis *quæst.* 13. *Quia ille, qui debebat esse Rex erat dominaturus toti populo, & debebat esse potens, ne alij vellent vsurpare principatum eius, vel non reddere debitum famulatum, & quia ille, qui est in magno potentatu, si non habeat consanguineos, etiam habeat pecuniam; citò perit.* Addit Opportunè: *Quia tribus Saül erat minima in toto Israël, habebat paucos adiutores ad custodiam huius magni principatus, ideò satis videbatur, quod non conueniret ei principatus regalis.* Cùm non dubitaret nouæ dignitatis splendore multorum percellendam inuidiam, expendit prudens quas haberet vires ad stabiliendam illa fortunam, tuendámque dignitatis excellentiam, & cùm non multos, qui sibi auxilium ferrent, inueniret, dignitatis recusabat lumina, vt periculosa vitaret etiam certamina. Profectò turbulento se mari commisit, qui dignitatis culmen inscendit, & ni fortunæ opem alia fortuna tulerit, procella periculosa adurgebit.

§. XLIV.

Benè politicus ad tuendam dignitatem non tam congregare pecuniam, quàm illustrium sibi curat adiungere parentelam.

AD paucos perueniunt ab omnibus expectata, & desideriis ardentissimis concupita. Felicitatis possessio solicita est, quia dum constat à plurimis inuideri, opus est cautela vigilanti asseruari. *Ipsa felicitas* (aiebat Seneca *epist.* 75.) *se, nisi temperat, premit; si fugacissimis bonis credidit, citò deseritur, & vt non deseratur, affligitur.* Adnectit: *Aduersus hos casus muniendi sumus.* Muniendus est, qui inter alios excelluit, & quamuis pro muro fuerit aliquando pecunia, inexpugnabilior est illustrium, ac magnorum parentela. Benè politici necessitudines laudabiliter multiplicant, vt veluti inexpugnabili munitione circumvallatam dignitatem custodiant. *Domna, & sororis nostræ gloriosas laudes iugiter personate* (aiebat Theodahadus 10. *variarum* 4.) *quæ magnitudinem imperij sui nostra voluit participatione honorari, vt tanquam in duobus hominibus vnus esset aspectus, & concordem sensum nemo crederet segregatum. Sic iuxt enim simul, quos & gratia iungit, & parentela conciliat.* Quos parentela vnit, contra audaces æmulorum impetus vnitos defendit, & liuor timet prodire in campum, dum videt felicem auxilio plurimorum munitum Saül ad regnum ascitus dignitatem recusat, & exiguum numerum cognatorum allegat: *Cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin. Quare ergo locutus es mihi sermonem istum.* Satius, honestiúsque videbatur se ad culmen meritis, dotibúsque non exornatum opponere, quàm parentelæ paucitatem allegare, quando dignitas deposcit dignum, non cognatis plurimis circumseptum. Cur ergo Saül cognationem asserit exiguam, dum eligitur ad culminis excellentiam? Cùm non ignoraret, quibus contigit felicitas, pati multorum inuidiam, recurrit ad consanguinitatis tutelam. Ac si dicat: Electus sustinebo captiosas plurimorum insidias, ad quas effugiendas, aut vitandas oporteret habere plures consanguinitate, aut affinitate coniunctos, quorum numerus sit pro vallo: ergo mihi creas periculum, quia exiguum est parentelæ munimentum, & inuidentium erit machinamentum præualidum. Ita Abulensis *quæst.* 13. *Qui est in magno potentatu, si non habet consanguineos, etiamsi habeat pecuniam, citò perit, eo quod in grauibus periculis alienantur ab eo, qui olim propter pecuniam famulabantur illi. Consanguinei autem ex quadam naturæ vnione, & retinaculo se sic non deserunt; ideo ad hoc quod aliquis habeat stabilem principatum, consanguineis eget.* Itaque consanguinei consanguineo patrocinantur, & inuidentium fraudibus opponuntur. Ob id qui dignitatis culmine fruitur, prudenter agit, dum suæ satagit alias familias inserere, & parentelam incrementare.

TEXTVS.

VERS. XXII. Assumens itaque Samuël Saülem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati: erant enim quasi triginta viri.

§. LXV.

Eximiis solet Deus dotibus nobilitare, quos ad dignitatum culmina decreuit euehere.

OPortet honorabili claritate fulgere, qui aliis præfertur, & dignitatibus exornatur. Qui degeneri actione obscurus, aut obscuro sanguine defœdatus, ægrè sustinetur præpositus, & ferit aures obmurmurantium querela, si electum aliqua obscurauerit, nota. *Reseranimus* (aiebat Amalasuentha Regina 10. *variar.*) *Deo iuuante, palatia viro nostri generis claritate conspicuo, qui Amalorum stirpe progenitus regalem habeat in actibus dignitatem.* Non haberet electus, regalem in actibus dignitatem, ni antea spectabili potiretur honore; oportuit namque ad dignitatis culmen euehere, cui nullus valeat obscuritatis notam opponere. Ergo Samuël, ante quàm ad regnum Saülem inungeret, præcæteris honorauit, vt dignis anteà honoribus nobilitatus compesceret audacem linguam æmulationis electus: *Dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati.* Priùs accepit à Samuële honorem, quàm adiret dignitatem, vt honor præhabitus ferret electioni suffragium, & nobis existeret documentum. Ita Abulensis *quæst.* 16. *Saül à Samuële honorificè suscipitur, cognoscebat enim Samuël Saülem de proximo Regem futurum, & quia Rex competit maximus honor, incepit Samuël istum honorem nunc impendere Saüli, etiamsi nondum esset Rex, faciendo eum sedere super omnes inuitatos, & dando ei solemniorem partem ciborum.* Si cæteris aliquando postpositus, forte despiceretur dignitatis culmen adeptus: ergo honore alios antecedere fecit, quem in Regem eligendum agnouit. Quod si Saül aliis præferendus, reipleudit præ cæteris honoratus, quis credat sanctissimam Virginem Angelorum etiam chorus præferendam non præluxisse miris excellentiis, prærogatiuisque singularibus exornatam? Cúmque Angeli in primo instanti fuerint sortiti

sortiti gratiam, Maria contraxisse nequiuit culpam, immò quia ad eorum imperium concepta, quam non effugerant Angeli, ignorauit periculi contingentiam.

§. LXVI.

Nullus grauanter ferre debet si conuiuiis hospites honorentur, aliisque præponantur.

Laudo amici (aiebat Periander apud Plutarchum in Conuiuio) *ciuitates, earúmque rectores, qui hospitibus primum, deindè ciuibus vacant.* Hospites ferè apud omnes gentes priuilegio gaudent honorificè fas est excipere, & ciuiliter tractare. Inciuilis, imprudénsque est, qui ægrè fert in conuiuiis hospites præponi, sibique anteferri: quandoquidem tunc non tamen attenditur hospitis dignitas, quàm decora suscipientis vrbanitas. Triginta vitos inuitauerat Samuël ad conuiuium, cúmque tunc Saül, eiusque famulus cæteris insperati aduentassent, in triclinium introduxit, & locum præstantiorem cæteris dedit: *Dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati: erant enim quasi triginta viri.* Nullus obmurmurauit, aut ægrè tulit, Saülem de minima tribu, & de minima tribus familia, immò seruum etiam conuiuio cæteris anteponi, & præstantiori loco sedere; vt qui nouerant hospitibus honorem specialem exhibendum, & obsequium studiosè præstandum. Notauit Caietanus: *Dedit eis locum in capite eorum, qui erant inuitati, hospitibus siquidem honorem exhibuit.* Ni Saül esset hospes, cæteri forsitan grauanter ferrent postponi, & se quererentur despici: ast nullus conquestus est, quia ratio exigebat, vt hospes & tractaretur decentiùs, & susciperetur vrbaniùs. Deliquisset contra ciuilitatem Samuël, si Saülem minus decorè tractaret, aut in mensa locum minus decentem præberet.

§. XLVII.

Qui laboris præ aliis particeps, & præ aliis lucere debet consors honoris.

QVi Christi Domini in Saüle adumbrati vestigia sequitur ærumnis, ac laboribus diuexatus, lucebit etiam aliis honore præpositus: *Sicut socij passionum estis* (scribit Paulus) *sic eritis & consolationis.* 2. *Cor.* 1. *v.* 7. Anxietatis particeps, iure gaudet socius honoris, ipso attestante Domino: *Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Qui Principis deuotius lateri adhæsit cæteris honoratior refulsit. En seruus, qui comitatur Saülem, dum quærit asinas, dum campis exerrat, dum fame, sitique aduritur fatigatus, lateri etiam adhæret conuiuio excerptus. Saül ibi reliquis anteponitur, & seruus etiam ibi cæteris anteferrtur: *Assumens itaque Samuël Saülem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locũ in capite eorum, qui fuerant inuitati.* Ni aliquod lateret arcanum, Textus non exprimeret in capite omnium collocatum etiam seruulum: verùm Samuël dum nec imprudens, nec inciuilis, quem socium agnouit laboris, & honoris fecit participem, edocuit fas esse, vt recumbat lateri Domini proximus, qui cum laboriosis fuerat itineribus comitatus. Præ aliis honore fruitur seruus, dum præ aliis Saülem sequitur diuexatus: vt noueris cæteris præferendos Christi Domini vestigia secutos. *Iste puer* (inquit Abulensis *q.* 16.) *erat nimis familiaris Saüli.* Seruus aliis inuitati conditione ignobilior, sed meritis exornatior: ergo præstantiorem sortitur, locum quia bona politices non tam debet attendere originis splendorem, quàm actionum dignitatem. In cœlesti conuiuio non distribuuntur loca pro originis stemmatis, sed pro honestis laborum angustiis: ergo seruus præstantiorem aliis locum sortitur, quia Saüli deuotius præ cæteris famulatur.

TEXTVS.

VERS. XIII. & XIV. Dixítque Samuël coquo: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres seorsùm apud te. Leuauit autem coquus armum, & posuit ante Saül. Dixitque Samuël: Ecce quod remansit pone ante te, & comede, quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocaui. Et comedit Saül cum Samuële in die illa.

§. XLVIII.

Regia dignitas resplendet honoribus; sed & prægrauatur oneribus.

MAgna est dignitas imperantium, si quidquid in illis festiua gratulatione suspicitur, subiectorum commodis applicetur: ornant excelsos splendentia dignitatum lumina, sed etiam grauant pro subjectis laborum onera. *Grandia sunt* (aiebat Cassiodorus 6. *variarum* 13.) *quæ sustinent excubantes, personas contumaces ad parendum cogunt latentes in cubilibus suis prudenti sagacitate vestigant, superbis modestiam æqualitatis imponunt.* Pro concinnandis moribus est Principi laborandum, pro repellendis hostium adsultibus nulli labori parcendum. Perspicacibus oculis prouidendum est, ne violenta excelsorum potentia oppresserit paruulos iustitia solum munitos. Curandum studiosis vigiliis, ne locum debellandi subjectos inuenerit aduersarius. Ergo Principi, supetiorque vt dignitas affert gloriam, sic solicitudinis imponit molestiam. Saülem inuitat Samuël ad prandium, designaturus citò ad imperium, & de industria comedendum reseruat armum. *Leuauit coquus armum, & posuit ante Saül. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria seruatum est tibi.* Delicatior, sapidiorque pars poterat reseruari, hanc tamen Samuël de industria curauit reponi. Quod si, cur armum reseruauit, inquiras, respondebit Procopius, illa parte victimæ quasi hieroglyphico symbolo præmonuisse Saülem quid regium nomen, & titulus postularet. Humerus supponitur oneri: ergo cognoscat Saül cùm destinatur ad imperium onere atterendum humerum. *Hanc partem* (inquit) *Saüli apposuit, quandoquidem regnaturus, & maiora pericula quam ipse populus subiturus erat, & propterea testimonium hanc partem appellat.* Præmonere ipso ferculo voluit splendorem regium esse labore associandum, & humerum oneribus opponendum. Vnde *Isai.* 9. *vers.* 6. de Christo Principum idea prædicitur: *Factus est principatus super humerum eius. Isai.* 9. *vers.* 6. Consonat Theodoretus: *Apposuit Samuël armum ante Saülem in regni indicium; nam sicut hæc, cùm sint breuiora aliis membris animalis, portant totam molem compacti corporis & firmiter suffulciunt: ita etiam regium robur, etiamsi ad vnum virum contrahatur sustinet totum corpus Reipublicæ, & non sinit cadere.* Atlantis munus exercet dignitatis insignibus exornatus, & vt pericula amoueat, linceis oculis inuigilare debet solicitus.

§. XLIX.

Sacerdotalis dignitas regiæ anteponenda, & à Regibus honoranda.

TAntò diuinitati plurima debemus (aiebat Atalaricus 8. *variarum* 24.) *quantò à cæteris mortalibus maiora suscepimus. Nam quid simile rependat Deo, qui potitur imperio? Sed licet pro tanto munere nil compensari posset idoneè, ipsi tamen gratia redditur, dum inseruientibus honoratur.*

honoratur. Quam Princeps prærogatiuam dignitatis accepit, Sacerdotes honorando compensat, & tunc maioribus dignitatis fulgoribus agnoscitur elucere, cùm Deum in ministris constat suspicere. Ideò addit Atalaricus: *Considerantes Apostolicæ sedis honorem, & consulentes desideriis supplicantium præsenti auctoritate moderato ordine definimus, vt si quispiam ad Romanum clerum aliquem pertinentem in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad beatissimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus. Vt aut ipse inter vtrosque more suæ sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam.* Noluit religiosus Princeps Sacerdotalis splendoris dignitatem minuere, aut quam sortiebatur, potestatem extendere, vt qui nouerat decentiùs tunc Principes imperare, cùm nouerunt Sacerdotales infulas reuereri. Destinauerat Dominus Saülem ad imperium, & Samnël ante illum de industria apponi iusserat armum: *Leuauit coquus armum, & posuit ante Saul.* Quem armum? Sinistrum, vt placet Abulensi, vt hoc veluti hieroglyphyco eum edoceret regiam dignitatem Sacerdotali dignitati supparem, non æqualem. Sacerdoti obueniebat armus dexter, Regi sinister, vt vterque dignitatis Onus agnosceret, & Regi Sacerdotem antecedere præsciret. Audi Abulensem *quæst.* 17. *Dato, quòd omnia animalia, quorum carnes comedebantur ab inuitatis, fuissent immolata in hostias pacificas, poterat manere armus pro Saüle. De quolibet animali immolato in hostiam pacificam proueniebat Sacerdoti solùm pectusculum, & armus dexter, Leuit. cap. 7. Ergo armus sinister cedebat in ius popularium, & iste poterat apponi Saüli.* Itaque armus dexter erat Sacerdotis, sinister fuit Principis, vt ab exordio disceret & Sacerdotalem dignitatem præferre, & dignitatis oneri etiam humerum applicare.

TEXTVS.

VERS. XXV. Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est cum Saüle in solario, strauitque Saül in solario, & dormiuit.

§. L.

Dignitas non est cæcis oculis adeunda, sed præcognitis grauaminibus suscipienda.

MVlta sub dignitatis splendore latitant, quæ expensis oportet oculis dispicere, & fideli prudentiæ lance pensare. Plures ambitionis frænassent temeritatem si grauamina dignitatum nouissent, sed dum cæcis oculis inuolant, non solùm impingunt, sed miserabili casu corruunt. *Interdum* (aiebat Cassiodorus 6. *variarum* 12.) *assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt dignitates, dum imbecillitas humana citò solet sustinere fastidia, & quod prius ambisse creditur, posteà vitare velle sentitur.* Qui adnexos culmini labores non expendit, qui ad quæ teneatur, rationabili meditatione non cogitauit, non semel ingemuit, & dedit ambitionis pœnas, coactus ad perferendas anguſtias. *Cæterùm hi quidem* (scribit Plutarchus in præceptis politicis) *dum in Rempublicam, sicut in puteum incidunt insperato, & inconsultè, æstuent oportet, & pœniteat eos: illi, qui eò descendunt re deliberata, & consultò, animo tranquillo versentur in negotiis moderatè, neque quicquam ægrè ferant.* Ergo cùm Saül regnum esset initurus, à Samuële dignitatis prædocetur grauamina, ne recurrat posteà ad ignorantiæ profugia: *Locutus est cum Saüle in solario.* Quid locutus? Omnia, quæ ad statum illum pertinebant, ne dignitatem adiret cæcus, sed annexos expenderet labores præmonitus. Ita Abulensis *quæst.* 18. *Quid locuti fuerint, non patet, sed dicunt Iudæi, quod locutus fuerit Samuël ad Saülem de timore Dei, & custodia legis: satis autem verisimile est, quod cùm iam Samuël sciret Saülem futurum Regem, & hoc ei deuuriasset, quòd diceret ei aliqua pertinentia ad institutionem Regis, scilicet qualiter iste se deberet habere ad subditos & qualiter ad Deum.* Quæ grauamina regem comitarentur, edocuit, vt agnosceret, qualiter teneretur se gerere, & quàm prouidè deberet inuigilare.

§. LI.

Omnibus pateat conspicuus dignitatis insulis exornatus.

QVidquid eminet, ad se oculos trahit: non potest latere, qui proprio lumine nequit nó prodi. Dignitas, & celsitudo ostendit quem erigit, & excelsos aut deuota susciptt reuerentia, aut perspicax semper arrodit inuidia. Iulius Drusus plebis Tribunus ædes incolebat vicinorum oculis rimis, & scissuris patentes; cúmque artifex non magno pretio se emendaturum promitteret, respondit, se totam vitream domum desiderare, vt pateret omnibus, qua ratione vitam institueret. Dignus profectò laude, qui subito non timebat deprehendi; qui ianitores non adhibuit trepida conscientia persuasus, & ad rationem semper compositus. Adjecit, & quidem lepidè Plutarchus in præceptis politicis, opus non esse excelsis, magnísque domos crystallinas habitare, vt quidquid egerint, quiuerit vulgus agnoscere. *Nihil fortassis erat opus, vt illaita esset conspicua. Quippè perspicit vulgus & ea, quæ altissimis tenebris videntur involuta, in Rempublicam tractantibus mores, consilia, actus, & vitæ statuta: nec secus ex priuatis, quam publicis studiis alium diligunt, & suscipiunt, alium inuisum habent, & fastidiunt.* Itaque dignitatum culmine elati, etsi chrystallinas domos non habitent, lynceis patent æmulationis oculis, & superfluis curiositatis studiis: & fortè, vt hanc veritatem Samuël Saülem edoceret, ad solarium duxit, ibique in Regem deligendum prænuntiauit. *Locutus est cum Saüle in solario.* Alius locus opportunior videbatur ad negotia tractanda, quam solaria oculis cunctorum expositа, cur ergo Samuël in solario Saülem alloquatur de regno? Ni locus documento inseruiret, Textus adeò expressè non adnotaret; at dum ad dignitatem eligendum in solario omnium oculis peruio alloquitur, culmina possidentes omnium oculos pati nec latere posse testatur. Nouerit Saül idem esse eligi, & conspici, vt vitam eo modo instituat, vt spectari non erubescat. Innuit Abulensis *quæst.* 18. *Samuel locutus est cum Saüle, & hoc fuit in solario, id est in parte domus discooperta, scilicet super tectum; dicitur enim solarium à sole: illæ autem domus, quæ solem ex omni parte recipiunt, solaria vocantur.* Ex omni parte electus circumspicitur, & quidquid egerit, noscitur. Quæ in aliis prorsus laterent, in excelsis viris adnotantur, & si exorbitent, ad æmulationis solarium circumferuntur. *Pompeio magno* (verba sunt dati Plutarchi) *inimici, qui id obseruarant, exprobrarunt quod vno digito caput scalperet.* Discant hinc, quàm attente, cautéque debeant procedere, qui ignorare nequeunt ad se reuerentiam, aut inuidiam oculos semper dirigere.

§. LII.

Altitudo, ni muris fuerit circumvallata, casibus inuenitur exposita.

ALtitudo inuidiam semper inflammat, æmulationémque prouocat. Qui prospera fortuna vsus, captiosas verlatur inter tendiculas, & periculosis sustinet technas. Opus est dignitatem circumvallare, quia quidquid altum, est lubricum. *Annonem* (scribit Plutarchus in præceptis politicis) *quod lenem secun-*

in

in expeditionibus duceret, qui sarcinas suas ferebat, intentantes affectare eum tyrannidem, in exilium egere. Leonis edomuit truculentam ferociam, nec potuit vincere sæuissimam æmulationis inuidiam. Nec habere pro se leonem satis fuit ad dignitatem tuendam, & inuidiam profligandam. Samuël cum Saüle de regno in solario locutus est, nec sine mysterio arcano, & vtili documento. Voluit Samuël, vt Saül ab ipso loco edisceret altitudinem, ne pateretur casum, muris circumvallandam, & solicitudinibus vigilantissimis fore tuendam. Solarium olim muriolis cingebatur, ne in solario degens casum pateretur: ergo ne patiatur Saül præcipitia, dum conscendit alta, discat solicitare sibi munimina. *Ascendebant Iudæi ad loca illa* (inquit Abulensis *q.*18.) *& ibi habebant sua solaria. Istæ autem domus habebant in circuitu cancellos, vel murum parvum, ad hoc, quòd illi, qui essent in parte superiori, non possent ruere.* Opus est dignitatem possidenti cancellus, vt inopinus vitetur casus: immò Ochoziæ nec cancellus fuit satis, vt casum vitaret, mortémque effugeret: *Cecidit Ochozias per cancellos cœnaculi sui.* 4. *Reg.* 1. *vers.* 2. Omnibus altitudo debet esse suspecta, quia ab omnibus sitienter ambita.

TEXTVS.

VERS. XXVI. & XXVII. Cúmque manè surrexissent, & iam elucesceret, vocauit Samuël Saülem in solario, dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saül egressique sunt ambo, ipse videlicet, & Samuël. Cúmque descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuël dixit ad Saül: Dic puero, vt antecedat nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.

§. LIII.

Si quis secretum agnoscit, nescio quo proritu conatur effundere, & ad aurem omnibus propalare.

NVlla lex iubet (aiebat Seneca 5. *de Benef. c.* 21.) *amicorum secreta non eloqui.* Cùm lex impossibilia non iubeat, de seruando secreto data non est, quasi impossibile hominibus sit, quæ acceperunt, secreta citò non euomere, & instigante proritu effundere. Ratio, naturáque edocet commissa secreta abdere, & altissimo pectore continere. Verùm nescias quis pruritus instiget ad secreta promenda, & cæteris divulganda. Rarus est, qui commissa sibi concoquat, & retineat. Ob id Samuël Saülem sacro oleo ad regnum destinaturus noluit servum adesse, oportebat namque tunc electionem celari, quàm si servus nosceret, statim effunderet. *Est quædam dulcedo sermonis* (aiebat Seneca *epist.* 105.) *quæ irrepit, & blanditur, & non aliter quàm ebrietas, aut amor secreta producit. Nemo quod audierit, tacebit: nemo quantum audierit, loquetur. Qui rem non tacuerit, non tacebit auctorem. Habet unusquisque aliquem, cui tantum credit, quantum ipsi creditum est: vt garrulitatem suam custodiat, & contentus sit unius auribus, populum faciet. Sic quod modo secretum erat, rumor est.* Qui secretum accepit, alteri credit, ille alteri, vnde iam transit in rumorem secretum, & quod heri rumor, fama hodie est. Ergo antecedere puerum oportuit, vt secreta vnctio maneret: *Dic puero, vt antecedat nos, & transeat, tu autem subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.* Nullum voluit Samuël testem vnctionis adesse, ne ante tempus contingeret divulgari. Ita Abulensis *q.*20. *Quæret aliquis, quid proficiebat, quod puer Saülis hoc ignoraret? Respondendum est, quòd si sciuisset, fortè noluisset tenere secretè, sed divulgasset populo, & tunc sequebatur inconueniens.* Erat electio opportuno tempore divulganda: ergo ne immaturè proderetur, oportuit à servulo ignorari, nam serui tacere nesciunt, & quidquid occultum nouerunt, effundere ardenter discupiunt.

§. LIV.

Ambitio sibi queritur oblatum, quod alteri quantumvis digno concessum.

QVisque proprij meriti non bonus iudex est, vtpotè naturali amore corruptus, & ambitionis nebulis obcæcatus: quantumvis alterius merita efflorent, & ad digna præmia compellant, cupiditas queritur sibi iniustè ablatum, quod dignis etiam concessum. *De modestia laus sumitur* (aiebat Cassiod. 10. *var.* 11.) *de elatione odium concitatur. Proiectibus quidem proxima est indubitanter inuidia: sed tolerantia melius vincitur, quæ contentione semper augetur.* Vbi modestia emeruit laudem, odium elatione, æmulationéque innutritum criminationum opponit nubem, & dum augmentis alienis furit inuidia, periculosa concitat bella. Huius veritatis satis gnarus Samuël noluit Saülis vnctioni servum adesse: *Dic puero, vt antecedat nos, & transeat.* Veritus est, ne electio, antequam à Domino agnosceretur manifestè decreta, variis obscuraretur criminationibus infamata. Quævis tribus doleret ablatum sibi regnum, vtque adularetur inuidiæ, Samuëli adscriberet in electione piaculum. Samuël, Deo auctore, Saülem inunxit, & vnctione sacra ad imperium destinauit: verùm ni publico Dei testimonio stabiliatur electio, peculiari affectione quererentur procuratam, & iniquis artibus vociferarentur decretam. Ergo Samuël prouidè vitauit notitiam, vt factiosam euaderet etiam querelam. *Israëlitæ existimassent* (inquit Abulensis *q.*20.) *aliquam fuisse collusionem inter Samuëlem, & Saül, vel saltem conquererentur.* Subjicit Abulensis: *Omnes aliæ tribus, ad quas non peruenit principatus regalis, conquererentur, tanquam non per Deum factum fuisset, sed per fauorem personalem, vel alias, quod erat origo discordiæ in principio potestatis regnatiuæ. Volebat ergo Samuël, quòd publicè fieret coram toto populo, & coram Domino, & ibi per sortes Deus declararet, quam tribum volebat.* A Deo ad regnum destinatus est Saül secretò vnctus, & publicè salutatus; verum adeò exoculata est ambitio, vt opus fuerit ad refrænandam querelam, vt publico Dei testimonio electus sit ad coronam; alioquin electionem fauori adscriberet, & Samuëlis integritatem iniquis linguis arroderet.

§. LV.

Si semel animo iniqua suspicio adhæsit, nec miraculum facile expunget.

INiqua suspicio, si animum semel intrauerit, ita inuisceratur, concarnatúrque, vt nec miraculis expungatur, aut obliteretur. Resurrexit Christus raris, prodigiosisque miraculis concurrentibus: & tamen eius æmuli à discipulis furto sublatum in vulgus spargere festinarunt: *Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* O exoculatam astutiam! Quid proderit testes dormientes producere, vt valeas veritatem tot miraculis suffultam oppugnare? Sic prudentiæ lucem deseris, vt existimes falsis rumoribus miracula tumulanda, & prodigia sepelienda? O vtilem nobis eruditionem! Nouerant, quantas in animo radices agat suspicio, & maturauere suspicionem spargere, vt possent miraculis apertissimis contraire; quod & infeliciter assecuti sunt; nam populus ea suspicione præuentus, nec miraculis adhibuit fidem delusus. Ea sic opinio perseuerabat, & intimis sic

præcordiis insidebat, vt ablatum à discipulis è sepulchro corpus crederent, & dormientibus testibus fidem præstarent: *Divulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem.* Itaque etsi die tertia concussa repentè terra, & reuoluto, qui obstruserat sepulchrum, lapide, militum circunstantia pauore discecta, veritas se oculis ingesserit, quæ semel animum suspicio intrauerat, vigvit, & credebatur furto ablatus, qui immortali lauro resurrexerat redimitus. Notauit *in Apologetico* Tertullianus *cap.* 21. *Nihilominus primores, quorum intererat & scelus divulgare, & populum vectigalem, & famularem sibi ad fidem reuocare, surreptum à discipulis iactauerunt.* Ita falsæ adhæserunt opinionis delirio, vt apertissimo restiterint miraculo, & furti perseuerauit fama, quin profuerit euidentia. Ob id cùm oporteret Saülem ante publicam salutationem sacro oleo secretè inungi, & ad regnum destinari, cauit prudenter Samuël, ne servus adesset: *Dic puero, vt antecedat nos, & transeat.* Iam si inquiras huius cautelæ causam, respondebit Abulensis, timuisse, ne si servus immaturè occultam vnctionem evulgarit, malè interpretetur suspicax semper inuidia, quin suspicionem delere possint miracula. Ita Abulensis *quæst.* 20. *Quia Samuël fecerat hoc in occulto, & ea, quæ occulta sunt, non habent boni: omnes aliæ tribus, ad quas non peruenit principatus regalis, conquerentur, tanquam non per Deum factum fuisset, sed per fauorem personalem.* Itaque & si præsciat in Saülis posteà conclamatione ea signa futura, quæ manifestè, & dilucidè ostendant Saülem non fauore humano, sed arbitrio electum diuino, cauit nihilominus, ne suspicari possent leuissimo etiam argumento intercessisse fauorem, vt qui nouerat altè adeò in hominum cordibus insidere, quidquid rumor sparsit, aut effrænis lingua effutiuit, vt nec miraculis fides habeatur, sed præhabita opinio veritati quantumvis euidenti aduersetur: *Si puer Saülis cognouisset, & non tenuisset sub silentio, Israëlitæ sciuissent, & habuissent occasionem murmurandi nimis, ideò fuit valdè conueniens, quod lateret puerum.* Vt à Deo crederent electum, oportuit, ne suspicarentur à Samuële ad regnum fauore aliquo destinatum, quia forsan miraculum non prodesset, si sinistra suspicio eorum animos præoccupasset.

§. LVI.

Quem magnis antea plausibus celebrabamus, si à nostra sententia discrepet, liuido dente mordemus.

PRopterea igitur (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.* 35.) *publici hostes Christiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant.* Christiani competentem Imperatoribus honorem impendebant, Numina tamen non adorabant: ergo cùm ab assentantium errore discederent, quantumvis virtutibus resplenderent conspicui, pestilentibus moribus sugillabantur infecti. Dum quis alterius sententiam amplectitur, dum eius commoda promouere adnititur, eximius deprædicatur; si vero, quia ratio cogit, alteri refragetur, iam liuido dente abroditur. Solicito studio curauit Samuël, ne Israëlitæ ante publicam rationabili sorte electionem, Saülem vnctum secretò prænoscerent, eorum linguas veritus, séque aliqua nota aspergendum prudentissimè suspicatus: *Dic puero, vt antecedat nos, & transeat.* Iam si opponas, quòd Samuël adeò magnus Propheta ab omnibus habebatur, vt eius sanctitas linguas compesceret, & ambitionem frænaret, respondebit Abulensis non fuisse otiosam, sed prudentem cautelam; nam licèt antea Samuëlem miris elogiis extollerent, ac deprædicarent, statim ac nossent pro Saüle stetisse, & ad regnum inauguràsse, eius famam liuido dente non solùm abroderent, sed etiam dilacerarent. Audi Abulensem *quæstion.* 20. *Sed dicet aliquis, quod quamquam cognouissent Israëlitæ, quòd Samuël vnxerat Saülem absconditè, nihil mali suspicati fuissent, nec murmurarent, quia sciebant, quòd Samuël erat vir Dei, & nihil faceret, nisi quod Deus iuberet.* Iam obiectioni respondet: *Quamquam Samuël haberetur ab omnibus tanquam Propheta Dei, & crederent ipsi; in rebus valdè magnis, potissimè cùm nimis tangunt statum nostrum, interdum aliquibus non credimus, quibus alias crederemus. Sic enim patet de Moyse.* Cùm omnes principatum desiderarent; si scirent Samuëlem tulisse Saüli suffragium, adfectione obmurmurarent obscuratum, & fauore corruptum: ergo decuit tem latere, donec Saül manifestis argumentis à Deo cognosceretur electus, & ad regnum destinatus. Et quidem licet Moyses veluti diuinus homo ab omnibus coleretur, dum Aaronem ad Sacerdotium destinauit, multorum linguis est repercussus, & sugillatus. Ita Abulensis quæst. data: *Quia non constabat nimis illud fuisse à Deo, plurimi Israëlitarum insurrexerunt contra Moysen.* Donec virgæ florulentæ miraculum compescuit ora, Moysen, quem antea suspiciebant, audacissima lingua sugillabant. Est enim frequens, si in alteram inclinet partem, ipsum, quem magnis virtutibus deprædicabamus ornatum, sugillare vti hac, vel illa causa corruptum. Ergo Samuël, quamvis de Numinis mandato Saülem inunxerit, omnes latere curauit, & quidem si ipsum pro Saüle stare cognosceret, iam Prophetam non diceret, sed terrenis, & degeneribus affectibus sordidatum publicaret.

CAPVT

CAPVT X.

1 TVlit autem Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum & ait: Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in Principem. 2. Cùm abieris hodiè à me, inuenies duos viros iuxtà sepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in meridie, dicentque tibi: Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo? 3. Cumque abieris inde, & vltra transieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. 4. Cùmque te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum. 5. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum: & cùm ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum, descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipsosque prophetantes. 6. Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. 7. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est. 8. Et descendens ante me in Galgala (ego quippè descendam ad te) vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: Septem diebus spectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias. 9. Itaque cùm auertisset humerum suum, vt abiret à Samuële, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa. 10. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus Prophetarum obuius ei: & insiluit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum. 11. Videntes autem omnes, qui nouerant eum heri, & nudius tertius, quòd esset cum Prophetis, & prophetaret, dixerunt adinuicem: Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter Prophetas? 12. Respondit que alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? propterea versum est in prouerbium: Num & Saul inter Prophetas? 13. Cessauit autem prophetare, & venit ad excelsum. 14. Dixitque patruus Saul ad eum, & ad puerum eius: Quò abistis? Qui responderunt: Quærere asinas: quas cùm non reperissemus, venimus ad Samuëlem. 15. Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel. 16. Et ait Saul ad patruum suum: Indicauit nobis quia inuentæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicauit ei quem locutus fuerat ei Samuel. 17. Et conuocauit Samuel populum ad Dominum in Maspha. 18. Et ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, & erui vos de manu Egyptiorum, & de manu omnium Regum, qui affligebant vos. 19. Vos autem hodiè proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos de vniuersis malis, & tribulationibus vestris. Et dixistis: Nequaquam: sed Regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & per familias. 20. Et applicuit Samuël omnes tribus Israel, & cecidit sors tribus Beniamin. 21. Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus. 22. Et consuluerunt post hæc Dominum, vtrùmnam venturus esset illuc. Respondit que Dominus: Ecce absconditus est domi. 23. Concurrerunt itaque, & tulerunt eum inde: stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum. 24. Et ait Samuël ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex. 25. Loquutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino. Et dimisit Samuël omnem populum, singulos in domum suam. 26. Sed & Saul abijt in domum suam in Gabaa: & abijt cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. 27. Filij verò Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò dissimulabat se audire

TEXTVS.

VERS. 1. Tulit autem Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait: Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in Principem.

Eman. de Naxera in Reg.

§. I.

Quisque materiam offert, qua felix fulgeat, aut infelix sordeat.

QVISQVE à se ipso potest petere, quo vel aduersante fortuna valeat debitis plausibus celebrari. Qui aduentitijs, mutuatisque bonis exornatur, inuidentiæ, & æmulationis telis obiicitur: qui honestis studet, aduersa quæuis frustratur. *Quid ni tu* (aiebat Seneca epist. 75.) *mi Lucili, maximum putes instrumentum beatæ vitæ hanc persuasionem, vnum bonum esse, quod honestum est: Qui omne bonum honesto circumscripsit, intra*

se felix est ; nam qui aliena bona iudicat , in fortunæ venit potestatem , alieni arbitrij fit. Verum dixit : nam sola hæc via est perueniendi ad tuta ; externa despicere, & virtutibus studere. Qui aliquid melius virtute existimat , aut vllum præter illam bonum solicitè sibi parat , materiam offert, qua ludere possit fortuna. Propria facta , aut æternauere elogium , aut attulere felicitatis dispendium. Saül Rex inungitur, & olei lenticula ad imperium consecratur: *Tulit autem Samuël lenticulam olei , & effudit super caput eius , & deosculatus est eum.* Quærunt Interpretes , vnde lenticulam tulerit? existimántque domum egressus , Saüléque associatus, ipsi Saüli dedisse portandam , & ab eius manibus accepisse ad coronam stabiliendam. Ita Abulensis , etsi ex aliorum sententia , ad hunc locum : *Fortè dicas , quòd portabat eam in manu Saül.* Saül lenticulam, qua inaugurandus erat , portabat in manu, vt arcanum designaret mysterium , scilicet à cuiusque manu prouenire,vel quo vngatur ad æternam coronam, vel æternam deputetur ad pœnam.

§. II.

Ni incipientes curent magnis virtutibus exornari, facilè temporum tractu solent vitiorum sordibus infici.

VT eloquentiam professurus accuratè disponit exordia, quò auida audiendi excitauerit desideria; sic qui virtutis iter aggreditur , solicitè eximia debet procurare principia. Si valida , firmáque construendæ molis sint fundamenta , procellosos ventorum frustrantur adsultus, & annorum eludunt lapsus. Infirma, leuiáque fundamenta facilè tempori cedunt , & quæ splendere inceperant ædificia , corruunt temporum tractu labefactata. *Quintilianus Doctor egregius* (inquit Cassiodorus Rhetoricæ lib.cap.de generibus causarum) *qui post fluuios Tullianos singulariter valuit implere, quæ docuit, virum bonum dicendi peritum à prima ætate suscipiens per cunctas artes , ac disciplinas nobilium litterarum erudiendum esse monstrauit.* Ni vigilanti solicitudine,& solicita vigilantia incipiens comparauerit sibi scientiam,ad eam postea difficulter perueniet,quia tempore langueſcit impetus , & deficere solet animus. Nec aliter virtutis iter ingredienti contingit ; ni initio magnis se virtutibus expoliuerit , & eximiis dotibus exornauerit , quò resistat tempori non habebit. Saül ad regnum inungitur , vt Dauid etiam consecratur ; ipsa tamen exordia futurorum fuerunt præsagia.Samuël copiosiori oleo Dauidem inunxit : *Tulit Samuël cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.1.Reg.16.v.13.* Saülem exigua olei lenticula deliniuit. *Tulit Samuël lenticulam olei , & effudit super caput eius.* Ipsa vnctionis vasa delineauere mysteria. Saül exiguo oleo inunctus facilè posteà deuiauit obscuris affectibus sordidatus : Dauid copiosiori oleo delibutus , etsi tantisper postea occasioni cesserit , virtutum magnitudine communitus euasit. *Lenticula* (inquit Hugo) *est vas fictile quadrangulum in latere habens foramen. Dicitur hîc lenticula vas quoddam parvum , in quo continetur oleum , à liniendo dictum.* Exiguo oleo Saül consecratus refertur , & dum angustiori oleo resplendet exordium , extitit infaustum præsagium. Vt hinc ad mores notaueris, oportere initio magnis virtutibus exornari, qui viam salutis amplectitur , alioquin ipso tempore elanguet , & importunis tentationum adsultibus cedet.

§. III.

Humanos exuere debet defectus, qui à Deo regiminis consecratus.

ADulatio, & ambitio , quo sibi Imperatorum gratiam alliceret, deitatis nominibus honorabit. *Si non de mendacio erubescit adulatio* (aiebat Tertullianus *in Apologetico , cap.34.*) *eiusmodi hominem Deum appellans , timeat saltem de infausto.* Infaustum erat mendacium Imperatorem Deum appellare ; potest tamen mendax illa adulatio Regum moribus deseruire : nam vt Deus humanis affectibus non pulsatur , nec nebulis vitiorum inficitur ; ita Imperator , Principésque eos mores debet induere , vt Numen constet referre. Iam non homo, qui Princeps, quia Princeps Numinis substitutus , & Vicarius. Saül , dum ad regnum euehitur oleo inungitur : *Tulit Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius.* Quærunt Interpretes , an communi, aut sacro oleo fuerit consecratus ? Aliqui oleo communi vnctum existimant , quia oleo sacro iuxta Exod. 30. præscripta homo eo vnguento non poterat deliniri: *Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras ; caro hominis non vngetur ex eo.Exod.30.v.31.* Verùm Abulensis *quæst.1.* sacro oleo Reges inungi testatur, quin eis legibus obuietur, nam Reges quodammodo iam non homines. *Omnes Doctores tam Hebræi, quàm Catholici dicunt , quòd non solùm Sacerdotes vngebantur illo oleo , sed Reges, & ex illa littera quidem non tollitur hoc , quia dicitur ibi : Caro hominis non vngetur, quod intelligitur scilicet ad delectationem.* Ita Rex à se ipso debebat emigrare , & in meliorem transfundi , vt nil in eo remaneret , quod humile, ac terreum saperet. Rex iam homo solùm rationi, & iam non homo appetitui. Ergo Saül sacro oleo inungitur, & cœlestes mores tacita vnctione edocetur. Qui inunctus , quidquid sordidum, tenetur obliterare,& summa virtutum laude nitere.

§. IV.

Qui possedit magna fastigia , sæpesæpiùs audit dulcia, quàm vera.

ADulatio vanissimis laudibus solet inflare , & vt quid elueretur , sumptuosissimis elogiis felices extollere. Quòd si audiens sibi blandiatur , facillimè, dum credit , decipitur. *Omnia sanè* (aiebat Seneca *de Beneficiis cap.30.*) *excluserit opulenta felicitas,monstrabo tibi , cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit. Scilicet ille , qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem , ipsáque consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum vindicet à consensu , concentúque falsorum.* Adulatio gratis auribus frequenter excipitur , vnde plures satagunt sibi conciliare gratiam blandis, non veris. Ergo adulator fallit , & vanus credit. *Se tam magnos* (adjicit Seneca) *quàm audiunt, credunt.* Quidquid congessit laudum ambitio , quidquid excogitauit mendax semper adulatio , gratiam elucratur , dum creditur. Hinc discès , cur Samuël inuncto iam Saüli tot signa dederit,cùm populum liberaturum prædixit.*Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius.* Signa replicat, & multiplicat : *Et hoc tibi signum ; quia vnxit te Deus in Principem : cùm abieris hodiè à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel.* Inquiramus, cur tot signis sibi fidem fecerit Samuël , quando satis videbatur prædicere , vt Saül fidem dubitaret nullatenus adhibere. Si accesserat,vt vidimus, de asinis inquisiturus, quia sibi persuasit , quidquid Propheta diceret, sine

sine ambiguitate euenturum, otiosum erit ad fidem & miraculum, & signum. Cur ergo Samuel signa repetit, & veritatem tantis argumentis suffulcit? Signa dedit (inquit Abulensis quæst. 4.) quia iam ad regnum euecto felicia præauntiabat: cùmque magnatibus frequenter desit, qui verum dicat, & turba circunstet, quæ dulcissimè fallat, veritus est Samuel, ne Saul vti prudens iam electus dubitaret, & si priuatus crediderit. *Sauli datum est signum* (inquit) *certificativum ad hoc, quòd ipse crederet.* Is erat Saul, vt magna de se non præsumeret, sed modestiam, & humilitatem coleret: & ad hæc, iam in Regem erat consecratus: ergo & si Saul de veritate Samuelis non ambigeret, Samuel signa prudentissimè dedit, & veritatem stabiliuit: quasi non sint signa otiosa, vt quæ magnatibus dicuntur dulcia, habeantur vera, quando ferè omnes decertant, vt blandissimè fallant. Disce te ipsum metiri, & vanis laudibus non extolli.

§. V.

Ad culmen euectus se intelligat non tam homini debere gratiam, quàm Numini.

QVæuis dignitas, dignitatisque splendor, etsi humanis obueniat studiis, certum est à Numine promanare, & eius prouidentia disponi, præcipuè tamen qui ad regale culmen euehitur, cælesti ascendisse dispositione cognoscitur. *Quamuis omnis prouectus ad dignitatis est munera referendus* (aiebat Vigilis Rex apud Cassiodorum 10. variar. 31.) *nec aliquid constat bonum, nisi quod ab ipsa dignoscitur esse collatum: tamen quàm maximè causa regiæ dignitatis supernis est applicanda iudicijs, quia ipse nihilominus ordinauit, cui suos populos parere cognoscit.* Diuino fauori est dignitas adscribenda, non humanis artibus applicanda: nihilominus tamen plures, dum se hominibus dignitarum lumina debere arbitrantur, eis fatagunt vel Numinis iniuria complacere, & detestabili gratitudine gratiam compensare. Qui interueniente humana solicitudine dignitatis ascenderunt fastigium, electorum fatagunt adimplere solicitè desiderium: Numinis obliuiscuntur ingrati, ne humani fauoris videantur obliti. Ob id Samuel Saulem inungens à Deo illam testatus est prouenire dignitatem, vt exhiberet Numini gratitudinem *Ecce, vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem.* Si quæras, cur adeò solicitè hanc Samuel veritatem edoceat? Respondebit noster Sanctius, oportuisse maximè, vt Saul sibi persuadeat splendorem illum, non tam deberi humanis votis, quàm supernis iudicijs. Sanctium audi: *Expediebat maximè, vt Saul sibi persuaderet, vnctionem illam non esse ab homine, sed diuinam ibi quoque auctoritatem interuenisse.* Consonat. Lira: *Vnxit te Dominus, quia in hoc non sum, nisi minister eius.* Nonnulli, dum felicitatis ministros arbitrantur auctores, solicitè fatagunt eis complacere, quantumuis constet cælestibus iussis contraire: ergo oportet intelligant, quo auctore bona illa profluxerint, ne Numini opponantur iniurij, dum hominibus imprudenter probantur grati. Et expende Samuelem nil sibi in ea electione adscripsisse, vt qui non sibi quærebat electi gratiam, sed solum Numinis gloriam. Nonnulli etiamsi electionem impedire totis viribus studuerint, iam electo adulantur, seque non parum solicitasse mentiuntur.

§. VI.

Plures, si dignitatem adepti, otiantur obligationis obliti.

NOn semel qui post longum ambitum obtinuit dignitatem, cum ipsa dignitate obligationis ebibit obliuionem. Pastor gregis dispendio se pascit, gregem pascere non attendit. *Deponite nunc* (aiebat Vigilis apud Cassiodorum 10. variar. 31.) *damnorum metum, dispendiorum suspiciones abiicite: nihil sub nobis asperum formidetis. Amare nouimus viros fortes, qui sæpiùs bella peregimus. Additur, quòd vnicuique virtutum vestrarum testis assisto. Ab alio enim mihi non est opus facta vestra narrari, quia omnia vobiscum laboribus sociatus agnoui.* Nouerat Vigilis plures dignitatis culmen adeptos commodis proprijs consulere, & aliorum commoda spernere: ergo curauit metibus, suspicionibusque obuiare, & se munus impleturum asserere. Ob id Samuel; dum Saulem vngit, ad quid teneatur, reuocat in memoriam, &, quam subire debeat, explicat curam: *Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt.* Non solùm prædixit euentum, vt illi animos adderet, sed, ad quid teneretur, explicuit, vt sciret Martia se electum ad bella, non blanda ad otia. Innuit Abulensis quæst. 3. *Liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt. Istud relativum, Eius, potest referri ad populum Israel, vel ad Deum, & vtroque modo est verum; nam Israelitæ habebant aliquos hostes, à quibus liberandi erant; Deus quoque aliquos habebat.* Explicuit ad quid teneretur electus, scilicet ad peccatores, legique aduersos puniendos, & ad hostes populi debellandos, ne iam inunctus nec componendis moribus studeret, nec arma tractare, vt qui nouerat, plures post assecutam dignitatem non attendere curis, sed solum commodis.

TEXTVS.

VERS. II. Cùm abieris hodiè à me, inuenies duos viros iuxtà sepulchrum Rachel in finibus Beniamin in meridie, dicentque tibi: Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas, & intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?

§. VII.

Plures inutilia sectantur oblectamenta, cùm alienus casus salubria præbet consilia.

NIhil est, vndè nobis non promanet aliquod consilium vtile. Nihil est, vndè non subeat periculorum memoria, & admoniti nihilominus tempus cuanidis impendimus, & vana nobis oblectamenta curamus. Qui in hostili regione versantur, palpitantibus præcordijs viuunt, & huc, illucque oculos solicitos vertunt. Nos periculis circumsepti, dormimus etiam admoniti. *Ad fulminis ictum* (aiebat Seneca epist. 75) *etiam vicina tremuerunt. Nam vt illic quisquis ab igne propior stetit, percusso similis obstupuit; sic in his per aliquam vim accidentibus vnum calamitas opprimit, cæteros metus, paremque passis tristitiam facit pati posse.* Prudentes alienis casibus eruditur, & ad casus prouida solicitudine præparantur. Imprudentes verò aliena ruina admoniti, voluptati studeant obliti. Vt

aues fundæ iactu auolant territæ, & statim ad antiqua redeunt oblitæ, ita plures alieno casu tantisper tristantur, sed citissimè obliuiscuntur. Iuxta sepulchrum Rachel florenti ætate emortuæ nonnulli viri saltibus ludebant & tempus cunnidis dedicabant: *Cùm abieris hodie à me* (aiebat Samuël) *inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie, dicéntque tibi: Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas.* Septuaginta habent: *Inuenies duos viros ad sepulchrum Rachel in monte Benjamin salientes granditer.* Iuxta sepulchrum Rachel de agilitate contendebant oblectamenti causa, quin tempus colligere persuaderet immaturæ mortis notitia. *Salientes* (inquit Hugo) *causa delectationis, & exercitij.* Sepulchrum tacitis vocibus breuitatem temporis edocebat, & ætatem nullam casibus exemptam proclamabat: verùm his clamoribus surdi saltabant, & vana oblectamenta quærebant: *Super sanguinem humanum* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.* 15.) *super inquinamenta pœnarum proinde saltant dij vestri, argumenta, & historias noxiis ministrantes.* Ac si dicat: Humano sanguine inspecto dij vestri saltant, nec tot tragibus inspectis eruditi respiunt, sed noxiis historiis, & veris figmentis fallunt. Miraculi adinstar est eo stupore homines teneri, vt alienis casibus sæpè admoniti, studeant nihilominus vanitatibus surdi.

§. VIII.

Sæpè quid domi tractetur ignorauere domestici, & agnouerunt extranei.

NEscio qua curiositate extranei proritantur ad prænoscenda aliena; nescio qua cæcitate nonnulli obtenebrantur ad sua. De Lamia perhibent domi oculos non habere, & in modum lincis, quæ extra, oculis attentissimis spectare. Inuenies aliquos quæcunque ad alios pertinent indagatrice curiositate venantes, & quæ ad se, prorsus nescientes. Opportunè Plutarchus *lib.* de Curiositate. *Nostrum quisque foris & ad alios maleuolentiæ argutam sedulitatem quasi oculos admouet: in offensas verò, & vitia nostra crebrò incurrimus ex ignorantia, quia visum ad ea, & lumen non paramus. Quapropter inimicis curiosus magis conducit. Quippè incommoda illorum coarguit, & increpat monstratque iis, quæ cauenda, quæ corrigenda sint: domestica pleráque negligit, quod alienis gestiat.* Curiosus in aliorum secretis eruendis tempus iusumit, sibi non attendit. Vlysses, qua causa matrem ad inferos descendisset, ex vate nouit, ab extraneisque mulieribus didicit, quæ Tyro, quæ Chloris forma. Audi Plutarchum: *Ne genitricem quidem prius sustinuit, quàm didicisset ex vate, qua de causa ad inferos conceussisset. Quod vt accepit, vertit se ad illam, rogauitque ex mulieribus aliis, quænam Tyro, quæ formosa esset Chloris.* Quid accidisset matri ignorauit, quousque a vate cognouit. Quod Vlyssi, nonnullis videas accidere: sua prorsus ignorant, noscere aliena studiosè anhelant. Huius veritatis aliquale exemplum esse potest, quod Saüli accidit. Ad sepulchrum Rachel cum duobus viris concurrit; cúmque ipse, quæ pater dicebat, non audiret; ipsi, quæ tunc dicebat, retulerunt: *Dicent tibi: Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas, & intermissis pater tuus asinis solicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?* Non me latet littera, sed liceat sic pro componendis moribus ludere, & velitari. Ecce eadem dictantia, quid pater dicat, filius non audit, & extraneus audit, & refert. *Dicit: Quid faciam de filio meo?* Extraneus quid Cis domi loqueretur, non ignorabat, Saül nesciebat; nam sæpesæpius domesticos latent, quæ circumferunt extranei. *Isti viri* (inquit Abulensis *quæst. 4. fortè erant de cognatione Saülis, vel de terra sua, & cognoscebant, quomodo perditæ fuerant asinæ, & inuentæ.* Subjicit: *Ideò potuerunt ei denuntiare quomodo pater suus solicitus erat pro eo, & asinæ inuentæ erant.* Nil istos viros effugit, nil latuit, inuentas asinas retulerunt & quæ Cis cura premeret, denunciarunt.

§. IX.

Dum sedatur altera causa angoris, altera renascitur anxietatis.

HVmana vita laboribus, & ærumnis semper inuenitur obnoxia, raro datur quies, quia solicitudinis causæ non finiuntur, sed alternantur. Pater ille pientissimus, dum aberat prodigus, angebatur; salvum recepit, & ne duraret lætitia, fratris turbauit gaudium querela. *Indignatus est autem, & nolebat introire. Luc. 15. vers.* 28. Dum alter patris demerebatur gratiam, alter paterni aspectus patiebatur absentiam: & cùm pientissimus pater de alterius filij reditu sibi plauderet, de alterius liuore doluit. *Cor patris anxium variis æstatur motibus filiorum* (inquit Chrysologus *serm.* 4.) *& inter diuersos pignorum casus genitoris pietas stupefacta discurrit quia videt fratrem fratris reditu mox fugari, & salute alterius sibi alterum mox perire.* Ex ipso gaudio noua exoriebatur tristitiæ causa, & paternum animum referiebat querela. Nec aliter Saülis patri accidisse videbis: dum filium secum tetinebat, asinarum solicitudine laborabat. Asinis iam inuentis pro filio anxiis suspiriis ingemescebat: *Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas, & intermissis pater tuus asinis solicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?* Asinarum solicitudo sopitur, sed noua, & actiori pater cura diuexatur, modo vrgetur Saülis absentia, cùm habebat filium, asinarum vrgebat cura. Ita Abulensis *quæst. 4. Saül aberat per aliquot dies, vltra quam debuisset esse in quærendo asinas, ideò iam pater eius putabat, quod non moraretur iam in quærendo asinas, sed quòd aliquod suistrum ei accidisset.* Anxietas anxietatem excepit, & vbi vna desinebat, viuidiùs altera diuexabat.

§. X.

Sanctorum mausolea sunt tutissima patrocinia.

SEpulchra magnatum maximo apud veteres in honore fuerunt: post rogum cineres in ciuitate pyramidibus honorabant, vt vel defuncti vocali silentio cines ad facinora digna adhortarentur, quando etiam post mortem eorum viuebat glotia, & æternabatur fama. *Cur viri triumphalis, qui decesserat, & combustus erat* (scribit Plutarchus in Quæstionibus centuriatis) *licebat os in vrbem inferre, ac deponere? An hoc honore est extincti delatum?* Honor deferebatur extincto, sed honor ipse alios acuebat, & ad clara facinora proritabat. Legebant in lapide, quæ imitarentur virtute. Verùm quidquid de antiquis fuerit, certum est sanctorum mausolea esse tutissima patrocinia. Sepulchrum Rachel in finibus Benjamin eminebat, sed quem honorem incolæ impendebant, patrociniis recuperabant: *Inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin.* Fusis precibus temperabat Rachel infortunia, & procurabat incolis commoda. *Rachel* (inquit Hugo) *propè Bethlehem sepulta fuit; ideò quasi patrona vrbis erat, & ideò plorare filios suos dicitur.* A quibus honorem recepit, in filios quodammodo adoptauit, & auxiliari semper studuit: nam sancti semper compensarunt gratiæ, quem acceperunt honorem defuncti. Rachel honorificè sepulta, est ciuitatis patrona, & quem honorem recepit, fusis lachrymis, & precibus compensauit.

TEXTVS.

VERS. III. & IV. Cùm abieris indè, & vltra transieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. Cúmque te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.

§. XI.

Stpetat, aut accipiat ad dignitatem electus, innubilat famam, & armat contra se linguam.

VT quisque Principibus discupit complacere, eorúmque satagit desideria venari, quæ si aliquomodo explicent, expromptè dilargita munera accipient. Subjecti dona offerunt, sed vt benevolentiam emerint, & æquitati insidias extruxerint. Qui petiuit, aut accepit largitoris voluntati se subiugauit, & quodammodo libertatem amisit. *Sinceram purgationem pura mente suscipimus* (aiebat Cassiodorus 5. *variarum* 44.) *sed auri transmissi munera non tenemus, vt & ipsi intelligatis causam iustitia fuisse motam, quam nulla potuit finire venalitas.* Venalitate obmurmuratur finitum, quod post munera constat decretum. Saüli in Regem inuncto iubet Samuël duos panes accipere: *Dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.* Et quid opus erit præcepto, si fames vrgeat, & itineris labor suadeat? Saül, cùm accepit panes, fame, & labore premebatur: panes tamen non peteret, immò, nisi Samuële iubente non acciperet, ne principatus exordia infausta denigrarent præsagia. *Dederunt ei duos panes* (inquit Abulensis *quæst.* 4.) *videntes, quòd iter ageret, & egebat eo. Saül autem non erat petiturus panes. Sed viri gratis obtulerunt ei; quod patet, quia iussit Samuël, quod acciperet de manu eorum.* Si iam electus peteret, aut acciperet, suspicionem contra se armaret, nec crederent à Deo electum, quem munerum animaduertebant percupidum. Quantumvis fames adurgeat, & molestia itineris solatium quærere persuadeat, Saül nec petet, nec nisi Samuële præcipiente, suscipiet, ne principatus exordia aut iniqua suspicio temeret, aut linguax procacia infamet.

§. XII.

Ingenuo durum est petere, etsi fame contigerit diuexari.

MOlestum verbum, onerosúmque est, *Rogo*. Vota homines parciùs facerent, si publicitus essent facienda. Deum, à quo honestissimè petimus, tacitè precari malumus: eligimúsque aliquando fame adurgeri, quàm demisso vultu rogare. Ille beneficium sium commendat, qui accipienti ruborem excusat. *Sero beneficium dedit* (aiebat Seneca *lib. de Benef. c.* 2.) *qui roganti dedit*. Liberalis debet necessitatè venari, precesque anteuertere; nam qui rogatus dedit, non tã dedit quàm beneficium precibus soluit. Iter agebat Saül famelicus, & licet in duos viros sibi notos, qui munera templo deferebant, inciderit, panis frustum non petiuit, sed quam patiebatur, necessitatem dissimulauit. Illi opportunè duos obtulerunt panes noto, & amico: *Dabunt tibi duos panes.* Si inquiras, cur Saül à sibi familiaribus, & amicis panem non petat, cùm fames, & labor itineris vrgeat? Respondebit Abulensis *quæst.* 4. elegisse famis molestiam, ne petendi subiuerit verecundiam. Adeò molestum ingenuo est petere, vt satiùs Saül sibi duxerit famis pati iucommodum, quàm ruboris tormentum: *Fortè isti viri cognoscebant Saülem, ideò dederunt ei duos panes, videntes, quod iter ageret; & egebat eis: Saül autem non erat petiturus panes.* Molestum erat Saüli miseriam fateri, & leuamen fusis precibus procurare, ideò maluit famis morsus tolerare, quàm ab amicis subsidium petere: *Non erat petiturus panes.* Eligebat famis molestiam, vt petendi excusaret verecundiam: nil enim ingenuo adeò est durum, vt rogare, & quam patitur, aliis quantumvis amicis, necessitatem referre.

§. XIII.

Egenti succurrere est hostias Numini consecrare.

CHaritas virtutum Regina, dum pauperem alleuat, Deum honorat. Sacrificium est porrigere egenti solatium, & misero leuamentum. Qui altari pingues consecrat hostias, veneratur Numinis majestatem: qui egenti, miseróque succurrit, Numinis conseruat imaginem, & honorem. Tres viri templum ascendebant, vt sacrificia litarent, qui non exiguam sacrificij partem Saüli dederunt: *Inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hædos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. Cúmque te salutauerint, dabunt tibi duos panes.* Quam facilè ab honestis desistimus, & quàm citò in ipso virtutis itinere terrenis adfectionibus deuiamus. Qui pergebant sacrificium oblaturi iam demutauere sententiam, & obuianti Saüli dilargiuntur partem non modicam. Immò (inquit Abulensis *quæst.* 4.) ipso in itinere perfecerunt sacrificium, rati egentis alleuare miseriam fore Numini gratissimam hostiam. *Isti tres viri ibant ad offerendum, & ista pertinebant ad oblationem.* Subnectit post aliqua: *Ideò dederunt ei duos panes, videntes quòd iter ageret, & egebat eis.* Egenti impenderunt, quod sacrificio dicarant, non hostiam minuentes, sed impensa misericordia honorantes. Gratum adeò Numini sacrificium est egentis remedium; vt dum panes Numini dicentur templo eius viuo offeruntur: est enim impensa egeno misericordia honoranda, ac gratissima Numini victima.

TEXTVS.

VERS. V. & VI. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum: & cùm ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipsósque prophetantes, & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.

§. XIV.

Pro melodiæ, & concentus qualitate aut ad virtutem animus erigitur, aut ad vitium inflammatur.

MElodia, & instrumentorum concentus animum deliniunt, & efficaci dulcedine trahunt. Eam concentibus efficaciam tribuit antiquitas, vt nauigantes quantumvis ventus carbasa impleret, Syrenas audire eligerent. Dulcedo erat pro incantamento, & suauiter

decepti

decepti mallebant, quàm appellere portum, subire naufragium. Vox mutabat animos, & potenter rapiebat affectus Incorpoream animâ corporaliter demulcet armonia, & suauitas dulcis concentus nescias quod imperium sortiatur in animos. Pro cantus diuersitate cor ad virtutem accenditur, aut ad vitium inflammatur. Sirena à recto itinere abducit; Dauid truculentam furiam expellit. *Dorius* (inquit Cassiodorus 2. *var.*40.) *pudicitiæ largitor, & castitatis effector est. Phrygius pugnas excitat, & votum furoris inflammat. Æolius animi tempestates tranquillat, somnúmque iam placatis attribuit. Iastius intellectum obtusis acuit, & terreno desiderio granatis cœlestium appetentiam bonorum operator indulget.* Tædia cantu reparantur, & curarum strepitus blandè sopiuntur. Hinc vt theatra inhonestis concentibus personant, quibus animos ad vitia disponant, sic templa cœlestibus cantilenis resonant, vt ad virtutem alliciant. Prophetarum chorus Saüli obuiat, & cœlesti concentu ad cœlestia recipienda oracula parat: *Obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipsósque prophetantes, & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis.* Saül cantu delinitus vas cœlestium bonorum inuenitur effectus. Tantum valet harmonia spiritualis ad animum disponendum, & cœlestibus adaptandum. Notauit noster Sanctius: *Suauis & harmonicus sonus spiritus excitat Prophetarum, & ad accipienda oracula diuina disponit. Quod docuit Eliseus lib. 4. Reg. 3. vers.* 15. *qui cùm explorare vellet diuinam voluntatem dixit: Nunc autem adducite mihi psaltem.* Vtilissimum est Ecclesiasticis canticis interesse, periculis plenum Sirenes audire. Effœminata, & lasciua melodia persuasit sæpissimè voluptatem; decorus Ecclesiæ concentus traxit animum ad virtutem.

§. XV.

Citò addiscitur, quod Numine magistro edocetur.

OMnia labore constant. Sapientia sine sudore non comparatur, nec sine vigiliis indefessis acquiritur. *Boni viri* (aiebat Seneca *lib. de Prouidentia cap.* 5.) *laborant, impendunt, impenduntur, & volentes quidem non trahuntur à fortuna.* Adnectit: *Non erit illi planum iter sursum oportet, ac deorsum eat, fluctuetur, ac nauigium in turbido regat. Contra fortunam illi tenendus est cursus. Multa accident dura, aspera, sed quæ molliat, & complanet ipse.* Itaque qui perfectam virtutis in se imaginem effingit, multo indiget labore, & tempore; opus est runcinis, & scobinis ad eius venustatem expoliendam, & concinnandam: ea tamen solet esse diuina misericordia, vt miranda metamorphosi, qui heri ignarus, hodie resplendeat doctissimus, qui heri ignauus, hodiè perfectus. Saül rusticanus Prophetis adiunctus eorum in canendo aut peritiam superat, aut exæquat: *Insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Si Prophetæ illi musicam, vt placet Abulensi, edocebantur, & post longa studia canendi pollebant scientia, quomodo Saül temporis momento musicæ euasit peritus, & peritia canendi strenuus? Iam Textus explicuit: *Insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis.* Ac si dicat: Quod alij diuturno tempore, & laborioso studio comparatunt, tu citissimè habebis: *Prophetabis cum eis,* quia alij vsi sunt magistro humano, sed tu diuino: *Insiliet in te spiritus Domini,* & Numinis schola citò adquiritur, quod aliis tardè comparatur. Ita Abulensis *quæst. 6. Saül accepit spiritum Dei, scilicet quandam virtutem influxam ei in intellectu, per quam scivit mirabiles laudes Dei pronuntiare, sicut alij.* Adnectit: *Et prophetabis cum eis, id est, pronuntiabis laudes Dei, scilicet, tunc scies facere cantica, & psalmos, sicut alij Prophetæ, quamquam nunc nescias.* Inter eximios illos psaltes decorè adeò, concinnéque psallebat homo eius artis prorsus ignarus, vt admirationem audientibus fecerit. Deo magistro citissimè nouit, quod sine longo tempore, & vigiliis laboriosissimis nullatenus humana solertia adquireret.

§. XVI.

Lingua est non obscurum animi indicium, & argumentum.

ORatio vultus animi est. Non potuit Iacob solertia mutare loquelam, licet exterius aliam induerit personam. Verba sexquipedalia vanum; lasciua intemperantem animum produnt: quod corde geritur, frequenter labiis dignoscitur. Apud Græcos in prouerbium cessit (inquit Seneca *epist.* 114.) *Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.* Vniuscuiusque actio dicenti est similis, nec potest alius color esse animis, & alius verbis. Istæ ambages politulæ compositionis, calamistrata, & transuersa verba animum exprimunt non solidum, & maturum. Quisquis è vitiorum castris ad virtutum se contulit signa, mutauit & verba. In alium virum transfundendum Saülem prædicit oraculum: *Mutaberis in virum alium.* Quid tunc? *Prophetabis cum eis.* Expende mutationem è verbis dignosci, & oratione manifestari. Et cur non prophetet immutatus aut mutatus eadem verba non proferat, quæ proferre solitus, sed Prophetis adiungatur, & à reliquis separetur? Iam Textus edocuit: *Mutaberis* (inquit) *in virum alium.* Qui terrenis curam impenderat, totus Dei laudibs consecratus Prophetis cœlestia meditantibus iungitur, & cœlestia eloquitur. *Discerne* (inquit Caietanus) *effectus spiritus diuini, facit enim exterius prophetare cum aliis* (*hoc est, cantare diuinas laudes, quas prius nesciebat*) *& intus mutat hominem in virum alterum.* Vbi interiori spiritus luce illustratus est, exterius mutauit etiam eloquium, & promebant labia decora verba statim ac accepit internam lucem, externùm mutauit etiam sermonem; nam oratio est animi speculum, & in labio agnoscitur, quod corde geritur.

§. XVII.

Maior in eo virtutis census requiritur, qui aliis gubernandis præponitur.

QVi ad dignitatum celsa conscendit, claris virtutum luminibus tenetur ornari, ne obscuris morum nebulis sordidetur, quod à cunctis deuota veneratione suspicitur. Priuati macula potest latere, aliis præpositus in omnium oculis constat versari. *Ab ipso vitæ principio* (aiebat Cassiodorus 3. *variarum* 5.) *quos inter adulantium greges rarum solet esse nobilibus studuisse fidem virtutibus exhibere. Atque ideò instituti tui firma vestigium, vt qui primæuus gloriam consequutus es florentibus annis, glorioſis honoribus augearis. Inspice denique quanta tuorum laude præcipua decoreris. Culpæ genus est non te fecisse, quod summum est.* Priuato culpæ non vertitur, si non fecerit summa: ad dignitatem promoto crimini datur, non peregisse perfecta. Cùm lumine dignitatis locupletior augeri debet census virtutis; nec satis est mediocribus studere, quem ad dignitatum culmina constat extolli. A Principe principales exiguntur virtutes, & culpæ genus est non habere delicatissimos mores. Saül ad regale solium eligitur, & iam in virum alterum demutatur: *Mutaberis in virum alium.* Mutari oportuit in virum alium, qui Reipublicæ clavum susceperat, nec fas erat antiquam non promouisse virtutem, qui tantam susceperat dignitatem.

Mutaberis

Mutaberis in virum altum (inquit Glossa Moralis) *per quod ostenditur, quod promotus in Principem debet aliter viuere quàm priùs, scilicet virtuosius.* Cum dignitatum lumine virtus debet etiam augeri, quia magnus sanctitatis census requiritur, vbi dignitas adaugetur. O quàm aliter experientia docet accidere. Promoti in alios viros solent mutari, & qui priùs sibi oculos alliciebant modestia, morúmque elegantia, iam exorbitauere tumidi, & deliciis sorduerunt dediti.

§. XVIII.

Regio resplendeat animo ornatus, qui ad regiam dignitatem electus.

NOn decet pusillum animum gerere, si cui regiam dignitatem contigit accepisse. Animus pusillis occupatus, & reculis impeditus, non est magnis muneribus aptus. Dux spiritus debet fouere prudenter intrepidos. Princeps tenetur digna Principe cogitare, & laudabiliter adimplere. Quam erat oneri Reipublicæ Imperator ille muscis capiendis occupatus, & à negotiis seriis semotus. *Omnes quidem* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 7.) *iustitiam colere, & obseruare præcipimus, sed eis maximè, qui diuinis honoribus eriguntur: vt superna gratia fiant proximi, dum à terrena fuerint cupiditate longinqui.* A terrena debet animus cupiditate elongari, & cum dignitate decoros mores induere. Graue namque erit Reipublicæ incommodum, si internum à dignitate discordarit studium. Deus Saülem delegit in Principem, & in alium virum mutauit. *Insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Et cur modo in virum alium transfunditur, & mutatur? Quia opus erat (inquit Procopius) regalem animum induere, & interna exterioribus concordare. Nec enim esset Reipublicæ beneficium animus pusillus, & ludicris implicatus, quando resplendebat Saül regia dignitate decorus. Accipe Procopium: *Quia agrestis erat, & tantum terram colere vouerat, delecto in Regem regni animum indidit.* Superior magnos animos gerens subiectorum est commodum, iners, & pusillus existeret præiudicium: ergo Saülis animum regium indidit, cùm Reipublicæ ad culmen euexit; dedeceret namque exiguis reculis curam impendere, cùm deberet negotia magna tractare.

§. XIX.

Superior studeat præcallere futura, vt benè tractet præsentia.

PErito nauclero satis non est per turbidos fluctus nauem gubernare, sed futuras tempestates præsagire. Parum interest solers peritia, si prouida defuerit cautela: prouidentia tunc benè rebus præsentibus consulit, cùm discrimina appetentia præuidit. *Omnis sapiens* (aiebat Philo *de sacrific. Abelis*) *stulti est redemptio, mercésque, ne minimo quidem tempore duraturi, nisi ille misericordia sua, prouidentiáque impulsus incolumitati eius prospiceret.* Ni à longe prospectarit, sapiens periculum, nequibit opportunè adhibere remedium. Prophetæ adinstar futura prænoscens, eludit pericula, & aduersariorum retundit tela. Qui eligebatur in Principem, principatum recusauit, quia artem medicinæ non nouit. *Non sum medicus. Isai. 3. vers. 7.* Vt peritus medicus non solùm præsentem morbum agnoscit, sed etiam quid sit superuenturum præsentit, & opportunis medicamentis vires morborum infringit: sic superior debet futura præsagire, vt remedia quiuerit adhibere. Ergo principatum noluit, quia futura non præcalluit. Saül in Regem electus, prophetandi refertur dotibus exornatus: *Insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis.* Si priuatam vitam agens non prophetabat, cur modò dum ad culmen eligitur, spiritu prophetali donatur? Quid fastigio commune cum prophetia, vt Saül prophetiæ spiritu ornetur, cùm ad fastigium regale eligitur? Quia Saül ad populi salutem electus (inquit Rabbanus) & ni prophetiæ spiritu resplenderet ad nostram eruditionem ornatus, adeò non esset proficuus: quasi nequeat benè Rempublicam gubernare, qui futura nequiuerit præuidere. Adest Rabbanus: *Iudæi tradunt, eum prophetasse de futuro sæculo, de Gog, & Magog, de præmiis iustorum, & pœnis malorum.* Prænoscat futura præmia, meditetur supplicia, vt sapienter gubernarit præsentia, nam bona præsentium administratio à futurorum contemplatione, & agnitione dependet.

§. XX.

Opus est corda terrenis affectionibus expurgare, vt cœlestem lucem valeant recipere.

SI *voluptati cessero* (aiebat Seneca *epist.* 51.) *cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati: idem sibi in me iuris esse volet, & ambitio, & ira: inter tot affectus distrahar, immo discerpar.* Animus terrenis affectionibus distractus, inuenitur recipiendis supernis illustrationibus impeditus. Vtque Sol splendidissimis etiam radiis circumfusus solet densis nebulis impediri, & terrenis vaporibus cohiberi, ne vitali calore tellurem foueat, & sapidos fructus alat; sic cœlestis lux præpeditur, dum animus terrenis affectionibus occupatur. Ob id Saül in alium mutatur virum, vt cœlesti luce resplendeat perfusus, & spiritu prophetali donatus: *Insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Opus fuit à corde projicere, quæ aut impediebant, aut dilaniabant; aliter namque cœlestis lux in terturbaretur terrenis affectionibus impedita, aut si fas est dicere, sordidata. Adest Eucherius: *Mutaberis in virum alium: sic aliam cordis affectionem significat, quam conuertendo fecit Deus, vt imaginum significantium, & præfigurantium capax fieret ad prophetiam diuinationem.* Vt vas vili liquore plenum pretiosiorem non capit; ita animus nisi terrenis, degeneribúsque affectionibus non euacuetur, cœlesti lumine non perfunditur: ergo opus fuit Saüli terreas, rusticásque affectiones exuere, vt iam obstaculis remotis cœlestium imaginum posset veritatem callere.

§. XXI.

Aliqua loca virtuti videntur aduersa, alia vitiis inimica.

VIrtutibus vbique est locus. Sapiens vir, & ad sapientiam tendens animum indurat, & à blandimentis voluptatum honestè indomitam, pertinacémque mentem seruat: negari tamen non potest loca aliqua diuersoria vitiorum esse; ibi audaciùs licentia, & licentiùs gliscit audacia. Seuetior loci disciplina firmat ingenium, & magnis conatibus aptat animum. Quàm benè Seneca *epist.* 51. *De secessu cogitans nunquam Canopum eliget. Quamvis neminem Canopus esse frugi vetet. Ne Baias quidem, diuersorium vitiorum esse cœperunt, illic sibi plurimum luxuria permittit: illic tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis soluitur. Non tantùm corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus.* Vt locus aliquis saluti inuenitur aduersus, ita & virtuti auersatur oppositus. *Dimitte populum meum* (aiebat Moyses) *vt sacrificet mihi in deserto. Exod. 7. vers. 6.* Pharao non tam sacrificium studuit vitare, quàm locum. *Ite, & sacrificate Deo vestro in terra hac. Exod. 8. vers. 26.* Aliquid sibi Pharao promittebat à loco,

si fortè effœminaret animos nimia fertilitas, aut amœnitas. Moysen desertum elegit exercendis virtutibus aptius, & opportunius. Loth moratus in oppidis circa Iordanem aliquid vitio permittebat: *Habeo duas filias, quæ nec dum cognouerunt viros, educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit.Gen.19.v.8.* Abraham tentoriis degens substrictis hostes detriumphauit:locis amœnissimis commoratus quid impuris affectibus obtulit: vbi exoculata licentia grassabatur, opus fuit tantisper cedere, & quid regioni permittere. Redeat datus Seneca: *Nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio.* Loth habitabat loca,vbi luxuria legibus soluta non tantum delinquebat, sed affectus impurissimos publicabat: ergo aliquid furori æstuanti concessit, Abrahamus triumphator luxit.Ecce Saül in Regem iam sacro oleo inunctus non prophetat, quovsque ad Dei collem appropinquat; at ibi in virum alium mutatus, propherico spiritu facit cæteris admirationem eximius: *Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum, & cùm ingressus fueris ibi vrbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis*: Expende illud: *Cùm ingressus fueris ibi vrbem.* Quid ad prophetandum iuvat associari prophetis? aut quid obest exerret campis? Profecto spiritus nullo alligatur loco, vbi vult spirat; verùm, vt nos edoceat quantum & iustorum societas, & locorum sanctitas valeat, Saül à Prophetis non prophetat remotus,in Dei colle vates Prophetis concinit associatus. *Tertium signum est* (inquit Glossa Moralis) *de grege Prophetarum, cui Saül obviauit, & cum eis prophetauit.* Cum Prophetis cecinit, & ipse Dei collis deuotionem inspirauit, & pietatem etiam promouit. Vt noueris, loca plurimum conducere ad virtutum incrementa, vt ad vitiorum deliria.

§. XXII.

Miraculis opus est, vt electio digna habeatur, si quis præter omnium opinionem deligitur.

OMne,quod inexpectatum, & subitum, suspicionibus inuenitur expositum, quod nunquam multitudini in mentem venit, aut abroditur erratum, aut à degeneri affectione profectum. *Nec inexplorati suspicionem refugit* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 13.) *quod repentè prouenerit.* Qui generalitatis suffragiis approbatus lucet sine querela promotus: qui verò præter omnium opinionem inuenitur electus, miraculis indiget, ne putetur indignus. Saül à Deo deligitur, vtque cœlesti iudicio habeatur electus, spiritu prophetico resplendet ornatus: *Prophetabis cum eis.* Qui Prophetam videbant, mirabantur: *Quænam res accidit filio Cis? Num & Saül inter Prophetas?* Si inquiras, quid opus fuerit tot signis stabilire electionem, quando satis videbatur aut à Samuële referri, aut vnico signo manifestari?Respondebit Hieronymus plurimis signis oportuisse fidem facere, vt à Deo haberetur inunctus, nec errore existimaretur electus.Adest Hieronymus: *Quasi his signis nosse poteris, quòd Deus te Regem fore voluit.* Præter omnium opinionem in Regem, Prophetámque destinatus, opus habuit miraculis, ne depretiaretur indignis. *Cùm contribules, & Gabaitæ ciues* (inquit noster Sanctius) *talia viderent, qualia nunquam viderant, nec expectarent à Saüle, & egregium psaltem agnoscerent in homine priùs inculto, & ab studiis vrbanitatis alieno, admirati repentinam illam metamorphosim, dicunt ea, de quibus statim vers.11.* Et quidem magnum hinc electoribus documentum; nam si quem præter omnium opinionem, expectationémque ad dignitatis culmen elegerint, querulam suspicionem incurrent, & ni adfuerint miracula, suffragia habebuntur semper corrupta.

§. XXIII.

Fortunatus, ni futura attenderit prouidus, errabit sæpè delusus.

QVi prospera fortuna vtitur, eius præstigiis & fallitur: non cogitat rotam eius citissimè verti,& maris tranquillam serenitatem acribus ventorum adsultibus concuti. Non est prosperitati fidendum, sed quid alia dies possit afferre, expectandum. Aliqui citissimè de diuitibus inopes, aliqui populari fremitu,aut pernicioſa optimis inuidia de culmine detrusi ad carcerem transierunt vinculis illigati. Quisquis fortuitis credidit, ingentem sibi materiam perturbationis parauit. Vnica via ad tuta vadendi est, fortunæ non fidere, & honesto contentum esse: hanc imaginem animo imprimere oportet, ludos scilicet facere fortunam, & miserè iactare, quos initio videbatur extollere. Optimè Seneca *epist.75. Omnia ista nobis accedant, non hæreant, vt si abducantur, sine vlla nostri laceratione discedant. Vtamur illis, non gloriemur, & vtamur parcè tanquam depositis apud nos, & abituris. Quisquis illa sine ratione possedit, non diu tenuit. Ipsa enim felicitas se, nisi temperat, premit: si fugacissimis bonis credidit, citò deseritur, & vt non deseratur, affligitur.* Non caruit mysterio, Saülem à Deo in Regem electum prophetali fuisse spiritu decoratum: *Insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Et quid opus est prophetet, dum ad regale solium euehitur, & purpureis vitris decoratur? Non poterit,& si prophetico spiritu non tangatur, Regis munus adimplere, & Reipublicæ negotia tractare? O vtilem gubernatoribus eruditionem! Qui prophetico spiritu gaudent, extendunt oculos ad futura, nec solùm spectauere præsentia: ergo Saül, ne præsentibus delusus errauerit, futura prænouerit, nam futurorum meditatio prodest ad optimam administrationem præsentium. Fortè Saül, quovsque ad Prophetas peruenit, prosperitati suæ adulabatur inunctus, fors præsenti dignitate, felicitaréque plus iusto fidebat elatus: ergo oportuit ad futura oculos conuerterit, ne felicitas præsens falleret. *Discerne effectus spiritus diuini* (inquit Caietanus) *facit enim exterius prophetare cum aliis.* Agnoscat futura, ne fefellerunt dulci adulatione præsentia. Plures namque dum felicitatis finem non attendunt, facillimè corruunt: ergo adhibenda est prudentia, & futurorum præsens habenda notitia; aliter namque ipsa felicitate obcæcatus, imponet sibi delusus.

§. XXIV.

Superior debet vrbana comitate florere, & grata vrbanitate micare.

NIl superiorem tam odiosum, aut gratum reddit vt comitas,aut inurbanitas.Plures,si culmen sortiantur mentis inopes frontem adducunt, supercilium ostentant, & inurbanè cæteros tractant. *Rex Persarum* (inquit Plutarchus ad Principem indoctum) *omnes existimabat seruos.* Vt mancipia omnes despiciebat, & inurbanè tractabat. Adnectit de huiusmodi: *Stultitiam suam faciunt inuidiosam, siquidem odit Deus simulantes tonitrua, fulmen, & radiorum iaculationes. Qui verò iustitiam sectantur ipsius, qui ad probitatem se & humanitatem comparant, hos libenter amplificat, participátque eis æquitatem suam,iustitiam, veritatem,lenitatem, quibus diuinius nihil est.* Quos Deus amplificare decreuit, comitate,& vrbanitate exornauit.Nil ingenuis adeò est graue,

graue, vt inurbanè tractari,& superbo supercilio feriri. Patienter grauissima ferent onera, nec tolerabunt dura, & inciuilia verba. Populus durissimis etiam oneribus prægrauatus à Salomonis imperio non desciuit : *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis.* 3. *Reg.* 12.*vers.* 14. Roboano non paruit. *Abijt Israël in tabernacula sua.* Et quare Roboano renuant parere, qui Salomoni vel oppressi non renuerant obsequi ? Quia Roboan inurbanus exasperauit, & inciuilis ad iracundiam promouit. *Cædam vos scorpionibus.* Quos humanus devinciret, inurbanus prorsus abegit, & dum superbè voluit potestatem ostentare, dignitatis maiorem partem amisit. Ob id Samuël, dum Saülem inungit, in alium virum prædicit demutandum : *Mutaberis in virum alium.* Et quid interest in alium mutari virum, vt conseruauerit regnum ? Plurimum sanè (inquit noster Sanctius :) nam Saül priùs erat, vt rusticus, inurbanus, & ni in alium virum, scilicet ciuilem, vrbanumque mutaretur ipsa rusticitate offenderet, quos comitate, facilitatéque conueniebat deuincire : ergo oportuit, vt dignitate posset florere, eximia comitate, & vrbanitate radiare : *In homine prius inculto, & ob studiis vrbanitatis alieno, admirati repentinam illam metamorphosim.* Metamorphosim admirabantur, quia rusticum anteà in virum vrbanum, & ciuilem experiebantur transfusum, dumque Deus vrbanum effecit, quàm sit in superiore necessaria vrbanitas docuit. Fratres Ioseph humanissimè à Pharaone excepti in alendis gregibus seruierunt soliciti : *Constitue illos magistros pecorum meorum. Gen.* 47. *vers.* 6. Vt Regis pecora alerent, propria pecora quodammodo relinquebant ; & dum ciuiliter excipiuntur omnibus viribus Regi inseruire conantur. Notauit Philo *lib.* de Ioseph : *Rex conspicatus venerandam senis faciem, non vt præfecti, sed vt suum patrem excepit honorifice : dein post solemnia humanitatis officia donauit ei agrum vbertatis præcipuè ; & quia huius filios audierat esse pecuarios, facultatéque illorum constare pecoribus, commisit eorum curæ proprios greges.* Vel proprìorum gregum detrimento Pharaonis curandis gregibus se dicarunt solicitissimo studio, nec enim poterant solicitè non seruire, cùm adeò humaniter se experiebantur tractari. Profectò superioris comitas, & vrbanitas est dulce animorum incantamentum, & laudandis vrbanitatis præstigiis quò vult ducit animos, & sibi deuincit affectus.

§. XXV.

Vbi virtus nitidior floret, ibi inimicus aduersari vigilantius studet.

Olympicum certamen (aiebat Philo de Agricultura) *iustè dicitur sacrum, non istud, quod ad Helim celebratur, sed quod est propositum de parandis diuinis, verèque olympiis virtutibus.* Semper virtuti certamen est, & quamuis vbique sortiatur aduersarium, ibi plus ardet, dum virtutem florere nitidiùs videt. Quousque Ionathas de Philisthinis reportauerat triumphum, Philisthæus ille immetatæ quodammodo magnitudinis non prodiuit in campum. *Alij cadebant ante Ionatham ; alios armiger eius interficiebat sequens eum.* 1. *Reg.* 14. *vers.* 13. Verùm vbi Philisthæus Israëlitas fortiter dimicare conspexit, gigantem eximium bellatorem produxit : *Ego ecce est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath.* Maiores vires aduersus Israëlitam ostentauit, dum plus virtus Israëlitarum emicuit. Est enim solemne virtutis æmulo maiores vires opponere, si virtutem conspexerit prævalere. In colle Dei stationem collocauit Philisthæus : *Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum, & cùm ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum.* Si inquiras, cur ibi præcipuè statione inuigilarint Philisthæi ? Respondebit Textus, ibi Prophetarum gregem diuinas proferre laudes, & ob id inimicum ibi opposuisse maiores vires. Ita Lira : *Statio, prout hic accipitur, est fortalitium, vbi ponuntur bellatores.* Ibi Philisthæus fortissimos opposuit bellatores, vbi crebriùs resonabant diuinæ laudes ; eum locum præcipuè conabantur subigere, quia ibi virtutem magis aspiciebat florere : ibi se fortalitio munierat, si posset Prophetas deterrere, & diuinas laudes interturbare, nam dæmon plus accenditur, dum extinguitur.

§. XXVI.

Leuis animus quauis occasione mutatur, & nunquam sui similis inuenitur.

QVod de Protheo eruditis fabulis antiquitas prodidit, experientia non semel inuenit ; nam vt Protheus celabat hominem objiciens aspectui leonis speciem, & quam leonis ostenderat, iam in anguis demutabat imaginem ; sic animus inconstans, & leuis quauis occasione rapitur, nec sui similis inuenitur. Optimè Cassiodorus 5. *variarum* 34. *Mutat verba, variat constituta : nec in vna dicti sui qualitate contentus diuersis imaginibus immutatur.* Sunt, qui modestis viris associati modestiæ colorem induant, coniuncti verò vitia sectantibus vitiorum etiam imaginem referant, itaque sibi nunquam constant, sed semper pro tempore, occasionéque variant. Chamæleon à sacris altaribus exulat, amandatus, quia nunquam eodem colore reperitur vestitus. *Hæc quoque inter polluta reputabuntur de bis, quæ mouentur in terra ; mustella, & mus & crocodillus : singula iuxta genus suum, mygalæ, & chamæleon. Leuit.* 11. *vers.* 29. Et cur chamæleon, qui non semel candidus à sacris aris repellatur abiectus ? Quia licèt aliquando resplendeat niueus, citissimè iam diuersis coloribus variegatus. Accipe datum Cassiodorum : *Meritò chamæleonti bestiæ conferendus, quæ parvorum serpentum formæ consimilis aureo tantum capite, & reliquis membris subalbentis prasini colore distinguitur. Hæc quoties humanos aspectus incurrerit, dum ei fugiendi velocitas denegatur, nimia timiditate confusa colores suos multifaria qualitate commutat.* Etsi aliquando niueo, candicantique colore niteat, ab numero animalium mundorum excluditur, quia nunquam constans habetur. Nec aliter videtur Saüli accidisse. Cum Prophetis prophetat in virum alium mutatus : *Prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Cùm populo prædis inhianti, & edicta sacra contemnenti prædas discupit, & Numini obedire contemnit : *Pepercit Saül, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum.* 1. *Reg.* 15. *vers.* 9. A regno excluditur iure abiectus, qui pro temporum qualitate inueniebatur mutatus. Cum militibus legi aduersantibus miles, cum Prophetis Propheta ergo dum se facilè omni spiritui præbuit, sibi ipsi inuidit. Notauit Tertullianus : *Salutem tam Dei spiritus posteà vertit in alium virum, id est, in Prophetem, quam & malus spiritus posteà euertit in alium virum, apostatam scilicet.* Itaque Saül iam apostata, iam Propheta, quia inconstans pro temporum opportunitate variat, & pro occasione formas demutat.

TEXTVS.

VERS. VII. Quando ergo euenerint signa hæc hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.

§. XXVII.

Nunquam otiabitur manus, si corda possederit Deus.

DVm sponsa cœlesti attactu feliciter est percussa, & myrrha redolet plena. *Venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ stillauerunt myrrham. Cant. 5. v. 4.* Idem fuit tangi, & assurgere. Iam si quæras cur manus myrrham stillauerint, cùm cœlestis manus sponsam tetigit? Respondebit noster Delrius in littera, sponsam non potuisse egregiis operibus non insudare, dum interno, cœlestique igne agnoscebatur aduri: *In omnibus eius magnis, minutisque actionibus mortificandæ carnis studium se prodebat.* Nesciebat manus quiescere, quia cor spiritus perseuerabat viuido ardore inflammare, & internæ, cœlestisque flammæ index non dubius erat operosa manus. *Vis istuc diuina descendit* (aiebat Seneca *epist. 41.*) *animum excellentem moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus, optamúsve, ridentem, cœlestis potentia agitat.* Qui agitante Numine calescit, inerti non indulget otio, sed se exercet, & ad virtutem componit vigilantissimo studio. Hinc Samuël, cùm Dominum adesse Saüli testatus est, operari consuluit: *Fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Ac si diceret: Experientia agnosces diuinam tibi virtutem adesse, cùm senseris ad regia facinora, & deprædicanda agitari. *Admonetur Saül* (inquit noster Sanctius) *vt agat quodcumque occurrerit.* Ipse in agendo ardor, ipsum flammescens ad magna aggredienda studium clarum erat præsentiæ Numinis testimonium. *Fac* idem est ac, facies, & Dominum esse tecum cognosces: est enim indubium cœlestis virtutis indicium infractum ad magna opera desiderium.

§. XXVIII.

Prius sibi attendat, virtutésque expoliat, qui aliis est præficiendus, & ad dignitatis culmen eleuandus.

QVi aliorum curam suscepit, tempus laudabiliter muneri impendit, & sibi lucrosè subtrahit: variis solicitudinibus occupatus, litibus componendis intentus, enodandis difficultatibus dedicatus caret longo tempore, quo sibi attendat, & virtutes per otium expoliat. Ob id oportet eximiis adornatum virtutibus ad dignitatem venire, & antequam aliis sibi imperare, & attendere. *Non dubitauit* (aiebat Cassiod. 10. *var.* 4) *parentem prius iuri publico subdere, quem paulo post voluit ipsis quoque legibus anteferre. Exprobrauit conscientiam, cui erat regni traditura censuram: vt & illa domina cognosceretur esse cunctorum, & me probatum perducere dignaretur ad regnum.* Amalasuentha Regina prius Theodahadum voluit virtutibus emicare, quia ad imperandum cæteris decreuit euehere; & quidem ni regimen susciperet virtutibus iam excultus, non suppeteret sibi in negotiorum turbine tempus. Iam cœlum cum terra productum erat, cùm lux vocata resplenduit. *Fiat lux, & facta est lux. Gen. 1. v. 3.* Cúmque statim posset Deus cœlis inferere, & diei, ac noctis dominium tradere, arcanè distulit, & vsque ad quartum diem spatium concessit: *Posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram, & præessent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras.* Et cur primo die non accipiat imperium, quæ quarto cœlis collocata fuit ad dominium? Fors vt eo spatio prius sibi luceret; nam aliis iam illustrandis dicata omne tempus laudabiliter regimini impendet solicita. Habeat lux, antequam dominetur, aliquod, quo sibi attendat, spatium, nam aliorum erit tempus, cùm regale ascenderit solium. Ob id Samuël Saülem regno iam adscriptum, & si nondum publicitus salutatum prudenter admonuit, illud tempus ante proclamationem sibi colligere, & virtutibus expoliendis impendere. *Fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* In Hebræo legitur: *Fac tibi*; ac si diceret: Consalutatus omne tempus regimini debes impendere: ergo cura ante acclamationem, quod restat, tibi colligere, & in perpoliendis virtutibus collocare: nã qui fastigiũ ascendit, nullum, aut exiguum ad componendos mores spatium habuit: Adest opportunè Caietan. *Iuxta Hebraum habetur: Fac tibi, quod inueniet manus tua, quia Elohim tecum, significanter dicit: Fac tibi, & non dicit absolutè fac, quia adhuc non erat promulgatus Rex, sed in iis, quæ ad eum spectabant, liberam manifestat facultatem.* Liberum erat tunc sibi attendere, postea opus cæteris inuigilare: ergo monet, vt antequam culmen inscendat, virtutibus concinnandis studeat. Hinc duplex nobis documentum; priuatum videlicet debere sibi consulere, & ad munus electum tempus generalitati debitum non fraudare.

§. XXIX.

Prudentis est se prius secretò exercere, & publicè postea difficultates adire.

QVi malitiam profiteri desiderat, vires suas experitur, ne iam militiæ adscriptus, cum rubore pedem referat laboribus fractus. *Etiam in pace* (aiebat Tertullianus ad Martyras, *c. 3.*) *labore, & incommodis bellum pati iam ediscunt; in armis deambulando; campum decurrendo, fossam moliendo; testudinem densitando: sudore omnia constant, ne corpora, atque animi expauescant.* Ne in ipso cum hoste congressu expauescant indecorè ignaui, se prius exercent sapienter prouidi. Si adscriptus semel labori cesserit, ingloriam subibit notam; si militiæ nomen non dederit, effugiet infamiam: ergo prudentis est desiderio non credere, sed prius vires experiri, & cum onere conferre. Audi Vegetium *lib. 2. c. 23. Gradu pleno ambulare, vel currere etiam armatos cum sarcinis suis frequentissimè conuenit, vt quotidiani laboris vsus in pace, difficilis non videatur in bello.* Qui religionem, vbi omnis asperitas, & frequentium ieiuniorum rigiditas in vsu est, ieiuniorum, austeritatisque intrauit prorsus ignarus, resilire solet inglorius. Qui se prius exercuit, postea auctoritatis vultum non exhorruit. Ob id Samuël Saülem non multò post in Regem consalutandum admonet, vt prius se exerceat, & ad Martios labores disponat, ne prorsus inexpertus, ignarúsque aut impatienter ferat, aut refugiat. *Fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Ac si dicat: Secretò regiam assume personam, & quæ postea publicè, exerce clàm, & dispone. Ita Hieronymus apud nostrum Sanctium: *His signis noscere poteris, quia Deus te Regem fore voluit: & idcirco ad omnia, quæ tibi agenda sunt, regaliter age.* Consonat noster Sanctius: *Nempe vt in omnibus, quæ occurrerint, seu ad manum venerint, regium assumat animum, & regio more tractet atque disponat.* Itaque monet Propheta, antequam regium solium adeat, regium induat animum, secúmque expendat, an valeat cum hoste congredi, iniquos punire, & negotiis inuigilare; sic namque expensis viribus aut laborem recusabit cordatus, aut subibit intrepidus.

§. XXX.

Quamuis præsentissimus sit diuinus fauor, nil omittat prudens industria, & solertissima vigilantia.

LIcet plurimum sit de diuino auxilio sperandum, nihil est industria humana omittendum. Inuigilet solertia, laboret oculatissima vigilantia, vt diuinum potiùs mereatur auxilium, dum nullum assequendo fini opportunum omittit medium. *Licet ad regendos populos* (aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 9.) *idoneos efficiant, quos ad augustum culmen diuina prouexerint* (*quando nec ætas impedit, vbi se se potentia cœlestis infundit*) *tamen adrelenandam florentissimæ nostræ ætatis sollicitudinem, visum est te virum prudentissimum conuenienter adhibere, quem constat etiam domini aut nostri tractatibus iugiter, & laudabiliter adhæsisse.* Licet Athalaricus de diuino auxilio præsumeret, tamen aliena prudentia iuvenilis ætatis vitare præiudicium curauit, & quia curauit, obtinuit. Ad Moysen aiebat Dominus: *Præcide tibi tuas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti. Exod.* 34. *vers.* 1. Oleaster legit: *Dola tibi duas tabulas lapideas.* Otiosum videbatur tabulas dealbare, vt Deus verba valeret inserere. Nonne verba primis tabulis insculpsit,& rupes ceræ adinstar literas exaratas suscepit? Quid ergo dolare tabulas iubeat, qui emollire rupices valeat? O arcanum! Opus non habebat omnipotentia, vt humana laboraret industria; voluit tamen ad nostram eruditionem, ne quid omitteret humana industria, licet literas efformet omnipotentia. Et Samuël etiam, dum diuinum auxilium Saüli adfuturum promittit,otiosas non complicare manus præcepit: *Fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Ac si diceret: Quamuis Dominus tecum sit,nil omittas, sed operare solicitè; sic enim omnia proenient tibi fortunatè. Adest noster Sanctius: *Aliter explicat Chaldæus, nempè vt paret sibi nassa, seu instrumenta regni, illa videlicet, quæ regiam decent personam, aut quæ regiis ministeriis, & studiis commodare, atque seruire possunt.* Carebant Hebræi armis, et fabricare, aut expolire prohibiti: ergo admonetur Saül, ex quibuscumque primum ad manum venerint, siue vomeres, aut ligones, siue duri stipites, aut fudes præusti fuerint arma, vt potuerit elaborare, & prouidenter ante conflictum disponere. Sic enim dum præsentissima adest omnipotentia,& nihil omittit humana industria, admiranda potietur victoria: *Dominus tecum est*: verùm licet adsit præsentissimus, oportet ne otieris ignavus: nec enim tutum est cœleste auxilium otiosis manibus sperare, & Numini omnia committere.

§. XXXI.

Etsi instrumenta fuerint infirma; Deo auspice facillimè reportantur trophæa.

PRudentia humana metitur cum fine media, quæ si infirma inuenerit, finem sibi assequi non promittit: verùm Deus inualidis instrumentis, mediisque infirmis vtitur,quo potentiæ suæ robur dilucidius ostendatur. *Deliquit, opinor, diuina doctrina* (aiebat Tertullianus gentiles carpens *lib.* de Anima *cap.* 3.) *ex Iudæa potius quam ex Græcia oriens. Erruit & Christus piscatores citius, quàm sophistam ad prædonium emittens.* Ac si dicat: Vos scientiam vestram ruptantes, & de prudentia humana nimium præsumentes non committetis rusticis, & indoctis piscatoribus vestra promulgare prædonia, sed eligeretis ornatissimos eloquentia: at Christus,vt qui poterat infirmis instrumentis assequi miranda, piscatores rudes elegit, & quod volebat, obtinuit. Plus lucet artificis peritia, si mutumento inhabili admiratione, digna perfecerit opera. Ob id Samuël, ne Saül cum hostibus congredi extimesceret,etsi Hebræi armis dispoliati, & hostes omni armorum genere viderentur instructi; victoriam, Deo auspice, assequendam asserit & quæuis instrumenta profutura ad hostes debellandos prædicit: *Fac quæcumque inuenerit manus tua,quia Dominus tecum est.* Ac si dicat: siue vomeres, siue ligones ad manum venerint, arripe;nam quantumvis bello videantur hæc arma inepta, eis obtinebitur victoria: immò vt mirabilior appareat victoria, oportet instrumenta fuerint inepta. Ita noster Sanctius: *Ne illius spiritus frangat, aut debilitet, quod oppressi Israëlitæ Palæsthinorum imperio neque arma habeant, neque fabros, qui illa cudendi aut arte, aut facultate polleant: sed faciat nempè arma bellica, quæcumque primum ad manum venerint.* Subdit rationem thesi opportunam. *Nam quæ natura sua infirma sunt illa duce atque auspice Deo, magnorum telorum vsu, & pondus habent*, fudes & stipites habebant vsus telorum, & obtusus ligo instar fulgentissimi gladij feriebat,& lethalem plagam intimabat: & quidem ipsa instrumentorum inhabilitas exageratius commendabat victoriam, & Numinis dilucidius deprædicabat potentiam.

TEXTVS.

Vers. VIII. Et descendes ante me in Galgala (ego quippè descendam ad te) vt offeras oblationem,& immoles victimas pacificas, septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.

§. XXXII.

Magna non sunt impetu cæco aggredienda, sed prudenti consilio tentanda.

EXperientia docuit quantum vtilitatis afferant prudentum consilia; nam vt periculosum est magna sine consilio tentare;ita est salubre, quæ tentanda consulere. *Decet tractatores habere doctissimos* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 12.) *quibus potestas summa committitur, vt nullo defectu impediente meritorum prouisa Reipublicæ vtilitas explicetur.* Benè Reipublicæ vtilitati prouidetur, quando doctus, & degeneri affectione immunis consulitur: tunc enim ipsa rationum collatio iuvat, & perplexas, quæ impedirent, tricas enodat: verùm etsi in quouis negotio sapientis sit expectanda sententia tunc præcipuè cum & exordia tentanti pauida & difficilia. Quæ exigua, facilè possunt disponi,magna sine prudentum suffragiis non debent tentari. Ob id postquam Samuël Saülem monuit audacter,quæ exigua occurrerent, aggredi: *Fac quæcunque inuenerit manus tua*, ad magna, difficiliáque expectare præcepit: *Septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.* Vt operosum esset ad quæuis minuta expectare aliorum consilia; sic erat discrimine plenum aggredi cæco impetu magna: ergo Saül in exiguis ab alio non pendeat, nec sine consilio, quæ magni momenti,audeat. Non est regium ab alieno placito semper pendere; non est tutum periculosa sine consultatione tentare. *Ita instruxit eum* (inquit Hugo Cardinalis) *ne sine Propheta, aut sine Sacerdote aliquid magnum attentaret.* Prudens prudentem iuvat, & quid sit vtile melius agnoscitur, si sententiarum collatione discutitur: nam vbi consilium, & salus securior, & calamitas remotior.

§. XXXIII.

Grande est commodum consiliariis optimis vti, detrimentum grande carere.

PRincipes, qui salutem, vtilitatemque publicam desiderarunt, prudentes sibi consiliarios studiosè delegerunt. Horum prudentia feliciter clararunt dubia, horum experientia difficultatibus absoluerunt perplexa. *Hi iuvenes* (aiebat Plutarchus lib. An seni) *illis natu maioribus suppares mox velut succrescentes, & adolescentes, cum illorũ procurationibus, & rebus gestis experientiã, & promptitudinem ad munera publica, laudem, & potentiam secum trahentia parabant.* Qui in dignitatum lumine versatur, multis sæpè negotiorum nebulis impeditur, quas sine consilio nequibit depellere, & consiliorum splendore poterit vincere. *Perfectionem necessariarum rerum* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 12.) *completam esse iudicamus, si quemadmodum eligendo virum magnificum Patritium armatæ Reipublicæ parti prouidimus, ita & de associando ei litterarum peritissimo consulamus.* Non esset completa rerum perfectio, quantumvis Patritius militiæ gnarus tractaret arma, ni haberet ad manum docta consilia: ast dum integerrimum habuit consiliarium, felicitatis sortitus est complementum. *Nam consilium sapiens* (verba sunt dati Plutarchi) *multas vnum manus superat.* Adnectit: *Atque vna sententia, quæ facunda sit, & lepore distincta, præclarissimas, & summas res conficit in Republica* Sapienti consilio perficitur, quod aliquando nec armis, nec viribus obtinetur. Ob id Samuel cùm Saulem ad regale solium inunxisset, consiliarium sibi à Deo affuturum prædixit, vt eius felicitatem compleret. *Septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.* Samuelem nullo ambitu obscuratum, cupiditate nulla irretitum consiliarium Deus Sauli associauit, ut dum eius consilio regitur, Reipublicæ salus fulciatur. Ita Caietanus: *Hoc est alterum officium, quod promittit Samuel: post, videlicet, oblata sacrificia indicare Regi id, quod erat facturus ipse Rex: proculdubio relatiuè ad regnum, quod magnum fuisset beneficium, si adimpletum fuisset.* Vt consummata prosperitate Saulis stabiliretur corona, optima ei disposuit Numen consilia. Quid enim conducibilius, quàm facienda prænoscere, & prænota iam adimplere?

§. XXXIV.

Oportet expectandi experiatur incommodum, qui dignitatis obtinuit clauum.

DVrissimum est ab alio pendere, & spes de die in diem trahi. Ipsa beneficia dilatione redduntur ingrata, & malunt plures spes suas præscindi, quàm trahi. *Errat* (aiebat Seneca 1. de Beneficiis *cap.* 1.) *si quis sperat responsurum sibi, quem dilatione lassauit, expectatione torsit.* Vel grande beneficium transit dilatione in tormentum, nec potest respondere gratus, qui ingemuit magnis temporis interuallis distortus: ergo vt Saul experiretur, quàm expectare sit anxium, expectare Samuelem septem diebus fuit illi iniunctum: *Septem diebus expectabis, donec veniã ad te, & ostendam tibi quid facias.* Anxiæ expectationis emolumentum non erat dubium, ipsum tamen expectare satis erat laboriosum. Ergo experiatur Saul, quid sit difficultatibus vndique adurgeri, & expeditionem tardari, vt negotia gerentibus compatiatur, & expedire conetur. *Si aliquod indè periculum sequutum fuerit* (inquit Abulensis *quæst.* 11.) *non te exponas il i periculo sine consilio meo sed descende ante me in Galgalam, id est, descende immediatè in Galgalam, & mitte ad me nuntium, tunc autem ego veniam* Adurgeatur periculo, & expectet, vt quàm durum sit expectare, nouerit. *Monet* (inquit noster Sanctius) *vt descendat in Galgala, & ibi ipsum septem expectet dies.* Ne alios vatiis periculis, necessitatibus pressos negotiorum dilatione distorqueat, expectare iussit, & laboris experientia ad gurbernandum benè parauit.

TEXTVS.

VERS. IX. Itaque cùm auertisset humerum suum, vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa.

§. XXXV.

Dum Deus aliquod onus imponit, vires requisitas præbet.

MVnus ambitiosè acquisitum, & humanis artibus comparatum secum non affert subsidia, nec requisitarum dotum ornamenta. Hinc plures dignitatem adepti dignitatis fuerunt iniuria, & ipsis ipsa dignitas contumelia. Oneri succumbentes ignauiam declararunt & imprudenter negotia tractantes stultitiam suam omnibus ostenderunt. Verùm qui à Deo vocatur, dotibus necessariis instruitur. Dum oraculum Aaron ad Sacerdotium euexit, quibus tunicis vestiendus erat edocuit: *Hæc autem erunt vestimenta, quæ facient: Rationale, & superhumerale tunicam & lineam strictam, Cidarim, & balteũ. Exod.* 28. *vers.* 4. Amiciri iussit his ornamentis internarum virtutum symbolis, vt ostenderet necessariis se adornare dotibus, quem decreuit dignitatis resplendere luminibus. *Magno Pontifici* (aiebat Philo de Nominum mutatione) *duas tradidit tunicas, vnam scilicèt intimam ex lino, alterã extimam variè acu pictam cum toga talari. Etenim hæc, aliaque eiusmodi nota sunt animi: qui in parte interiori Deo se purum, castumque exhibet, exterisque in rebus, quæ ad mundum adspectabilem, vitamque pertinent, integritatem, ac puritatem colit.* Sacerdotale illud munus, ad quod Deus Aaronem euexit, purum, & integrum requirebat; ergo Deus, vt integritate, puritateque exornatum ostenderet, duabus tunicis adornari disposuit. Nec aliter Sauli videas accidisse. Rex à Deo eligitur, & iam mutatus refertur: *Immutauit ei Deus cor aliud.* In eis rerum, ac temporum circunstantiis opus erat animo virili, prudenter audaci & magnas cogitationes gerenti. Saul non erat eo animi virore præditus, ea audacia ornatus: ergo Deus cor aliud indidit, & regios animos inspirauit. Notauit noster Sanctius: *Vbi euocauit Deus Saulem ad regni gubernacula, mutauit illi, quos antè habuerat, abiectos fortasse, & ignobiles spiritus.* Subiicit: *Et inspirauit regios, ita vt maiora conciperet, quam antea solitus.* Qui vitam agunt incultam, & agrestem, non solent magno spiritus gerere, nec ingenij perspicacia præstare: ergo cum ab aratro Saulem Deus transtulit ad sceptrum, eius mutauit animum, vt iam nec periculis deterreretur ignauus, nec variis negotiis angeretur implicitus. Est enim Deo de more opportunas vires inspirare, cùm ad dignitatem decreuit euehere.

§. XXXVI.

Deus beneficia frequenter accelerat, supplicia tardat.

INgratum est beneficium, quod diù inter largitoris manus adhæsit. Ea sibi beneficia multum decoris addiderunt, qui anteuerterunt desideria, & tempora liberalitati præscripta. *Gratissima sunt beneficia* (aiebat Seneca lib. 2. de Beneficiis cap. 1.) *parata facilè occurrentia, ubi*

vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Primum est antecedere desiderium cuiusque: proximum sequi. Addeplurimâ beneficio gratiâ adaugere, qui præscripta tempora non expectauit, sed honestam celeritate anteuertit. Promiserat Samuël Saüli post ciuitatis ingressum, post gregem Prophetarum obuium in alium virum mutandum: *Insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Mutationi tempus præscribitur, scilicet post ciuitatis ingressum, & Prophetarum occursum, & tamen statim ac à Samuële discessit, Deus eius cor, & animum immutauit: *Cùm auertisset humerum suum, vt abiret à Samuële, immutauit ei Deus cor aliud.* Quæres, cur tempus præscribatur, nec expectetur? Si post Prophetarum occursum erat mutandus, cur ante occursum mutetur? Quia cùm hæc mutatio ingens fuerit beneficium (inquit Caietan.) non expectauit Deus tempus præscriptum, & mutationi adsignatum: *Vide benignitatem Dei, non expectauit tempus predictum à Samuële, sed statim, vt à Samuële abiit Saul, immutauit ei cor.* Tempus anteuertit, & Saülem miranda mutatione nobilitauit. Sed licet videas in dilargiendis beneficiis festinum, in suppliciis infligendis inuenies tardum. Deliquerat Saül, & ait Samuël: *Scidit Dominus regnum Israël à te hodie.* 1. *Reg.* 15. *vers.* 28. Illud *Hodie*, per longa tempora extensum est, vt ex Textu liquet: punire distulit, qui ad conferendum beneficium tempora maturauit: nam Deus supplicium tardat, & beneficium accelerat.

TEXTVS.

VERS. X. Venerúntque ad prædictum collem, & ecce cuneus Prophetarum obuius ei, & insiliuit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.

§. XXXVII.

Deuotus absoluto itinere prius gratias acturus contendit templum, quàm domum.

ITinera frequentibus periculis plena, aut errore deuians viator variis difficultatibus implicatur, aut detestanda furum auaritia insidias inopinas molitur. Hinc prudentes deuotique vbi feliciter iter absoluerunt, Numini gratias ob incolumitatem reddere non tardarunt; prius satagunt templum adire, & laudabili gratiarum actione acceptum beneficium fateri, quàm ad lares domesticos remeare. Ierat Saül ad perquirendas asinas post itineris labores patriam incolumis repetiuit, & ad Dei collem, antè quàm domum adiret, celeri gressu contendit: *Venerunt ad prædictum collem.* Cùm tunc ea in ciuitate Saül suos lares habuerit, quærùt Interpretes, qua de causa non prius adierit domum, sed collem? Certè itineris labor, patris (quàm non ignorabat) amita sollicitudo consulebant petere domum non collem: cur ergo anteà quàm ad domum ad collem accesserat? Quia in colle (inquit Abulensis) erat locus specialis, quo colebatur Deus, & Saül ascendit itinere feliciter absoluto, vt Numini debitum exhiberet obsequium, & impenderet gratiarum tributum: *Venerunt ad prædictum collem.* Si alius esset Saül, prius satageret domi quiescere, & defessos itinere artus recreare: verùm vt erat pius, orationis antea locum innuit, & pro re-ceptis debitas gratias rependit. Ita Abulensis *quæst.* 15. *Venit ad excelsum, scilicet Saül inuenit Prophetas apud portam vrbis, & ibi prophetauit cum eis: postea autem finante prophetia ascendit in excelsum.* Rationem subdit: *Locus aliquis erat specialis in excelso, in quo Deus colebatur, & orabant illi, qui erant in vrbe: ideò voluit, ante quàm iret in domum suam, ascendere ad gratulandum Domino in excelsum.* Ob iter defatigatio domum repetere consulebat, pietas ad templum vocabat: ergo Saül pietatem sequutus orationis locum adiuit, vt actis Numini gratiis ob itineris felicitatem posteà quiesceret. Discant hinc qui longa itinera confecerunt, diuinis priùs oculis in templo præsentari, & posteà domum adire.

§. XXXVIII.

Parum iuvat spiritu ebulliens feruescas, si quàm citò tepescas.

SVnt, qui amore virtutis incensi aquilæ pennas videntur assumere, & ad celsiora inuolare; verùm in medio itinere citissimè subsistunt, stylumque vertunt. *Tunc illos* (aiebat Seneca de tranquillitate animi *cap.* 2) *& pœnitentia cœpti tenet, & incipiendi timor: subrepit; illa iactatio animi non inuenientis exitum, quia nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt.* Agnoscunt plures virtutis pulchritudinem, & inardescunt eius amore attracti, ante quàm difficultatem experti; posteà verò cupiditatum querelas audiunt, & quod deterius, obediunt. Parum iuvat virtutis studium, nisi firmetur constantia, & si fas est dicere, pertinaci duritia. Saül vt Prophetas vidit Dei laudes canentes, insiliente spiritu, efferbuit, & modulatè diuinas concinit laudes: *Insiliit super eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.* Vides adeò spiritu efferuescentem, vt cum Prophetis laudabiliter decertarit, & in canendo quodammodo vicerit; hic tamen feruor quam citò tepuit, & cessauit: *Cessauit autem prophetare, & venit ad excelsum.* Vt celsa teneret, prophetare cessauit, & quàm citò à decantandis Dei laudibus ora continuit. Notauit Abulensis *quæst.* 13. *Dicitur, quod insiliit in eum spiritus Domini, quia non fuit iste spiritus manens, sed ad horam.* Adnectit: *Si autem fuisset spiritus in eo manens, diceretur: Et requieuit in eum spiritus Domini, sicut dicitur Numer.* 11. *cap. de septuaginta senioribus, quòd cùm requieuisset super eos spiritus Domini, prophetauerunt, & vltra non cessauerunt.* Spiritus requiescens, & constans magni est habendus: ast ad horam impetu efferuescere & statim tepefieri, plusquam laude, censura est dignum. Saül insiliente spiritu, Prophetas exæquat, sed quàm citò se prophetasse quodammodo ignorat. Videas nonnullos Saüli similes, eo animi ardore virtutem arripiunt, vt exiguo tempore cum perfectis possint de primatu contendere; ea tamen laborant animi leuitate, vt citò in contrarium transeant, nec vestigium feruoris relinquant.

§. XXXIX.

Prodest plurimum cum viris honestis agere, & eorum consortio viuere.

VT contactu nocent vitia; sic etiam adspecta prosunt virtutis exempla. Auditur Philosophus, dum videtur, & satis est modesti occursus, vt loquaci silentio suffundatur immodestia, & refrigescat procacia. Prodigus, vt vitia prorsus excuteret, ad paternam domum redire statuit: *Ibo ad patrem meum. Luc.* 15. *vers.* 18. Non solum proposuit lachrymosa pœnitudine vitiorum sordes abstergere, sed inter patris domesticos viuere: *Peccaui in cœlum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Pœnitentia deleuit culpam, & ne repeteret iterum offensam, viuere exoptauit inter paternam familiam, vt qui nouerat iustorum consortium esse virtutibus exercendis grande subsidium. Opportunè Chrysologus *serm.* 1. *Inter propinquorum lumina non vacat delicta versari.*

Propinquorum

Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus matris, sol patris rutilat in vultu. Undè viuenti inter tot virtutum duces criminum tenebræ propinquare non possunt. Effugerat adolescentior per pœnitudinem peccatorum tenebras, sed vt pleno frueretur lumine, in paternæ familiæ censu numerari voluit, & petiuit. Saül rusticanus, plebeiúsque, dum gregi Prophetarum approximat, iam prophetat: *Ecce cuneus Prophetarum obuius ei, & insiluit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.* Expende in Saülem Prophetis appropinquantem Dei spiritum insiluisse, & in medio Prophetarum prophetasse. Et quis non erubesceret inter canentes diuina elogia inania effutire verba? Cecinit inter canentes, prophetauit inter prophetantes. Ipsa proximitas spiritus fuit quodammodo illicium, & Prophetam reddit Prophetarum consortium. Ita Abulensis *quæst.* 13. *Prophetauit in medio eorum, scilicet ingressus est inter Prophetas, & cecinit laudes Dei cum illis.* Cùm illis cecinit, fors sine illis non caneret: iuvat namque plurimum cum iustis degere, & eorum confinio viuere. Niui proximus alget, calori vicinus viget. *Nulla res* (inquit Seneca *epist.* 94.) *magis animis honesta indnit, dubiosq; & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri & aspici frequenter.* Quid verius? Quid moralius?

TEXTVS.

Vers. XI. Videntes autem omnes, qui nouerant eum heri, & nudiustertius, quòd esset cum Prophetis, & prophetare, dixerunt adinuicem: Quænam res accidit filio Cis? Num & Saül inter Prophetas?

§. XL.

Mirum est, si filius studiosè non educatus, vrbanitate, & scientia euaserit expolitus.

PLurimum iuvat educatio, ne indiscreti, & confusi mores vagentur. Qui filios studiosè ad virtutem non efformauit, & vrsæ adinstar lambendo resculpsit, agrestes, & inurbanos sustinuit. Ingenij viuacitas litterarum luminibus accenditur, morum floriditas exhortatione prudenti comitur: quorum infantia bonis artibus non est innutrita, ad magna inueniri solet inepta. Animus formatur litteris, membra roborantur gymnasiis. In filiis relucet patris vigilantia, aut incuria. *Apparet* (aiebat Flauius Vopiscus in Probo) *neminem vnquam peruenisse ad virtutum summam tam maturam, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus aliquid inclytum designasset.* Vt in flore fructus, ita in educatione virtutis præsagitur profectus. Miraculi adinstar erit, si rusticè educatus resplendeat moribus expolitus. Hinc est, quòd cùm Saül cœlesti spiritu agitatus inter egregiè canentes vocalis caneret, carminaque componeret, omnibus admirationi fuerit, quasi sine miraculo nec rusticus vrbanus, nec indoctus lucere potuerit arcanorum cœlestium eruditus: *Videntes omnes, qui nouerant eum heri; & nudiustertius, quòd esset cum Prophetis, & prophetaret, dixerunt adinuicem: Quænam res accidit filio Cis?* Nouerant Cis Saülis parentem hominem esse rusticum, inculúmque, Saülem educasse ab omni ingenua, atque vrbana disciplina prorsus alienum: ergo cum audirent ad numeros canentem, & mysteria arcana ex sacris litteris desumpta celebrantem, ea admiratione perculsi sunt, vt alterum alter rogaret, quid Saüli acciderit? Et quidem supra naturam erat rusticè educatum, & doctrinis nullis excultum arcana proferre, & scitè canere. Notauit noster Sanctius: *Sicut prouerbiorum plurima ex re admodum difficili, ac rara habuerunt originem, quæ quod rarum est, & a rerum natura vehementer alienum familiari formula significant: sic etiam cùm Saülis studia longè essent à Prophetarum, id est, cantorum instituto, & moribus aliena, in prouerbialem speciem abiit hæc Saülis inter Prophetas repentina modulatio.* Itaque res prodigio similis visa est, rusticè, agrestérque educatum arcana nosse, & à Prophetarum modo nullatenus discrepare. Vt hinc discas, si puer non benè educatus vrbanitate polleat, & moribus compositis niteat, esse adinstar prodigiosi miraculi, & stupendi prodigij.

TEXTVS.

Vers. XII. Respondítque alius ad alterum dicens: Et quis pater eorum? Propterea versum est in prouerbium: Num & Saül inter Prophetas.

§. XLI.

Dei dona non alligantur prosapiæ, nec redduntur origini.

ORiginem trahere à virtute conspicuis est grande ad honestatem incitamentum, quando vel bruta respondere solent origini, & radix agnoscitur in propagine. Verùm cùm homo libero fruatur arbitrio, a radice solet degeneribus factis longè distare, vt etiam deprædicandis facinoribus euicisse. Cœlesti indulgentia resplendet non semel eximiis dotibus exornatus, qui a rusticis parentibus enutritus, & è contra indecoris actionibus sordidatur obscurus, qui clarissimis proauis agnoscitur generatus. *Gloria est bonorum Principum* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 11.) *incognitas honoribus clarificare personas.* Bonis hæredibus parentum præmia non negare est æquitati consonum; incognitum verò indebitis fauoribus extollere, & conspicuum muneribus reddere, vt non est iuri debitum, sic est liberalitatis elogium. Saül agitante spiritu cum Prophetis numerose cantabat, & Scripturæ sacramenta paucis agnita proferebat: ergo eius conciues demirati dicebant: *Quænam res accidit filio Cis?* Verùm non defuit prudens, qui responderet, prophetâdi donum origine non transfundi, sed cœlesti liberalitate concedi: *Respondit alius ad alterum dicens: Et quis pater eorum?* Ac si diceret: Stultum est ad patrem recurrere, cùm alij Prophetæ prophetandi munere non perfruantur prosapiæ titulo, sed gratuito cœlestis Numinis dono. Ita Hugo Cardinalis: *Quæsierat vnus, vel plures: Quænam res accidisset filio Cis? Et nunquid Saül inter Prophetas? Et respondit alter: Et quis patet eorum, supple Prophetarum, nisi solus Deus? Quasi dicat: Quid vocatis eum filium Cis, aut Saülem? non enim a patre suo habet vt propheret, sed à Deo, qui est Pater Prophetarum, & dat donum prophetiæ quibus vult.* Stemmata, & patrimonia ad posteros iure transeunt; cœlestia verò dona à luminum patre descendunt: ergo vt nihil iuuat ad prophetiæ donum ab splendidissima origine procreari, sic non officit ab agrestis & rusticana exortiri; nam cœlestia dona non sunt origini debita, sed Numinis beneficia gratuita.

§. XLII.

Aliquando citissimè diuino fauore acquiritur, quod diuturnis laboribus comparatur.

OMnia sudore constant, & infatigabili labore acquiritur quod naturæ legibus non habetur. *Gloriosa est* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 3.) *scientia litterarum, quia quod primum est in homine mores purgat, quod secundum*

secundum, verborum gratiam subministrat: ita vtroque beneficio mirabiliter ornat & tacitos & loquentes. Scholis disciplinisque quæritur grata auribus eloquentia, & morum deprædicabilis elegantia: verùm aliquando sine labore, sudoréque cœlesti fauore acquiritur, quod nisi magnis laboribus non habetur. In excelso erat veluti Prophetarum musæum, vbi carmina componere, & scitè psallere edocebantur. Ergo cùm ex schola egredientibus, psallentibúsque Saül occurreret, ea repentè numerosè canendi, & carmina concinnandi peritia resplenduit, vt omnibus admirationem ingesserit & quænam res illi accidisset, scisciatari compulerit. Ad interrogationem non indoctus respondit: *Et quis pater eorum?* Ac si dicat: eorum pater, scilicet Deus, ea repentè sapientia ornauit, vt non solùm Prophetis reddiderit æqualem, sed excellentiorem, magistrúmque. *Quasi dicat* (inquit Hugo) *quis est maior isto in dignitate & sapientia? Ergo non tantum potest esse inter Prophetas, sed magister, & pater Prophetarum potest dici.* Non scholas frequentauit, non tempora in addiscendo consumpsit; & tamen ea nitet sapientia, vt non solùm Prophetas possit exæquare, sed eorum etiam magister haberi. Itaque Saül cœlesti dignatione ad eam momento sapientiam peruenit, vt habendus fuerit magister; nam diuinus spiritus citissimè perficit, quod humanus labor diuturnis vigiliis & laboribus indefessis adquirit.

TEXTVS.

Vers. XIII. Cessauit autem prophetare, & venit ad excelsum.

§. XLIII.

Qui ad celsa adsituntur conscendere, solent à feruenti deuotione cessare.

Ambitio, & eminendi cupiditas totum hominem ad se trahit. Nil aliud, qui hac siti aduritur, nouit cogitare, nisi quibus eam artibus soleat sopire, immò sopiendo adaugere. Cúmque deuotio pacatum requirat animum, & ab euanidis rebus expeditum, malè cum ambitione conueniet. *Aurum* (aiebat Plutarchus in Præceptis politicis) *in certa templa qui pertinent, relinquunt foris, ferrum secum in nullum inferunt. Quia verò commune est suggestus templum louis consiliorum, & vrbium præsidis, iurisque, & iustitiæ: in ipso iam lumine auaritiam, & pecuniæ cupiditatem velut ferrum, & plenum rubiginis morbum excute ex animo, atque in cauponum, & fœneratorum forum projice.* Adnectit: *Porrò ambitio, quantumuis elatior rapacitate sit non minoribus vitiis, tamen in Republica est cooperta. Quippè occupat non languida, aut demissa, sed in primis valida ingenia, & strenua: auráque popularis extollens eam, & impellens laudibus effrænem, atque intractabilem reddit.* Ambitiosus, & splendoris volatici cupidus intractabilis redditur, quia huic solùm negotio se penitus tradidisse cognoscitur. Resonabat Saül cum Prophetis diuinas laudes; verùm, vt ad celsa conscendere decreuit, à laudibus diuinis decantandis cessauit: *Cessauit prophetare, & venit ad excelsum.* Dum excelsa non ambiuit, inter Prophetas prophetauit, & cecinit: ast dum statuit inscendere, à Prophetarum se collegio seiunxit, & culmini appropinquare solùm attendit. *Cessante prophetia ascendit in excelsum* (inquit Abulensis *quæst.* 15.) *de quo descendebant Prophetæ.* Prophetæ despectis culminibus prophetabant, & cùm Saül prophetandi laude inter Prophetas excelleret, maluit quàm celsa non tenere, cessare; suisque factis edocuit culmina, dignitatúmque celsa orationi tempus præripere, totúmque studium hominis occupare.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

Vers. XIV. Dixitque patruus Saül ad eum, & puerum eius: Quo abistis? Qui responderunt: Quærere asinas; quas cùm non reperissemus, venimus ad Samuëlem.

§. XLIV.

Magnum aliquando est lucrum non succedere desiderium.

Negotiatio est aliquid amittere, vt maiora lucreris: cúmque aliquando desiderata non assequi, occasio fuerit assequendi maiora, commodum est non succedere, sed frustrari. *Nonnunquam* (aiebat Tertullianus *lib. 1. de Anima, cap. 2.*) *& in procella confusis vestigiis cœli, & freti aliquis portus offenditur prospero errore: nonnunquam & in tenebris aditus quidam, & exitus deprehenduntur cæca felicitate.* Ad portum procella aliquando citiùs peruenitur, & maiori felicitate deerratur, quàm inceptum iter perficeretur. Prosperitas, felicitásque non ex voto, sed ex successu taxatur: fortunatior dicendus erit, qui maiora votis assequitur, dum desideratis fraudatur. Saül asinas quæsiturus perrexit, quas si citò inueniret, ad Prophetam nullatenus tenderet; ast desiderio fraudatus ad regnum peruenit inscius: *Quo abistis?* interrogat Saülem patruus. Cui Saül: *Quærere asinas; quas cùm non reperissemus, venimus ad Samuëlem.* Ecce ad Samuëlem veniendi occasio fuit asinas non reperisse, inuentis asinis rediret ad patrem terram culturus: ast dum casso labore angitur, Samuëlem adit, & regnum inuenit. Grande fuit lucrum non assequi desiderium, quia regalem peruenit ad thronum. Innuit Abulensis *quæst. 15. Discurrendo per plura loca terræ Benjamin, & Ephraim non inuenerunt eas, vt patet præcedenti capite.* Adnectit: *Puero tamen Saülis suadente, venerunt in Ramatha vbi erat Samuël.* O quoties magno Dei beneficio caremus optatis! O quoties cœlesti fauore non assequimur desiderata, quamuis cæci doleamus frustrata vota! Cæca cupiditas, ambitio exoculata hiat ad venenum, quod denegare eximium est beneficium: pro collyrio solet esse ad oculorum detergendam cæcitatem in cassum laborasse, tempúsque amisisse. Ecce Saul desiderio frustratus Samuëlem quæsiuit, & peruenit ad regnum, quia anxium non assequutus est votum.

TEXTVS.

Vers. XV. & XVI. Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuël. Et ait Saül ad patruum suum: Indicauit nobis, quia inuentæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicauit ei, quem locutus fuerat ei Samuël.

§. XLV.

Humilis nec inuitante occasione magnalia sua profert, sed vtili silentio tegit.

Hvmilitas præstigiatrix ad speciem videtur, dum honestè oculis imponit, & ipsa quæ experitur, non credit. Superbia ambitiosè iactat, quæ non obtinet sed præsumit: silentio tegit humilitas, quæ non præsumit, sed tenet. Ecce Saul non audet patruo manifestare, quæ citò non dubitauit impleri, & cùm Dei verbis fidem adhibeat, magna quæ de illo Samuël deprædicauit, cæcitate laudanda ignorat. Humilitati adaptari possunt, quæ aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 11.

Silentiosè geritur publicum bonum. Non audit prædici, quod palam videtur assumi : & temperamento mirabili dissimulando peragit, quod accelerandum esse cognoscit. Non dubitat humilis cito sibi evulganda promissa, & tamen mirabili moderatione continet ora : non audit à Samuële prædici, quod palam non dubitat quam citò compleri : non gestit sibi gloriam maturare, quia desiderat plus latere. A patruo rogatus, quid Samuël illi dixerit, de asinis protulit vaticinium, sed de regali vnctione tenuit silentiũ. Erubescebat evulgare prophetica se manu ad regnum consecratum, quia se culmine reputabat indignum, & regendis aliis prorsus ineptum. *De sermone regni non indicauit ei.* Et quare non indicauit ? Quia adeò erat humilis (inquit Abulensis *q.* 15.) vt se licet non dubitaret electum, culmine putaret indignum. Audi Abulensem : *Subticuit Saül ex humilitate: erat enim valdè humilis, & credebat se esse insufficientem ad tantum regimen.* A Deo electus erubescebat electionem fateri, quia se reputabat meritis viduari. Silentium erat meritorum præconium, & dum vera humilitate abscondebat virtutem, dignitatis augebat honorem. O quàm sapienter aiebat Balduinus in Allegoriis Tilmani ad Ecclesiastici 2. *Humilitas in honore honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis.* Vt gemma auro inclusa, si variis cælaturis ornetur, rutilat pulchrior, & gratiosior ; sic dignitas humilitate associata & gratiosior apparet, & pulchrior. Saül proferre posset, quæ ei Samuël prædixerat, & tamen etiam interrogatus tacuit & plus, dum tacuit, emicuit.

§. XLVI.

Nonnulli aliorum dotes silentio tegunt, & suas occasione quavis effutiunt.

Liuor non rarò præsumptionis est comes. Quisquis de se gloriosè sentit, in aliis prædicanda aut affectatè non videt, aut inuidia silentio premit. Rarus est, qui aliorum gloriam non minuat ; rarus qui se superbiendo non efferat. *Id quod sciunt* (aiebat aliorsum Tertullianus *in Apologetico cap.* 3.) *eo quod ignorant, corrumpunt.* Non ignorant plures aliorum virtutes, sed vt corrumpant laudem, iniquam architectantur sibi præsumptionem ; solùm laudanda vident, vt obscurare nitantur ; non agnoscunt, vt debitis plausibus venerentur. Agnouit Herodes Christum Regem, non vt se Magis comitem adiungens adoraret, sed vt detestando liuore adustus persecutor inquireret. *Interrogate* (aiebat) *diligenter de puero. Matth.* 2. *v.* 8. Puerum vocat, ne Regem adoret, & Regem agnoscit, vt si quiuerit, trucidauerit. Vanus frequenter inuidus, & inuidus vanus : è contra qui veris, solidisque virtutibus exornantur, aliorum glorioſa facta gestiunt referre, & sua commendabili silentio celare. Patruus Saülis, quid ei Samuël dixerit, rogat curiosus : *Indica mihi quid dixit tibi Samuël.* Et Saül rogatus, quæ ad laudem suam spectabant, silentio pressit, & quæ Samuëlis testabantur propheticum spiritum, verbis manifestissimis declarauit : *Indicauit nobis quia inuentæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicauit ei.* Asinarum inuentionem agnouisse Samuëlis declarabat virtutem ; vnctio Saülis deseruiebat ad laudem. Saül nec Samuëlis gloriam reticuit inuidus, nec retulit propriam vanus, immò vera humilitate præditus, quæ ad laudem propriam faciebant, silentio pressit, & quæ Samuëlem commendabant, explicuit. *De sermone autem regni non indicauit ei* (inquit Lira) *vt euitaret iactantiam, & humilitatem seruaret.* Si alius esset, se ad regnum consecratum iactaret, & de asinarum inuentione taceret : at vt erat humilis, & modestus, retulit quæ ad Samuëlis laudem, prætermisit, quæ ad proprium spectare poterant splendorem.

§. XLVII.

Nonnulli, dum immaturè spargunt consequenda citò felicitatis notitiam, contra se obarmarunt imprudenter inuidentiam.

NOnnulli, dum nesciunt consequendam citò fortunam silentio premere, inuenti sunt sibi obstacula procreare ; ambiunt præhabitæ notitiæ oblectari lapore, & imprudentes ora taciturnitate non continuisse, longa solvunt amaritudine. Si iam felicitatem perfectè assequutum liuor adspexit, dolore torquetur, ad impediendam tamen consecutam iam felicitatem non obarmatur : at si nondum munus aditum ; accenditur inuidentia, & opponere adlaborat obstacula. Plures assequendis iam spebus frustrati sunt, dum imprudenter intempestiuam sparserunt notitiam, vt immaturam anticipauerint sibi gloriam. *Nec vino* (aiebat Seneca *epist.* 116.) *infirmum animum committamus, nec forma, nec adulationi, nec vllis rebus blandè trahentibus.* Blandè trahit adulatio, vt secreta ernat, & dum eruit, falcinat. Aliena felicitate irritatur inuidia, nec omittet, si possit impedire, aut difficultatibus implicare. *Sexcentos ego* (aiebat Plutarchus de instituendis liberis) *fando accepi ob linguæ intemperantiam in grauissimas incidisse calamitates.* Prudens spargere non accelerat notitiam, sed tempus opportunum expectat. Ob id Saül, quamvis à patruo rogaretur quid apud Samuëlem actum, de vnctione citò promulganda tacuit, ne si immaturè exambierit adulationem, ipsa notitia tardauerit dignitatem. *De sermone regni non indicauit ei, quem locutus fuerat ei Samuël.* Noluit obicem felicitati opponere, si gestiat ante tempus evulgare. Et quidem quamvis patruus stricto naturæ vinculo illigaretur, Saül prudenti est vsus cautela, quia consanguineos adurit etiam inuidia. *Voluit* (inquit Lira) *tenere secretum, & debuit, quousque Samuël negotium publicaret.* Consonat Iosephus 6. antiquitatum apud Abulensem *q.* 15. *Iosephus* 6. *antiquitatum vult, quod tacuerit, ne concitaret contra se, quia in subitaneis prosperitatibus etiam illi, qui cognati sunt, æmulantur, dicens de regno autem, & eius euentibus, quæ etiamsi audirentur, inuidiam, & incredulitatem parerent, tacendum esse decreuit : quod nec amico, & amplius sanguinis vicinitate coniuncto tantum vt sapiens credidit indicare, dubitans, vt vere de humana natura.* Quia Iosephi clariora apud ipsum, verba refero : *De regno tantum tacuit, ne ea res vel credita inuidiam, vel non credita vanitatis opinionem ei contraheret. Quamvis enim & amicus esset, & cognatus, tutius tamen, ac consultius arbitratus est silentium, reputans credo humanæ naturæ infirmitatem, quòd nemo constans in amore, sed etiamsi manifesto diuino suffragio felicitas contingat, tamen alios sibi præferri iniquè, & inuidè ferunt.* Consultè Saul tacuit, quod si alij feciſſent, sibi felicitatis cursum non retardassent : ast dum intempestiuè gloriolam prægustare gestiunt, sibi ipsis notitiam spargentes officiunt.

TEXTVS.

VERS. XVII. & XVIII. Et conuocauit Samuël populum ad Dominum in Maspha ; & ait ad filios Israël : Hæc dicit Dominus Deus Israël : Ego eduxi Israël de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium Regum, qui affligebant vos.

§. XLVIII.

Cœlestium donorum cursus à nobis ipsis retardatur, & diuina liberalitas impeditur.

EA est diuina erga homines largitas, vt nihil omittat, quo perpeti cursu eos & ditarit, & foueri. Velut

Veluti partutiens magnificentiæ suæ munera, & habere clausum penes se gratiarum thesaurum nesciens sibi ipsi adulatur, dum posterioribus honestè obscurat dona ptiora. Quòd si aliquando beneficentiæ cursus stetit, aut obstaculis impeditus, aut impedimentis tardatus, non sustinet causam silentio tegi, sed in suæ liberalitatis obsequium mavult aperiri. *Liberalitatem nostram* (aiebat Cassiodorus 3. *var.* 35.) *firmam decet tenere constantiam, quia inconcussum debet esse Principis votum.* Constantiam tenet regalis munificentia, & ipso tempore augentur munera, dum crescunt vota. Quia tamen aliquando beneficiorum cursum oppositus obex sistit, satagit liberalitas omnibus patefacere cursum non exsiccatũ fontalis scaturiginis ariditate, sed opposito insipienter obice, retardantéque ingratitudine. Adam voce Domini audita properat se abscondere, & faciem Domini non videre: *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & uxor eius à facie Domini.* Gen. 3. *vers.* 8. Deus quærebat Adamum, vt post casum erigeret, vt nudum decenter tegeret, vt serpentino veneno laboranti salubrem antidotum applicaret; verùm ipse Adam calamitati suæ suffragabatur, & imprudenti suffragio diuinã munificentiam, & amorem morabatur. Opportunè Basil. Seleuc. *orat.* 3. *Misertus erroris Deus ad arrigendum currebat. Currebat autem non mutatione loci, sed imagine quadam terribili præsentiam contestatus. Illi terrore percussi se ipsos transgressionis accusatores, ac reos exhibentes exitio suo suffragantur.* Itaque vt conflaret omnibus medicinam tardari non ob medici absentiam, sed ob ægrotantis fugam medicus adesse testatur voce compellans humanissima. Nec aliter videtur hoc in capite accidisse. Introducenda erat noua reginiinis forma, obliteranda antiqua, vtque omnibus compertum esset diuinæ bonitatis cursum ab ipsis impediri, in memoriam reuocat diuina beneficia, & eorum ingratissima desideria: *Ego eduxi Israël de Ægypto, & eruì vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium Regum, qui affligebant vos.* Ac si dicat: Dum vobis pro temporali etiam Rege eram, fregi vestrum iugum, propulsaui periculum, vobis subegi aduersarium; quia tamen cæcus vester impetus me à solio quodammodo expellit, omnibus compertum sit, felicem adeò cursum non à me cohiberi, sed à vobis ipsis retardari. Ita Ioseph. 6. *Antiquit. cap.* 5. *Ego vos in libertatem vindicaui, primum Ægyptiorum seruos: deinde à vicinis Regibus toties victos, ac subiugatos, pro quibus beneficiis hanc mihi gratiam reponitis, quod abrogato mihi, quantum in vobis est, imperio quasi nesciatis vilissimum esse homini à Deo regi, vnum è vestro numero digniorem existimatis, qui vobis præsit: qui subditis tanquam pecudibus pro sua libidine vtens quidlibet in quemvis licere sibi volet.* Noua ab ipsis introducta forma erat calamitatum & mater, & nutrix: ergo vult omnibus esse notum ipsum ab antiqua gubernatione impeditum, non languente amore, sed procurante nocentissima cæcitate.

§. XLIX.

Malunt aliquando homines ab aliquo è suis regi, quàm ab experto, & sapientissimo gubernari.

Pletate plenum est (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 9.) *peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, & non tantum consanguineos ad substantiæ incra mittere, quantum ipsos quoque aduenas inuitare.* Verùm hæc pietas rara: quisque suos cæteris digniores reputat, & adfectionis delusus præstigiis ad quævis munia aptiores proclamat. Immò ea est humanæ mentis cæcitas, vt vel ipsi Numini suos præferat, & præferendos insistat. Ecce Samuël Dei nomine exprobrat Hebræis post tot accepta beneficia ipsum abiecisse, & pro Deo, Imperatore, ac Rege maluisse aliquem è suis regiam dignitatem ad re, ab ipsóque gubernari: *Ego eduxi Israël de Ægypto, & eruì vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium Regum, qui affligebant vos.* Si inquiras, cur experti tantam in se Numinis humanitatem, & faustam, omnibúsque vtilissimam gubernationem, aliam introducere formam gestiant? Respondebit iam datus Iosephus ipsis factis quodammodo ostendisse regimini quemlibet ex suis aptiorem. Ipsum audi: *Quasi nesciatis vtilissimum esse homini à Deo regi, vnum è vestro numero digniorem existimatis, qui vobis præsit.* Nequibant ignorare Dei præstantiam, & in gubernando solertissimam peritiam; eo tamen laborabant adfectionis erga suos delirio, vt sibi imponerent, & digniores quodammodò factis ostenderent: *Vnum è vestro numero digniorem existimatis, qui vobis præsit.* Quo melius, quàm hoc populi facto explicari potuit humanæ adfectionis erga suos cæcitas, quando vel ipsi Numini ad regimen præferunt, & eligendum persistunt.

§. L.

Ni omnis in electione iniquæ suspicionis præcidatur occasio, omnia perturbabit ambitio.

Dignitas (aiebat Cassiodorus 1. *variarum* 3.) *dum ad incognitum venit, donum est, cùm ad expertum, compensatio meritorum: quorum alter debitor iudicij, alter obnoxius est fauori.* Incognitus, si ad dignitatem electus, non solùm fauori est obnoxius, sed æmulantium linguis obiectus: dum semper ambitio sibi credit ereptum, quod alij intuetur donatum, iniquis suspicionibus electorem infamat, & electum fictitiis causis obscurat. Vel contra ipsam euidentiam audet æmulationis insania, & ipso lumine obcæcatur inuidia: ob id oportet omnem audacis suspicionis causam amputari, & vmbram querelarum præcidi. Samuël, vt Saülem Regem constituat, in Masphath populum congregat: *Conuocauit Samuël populum ad Dominum in Masphа.* Profectò cui videantur otiosa comitia, & itinera laboriosa excusanda. Si iam Samuël Saülem inunxit; si iam Numine præcipiente, ad regni culmen euexit, satis erit declarare à Deo electum, quin congregauerit populum. Quid opus tot populos confluere, quid anxias sortes opus est expectare? Hanc quæstionem exagitauit Abulensis. *Si nondum fuisset vnctus Saül* (inquit quæst. 16.) *erat conueniens, quòd ipsi vocarentur ad electionem, sed nihil deerat ei ad hoc, quod esset Rex, nisi quod cognosceretur ab Israëlitis, quod erat Rex; sufficisset ergo, quod notificaretur eis, & non conuenirent ad ponendum, sortes, quasi incertum esset quis futurus fuisset Rex.* Audisti dubium, audi responsum: *Respondendum est, quod Deus voluit in omnibus tollere Israëlitis occasionem murmurandi: si enim Saül, qui fuit in secreto vnctus, denuntiaretur postea fuisse vnctus, & quod Samuël diceret eum fuisse electum à Deo, aliæ Tribus dubitarent de hoc nimis, & origo magni dubij erat, quia quælibet Tribus anhelabat ad regnum.* Difficulter creditur, quod molestè auditur: ergo cùm quævis Tribus se doleret reiectam, Saülis electionem obmurmuraret indignam. Prudentia fuit omnem occasionem obmurmurandi præcidere, & audaces linguas manifesta sorte frænare.

TEXTVS.

VERS. XIX. Vos autem hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos de vniuersis malis, & tribulationibus vestris, & dixistis: Nequaquam: sed Regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & per familias.

§. LI.

Plus homini proficit Deus etiam iratus, quàm homo beneficiis obstrictus.

HOmo quantumuis beneficiis obstrictus exuere nequit ingenium, sibi consulit, sibi attendit, & ingentibus etiam beneficiis non respondet ingratus: at Deus paterna adeò pietate lucet, & misericordia resplendet, vt etiam nostris offensionibus exasperatus nos protegat fragilitatis misertus. Notauit Tertullianus de Patientia, cap. 12. *Illum quoque prodigum filium patientia patris, & recipit, & vestit, & pascit, & apud impatientiam irati fratris excusat.* Frater naturæ vinculo obstrictus, & nullis offensionibus irritatus dolet fratris reditum, quia sibi exambit integrum patrimonium, cùm pater culpis offensus, & erroribus prodigi exasperatus & recipiat, & vestiat, & pascat. Quam prodigo vtilior fuit pater imprudenter desertus, quàm frater originis vinculis illigatus. Et hoc ipso in capite pietas diuina relucet. Se conqueritur ab Israelitis reiectum, vt homini tradiderint principatum; & cum homo adeo ab ipsis beneficiatus releuandæ eorum calamitatis inueniatur oblitus, Deus semper benefaciendi studiosus: *Vos autem hodiè proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos de vniuersis malis, & tribulationibus vestris.* Sanct. Pagninus legit: *Qui seruat vos ab omnibus malis vestris, & angustijs vestris.* Duo expendenda occurrunt: Si Regem deligunt, cur solus Deus eorum calamitates dicitur releuare? Deus se queritur reiectum, & prophetico ore ipso reiectionis momento promittit auxilium: *Qui seruat vos?* Expectares à Rege consalutato saluandos, & à reiecto Numine deserendos, & audis à Rege oblitos, & à solo Numine benignissimè protectos. *Proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos.* O admirandam pietatem, ò deprædicandam sæculis mansuetudinem! Vel reiectus ingratos sustinet, & infelicibus fauet, quando eos ad regnum inauguratus reliquit. Innuit Abulensis *quæst.* 18. *Istud ponitur ad signandum magnitudinem ingratitudinis: nam si Deus fecisset aliqua beneficia populo Israel, & etiam aliquis alius contulisset aliquid magnum, & deserent Deum, vt sequerentur alium benefactorem, licet esset malum, non tamen esset tam imputabile: tunc vero nullus alius contulerat bonum Israelitis nisi Deus, & eum abiecerant.* Reiectus Deus fauet, homo consalutatus ad regnum premit. Plus namque homini proficit Deus vel ingratitudine offensus, quam homo magnis beneficijs obstrictus.

§. LII.

Plus apud homines valet temerarius animi impetus, quàm beneficiorum census.

SIc homines cæcis adfectionibus parent, sic voluntatis rapiuntur impetu, vt à ratione recedant ingrati, & brutorum stupiditatem ingratitudine supergressi. Elephas, qui à natura beneficium non habet, vt assurgere quiuerit post ruinam, si humano auxilio adiuuetur, mirè gratitudinem protestatur. Accipe Cassiodorum 10. *variarum* 30. *Bellua suis gressibus restituta nouis memor esse beneficij: in magistrum quippè recipit, quem sibi subuenisse cognoscit: ad ipsius arbitrium gressus mouet: ipsius voluntate cibos carpit. Et quod omnem intelligentiam quadrupedum superat, non dubitat primo aspectu adorare quem cunctorum intelligit rectorem esse: cui si tyrannus appareat, inflexa permanet: nec imponi potest bellua hoc & malis pendere, quod à se nouit bonis principibus exhibere.* Non rapitur elephas brutali desiderij violentia; sed frænatur beneficiorum memoria; vel cum fame adurgetur, ad benefactoris arbitrium pascitur. Belluam ad speciem censeas rationalem induisse naturam, cùm videas hominem sic à ratione decisicere, vt in bellinam transisse censeas substantiam. Non ignorabat populus Hebræorum accepta à Deo ingentissima beneficia, & quia ardenter Regem discupiebant habere, maluerunt quàm ratione regi, votis cæcissimis adulari. *Vos hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos de vniuersis malis, & tribulationibus vestris, & dixistis: Nequaquam: sed Regem constitue super nos.* Gratitudo, religióque Deum amplecti Regem suadebant, habendi Regis desideria delirabant, & tamen in hoc rationis, appetitúsque certamine cessit intellectus, & triumphauit infeliciter impetus. Notauit Iosephus iam datus: *Plus apud vos potest temerarius animi impetus, quàm vel religio, vel beneficiorum memoria.* Samuël retulit grandem beneficiorum censum, si fortè memoria impetus mederetur insaniæ: præualuit tamen effrænis animi impetus, & nouus electus est principatus. Malunt namque non semel homines cæca raptari cupidine, quam cordata gubernari ratione.

TEXTVS.

VERS. XX. & XXI. Et applicuit Samuël omnes tribus Israël, & cecidit sors tribus Benjamin. Et applicuit tribum Benjamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saül filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus.

§. LIII.

Non est dignitas possidentis, sed possidens dignitatis.

IVstitiæ ratio persuadet, vt qui dignitatis honore gloriatur, dignitatis legibus adaptetur. Talis esse solet quæuis dignitas, qualis est administrantis voluntas; illa tamen solum laudabiliter geritur, cuius præscriptum audaci libertate non temeratur. Servus dignitatis debet esse, qui discupit dignis laudibus prædicari: nam si dignitas possidentis sit serua, & arbitrium eius sequuta, iusta multorum resonabit querela. *Graue pondus inuidiæ est* (aiebat Cassiodorus 6. *var.* 12.) *splendere cinguli claritate, & morum lampade non lucere.* Dignitatis cingulum debet electum constringere, electum cingulum non debet exoluere. Sortes mittuntur, vt Hebræorum Rex eligatur, & tribus Benjamin sorte capta refertur: *Applicuit Samuël omnes Tribus Israël, & cecidit sors tribus Benjamin.* In Hebræo habetur: *Capta fuit Tribus Benjamin*, & eodem modo posteà *Captus fuit Saül filius Cis.* Dum Textus sortem à tribu non captam, sed tribum à sorte retulit, vtile nobis documentum exhibuit, videlicet dignitatem non esse à possessuro capiendam, sed laudabiliter possidentem capturam; nam vt qui ab alio capitur, ei obtemperare tenetur; sic qui dignitate fruitur, eius debet legibus

obtemperare

obtemperare, non prout libuerit abuti. Innuit Caietanus: *luxta Hebræum habetur: Et capta fuit tribus Benjamin: tali enim loquendi modo vtitur Hebraica littera.* Addit: *Similiter subiungit, quòd fuit capta familia, & quod fuit captus Saül, & certum est, quod non significatur capta corporaliter persona Saülis.* Non erat corporalis captio, sed moralis captus dicitur, dum dignitatis luminibus decoratur; vt nouerit se iam non liberum sed dignitatis obligationibus illigatum. Ioseph ferrea vincula ad culmen electus aureis vinculis commutauit: *Collo torquem auream circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum. Gen. 41. vers. 42.* Quod expendens Philo *lib.* de Ioseph, aiebat: *Caterum torques aurea non ad gloriam solum, sed ad pœnam pertinere videtur.* Si vinculum illigat, Ioseph currum illigatus incendit, in auream que ferream commutauit catenam; tam vinculis modo manfit illigatus, vt anteà in carcere compeditus.

§. LIV.

Honestum est nomen de peritia veniens, & laudabili industria florens.

Reuerendum honorem (aiebat Cassiodorus 6.) *variarum* 6.) *quisquis magistri nomen acceperit, quia hoc vocabulum semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus æstimandum.* Nomina heroicarum actionum indices venerabilem secum afferunt semper honorem, & dum protinus publicant laudabilem actionem, gerentis conspicuam deprædicant claritatem. Samuël, vt Regem deligat, ad cœlestes sortes confugit, & sors Benjamin tribum non sine aliorum æmulatione signauit: *Cecidit sors tribus Benjamin: & applicuit tribum Benjamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri.* Interpretes existimant hoc nomen non esse sanguinis, sed actionis. Et cur nomen familia non ostentet à nobili capite, & conspicua originis luce? Quia nomen designabat (inquit Glossa) eam familiam sagittas, aut lapides iaciendi singulari adeò peritia vigere, vt vel capillum vnicum iactu feriret: ergo elogium mirandis actionibus sibi procudit, & contra hoites nomen peritiam singularem ostendit. Ita Lira: *Non est nomen proprium, sed commune, & significat in generali hominem quemque rectè iacientem ad signum sagittam, telum vel lapidem.* Adnectit. *In Gabaon autem, vnde fuit Saül, fuerunt tales vt habetur Iudic. 20. vbi dicitur de habitatoribus Gabaa: sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque possent percutere.* Subdit: *Ab illa arte, in qua erant excellentes, denominata est vna cognatio sicut frequenter contingit in humanis, & de illis descendit Saül.* Itaque sacra Scriptura peritiæ nomine familiam illam honorauit; sunt namque decora nomina, quæ actionum dexteritas attulit, & excellentia procudit.

§. LV.

Nobiles se cæteris semper præferendos arbitrantur, & ni præferantur, queruntur.

QVi transfusis generatione fulgoribus emicant, frequenter se cæteris præferendos, & præ cæteris honorandos existimant, etsi aliter contigerit, sibi iniuriam irrogatam proclamant. Arcades, quia ex Enandri posteritate exorti, lunulas in calceamentis afferebant, quasi vel astra ipsis deberent postponi, & reuerentiam præstare. *Cur in calceamentis lunulas, qui splendidis natalibus præfulgent, ferunt?* (rogat Plutarchus *in quæst. centur. Roman.*) Respondétque: *Vtrum vt auctor est Castor, nota id est, habitationis, quæ esse in luna narratur: & quod ab excessu rursus animæ lunam pedibus habebunt subiectam.* Eminere præ aliis exambit nobilitas tumore inflata, & si aliter decernatur, extat tragœdia querula. Huius veritatis non ignarus Samuël, Regem electurus ad publicas sortes confugit: *Applicuit Samuël omnes Tribus Israël, & cecidit sors Tribus Benjamin.* Quæres, cur Samuël sortibus fuerit visus, cum non ignorarit quis à Numine fuerit electus? Ipse Saülem inunxerat, regnaturúmque prænuntiarat: ergo sortium non expectet suffragium, sed regalem promoueat ad thronum. O prudentiam imitandam! Nouerat nonnullas Tribus Benjamin Tribu nobiliores: ergo oportebat cœlesti signo electum designari, alioquin sibi iniuriam vociferarentur inferri. Adest Opportunè Lira: *Licet Samuël de mandato Domini eum inunxisset, & statim hoc publicare posset; tamen ad compescendum murmur, & indignationem aliorum, qui erant de nobilioribus Tribubus, quæsiuit à Domino, vt per signum euidens omnibus electio Saülis appareret.* Ni euidenti eo signo Saül aliis præponeretur electus, nobilium obmurmurantium, dolentiúmque contra Samuëlem ambitiosus decertaret tumultus: ergo prudenter cœleste expectauit suffragium, vt periculosum nobilium vitaret iurgium.

§. LVI.

Difficulter quod displicet, creditur, & facilè audacibus suspicionibus contradicitur.

QVidquid arridet, posse ad effectum peruenire non dubitatur: quod displicet, contradicitur, quia timetur. Nec incorruptis viris præstatur fides, si quæ attestantur, auribus inuitis audiuntur. *Non est incitandus animus* (aiebat Seneca *lib. 3. de Beneficiis, cap. 14.*) *ad auaritiam, ad querelas, ad discordiam: sua sponte in ista fertur. Quantum possumus resistamus, & quærenti occasiones amputemus.* Adnectit *cap. 15. Necessaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quàm expectare malunt.* Non est expectanda debita fides, si quis vtiliorem sibi iniquam existimauerit suspicionem: fides adhibebitur viro spectabili, si nobis nil vtilitatis, commoditatisque eius præciderint adserta, aut abstulerint testimonia. *O turpem* (verba Senecæ) *humano generi fraudis, aut nequitiæ publicæ confessionem! Annulis nostris plus quàm animis creditur.* Sine externis testibus non creditur viro quantumvis virtutibus expolito; si adferat, quod ambitio dolenter audit, & æmulatio animitus fugit. Itaque fides non adhibetur, immo vt inficiando sibi blandiatur, tumor apertæ veritati, lucique opponitur. Samuël, Deo præcipiente, Saülem Regem inunxerat, & tamen ad iam inunctum declarandum cœlestis sortis suffragium expectat. *Applicuit Samuël omnes tribus Israël & cecidit sors tribus Benjamin.* Satis sors viderur otiosa, quando cœlestis non dubitatur sententia. Quid ergo Samuël insumat tempus in sortilegio, quando potest Saülem à Deo fuisse electum declarare veracissimo testimonio? O prudentiam viro Dei dignam! Saülis electio displicebat animis, dignitatisque regiæ ambitiosis: ergo veritus est Samuël eius veritatem infamandam, & fidem suspicionibus multiplicibus infringendam: ob id cœlestes ad sortes recurrit, vt honori suo prouiderit, & suspicionibus temeritatem vitarit. Ita Procopius: *Prauis studiis tam addicti erant, vt etiam Prophetis Dei fidem non adhiberent. Ne igitur suffragium humani studij, & fauoris esse suspicarentur, sorti iudicium permisit Propheta, vt quod Deo visum esset declararet.* Samuël Propheta, & vir integerrimus habebatur: ast si Benjamin tribum à Deo testaretur ad regnum electam, aliæ tribus ambitione inflammatæ, & æmulatione perculsæ conarentur Prophetæ infirmare fidem, & variis argumentatio-

nibus eludere veritatem : ergo rationabili sorti permisit iudicium, & criminationum vitauit scopulum : nam quod inuitè auditur, non creditur.

TEXTVS.

VERS. XXII. Consuluerunt post hæc Dominum, vtrúmnam venturus esset illuc. Respondítque Dominus : Ecce absconditus est domi.

§. LVII.

Frequenter se dignitatibus impares arbitrantur, qui virtutum suffragiis cæteris præponuntur.

MAgnum quidem videtur ambitiosis inter cæteros eminere, & dignitatum culmina inuadere; non expendunt prudentiæ lance onera, sed sitiunt volatica cultus lucra. *Magnum quidem multis* (aiebat Cassiodorus *6. variarum* 12.) *& inter vices videtur esse geniatum publicæ vtilitati probis actionibus occupari.* Allicit ambitiosi animum dignitatis splendor, & solicitat aliis præponi, quia delusus putat suis dotibus præfecturam deberi. Ast qui sereno animo, nec variis affectionibus perturbato dignitatum laborem, & obligationem expendt, animitus fugit. Dulce est aliquid sic mereri, vt nulla possit tergiuersatione turbari; sed modestis, humilibusque est onerosum se totos alienis curis impendere, & alternantibus negotiorum molestiis prægrauari. Saül rationabili sorte ad purpuram eligitur, & non mentita affectatione, sed vera humilitate tegitur, & absconditur. Opus fuit Deum consulere, vt latentem quiuerint vestigare. *Respondit Dominus : Ecce absconditus est domi.* Si quæras, cur Saül vel studiosè quæsitus dignitatem respuerit, & se substrahere studiosè adeò curarit? Respondebit Procopius contulisse inter se virtutem, & dignitatem, credidisséque sua merita longè à dignitate superari, & ob id voluisse latere. Accipe Procopium : *Saül iam sorte electus considerans hanc potestatem sua dignitate, & meritis longè excellentiorem esse, occultè latere tentabat. Sed à Deo Samuëli ostensus, toti populo præfectus est.* Quid de se, & de honore sentiret, explicuit Saül non ambitiosa fuga; sed laudabili absentia. Præmia dignitatis illum auidè quærebant; ipse verò latere desiderabat. Nam verè humiles expauescunt dignitates, & dum se impares honoribus tantis præsumunt, culmina laudabiliùs inscendunt. Repetere posset datus Cassiodorus : *Perfecti viri tot laudabilius institutis huiusmodi inueniunt præmia dignitatis.* Dignus fuit Saül, qui à dignitate quæreretur dum dignitati sua opinione impar absconditur : nam qui gestiunt detestabili ambitione lucere, indigni solent dignitatibus inueniri.

§. LVIII.

Qui alacriter dignitatem inscendit, aliquid humilitati detraxit.

HOnor debetur dignis, & laudabiliter aliis præfertur, quem non humani fauoris extulerunt vota, sed merita. Verum etsi de meritorum mensura dignitatis venerit gloria, nescio, quæ addatur, si animitus recusetur dignitas, gratia. Benè de se præsumpsit qui præponi cæteris non expauit, & vernat grata venustate humilitas, si rubore suffunditur, cum dignitatibus decoratur. Christi Domini mira facta turbis suaserunt, vt ad regiam dignitatem euheretur; verùm qui aduentantem aduersariorum cohortem non fugit, terga dignitati quærenti vertit : *Cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ioan. 6. vers.* 15. O quantus meritorum decor fuit ad dignitatem non inuolare, sed quæri. O quàm egregium, ne posset rapi, latebris montium abscondi. *Fugit in montem* (inquit Beda in Catena D. Thomæ) *id est, ascendit celeriter.* Non fugit lento gradu, quò detentus, dum dignitatis splendorem, ad speciem recusat, renitentiæ laudem addat, sed celeriter se subtraxit, quia non mentita, sed nos edocens vera humilitate inuolabat. Sunt qui magistratum ad speciem respuant, sed vt affectatæ modestiæ laudem acquirant, cum reuerà splendorem sitienter exambiant. Saül sorte ad regnum deprehensus se abscondit, ne dum sponte, & alacriter dignitatem acceptat, modestiæ, humilitatísque decorem imminuat : *Ecce absconditus est domi.* Ita Iosephus apud Glossam : *Semetipsum abscondit, nolens videri sponte suscipere principatum. Sed tantam sui temperantiam demonstrauit, vt dum multi nec in parua felicitate gaudium valeant retinere, sed omnibus esse conspicui desiderent, ille tantarum gentium futurus dominus, non solum non ostendit, sed & a conspectu eorum, quibus erat, regnaturus, eripuit.* Principatum adiit, sed quæsitus, & si fas est dicere, coactus & dum vera humilitate fugit principatum, acquisiuit modestiæ, & temperantiæ præconium.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde : stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum.

§. LIX.

Qui absens anhelis desideriis quæritur, non semel præsens despicitur.

DE more est absentia suspirare, & præsentia fastidire : non inuenit sæpè oculis, quod effingebat animus, & quadam pœnitentia succedit deinceps fastidium. *Vides illum Scythia, Sarmatiæve Regem insigni capitis decorum?* (aiebat Seneca *epist.* 80.) *si vis illum æstimare, totúmque scire qualis sit, fasciam solue : multum mali sub illa latet.* Qui felices existimantur à longè, si propiùs accesseris, inuenies eorum hilaritatem esse fictam, tristitiam veram : non licet illis palam esse miseros, immò inter ærumnas, & angustias cor exedentes, opus est agere felices : multum à se distant res, dum animo concipiuntur, & manibus attrectantur. Dignitatis splendor est laboribus intertextus, & dum labor splendore tegitur, splendor ardentibus desideriis ambitur : at dum experientia errorem coarguit, pœnitentia sæpè succedit. Saül sorte ad regnum designatus aberat, eoque populus eum habendi exarsit desiderio, vt anhelo inquisierint volatu : *Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde.* Existimares magni ab omnibus habendus, & æstimandus, & tamen plures despexerunt, nec allatis muneribus honorarunt : *Despexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Mira res! Qui modo celeri cursu quæritur, iam despicitur. Et quæ causa despectus est? Adesse præsentem, inquit Abulensis *quæst.* 24. Ipsum accipe : *Hoc fuit, quod accidit communiter hominibus, scilicet vt rem incognitã nimis desiderent, cùm verò illam cognouerint, despiciant, & minus appretientur.* Addit : *Ita isti, cùm viderunt quod Deus per sortem dedisset eis Saülem in Regem, desiderauerunt eum habere existimantes, quod esset aliquis vir valde excellens cùm autem fuit in conspectu eorum, non apparuit tam excellens sicut existimauerant.* Magnum hinc nobis documentum est, ne citò accedamus opinioni, sed discu-

tiamus

tiamus illam, certi quod res conſpectæ aliæ ſunt à ſe ipſis phantaſia noſtra depictis: quæ putamus fore ſubſidio, ſunt detrimento; quæ arbitrabamur allatura gaudium, attulere ſæpè lamentum; expectandum eſt tempus, vt aperiat veritatem, quia fallunt multa fucis illita cæcutientem opinionem.

§. LX.

Superiori ad optimum regimen opus eſt à ſubiectis timeri, & veneratione ſuſpici.

NOnnulli ſuperiores, dum, quæ decet, grauitatem non præferunt, dum nimis ſe humanos oſtendunt, à ſubditorum animis omnem timorem abradunt, & abacto metu nec imperare, nec ſubiectos poſſunt ad obſequium debitum cogere. Aliquid regium debet in Principis facie relucere, quod reuerentiam conciliet, nam ſi minus grauiter ſe gerat, ſubiectus deſpiciet, aut reluctari tentabit. Elephas ſuperiori imitanda præbet exempla, & vtiliter ſequenda veſtigia, dum graui vultum decorat aſpectu, dum ſcurras deſpicit vultu. Audi Caſſiodorum 10. *variarum* 30. *Oculi quidem parui, ſed grauiter ſe mouentes: credas aliquid regium eum intendiſſe conſpectum. Deſpicit ſcurriliter ludentes: honeſtum aliquid gratanter attendit: & aduertis rectè iudicare, cui leuia cognoueris diſplicere.* Itaque elephas eo tenore procedit, vt ſibi reuerentiam conciliet, & dum leuibus non oblectatur, timetur. Regem poſtulauerant Iſraëlitæ, annuit Deus eorum votis, & Saülem cæteris altiorem cõſtituit: *Stetit in medio populi, & altior fuit vniuerſo populo ab humero, & ſurſum.* Si inquiras, cur cæteris altiorem delegerit? Reſpondebit Rabbi Dauid Kinhi oportuiſſe, dum noua regiminis introducebatur forma, eum Regem conſtitui, qui aſpectus placiditate amorem conciliaret, & magnitudine corporis timorem incuteret. Eſt namque valdè neceſſarius bono regimini timor, quo veluti habena ſubiectus frænatur, & amor, quo ad honeſtatem facilè adducitur. Ipſum accipe: *Voluit Deus elegantem perſonam conſtituere in Regem, quæ præ ſe ferret majeſtatem quandam non ob aliam rationem, quàm quo à ſubditis magis timeretur.* Docuit ipſa electio oportere ſuperiorem à ſubiectis timeri, nam ſi deſit timor, vt effrænes equi præcipitantur, ſic ſubiecti variis erroribus inficiuntur. Honeſtus timor edocet diſciplinam, frænat audaciam, inſolentiam reprimit, & obſequelam ſuadet: ergo ſuperior eligitur, qui à ſubditis & ametur, & timeatur.

§. LXI.

Superior à ſubditis debet diſtare, & inter ipſos adeſſe.

MIro prudentiæ temperamento debet ſuperior aſſociare duo ad ſpeciem ſibi contraria videlicet ſuis adeſſe, ab ipſis etiam diſtare. Nimia familiaritas nocet, auſteritas nimia tertet. *Dices* (aiebat Seneca *epiſt.* 5.) *quomodo iſta tam diuerſa pariter ſunt? Ita eſt, mi Lucili, cùm videantur diſſidere, coniuncta ſunt.* Non eſt arduum, quidquid inuidioſum eſt, deuitare & quidquid humile effugere. *Vt in vita ſic in ſtudiis* (aiebat Plinius 8. *epiſt.* 21.) *pulcherrimum, & humaniſſimum exiſtimo ſeueritatem, comitatémque miſcere. Ne illa in triſtitiam, hæc in petulantiam procedat.* Id ſuperior agat, vt meliorem vitam ſequatur, non vt contrariam, alioqui nec ſubiectos emendare valebit, nec regere. Numerum cum eis faciat, ſed dum faciat laudabilem ſingularitatem oſtendat. Saül a Deo in Regem electus, dum conclamatur, in medio populo fuiſſe, & exceſſiſſe refertur: *Stetit in medio populi, & altior fuit vniuerſo populo.* In medio erat, ſed altior, eminebat altior, ſed erat in medio; ab ipſis, inter quos verſabatur, diſtabat, & veluti vnus ex illis cum reliquis cõuiuebat. Non ita inter reliquos erat, vt cæteris æquaretur; non ita eminebat, vt aſpernaretur cæteros, ſed prudentiæ lance ita erat medius, vt excederet præſtantiſſimus; ita excedebat præſtantiſſimus, vt intereſſet & medius. *In hoc reſpexit eos Dominus miſericorditer* (inquit Hugo) *quòd dedit eis talem Regem.* Magna miſericordia fuit ſuperior ab aliis non imprudenti grauitate ſemotus, nec nimia facilitate coniunctus, ſed qui cum inter cæteros eſſet medius, diſtaret laudabili exceſſu quodammodo ſeparatus.

TEXTVS.

VERS. XXIV. Et ait Samuël ad omnem populum: certè videtis quem elegerit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex.

§. LXII.

Solicitiùs curamus temporalia detrimenta propulſare, quàm ſpiritualia depellere.

VT plerumque apud homines parui habentur ſolida, & pluris volatico ſplendore lucentia; maior ſolicitudo impenditur, quam æternis, caducis. Quidquid ſaluti commodis, aut ſplendori opponitur, animitus æſtimetur; quod conſcientiam lædit, frequenter deſpicitur. *Nemo noſtrum nouit* (aiebat Seneca 3. *de Beneficiis cap.* 3. *niſi id tempus, quòd cùm maximè tranſit.* Solùm, quæ temporum varietate voluuntur, rapiunt noſtram ſolicitudinem; quæ animum defœdant, aut traduntur oblivioni, aut habentur deſpectui. Audi voces petentium, & ambitorum. Alius ſalutis deſiderio laborat: alius diuitiarum cupidine exæſtuat: alius prætextam, & volaticum magiſtratum anhelis votis ſuſpirat. Inuenies rarum, qui ob amiſſa piacula gemat. Hebræorum populus anxiè poposcit Regem, non qui idola attereret, ſed qui hoſtibus obuiaret: ergo Saülem procerum, & ad bella robore præditum Numen delegit, & omnis populus plauſit. *Viuat Rex.* Quis Rex? Saul magnis viribus præditus ad propulſanda pericula, & temporalia auertenda detrimenta. Ita Theodoretus: *Quoniam ad bella gerenda, non ad pietatem petierant Regem, ideò Deus elegit omnium maximum, quoniam non animæ virtutem, ſed corporis mirabantur magnitudinem.* Languebat religio, depraua ti gliſcebant mores, hoſtes parabant delectum, & prodire feſtinabant in campum: ergo populus expetiuit, qui valeret hoſtium adſultibus ſe animo infracto opponere; non exoptauit, qui vitia ſolicitè curaret depellere: ergo Deus eis conceſſit Principem viribus excellentem, non adeo expoliendis moribus vigilantem: *Ad bella gerenda, non ad pietatem petierant Regem, ideò Deus elegit omnium maximum*; maximum corpore, non virtute, nec enim qui virtute excelleret diſcupiebant, ſed qui temporalibus detrimentis ſubveniret, ſtudiis ſolicitis procurabant.

TEXTVS.

VERS. XXV. Loquutus est autem Samuël ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino, & dimisit Samuël omnem populum, singulos in domum suam.

§. LXIII.

Felix floret Respublica, si ipsa pareat Principi, & Princeps legi.

BOnus Princeps ille est (aiebat Cassiodorus 7. var. 13.) *cui licet pro iustitia loqui, & contra tyrannicæ feritatis indicium audire nolle constituta veterum sanctionum.* Subjicit: *Decreta ergo nostra priscorum resonent constituta, quæ tantam suauitatem laudis inueniunt, quantum saporem vetustatis assumunt. Præiudicia, quæ nos horremus in aliis, non amamus. Obligamus te certè generalitati, dum absolutè præcipimus iura seruari.* Generalitati inuenitur commodus, si Princeps iuri pareat honestè subiectus, & decora est Reipublicæ facies, si subiectus Principis sine tergiuersatione exequatur mandatum. Tyrannum sapit, qui legum sancita contemnit, & dum exlex viuit, omnibus nocet. Iam si subiectus superioris dictionem extrahere moliatur, tumultuosum litigium sequitur. Ad Reipublicæ tranquillitatem oportet Principem legibus obedire, & subiectos præcipienti non refragari: ergo Samuël cum noua administrationis forma foret introducenda, quibus teneretur legibus Principem admonuit, & populum similiter erudiuit: *Loquutus est Samuël ad populum legem regni.* Vt regnum floreret, sanctissimis legibus pacem, & iustitiam stabiliuit. Saüli, ad quæ teneretur explicuit, quæ deberet exhibere officia, populo declarauit; aliter namque nec pax vigere, nec tranquillitas posset perseuerare. Innuit noster Sanctius: *Ideò quæsitus, & accersitus Saül, vt simul cum populo leges audiret, quæ modum administrandi regni præscribunt, vt ipse nosset, quid oneris cum regno suscepisset, & populus quid regio nomini deberet, vt re priùs legitimè, ritéque composita solutior esset, atque pacatior regni moderatio.* Vt pacata esset regni moderatio, Samuël quibus obedire teneretur legibus ex diuino præcepto Saülem admonuit, & populo debitam reuerentiam, & expromptam obsequelam suasit; quæ si sanctè, ritéque obseruentur, & Respublica tranquilla pace florebit, & lex sine querela imperabit.

§. LXIV.

Quæ ad publicam vtilitatem sancita, non sunt memoriæ solùm tradenda, sed literis contra iniuriam temporum demandanda.

SCriptas fractis tabulis leges memoriæ adeò impressas Moyses asseruabat, vt nouis tabulis ad vnguem valuerit inscribere, & incorruptè exarate: *Panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem. Exod. 34. vers. 28.* Quantumuis leges illæ tenaci memoria conseruarentur, firmissimis literis oportuit inscribi, ne aliqua periculosa quæstio oriretur, si aut quid adiectum, aut quid populus criminaretur detractum. Quod esset Moysi effugium, si populus ab oraculo eas leges statutas negaret, aut non tot refractarios assereret. *Non sufficiet* (inquit Caietanus) *scripturas decem præceptorum in tabulis lapideis recondendis in theca sub propitiatorio: sed scribe eadem in volumine legis.* Itaque de Caietani sententia & in volumine, & in talibus leges sunt exaratæ, nec permissæ solùm memoriæ; nam magni momenti res omnem altercationem debent excludere, & memoriæ lapsum vitare. Samuël populo, Regique ex diuino præscripto asseruandas leges promulgauit, & promulgata scripsit: *Loquutus est Samuël ad populum legem regni, & scripsit in libro.* In libro scripsit, vt nec peruicacia posset inficiari, nec ambitio valeret extendere. Innuit noster Sanctius: *Scripsit Samuël leges haud dubiè ex diuino præscripto, in quibus tam Regi, quam populo rei communis, & publicæ proponeretur forma.* Si populus, ad quæ tenebatur, negaret, rescriptum conuinceret; si Rex nouam politiæ formam introducere vellet, vitabat ergo vtrique oportuit literis ius commendari, & controuersiam omnem præcidi.

§. LXV.

Ritè sancita ea debent solicitudine asseruari, vt nulla quiuerint malignitate corrumpi.

AMbitiosa cupiditas, & audax temeritas alieno detrimento anhelat sibi prospicere, & quę alienum ius stabiliunt, satagit eneruare. Sæpesæpiùs clausulæ immutantur, testamenta sæpesæpiùs corrumpuntur. Ob id solicita cura prouidendum est ne frans alieni sibi præripiat, aut industriosis dolis ad se pertinere contendat. *Coruinus primus Messanam vicit* (inquit Seneca *de breuitate vitæ cap. 13.*) *& primus ex familia Valeriorum vrbis captæ in se translato nomine Messana appellatus est, paulatimque vulgo permutâte literâ, Messala dictus est.* Primum nomen captiuorum publicabat iugum, vt triumphatoris elogium: ergo aut inuidentia, quo negaret elogium, literas immutauit, aut Messana ipsa, quo obliteraret triumphum, inuertit. Tales esse solent aut fœdæ vtilitatis, aut exoculatæ inuidiæ machinationes: ergo oportet omnem fraudibus aditum præcludere, & quæ ius instrumenta continent, perspicaci cura asseruare. Samuël, quæ iura Rex in populum, & quæ populus in Regem, ex diuino oraculo promulgauit, & ne è memoria quid elaberetur, scripsit, rescriptumque tabernaculo custodiuit: *Scripsit in libro & reposuit coram Domino.* Et quid opus fuit tabernaculo reponere, & tanta solicitudine custodire, quando satis videbatur aliis in locis asseruari? O expende, amabo te, in libro illo, quæ ad regalem dignitatem, & populi regimen spectabant, contineri: ergo ne aut dominandi ambitio quid adderet, aut parendi tædium minueret, eo loco debuit reponi, vbi nullus fraudi aditus, vbi nullus auderet dolus. *Scribarum officium* (inquit Cassiodorus 12. *variarum* 21.) *securitas solet esse cunctorum, quoniam ius omnium eius solicitudine custoditur. Alios enim depopulantur incendia, alios nudat furtiua subreptio, nonnullis negligentia perit, quod diligens auctor acquisiuit, sed de fide publica robustissimè reparatur, quidquid à priuatis amittitur.* Itaque si fides publica nullis fraudibus infirmetur, si scriptum cumque ius armariis securissimis reponatur, inuidiosa calumnia tollitur, & sinceritas custoditur. Ergo quæ ad populum, Regémque spectabat iura, iubet Deus solicita diligentia asseruari, vt loco sacro reponi. Audi nostrum Sanctium: *Illud præterea hîc obseruandum, quæ ad publicam administrationem essent instituta, quæque hominum calliditate corrûpi possent cum magno rerum publicarum incommodo, illa seruata esse in sanctuario, in quod non admittebantur, quorum essent suspecti mores, & veteratorium ingenium.* O vtinam publica instrumenta apud bene moratos, & integros asseruarentur; sic enim nec aurum sibi nobilitatem cuderet, nec cupiditas aliorum iura adulterata infirmaret; verùm dum aditus patet, antiquæ tabulæ immutantur, & calliditate sæpissimè corrumpuntur.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXVI. Sed & Saül abiit in domum suam in Gabaa : & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.

§. LXVI.

Princeps à Deo electus non quærit sibi pompæ splendorem, sed Reipublicæ procurat vtilitatem.

Diligenda sunt ista (aiebat Cassiodorus in Gnomologia) *vnde Respublica videtur esse firmissima : disciplina videlicet imperandi est amare quo multis expedit.* Vt amare, quod multis expedit, dilaudanda est imperandi disciplina, sic curare quæ ad solum euanidum splendorem facit, obscura gubernatoris est nota. Quid Reipublicæ proderit pompa seruorum? Quid immetatus equorum numerus? Quid superflui supellectilium ornatus splendor? Dignitas nuda resplendet, si curet, quæ multis expedire cognoscit. Saül à Deo electus, dum ad propria redit, non secum ducit magistratus, sed milites: *Abiit cum eo pars exercitus.* Et cur non incedat magistratibus stipatus? Nonne accresceret plurimum splendoris, si Reibublicæ Senatores adstarent, & obsequiosè Principem cingerent? Cur ergo Saül maluit militibus stipari, quàm officiosis Senatoribus cingi? Quia cum eo tempore (inquit noster Sanctius) Ammonita adornaret bellum, eos delegit, qui Reipublicæ forent subsidium, non qui sibi adaugerent plausum : non inspirauit circunstantiæ splendorem, sed populi vtilitatem. Accipe nostrum Sanctium : *Eo tempore, quo Naas Rex Ammonitarum aliquid contra Israëlitas moliebatur hostile, non tam erat necessarius Rex, qui Rempublicam constitueret, quàm qui ab imperij finibus propulsaret exultantem hostem.* Attentiùs audi, quæ subdit : *Quare secuti sunt Saülem non tam Senatores, quique vocari possent patriæ parentes, quàm milites.* Militia erat propulsandis hostibus necessaria, splendorem adderet Senatorum comitantium copia : verùm Saül vti à Deo electus non tulit secum Senatores, sed milites. Vt discant qui præsunt, ea diligere, quibus Respublica possit firmari, & curare quod multis expedit, non quod proprio solùm splendori conducit.

§. LXVII.

Aliquando inuertuntur tempora, & quæ non vrgent tractantur negotia.

REipublicæ moderatoribus curæ erit tempus non terere, sed quæ occasio exigit negotia tractare. Quid, dum vrgent bella, tempus occuparint in posterum mittenda ciuilia. Omnia tempus habent, & quæ vrgentiora, solicitiùs debent geri, & accuratiùs tractari Quid si medicus vitæ insidiantem morbum non attendat ignauus, & in curandis pustulis occupetur solicitus? *Si ager esses* (aiebat Seneca *epist.* 53.) *curam intermissa rei familiaris, & forensia tibi negotia excidissent : nec quemquam tanti putares, cui aduocatus in causam descenderes : toto animo id ageres, vt quam primum morbo liberareris? Quid ergo? Non & nunc idem facies.* Vt imprudens esset, qui vrgenti periculo non occurreret, & leuibus studiosè vacaret; sic politicam, & prudentiam ignorat, qui negotiis moram patientibus curam impendit, & adurgentibus periculis non occurrit. Saül vt regiam dignitatem assecutus est, non tulit secum Senatores, sed milites : *Abiit in domum suam in Gabaa, & abiit cum eo pars exercitus.* Et cur cum senatoribus comitia non celebret, vt Rempublicam constituat, & conuenientem formam statuat? Quia tunc, respondet noster Sanctius, plus vrgebant bella, quàm politica negotia : ergo vt prudens noluit tempus terere, sed periculis obuiare : *Eo tempore, quo Naas Rex Ammonitarum aliquid contra Israëlitas moliebatur hostile, non tam erat necessarius Rex qui Rempublicam constitueret, quam qui ab Imperij finibus propulsaret exultantem hostem. Quare secuti sunt Saülem non tam Senatores, quique vocari possent patriæ parentes, quàm milites.* Opus erat regiminis formam stabilire, sed & ferocientem hostem repellere : ergo noluit, quæ in posterum differri poterant, celebrari comitia, sed quod vrgebat, tractare arma, adornaréque bella, suis factis edocens Reipublicæ gubernatores, ne tempus terant tractando leuia, dum vrgent grauia.

EMAN. DE NAXERA LIB. I. REG. CAP. X. LV. 15

§. LXVIII.

Prudens & si fortuna arrideat, antiquum vitæ tenorem nimis non variat.

MOdestia decorem addit fortunæ, & sapiens nauclerus, cùm ventus implet carbasa, non tam explicat, quàm colligit vela, timet prospero impetu abduci, & a recto itinere ad scopulos deflecti. Fortunatis opus est se fortunæ totos non committere, sed paulatim ad altiora procedere. *Sic est in Principibus humilitas gloriosa* (aiebat Cassiodorus in Gnomologia) *quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse iactantia.* Gloriosior est; dum fortuna adspirat; modestia, & noua de humilitate resultat gloria. Saül ad regium culmen euehitur, antiqui tamen tenoris non obliuiscitur, immò vt sapiens lentis gressibus contendit, ne impetu felicitatis abductus ruerit. *Abiit in domum suam in Gabaa*, ad antiquum vitæ tenorem rediit, nec insolentes fortunæ spiritus fouit, maluit quàm ei succumbere, fortunam regere, & paulatim explicare. Quod notarunt. Abulensis *quæst.* 27. & noster Sanctius : *Non mutauit* (inquit Abulensis) *nimis statum Saül, quamquam fuisset sumptus in Regem : sic patet sequenti capite : nam postquam fuit Rex, sequebatur boues venientes de agro : habitauit autem Saül in principio regni sui in Gabaa, vbi prius habitauerat.* Eandem incoluit domum, eisdem suppellectilibus vsus est, in tanta fortuna modestiam retinuit, & humilitatem coluit. Audi nostrum Sanctium : *Significabat non concepisse se spiritus insolentes, neque abiecisse modestum animum, ac proinde non succubuisse fortunæ regiæ, sed illa se fuisse longè superiorem.* Infirmi animi est fortunæ, quæ ad superbas rapit cogitationes, non posse resistere, & prioris cõditionis statũ repetinis successibus immutare. Rara fuit societas modestiæ, & felicitatis in Saüle, cùm frequẽter nimia fortuna homines reddat non solùm superbos, sed si fas est dicere, stultos. Edocuit factis fortunæ vela contrahere, quia impetu raptum solet ad scopulos allidere.

TEXTVS.

VERS. XXVII. Filij verò Belial dixerunt : Num saluare nos poterit iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera : ille verò dissimulabat se audire.

§. LXIX.

Si deest experientia, non bene geruntur munia.

EXperientia prudentiæ est mater, tempore acquiritur, quæ difficilè in negotiis tractandis peritia aliter comparatur. Nescit decenter arma tractare, qui solùm agriculturæ constat studuisse. Prouerbium est :

Tractent fabrilia fabri, quia à tyrone perfici posse non creditur, quod à magistro speratur. *Professa bona* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 21.) *non habentur ambigua.* Qui ad exercendum munus venit incognitus, habetur semper suspectus. *Requirit* (subiungit *epist.* 22.) *pugna validas manus, desiderat nauigium pectus animosum.* Hinc est, quòd electo Saüle plures obmurmurarunt: *Num saluare nos poterit iste?* Si inquiras, quæ dubitationis fuerit causa, quando & prophetasse erat notũ, & à Deo electũ fuisse rationabili sorte compertũ. Respondebit Abulensis *quæst.* 17. nulla agnouisse experientia ornatum; fuerat agriculturæ deditus, in alendis gregibus occupatus: ergo vt nouerunt carere militari experientia, & armorum peritia, sibi persuaserunt Reipublicæ statum non fortunandum, immò ad deteriorem sortem deuoluendum. Audi Abulensem: *Dixerunt hoc, quia fortè cognouerunt, quod iste semper fuerat rusticus, & nunquam assuetus bello, nec alicui regimini ideò non posset conuenienter eos saluare ab hostibus.* Cum hoste confligere requirebat & audaciam, & experientiam: ergo vt agnouerunt armorum inexpertum, timuerunt adugendum Reipublicæ damnum: est enim miraculi adinstar, si inexpertus se gesserit, vt peritus.

§. LXX.

In communitatibus nonnulli quidquid est honoris exambiunt, quidquid laboris refugiunt.

HOnor annexum laborem frequenter habet: sol fulgentissimis resplendet luminibus, sed zodiacum indefessis percurrit gressibus: sunt tamen qui cùm exambiant lucere, si quid molestiæ adferat, adlaborent effugere. *Discupiunt* (diserte aiebat Cassiodorus 6. *variar.* 12.) *honorem splendidum sumere, & cogitationum molestias non habere.* Semel, & iterum institerant Israëlitæ Regem sibi dandum, Samuël diuina luce edoctus regiis vitiis coronauit Saülem, & iam plures dedignantur obedire, & allatis muneribus subiectionem testari: *Despexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Inquires, cur detrectauerint Regem consalutare, cùm tot instantiis expetiuerint, exambierintque. Cui dubio respondebit Abulensis, desiderasse Regem, quia arbitrabantur honorificum esse non regi iudicibus, sed subjici, vt cæteræ gentes, Regibus. *Petierunt ad hoc* (inquit *q.* 4. *ad cap.* 8.) *quod imperaret illis, & ageret bella ipsorum, ipsique haberent honorem regalem, sicut cæteræ gentes.* Itaque consalutato Rege obueniebat illis, vt rebantur, specialis honor, sed & ceruicem tenebantur subdere iugo: cúmque hæc duo sibi connexa fuerint, & associata, ita aliquorum malignitas diuidebat, vt recusarent iugum, & exambirent honoris emolumentum: *Filij Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste?* Belial interpretatur absque iugo: ergo desiderarunt Regem, vt consequerentur honorem; noluerunt tamen atterere, iugo ceruicem. *Vocantur filij Belial* (inquit Abulensis *quæst.* 27.) *id est pessimi, & indomiti, vel sine iugo; & ita erant isti, quia nolebant se subjicere Principi electo à Deo.* Honor suadebat iugum, è iugo resultabat honor: isti verò honorem exambiebant, & laborem recusabant. Nec dissimile aliquando in religiosa communitate videas contigisse. Sunt quidiscupiant quodcumque ex illo religioso modo viuendi splendoris resultat, respuunt tamen quidquid grauat.

§. LXXI.

Lubentius adhæremus iniquæ suspicioni, quàm indubiæ veritati.

QVidquid alienum honorem aut lædit, aut inficit; auidissimis excipitur auribus. Quod spectat ad gloriam, difficulter creditur, aut obliuioni citò committitur: altissimè memoriæ insident aliorum errata, egregia obliterantur facinora. Si ex vna parte appareat veritas, & ex alia iniquis susurris famam denigrarit malignitas, huic præbetur assensus, ad præstandam illi fidem hærebit animus. *Nonnunquam* (aiebat Seneca *epist.* 13.) *nullis apparentibus signis, quæ mali aliquid pronuntient, animus sibi falsas imagines fingit, aut verbum aliquod dubia significationis detorquet in peius.* Adnectit: *Nemo restitit sibi, cùm cœperit impelli, nec timorem suum redigit ad verum. Nemo dicit: Vanus auctor est; vanus aut finxit, aut credidit. Damus nos referentibus, expauescimus dubia pro certis, non seruamus modum rerum, statim in timorem venit scrupulus.* Indubia aliquando argumenta tuentur veritatem; attamen si iniqua suspicio, aut suspicax aliquorum obmurmuratio eos impellat, aut scrupulus dubitat, aut assensus alienam gloriam infamat. Oraculum Saülem regno deligit, non dubiæ sortes eius virtutem testantur; Samuël cæteros asserit superare virtute, oculi vident præstare proceritate: *Certè videtis quem elegerit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Ita se res habebant, cum nonnulli, an Saül regno aptus, dubitarunt, & interrogatione inficiatrice opinionem suam cæteris aperuerunt: *Filij verò Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste?* Iniquam hanc aliquorum suspicionem vt certam veritatem plures amplexi sunt, & fuit pro cultu despectus. *Et despexerunt eum.* Qui despexerunt? Non solum (inquit Abulensis) filij Belial, sed plures alij eorum opinioni accedentes, & Saülem regno prorsus ineptum existimantes. Audi Abulensem *quæst.* 28. *Erat autem inter Israëlitas ista opinio, quod rarissimi existimabant eum conuenientem ad regnum.* Hinc dubium exoritur: Si Saül non fallaci sorte deligitur; si à Samuële dignis elogiis effertur, si fortitudine, & proceritate excedere non dubitatur, quomodo à tot potuit regimini ineptus censeri, & tractandis armis inutilis indicari? esto filij Belial malignis interrogationibus obscurarint; pro Saüle erant clarissima argumenta, & indubia testimonia. Quomodo ergo rari existimabant regimini opportunum, & tot arbitrabantur ineptum; Quia sic ea viguit obmurmurantium opinio, vt populus veritatem certissimis argumentis suffultam credere nesciuerit, & fidem obmurmurationi præstiterit: *Erat inter Israëlitas ista opinio, quod rarissimi existimabant eum esse conuenientem ad regnum.* Plus valuit ad obscurandam famam suspicio iniqua, quàm ad asserendam tot testium copia. Et quidem frequenter edocet experientia lubentiùs præstari fidem malignis obtrectationibus, quam indubiis veritatibus.

§. LXXII.

Prudens affectat aliquando nescire, quæ nec decet agnoscere, nec expedit castigare.

TAles aliquando circunstantiæ concurrunt, vt prudentia sit affectare culparum insciam, & ignorantiam; nam si vindicetur culpa, rigiditas nimia censetur; si non vindicetur, ignauia despicitur. *Benigni quippe Principis est* (aiebat Cassiod. 1. *var.* 30.) *non tam delicta velle punire, quàm tollere: ne aut acriter vindicando æstimetur nimius, aut leuiter agendo putetur improuidus.* Decet regales apices adeuntem generalitatis custodire concordiam, quia ad regnantis laudem trahitur, si pax florida custoditur. Ob id licet electo iam Saüle, salutatóque non defuerint, qui procaci lingua despexerint, nec ipsius aures timuerint, ea prudentia visus est, vt se audiuisse dissimularit, ne regni primordia aut supplicio cruentauerit, aut non puniendo pusillanimi, timiditatemque opinionem incurrerit; dum scire contra se dicta dissimulat, vtrumque vitauit scopulum: nam si tunc puniret, existimaretur cruentus; & si non puniret, timidus;

timidus; dissimulando verò apparuit cordatus: *Ille verò dissimulabat se audire.* O quàm est hoc documentum iis, qui præsunt vtile, immò interdum necessarium! Opus est aliquando perspicaci cæcitate, & surditate canta laborare, nam notitia coget ad intempestiuum supplicium, aut si non infligatur supplicium, venia timidum prodet ad speciem animum. Si Saül eo ipso die, quo tempora diadematis regalibus cingebat, seuerè in obmurmurantes animaduertere, populo redderetur odiosus; si clara delicta non puniret, haberetur ignauus: ergo prudenti dissimulatione affectauit surditatem ne incipientem elucere obscurauerit opinionem. Adest Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur: & fuit sicut tacens. Hæc enim tacendi prudentia respondet tribus iniuriis, videlicet verborum: Num saluabit nos iste? & contemptus, & non oblati munusculi. Quibus omnibus respondet dissimulatio audiendi.* Consonat Hugo Cardinalis. *Dissimulabat se audire. Sed quare hoc? Quia si statim vindicaret in eos, adscriberetur ferocitati, & impatientiæ: si non vindicare, adscriberetur pusillanimitati, & ideo prudenter dissimulauit* In eo rerum articulo, & punire, & non punire erat difficultatibus plenum: ergo Saul prudentissimè ad surditatis confugit asylum. O quot, si prudenter obsurduissent, incommoda magna vitassent!

CAPVT XI.

1. *Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad. Dixerúntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi.* 2. *Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponámque vos opprobrium in vniuerso Israël.* 3. *Et dixerunt ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israël: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.* 4. *Venerunt ergo Nuntij in Gabaa Saülis, & locuti sunt verba hæc, audiente populo, & leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit.* 5. *Et ecce Saül veniebat sequens boues de agro, & ait: Quid habet populus, quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes.* 6. *Et insiliuit spiritus Domini in Saül, cùm audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis.* 7. *Et assumens vtrumque bouem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israël per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saül, & Samuël, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus.* 8. *Et recensuit eos in Bezech: fuerúntque filiorum Israël trecenta millia: virorum autem Iuda triginta millia.* 9. *Et dixerunt nuntiis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Galaad: Cras erit vobis salus, cùm incaluerit Sol. Venerunt ergo nuntij, & annuntiauerunt viris Iabes, qui lætati sunt.* 10. *Et dixerunt: Manè exibimus ad vos, & facietis nobis omne, quod placuerit vobis.* 11. *Et factum est, cùm dies crastinus venisset, constituit Saül populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon, vsque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.* 12. *Et ait populus ad Samuële: Quis est iste qui dixit: Saül num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos.* 13. *Et ait Saül: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israël.* 14. *Dixit autem Samuël ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.* 15. *Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino: & lætatus est ibi Saül, & cuncti viri Israël nimis.*

TEXTVS.

Vers. I. Et factum est quasi post mensem ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Jabes Galaad.

§. I.

Serpens nostros sibi sensus anhelat subjicere, quo triumphos quinerit reportare.

Naas Ammonitarum Rex adeò implacabile odium in Israelitas conceperat, vt tentauerit pectus debellare, eorúmque sanguine sitim detestandam extinguere. Ob id Iabes Galaad durissima obsidione cinxit, qua subiecta alias subjicere facile credidit: *Ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad.* Cur prius Iabes obsidione cingere tentauerit, quærunt Interpretes. Hugo Cardinalis ad mores historiam interpretatus existimat hic adumbrari, quod in spiritualibus certaminibus solet contingere. Nostros dæmon subingare satagit sensus, quos si semel capiat, ac decipiat, virtutes omnes eneruat. Ob id prolectat oculos, blanditur auribus, palatum saporatis ferculis subornat: & demictis iam sensibus animam captiuam tenet, & vinculis cæcis tradit. Audi Hugonem: *Naas interpretatur serpens, & significat diabolum.* Adjicit: *Iabes interpretatur sensus.* Sensus serpens obsidet, quos si sibi semel subiectos habeat, virtutes omnes detriumphandas non dubitat. *Liuore pecussi inuidiæ* (aiebat Isidorus *de summ. bon. lib. 2. cap. 39.*) *inficiunt per sensus corporis ovus, desideriúmque libidinis, quatenus è cœlestibus deorsum deiectam animam pertrahant, secúmque, quos vicerint, gloriantes ad tartara ducant.* Statim ac serpens Euæ oculos traxit ad arboris pulchritudinem intuendam, ad fructus saporatam dulcedinem demirandam, infelicem sibi triumphum promisit, & reportauit; nam dum oculus pulchritudine capitur, & animus præpeditur. *Magnus animus*

(aiebat Seneca *epist.* 120.) *conscius sibi melioris naturæ dat quidem operam, vt in hac statione, qua positus est, honestè se, atque industriè gerat. Cæterum nihil horum quæ circa ipsum sunt, suum indicat, sed vt commodatis vtitur peregrinus, & properans.* Statio ad militiam pertinet: ergo animus in statione peruigil excubat, & primò corporales sensus munire curat: nam si semel hostis per oculos, aurésve inuenerit aditum, indubium sibi de animo promittet triumphum. Naas serpentina astutia præditus sensus capere aggressus est, quos si semel sibi subiecerit, omnes ab animo virtutes abigere procurabit.

§. II.

Periculis exponitur, qui à fratrum consortio, communicationéque separatur.

PLurimum vtilitatis affert honestorum conuictus: inter lumina densæ tenebræ non versantur: inter probos desideria iniqua pudoris vinculis detinentur. Solitudo, & ab hominum consortio distantia eis prodest, qui sedato animo contemplationi cœlestium vacant, & perpolitis moribus, ac virtutibus rutilant. Parum verò virtute fundatis solitudo frequenter non conuenit, nam dum testes oculi non adsunt; appetitus insani gliscunt. *Nemo est ex imprudentibus* (aiebat Seneca *epist.* 10.) *qui relinqui sibi debeat. Tunc mala consilia agitant: tunc aut aliis, aut ipsis futura pericula struunt. Tunc cupiditates improbas ordinat. Tunc quidquid aut metu, aut pudore celabat, animus expromit: tunc audaciam acuit: libidinem irritat, iracundiam instigat. Denique quod vnum solitudo habet commodum, nihil vlli committere, non timere indicem, perit stulto.* Non audet rubor in aliorum conuictu se vitiis tradere, nec adeo rationis lumen extinctum est, vt contemnat, dum peruersè agit, videri. Ab aliorum verò conuictu, consortióque remotus, frequenter periculis viuit obiectus. Naas coacto exercitu in Israëlitas parat irruptionem, & aduersum Iabes Galaad primum dirigit aciem, & angustam ordinat obsidionem: *Pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad.* Quærunt Interpretes, cur priùs Iabesenos, quam Israëlitas alios fuerit adortus? Caietanus existimat Iabesenos remotos fuisse ab aliis tribubus, ob idque Naas spes fouisse eos faciliter subiugandi, & premendi: *Castrametatus est contra* (inquit) *Iabes Ghilhad, ciuitas vltra Iordanem remota à nouem tribubus Israël est.* Vbi Iabesenus ab aliis inuenitur remotus, refertur ab hostibus obsidione durissima obsessus: vereretur Naas serpentina astutia adoriri, si adspiceret inter Israëlitas degere; verum dum inuenit seiunctum, adornauit acriùs bellum. Vt noueris quàm sit iustorum cõsortia fugere periculo obnoxium, & quàm inter iustos commorari proficuum.

§. III.

Opus est, quæ voluerit, tributa pendere, si vitio inceperis inseruire.

INter alios mortalium errores ille non leuis est, quo sibi persuadent, si vitiis inseruiant, vectigalia taxanda & modica tributa pendenda, cum nec errorum sit numerus, nec errantibus modus. *Quis exitus erit* (aiebat Seneca *epist.* 19.) *quid expectas, dum desinas habere, quos cupias? Nunquam erit tempus. Qualem dicimus esse seriem causarum, ex quibus nectitur fatum, talem & cupiditatum altera ex fine alterius nascitur. In eam demissus es vitam, quæ nunquam tibi miseriarum terminum, ac seruitutis ipsa factura sit.* Vt ferox equus, si semel cursu incaluit, fræno non obedit, nec sistit gressum ad equitantis arbitrium: ita appetitus ferociens; & irritatus disrumpit fræna, & effrænis inuolat ad præcipitia. Naas qui interpretatur serpens, angustè premebat Iabesenos, illi sub tributo se dedere promittunt, nec tributi quantitatem statuunt. *Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi.* Esto seruitutem admiserint: sed cur tributi summam reddendam hostibus non taxarint? Absolutè inquiunt, *seruiemus tibi.* Qua seruitute? ea videlicet, inquit Lira, quæ ad pẽdendi vectigalia tenetur: *Habeto nos fœderatos sub tributo.* Ipse error pro doctrina est. Otiosum visum est illis tributum taxare, cùm se serpenti studuerunt dedere; vt qui nouerant cernice semel iugo pressa non esse facile tributis modum imponere, aut pro arbitrio subiugati taxari. O quot peccatores delirant! sibi promittunt insanas appetitiones frænandas, insanire volunt, sed modicè, libidini indulgere, sed parcè cùm ira, si semel exarsit, modum nesciat, vt voluptas etiam ignoret. Aliud vitium ex alio nascitur, & nisi prorsus excusseris è cernice iugum, fallaciter promittes tibi imponendum tributis modum.

§. IV.

Qui in vitiorum viuit confinio, duro solet vrgeri bello.

VItia proximitate nocent, vtque qui copiosis fluminibus viuit proximus, gemit erumpentibus fluctibus inopinè circumseptus; sic qui à vitiis non distat remotus, fœdis aliquando eruptionibus maculatur sordidatus. *Conflictus virorum fortium* (aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 10.) *Mutua tela repulit, nec semper tutus fuit, qui cum numeroso hoste contendit: vnius forsitan ictus solerter eliditur: qui multis restitit, a parte qua non credidit, vulnus excepit.* Martiali in campo palpitantibus præcordiis viuendum est. Vicinus hostis ad anxios semper cogit labores, & licet frequenter excubet solertissima vigilantia, aliquando dormitat fessa cautela. Illud est quietum commodum, ibi distat longis interuallis periculum. Felix est, quem protexit distantia, quem ferire non valent tela. Ecce Naas Iabesenos durissima obsidione premit, quãdo bellum alios Israëlitas non vrget: *Pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad.* Et cur in alios non adornauerit bella, sed contra Iabesenos tractauerit arma? Quia reliquæ tribus (inquit Abulensis) protegebantur distantia; at Iabesenis ab ipsa proximitate emanauere pericula. Audi Abulensem *quæst.* 1. *Ascendebat contra Israëlitas, quia erat hostis eorum propinquus illis.* Noxia propinquitas hosti præbebat opportunitatem, & Iabesenis anxiam afferebat solicitudinem; dum in confinio Ammonitarum degunt, continuis diuexati irruptionibus ingemiscunt. Monuerant Angeli Lothum incendium effugere, vtque effugeret, ad montana celeri gressu inuolare. *Nec stes in omni circa regione; sed in montem salvum te fac, ne & tu simul pereas. Gen.* 19. *vers.* 17. Lothus licere sibi ad vicinam ciuitatem confugere deprecatur: *Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum confugere, parua, & saluabor in ea.* Annuerunt Angeli precibus promissa ciuitatis salute: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es.* Accepta salutis tessera ciuitatem ingreditur, sed citò relinquit, & celeri gressu contendit ad montem: *Ascendit Loth de Segor, & mansit in monte.* Et cur mutata sententia excurrat ad montem festinus, qui accepta ab Angelis fide erat in ciuitate protectus? O vtilem nobis eruditionem! Erat Segor anhelantibus flammis proxima erat ingentissimo incendio vicina: Ergo Loth, quamvis facta sibi securitate, timuit fumo inardescere, aut sordidari, & consultior inscendit montem, vt molestam vitauerit anxietatem. *Timuit* (inquit Lira) *ne Segor, quæ erat in valle, subverteretur, ideò ascendit in montem.* Periculi vicinitatem expauit, & ad distantem montem confugit; nam vitiorum confinium aut fumo obscurat, aut solicitudine inquietat.

§. V.

§. V.

Acrius dæmon commouet bellum, si quem videat à vitiorum sordibus mundum.

Tempus pœnitentiæ (aiebat Tertullianus *lib. de Pœnitentiâ cap. 6.*) *idem quod periculi, & timoris.* Vbi per pœnitentiam abraduntur delicta, dura incipiunt cum hoste bella. Dolet hostis captiuum antea fregisse vincula, vtque reducat ad iugum, sæuissima minatur certamina; itaque obseruat, oppugnat, obsidet, si qua possit arte aut oculos pulchritudine allicere, aut cor illecebris illigare, aut constantiam imminentis agonis formidine atterere. Plures, dum suæ conscientiæ non consulebant cæci, duros cum hoste conflictus non experiebantur periculosa pace donati: ast dum aggressi sunt oculos cohibere, appetitum domare, pericula effugere, iam hostiles adiultus patiuntur, & sæuis mucronibus adurgentur. *Pernicacissimus hostis ille* (inquit Septimius iam datus) *nunquam malitiæ suæ otium facit: ut quin tunc maximè sæuit, cùm homine plenè sentit liberatum.* Dolet, & ingemiscit serpens operam suam perditam, mortem dirutam, fraudem propalatam: ergo nihil non tentat, vt antiquum captivum iterum sub iugo mittat. Contra Iabes Galaad aciem instruit Naas Ammonita: *Pugnare cœpit aduersus Iabes Galaad.* Cur præcipuè Iabesenos inuaserit, quærunt Interpretes. Lira existimat prætextu recuperandi tellurem illam suæ antiquitus ditioni subiectam aciem instruxisse. *Tempore Iephe* (verba sunt Liræ) *Ammon venit contra filios Israël repetens totam terram filiorum Israël vltra Iordanem tanquam ad suum regnum pertinentem, vt habetur. Iudic. 11. sed tunc fuit debellatus, vt ibidem habetur. Etiàm fortificato illo regno iste Rex forsitan ex eadem causa venit contra filios Israël.* Itaque ad literam Naas, qui interpretatur serpens, terram antiquitus suo imperio subiectam amissam doluit, & aciem, vt recuperaret, instruxit. Quòd si in litera medullam quæras, inuenies Iabes interpretari exsiccatam, à sordibus scilicet peccatorum: ergo serpens in Iabesenos præ cæteris arma monit, quia à peccatorum sordibus mundatos ingemuit. Ita Glossa: *Mens fidelium exsiccata à sorde vitiorum acerrimum testimonij, id est, scientias sanctæ Scripturæ congerit, quibus viriliter resistat hosti* Itaque cùm in Iabesenis adumbrentur homines à peccatorum sordibus abluti, & sacræ Scripturæ testimoniis armati, in eos præcipuè serpens mouet arma, & ardenter discupit reportare trophæa: vndè opus est ad virtutum castra se conferenti excubias agere, & in statione persistere.

§. VI.

Vel post reportatam de vitiis victoriam oportet solicitis excubiis inuigilare, nec securitatem sibi promittere.

Non leuiter in Dominum peccat (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ, cap. 5.*) *qui cum æmulo eius diabolo pœnitentiâ renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subiecisset, rursus eundem regressu suo erigit, & exultationem eius se ipsum facit; vt denuò malus recuperata præda sua aduersus Dominum gaudeat.* Plures dæmonem pœnitentiâ vicerunt; verùm dum otium sibi faciunt imprudenter securi, iterum labuntur incauti: quem malo dolorem intulerant, prædæ recuperatæ gaudio compensant, & se ipsos exultationem diaboli faciunt. Vel post reportatum triumphum oportet excubias agere, & aduersus deuictum hostem muniri. Nunquam serpens malitiæ suæ otium facit, & deuictus vindictus accenditur, & admissa instaurare studiosius adnititur. Deuicerant Israëlitæ Ammonitas, & iam reportato triumpho securi nec arma præuenerant, nec tractabant: ergo astutus serpens instauratis viribus adoritur imprudenter securos, & dura obsidione adurget incautos. *Ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad.* Iam Israëlitæ Ammonitas depulerant, & subegerant; latuit vero ad tempus serpens quodammodo effumigatus, & incantatus, donec Hebræos securitate otiantes, otióque marcentes tutiùs posset aggredi, & facilius vincere. Iam se dedere decernebant quia omni militari subsidio nudi, & ad bellum imparati: *Seruiemus tibi.* Si post victoriam nouam præparare ntur ad pugnam, non sic hostis premeret, nec acta obsidione cingeret: ast dum fallaci securitati indulgent occasionem hostibus præbent. *Tempore Iephe* (inquit Lira) *Rex Ammon venit contra filios Israël . . . sed tunc fuit debellatus, vt ibidem habetur, & ideò fortificato illo regno iste Rex forsitan ex eadem causa venit contra filios Israël.* Iterum bella instaurauit deuictus, & post victoriam Iabesenus gemuit, quia incautus.

§. VII.

Temporalibus incommodis solerter occurrimus, vitiis facillimè cedimus.

EA ignauia nos circa spiritualia possidet, vt malimus hosti nos dedere, quam pugnare. Nolumus pernicioribus inimicis resistere, vigilanter studemus leuioribus incommodis prouidere. O quam veraciter posset dæmon sibi accommodare, quod aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 10. *Non habuimus bellica contentione periculum: triumphus sine pugna, sine labore palma, sine cæde victoria.* Diabolus explicatis acicbus sine pugna triumphat, quia nos, vt excusemus bellica contentione periculum, admittimus detrimentum. Quàm alij tumus in corporis propulsandis incommodis, & in æternæ salutis periculis! Satis acutè expendebat Seneca *lib. 2 de Ira cap. 10. Ille cuius nauigium multam vndique laxatis compagibus aquã trahit, nautis, ipsique nauigio irascitur? Occurrit potius, & aliam excludit vndam, aliam egerit, manifesta foramina præcludit, latentibus, & ex occulto sententiam ducentibus labore continuo resistit: nec ideò intermittit, quia quantum exhaustum est, subnascitur.* Adnectit moralissimus: *Lento aditorio opus est contra mala continua, & fœda, non vt desinant, sed ne vincant.* Itaque ne rima faciat naufragium, nulli labori parcitur, nulla solicitudo intermittitur; & cùm satis aliquando sit ad vitiorum vortices repellendos minor solicitudo, stupidi marcemus, nec in campum prosilimus. Naas Ammonites contra Iabesenos pugnare aggreditur, & in ipso belli exordio decernunt se dedere, & inimico interuire. *Ascendit Naas Ammonites & pugnare cœpit aduersus Iabes Galaad: dixerunt que omnes viri Iabes Naas: Habeto nos fœderatos & seruiemus tibi.* Expende, Iabesenos non pertulisse diù obsidionem, nec aciem ad resistendum hostibus in campum produxisse, sed ipso in certaminis exordio iam cedere; cúmque conducibilius esset glorioso pugnando cadere, quàm infami iugo ceruicem subjicere, maluerunt ignominiosè admittere iugum, quàm inire fortiter prælium. *Statuerunt* (inquit noster Sanctius) *dedere se Regi Ammonitarum, illique, licet alieno à genere, religioneque, seruire.* Resistendo vincerent, aut gloriosè saltem pugnando caderent: verùm ne honestum certaminis subirent laborem, decreuerunt infamem admittere seruitutem: vt historiæ penicillo videas adumbratum, quod ignauis est frequentissimum, nolunt improbis desideriis resistere, nolunt aduersus concupiscentiam pugnare, certamen nolunt inire, immò vt certaminis vitarint molestiam, concedunt aduersariis victoriam.

TEXTVS.

VERS. II. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel.

§. VIII.

Qui vitijs inseruit, non solùm acri premitur dolore, sed obscuratur etiam dedecore.

MAteriam pronuntiat miseriæ vitium esse (scribit Plutarchus de Stoicorum pugnis) *atque per omnes libros physicos, & morales scribit Chrysippus, contenditque in vitio viuere nihil aliud esse, quàm miserè viuere.* Vt vmbra corpus, culpam miseria comitatur, & sequitur. Nil intactum relinquit vitium, non solùm bellum infert saluti, sed caliginem multam offendit honori. Testis est Lamech, qui homicidio perpetrato sic Adam, Sellamque alloquitur: *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum.* Gen. 4. vers. 23. Non solùm vulnus sibi intulit æquitatem transgressus, sed famam etiam læsit iustitiæ inimicus. Adest Philo lib. Quod deterius: *Liquet, quòd si quis fortitudinis rationem occidit, se ipsum contrario morbo timiditatis vulnerat; & si quis pubescentem vim in ipsa honestorum meditatione tollit, plagas, & magna flagra cum non mediocri dedecore sibi ipsi infert.* Vitium dolore, dedecoreque associatur, siquis se illi addixerit, honorem imminuet, dolorem sibi creabit. Naas, quos in seruos recipit, dextro oculo orbat, & ignominia publica dehonestat: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel.* Cõfœderationis explicuit præmia, nempè infamia aspergi, & dolore aduri; sunt namque vberes indignæ confœderationis fructus angustia, & infamia. Adest noster Sanctius: *Ideò petit oculos dextros, vt stigma maneret perpetuum seruitutis ignobilis, & in effodiendis oculis ferretur ab ærumnoso, & infelici populo acerba vexatio, & cruentus dolor.* Vtrumque iunxit, opprobrium, & tormentum: nam qui Naas veternoso serpenti obsequitur, non potest doloribus non distorqueri, & infami nota obscurari. Aspice quot morbos voluptas intulit, quot oculos visu priuauit, quot honoratas fœminas ludibrio exposuit, Naas, Vt qui serpentis veternosi personam gessit, fructus confœderationis explicuit, nec enim cum vitiis amicitiam contrahens vitare quibit doloris molestiam, & dedecoris notam.

§. IX.

Nil magis exambit dæmon, quàm vt non mediteris cælestia, & suspires temporalia.

MEns affectionum auriga est: dum viget ratio, dum veram lucem aquilinis oculis adspicit, appetitum veluti iniectis habenis regit: verùm si cæcutiat, aut dormiat, iam appetitus effrænis, & ferox glíscit, & dormientem, aut cæcutientem rationem ad baratrum trahit. Dum mentis oculus cœlestium contemplatione non illustratur, euanidis appetitus impenditur; & è contra dum se cælestibus infert, appetitus aut extinguitur, aut cæcatur. Testis est Noe, ante cuius ortum terrenis eius parentes curis adurgebantur oppressi, eo tamen iam nato respirarunt angoribus liberi. *Vixit autem Lamec centum octoginta duobus annis, & genuit filium, vocauitque nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Ge. 5. v. 28. Lamech Noe parens interpretatur, *pauper, humiliatus.* Nam antequam Noe cælestium contemplationem gigneret, terreno puluere sordescebat obscurus: Noe verò nobili prole iam gaudens à terrenis splendet affectionibus liberatus, Ita Philo lib. Quod deterius: *Certè quæcumque anima concipit prolem masculam scilicèt iustum propositum, ab hac excluduntur omnia tristitia. Testis erit natiuitas Noe, qui interpretatur solidus, de quo dicitur: Hic cessare faciet nos ab operibus nostris, & a laboribus manuum nostrarum, & à terra, cui maledixit Dominus Deus.* Cessat à terra qui solida, veraque gaudet intellectus fœtura. Huius veritatis non inscius Naas, serpens interpretatus, & veternosi serpentis imagine indutus, dextros Iabesenorum oculos molitur eruere, & sinistros conseruare: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Et cur dextris effossis, & sinistris conseruatis à pugna abstineat? Quia dexter oculus (inquit Gregorius) meditatur cælestia, sinister concupiscit humana: ergò vt perpetua seruitute Iabesenos presserit, oculos dextros effodere, & conseruare sinistros studuit. Audi Gregorium apud nostrum Sanctium: *Dexter oculus noster est intuitus æternæ claritatis; sinister verò oculus est concupiscentia carnalis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur vt vltra ad videnda cælestia non aperiatur.* Ni mens cælestium contemplatione obarmetur, ad desideria terrena trahitur: ergo serpens, vt æternaret Iabesenorum seruitutem, omnem adnisus est propulsare veritatis contemplationem. Non minus sua interterat sinistrum relinquere, quam oculum dextrum effodere; nam concupiscentia viuidus inardesceret, & voluptas euanida infelicem aspectum falleret.

§. X.

Dæmon non solùm adnititur hominem obcæcare, sed radicem lucis prorsus euellere.

DÆmonis malitia, mutata materie vtilissima nobis schola est: contentus non est virtutem expungere, sed adnititur radicem prorsus euellere: tunc solum perfectum arbitratur triumphum, cùm captiuis præcludit omne remedium: non quiescit, & si peccatores illi pendant quæuis vectigalia, donec radicitus illis amputarit effugia. Naas serpens interpretatus duta obsidione cinxit Iabesenos; illi viribus fracti, & spebus destituti tributa pendere promiserunt: *Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi,* Noluit tributum, sed dextrum popposcit oculum. *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Et cur dextros, & non sinistros? Quia dextris oculis erutis inhabiles prorsus reddebantur ad pugnam; nam cùm scutum læua latum oculum sinistrum operiat, dextro carentes nequibant arma tractare, nec ad conflictum cum aduersarijs redire. Ingentia tributa pendentes possent aliquando arma capere, & se in libertatẽ asserere; exoculati nequibant amplius certamen inire: ergo vaferrimus nolnit tributum, sed oculum. Ita Lira: *Volebat illos inutiles reddere ad bellum, quia sinister oculus clypeo tegitur, & ideo carens oculo dextro, non potest benè videre aduersarium.* Consonat Gregorius apud nostrum Sanctium: *Eruitur quidem oculus, quando à mente reproba sic lumen euellitur, vt radix ei nulla remaneat, de qua rediuiuum lumen erumpat.* Itaque luminis radicem est conatus eruere, ne, si radix luminis perseueraret, tributarij aliquando possent iugum excutere. O si hanc astutiam laudabiliter imitaremur, nullam ambitionis radicem permittentes, nec solùm ramusculos amputantes! Noe agricolæ tributur elogium, quia sapienter perfecerit ministerium: *Capit Noe vir agricola exercere terram,*

terram, & plantauit vineam. Gen. 9. vers. 20. Agricolæ meruit laudem, quia non solùm vitem plantauit, sed quia noxias arbores prorsus excidit. *Legislator* (inquit Philo lib. Quod deterius) *Noë iusto artem agriculturæ tribuit, docens, quod in morem agricolæ boni vir bonus è syluestri genere stirpes, quæcumque noxiæ sunt, ab effectibus, aut vitijs plantatæ, excidit.* Superuacuus esset labor, si pullulantem vitem stirpes syluestres premerent, nec adolescere sinerent : at Noë vt sapiens agricola, quo vitis fructum protruderet, radices noxias prorsus amputauit. Disce vel à dæmone pugnandi artem, nec quiescas, donec vitiorum erueris prorsus radicem: *Lumen euellitur, vt radix ei nulla remaneat, de qua rediuiuum erumpat.*

§. XI.

Semper dæmon orthodoxam fidem conatur extinguere, & lumen veritatis arcere.

VEra fides virtutum fundamentum, & fulcrum est, nec inter mundi fluctuantes procellas humana se fragilitas quiuerit continere, ni fidei gubernaculo tentationum volumina adnitatur superare. *Immutabilis fidei est* (aiebat Cassiodorus 5. *var.* 40.) *omne, quod benè vinitur.* Fides supernæ maiestati reuerentiam piæ creduhtatis impendit; & fallaciatum tela inexpugnabile scutum retundit. Fides ostensis præmiis Martem contra impuras affectiones incendit, & pœnarum metu appetitum ardores sopit. Fides salubrem cæcitatem affert, dum veritatem ostendit, & noxiam errorum depellit cæcitatem, vt veram humana mens intueatur lucem. *In judicium* (aiebat Christus) *ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Ioan. 9. vers.* 39. Ænigma videtur, sed fidei conuenienter aptatur. Audi Balduinum in Allegorijs Tilmani: *Bona cæcitas est in se ipso magna non videre, & quæ fas non licet, piè ignorare : propterea in cœlestibus mysteriis, & diuinis Sacramentis omnis impia dubitatio à corde nostro procul pellenda est, omnis curiosa inquisitio compescenda est, vt fides, quæ habet veritatis conscientiam, habeat etiam piam ignorantiam.* Fidei oculus terrena non videt, quia cœlestibus semper intendit: ergo idem homo & videt, & cæcus fit; videt, quia inuisibilium notitia ornatus, visibilium specie non obcæcatur delusus; vt è contrà, qui rerum visibilium speciem intuentur, damnabili cœlestium ignoratione obcæcantur. Hinc Naas serpens interpretatus, Dei æmulus, quos ingo infelici subdit, desiderat periculosa cæcitate deturpare, & perspicacia peruersa acuere. Hac conditione labesenos in fœdus recipit, vt dextros oculos effodiat, & sinistros semper relinquat: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Fidei oculum conatur effodere, vt confœderatos suos terrenis fecerit inhiare. Et quid fidei lumine priuatus exambiat nisi caduca, quando non sperat æterna. Adest Hugo Cardinalis: *Contra quos ascendit diabolus ad expugnandum pactum faciens cum eis, vt dexteros oculos eis, eruat, sinistros dimittat, id est, vt visum sanæ fidei in eis extinguat; visum verò mundanæ sapientiæ sanum relinquat.* Ad id omne dæmonis studium tendit, vt circà æterna fide extincta, aut debilitata cæcutiamus, & perspicaces inspiciamus solùm volatica, & transitoria. Consonat apud nostrum Sanctum Bonauentura: *Naas interpretur serpens, vel coluber, & signat serpentem antiquum, id est, diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, id est fidem, vt ad bellum spirituale hominem reddat inutilem.* Qui fide caret vera luce orbus, impuris seruit affectibus deditius.

§. XII.

Si Deo accedant, inoculantur vel rudes, si eius æmulo, etiam exoculantur sapientes.

QVidquid fulgemus, à Domini claritate suscipimus. Nescit tenebras soli vicinus, nec potest incalescere longè remotus. Regina Austri, dum ad Salomonem properat, Sapientiam proximitate incrementat: *Docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat. 3. Reg. 10. vers.* 3. In Austro à Salomone distans dubitatione laborabat ambigua : ergo cum Christus Dominus sit Salomoni sapientior, ipsi accedentibus & lux effulgebit clarior. In circuitu sedis Ioannes aspicit animalia oculis perspicacissimis plena: *In circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante, & retrò. Apoc. 4. vers.* 6. Tardigradus bos de throni confinio inoculatur, & quod videbatur denegasse natura, throno insidentis agni est acquisitum præsentia. *Si quid sit pro nouitate incognitum* (aiebat Cassiodorus 10. *variarum* 4.) *fiet nobis eius instructione certissimum.* Præmiserat: *Paucis verbis sensus clauditur infinitus, & summa facilitate componitur, quod ab aliis nunc sub longa deliberatione formatur.* Vel rudes facilè ediscunt, si agno proximi, quod sapientes nesciret interuallis separati. Vidisti de throni proximitate etiam rudes inoculatos; vide modò si Naas seruant etiam sapientes cæcitate delusos: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Obcæcare sibi confœderatos tentauit, nec enim fœdus quirent cum veterroso serpente inire, ni oculos tenebris mallent obscurissimis tradere. Quod expendens apud nostrum Sanctum Gregorius, aiebat: *Dexter oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, vt vltra ad videnda cœlestia non aperiatur.* Fructus huius seruitutis est cæcitas; illius proximitatis est claritas. O quot rudes, & rusticani homines, dum virtuti student, arcana penetrauere mysteria! O quot Philosophi, dum inseruiunt vitio, ad cæcissima peruenerunt delitia! Vel sæculi sapientes vitia sectando obrutescunt, quando rudes sectando virtutem, sapiunt.

§. XIII.

Non adeò indecorum est cæcos vitio inseruire, quàm perspicacia præditos cupiditatibus famulari.

HOc *turpissimum est* (aiebat Seneca *epist.* 24.) *quod nobis obijci solet : verba nos philosophiæ, non opera tractare.* Philosophiæ luce non aspersos mirum non est vanas amplecti voluptates, volaticos exambire splendores: est tamen turpe philosophiam ruptare, & philosophiæ operibus contraire. Serpens dum perspicaci calliditate cunctis animantibus antecedens inseruit vitio, cunctis habetur & turpior, & execratior : *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ : super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Genes. 3. vers.* 14. Talpæ comedere terram feruntur, non tamen maledictione mulctantur: cur ergo serpens, dum super pectus graditur, & terra vescitur, ab omnibus execretur? Quia cæteris sapientior, & callidior. Nil mirum, si talpæ oculis orbi terra vescantur, sed probosum, mirandúmque serpentem super pectus gradi, terrámque comedere. Adest Philo de Migratione Abrahami: *Super pectus, & ventrem ingredieris: nam circa pectus ira est; in ventre concupiscentia. Cæterùm insipiens super vtraque semper ingreditur, iram, & concupiscentiam nunquam cessando, ex quo aurigam, aut præsidem rationem reiecit.* Serpens, dum sapientis nomen

nomen vendicat, & concupiscentijs inseruit: infamiam auget, & dedecus sibi adsciscit. Est enim indecorum, habentes oculos impuris affectibus inseruire, & ab appetitu ductari. Naas flagrantissimo odio in Iabesenos exæstuans fœdus init ea lege, vt dextro lumine prorsus orbarit, sinistro conseruato, & illæso, & hoc non vt inhumanitatem temperet, sed vt augeat infamiam. *Eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel.* Et cur ambos oculos non effodiat, vt in vniuerso Israel opprobrium constituat? Quia si prorsus cæci Naas inseruiant (inquit Hugo) non erit adeo indecorum: at si visu fruentes infami iugo ceruicem subdant, de ipso intuitu accresceet nota, & augebitur ignominia; quando inglorium est sapientem cæcorum vestigia sequi, & indignis actionibus obscurari: *Sic faciebat Naas omnibus, quos capiebat in bello. Sed quare omnino non excæcabat eos? Fortè propter maius opprobrium; licet enim ibi maius damnum esset, hic tamen maius opprobrium.* Maius damnum erat vtroque lumine carere; opprobrium maius serpenti videntem obsecundare: ergo sinistrum oculum, in quo humana denotatur sapientia, reliquit, & relinquendo dedecus auxit. *Visum* (inquit Hugo) *humanæ sapientiæ sanum reliquit.* Cæcos cæcè viuere est miserum; sapientes cæcè viuere inglorium.

§. XIV.

Durus carnifex est appetitus, & grauis dolor inordinatus affectus.

DÆmon, vt dura homines premat tyrannide, impuris tradit affectibus, & insanis appetitibus. Sævus, carnifex torquet ambitio, ipsa voluptas discerpit, auiditas ipsa adurit. *Dic, mortale tibi, & fragile corpusculum esse* (aiebat Seneca epist. 24.) *cui non ex iniuria tantum, aut ex potentioris viribus denuntiabitur dolor; sed ipsæ voluptates in tormenta vertuntur. Epulæ cruditatem afferunt; ebrietates neruorum torporem, tremoremque; libidines pedum, manuum, articulorum omnium depranationes.* Qui immodicam sequitur voluptatem, maturat sibi dolorem, & luxuriæ euaporata momenta afferunt prolixa martyria. Aspice Ixionem volubili rota se ipsum insectantem; vide Sisiphum Saxo illigatum; Prometheum splendoris olim ambitiosum, exæsis, & renatis visceribus semper discruciatum. Et quæ maior improbis pœna quam anxia ambitio, quam insatiabilis cupiditas, quàm inuida rabies? Quisquis vitiis se dedit, ingentem sibi materiam perturbationis, & doloris asciuit. Vna hæc via est ad tuta vadenti, externa despicere, & honesto contentum esse. Aliena felicitas inuidum rumpit, ambitiosum honor non adquisitus distorquet; cupidinis flamma voluptati deditum vrit. Hinc dilices, cur Naas implacabili odio in Iabesenos exæstuans vtroque lumine nolit orbare, sed sinistrũ custodire: *Eruam omnium vestrũ oculos dextros.* Et cur non etiam sinistros? Vt grauiore eos dolore diuexet, & tormento intolerando discruciet. In sinistro oculo adumbratur carnalis concupiscentia. Ergo Naas, vt implacabili adularetur odio, sinistrum reliquit oculum, & ipso eorum aspectu vt duro carnifice vtitur ad multiplicadum tormentum. *Sinister oculus* (inquit Gregorius apud nostrum Sanctium) *est concupiscentia carnalis.* Vt in eos durius, diriusque desæuiret, concupiscentijs effrænibus tradidit: nec enim vllus carnifex adeò est durus, vt ardens, & impuratus affectus.

§. XV.

Quos dedititios sibi suscepit voluptas, nunquam permittit otiari, sed continuis solicitat anxietatibus distorqueri.

ITa dico: In præcipiti est voluptas, ad dolorem vergit, & dum tenere nescit modum, excusare nequit tormentum. Qui vitijs se semel dedidere, in circuitu ambulant, quiescere nunquam permissi, sed continuis volutationibus fatigati, testãte Propheta: *In circuitu impij ambulant.* Psal. 11. v 9. Vt qui continua capitis laborant vertigine, & molestissima roratione quietem ignorant, & tecta nutare existimant, sic qui vitiorum temeto ebrij nesciunt pedem figere, sed sciunt non sine dedecore vacillare. *Pauci sunt* (aiebat Seneca *epist.* 23.) *qui consilio se, suaque disponant: ceteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Ex quibus alia lenior vnda detinuit, ac mollius vexit, alia vehementior rapuit, alia proximè ripam cursu languescente deposuit, alia torrens impetus eiecit in mare.* Non facit vitium suis assectis otiandi facultatem, sed ad cõtinuum, & molestum vrget laborem. Quas non ignobilitates suasit ambitio? Cupido ad quas periculosas vigilias non coegit? Temeritas quos gemitus non adduxit? Cain post peccatum & vagus, & profugus gemit, quin otio possit labores solari, aut ad quietem tempore aliquo peruenire: *Vagus, & profugus eris super terram.* A facie Domini proiectus ad terrena desideria mentem inclinat, & desiderijs distorquetur circumactus, & acti semper timore dinagatur solicitus Ita Hugo de Sancto Victore in Allegorijs Tilmani: *Vagus per inordinatam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam, cuius etiam voce illud aptè subiungitur: Quisquis inuenerit me, occidet, quia mentem diuino destitutam auxilio quacumque tentatio impetierit, subuertit.* Cain continuis circutionibus fatigatur, & timoribus deterretur. Nec aliter accideret Iabesenis, si se Naas tradidisset: *In hoc feriam vobiscum fœdus* (aiebat) *vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Et cur non etiam sinistros? Quia si vtroque lumine privaret (inquit noster Sanctius) non possent duris terræ laboribus inseruire, sed opus esset quiescere; cúmque fas non sit voluptati, cupiditati, ambitionique dedititios quiescere, sinistro vtentes oculo decreuit duris laboribus castigare. Audi eruditum Interpretem: *Cur Naas dextro capto oculo, quàm omninò cæcos maluerit Hebræos, ea videtur esse ratio: quia cæci magis oneri futuri videbantur, quam vsui, & à luscis nihil impendebat in bello periculi, & aliqua expectari poterant emolumenta, cùm idonei essent colendis agris, pascendo pecori, & aliis ministeriis quibus seruilem dant operam, qui capti sunt, aut subacti bello.* Oculis capti, otio vacarent; si lusci, duris operibus inservirent: ergo vt noueris Naas fœnos non posse otio frui, sed ad continuum, molestumque laborem teneri, non admisit cæcos, sed luscos. Interroga vitiorum vernulas, an aliqua quiete, paceque fruantur, & inuenies solicitis timoribus agitari, continuis curis vrgeri, indignis appetitibus vri; ille pace solùm fruitur, qui virtutibus famulatur.

TEXTVS.

VERS. III. Et dixerunt ad eum Seniores Iabes: Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israel; & si non fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad te.

§. XVI.

Sapè inimicus, vt grauia attulerit detrimenta, à nobis impetrare cupit exigua.

NOn audet aduersarius magna à nobis poscere, veritus ad aperiendam fallaciam, & laturum dignam repulsam; parua poscit, precatur exigua, quæ si obtineat, plus audebit, & maiora tentabit. *Nullum vitium est* (inquit Seneca epist. 116.) *sine patrocinio: nulli non initium est verecundum, & exorabile, sed ob hoc luius funditur: non obtinebis, vt desinat, si incipere permittas; imbecillis primò est omnis affectus, deindè ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat. Excluditur facilius, quàm expellitur.* Vt qui hydrope laborant, ipsis potionibus vitidius sitim accendunt; ita si quid appetitui conceditur, vires addit, & eius famem non sedat, sed viuidiùs inflammat. Serpens se contrahit, & pro temporis qualitate explicat: si rimulam inueniat, sibi viam latiorem faciet, & aperiet. Iabeseni dura obsidione pressi suppliciter Naas deprecantur, vt exiguo tempore illis inducias concedat, & respirare permittat: *Concede nobis septem dies.* Inquires, cur exiguum inducíarum tempus deposcant, si Naas exorabilem præsumunt? aut si exorabilem non præsumunt, quid tempus terunt? Quia si prolixius tempus peterent (inquit Abulensis quæst. 3.) eis non concederet. Septem concessit dies, parui pendens robur exiguo adeò spatio colligendum, & promittens sibi etiam induciis concessis indubium triumphum. Verùm dum imprudenter superbus, aut arroganter tumidus quid aduersariis concessit, dignam cladem tumore tulit. Iabeseni prudenter, vt consequantur, exiguum tempus deposcunt, & iam induciis impetratis vires colligunt, quibus hostem prosternunt. *Istos septem petiuerunt, quia si forte magnum tempus peterent, hostis non permitteret.* Visum est Naas parum ipsi obesse, spatium illud hosti concedere, arbitratus non posse delectum cogere, nec in certamen prodire: verùm eo exiguo tempore semel impetrato plurimas sibi vires comparauit, & repentina irruptione castra inimicorum euertit. Si Naas exiguum illud denegasset, Iabesenos prorsus detriuisset; verùm dum parui pendit exigua, maturauit sibi ingentissima detrimenta. Si appetitui quid exiguum concesseris, glisset, & audacior maiora tentabit: ergo principiis obsta, nam serò medicina paratur, & sero parata, inutilis sæpè redditur.

§. XVII.

Hostium vires contemnere est sibi stragem maturare.

SEmper solicita profuit incolumitati cautela: tunc res præliorum benè disponitur, quoties hostis superbo tumore non despicitur, sed timetur. Gigas ille à pastore prostratus est, & dum contemnens aduersarium lentè graditur, superbia hosti suffragante prosternitur: *Dixit Philistæus ad Dauid: Nunquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo.* 1. Reg. 17. vers. 43. Philistæus indubium sibi promittens triumphum hostem non inuadit, sed vestigio morosò incedit: *Cum ergo surrexisset Philistæus, & veniret.* Dauid hostis robur animaduertens, se ipsum vrsit, & tempus nullum omisit: *Festinauit Dauid & cucurrit*: ergo gigantem superbia periculo obiecit, pastor omni solicitudine vsus detriumphauit. Opportunè Basilius Seleucíensis orat. 15. *Goliath videns puerum pugnæ incensum amore; oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à belli studiis schema in risum effusus est.* Derisit aduersarium, & ipso despectu aduersario imprudenter attulit triumphum. *Illa sunt robusta* (aiebat Cassiodorus 1. variar. 25.) *illa diuturna, quæ prudentia incipit, & cura custodit.* Parum iuuat incepisse prudentia, si in medio cursu perdidit laborem ignauia, aut imposuit sibi superbia. Naas dura obsidione Iabesenos cinxit; illi humiliter ad exiguum tempus inducias postularunt: *Concede nobis septem dies.* Viribus suis præfidens, & quas possent Iabeseni vires comparare, contemnens, abnuit, & exiguum illud tempus concessit; verùm superbiæ pœnas tulit ab hostibus debellatus, prorsusque attritus: *Percussit Ammon, vsque dum incalesceret dies.* Dum superbè aspernatur hostem, sibi maturauit stragem. Ita Abulensis quæst. 3. *Putauerunt, quòd Rex Ammon, cùm esset superbus, contemneret eorum auxilia, ideò concederet, quod congregarent vndecumque vellent.* Inducias petiuerunt. Naas tumori adulantes, & inflatissimæ superbiæ blandientes: nec falsa fuit eorum opinio, nam gauisus est Naas tempus ad comparandas vires concedere, promittens sibi eos quibuuis collectis viribus detriumphare; verùm dum contempsit auxilia, expertus est detrimenta: vt hinc alieno discrimine edocta cautela discat hostem non despicere, sed omni solicitudine armari.

§. XVIII.

Qui inuitantem triumphum distulit, sera, & inutili pœnitudine planxit.

NOn tantum præsentis, sed vigilantis est (inquit Seneca epist. 22.) *occasionem obseruare properantem. Ita hanc circumspice; hanc, si videris, prende, & toto impetu, totis viribus id age, vt te istis officiis exuas.* Prudentia, & ignauia non semel in arena contendunt; monet prudentia opportunam occasionem amplecti, perplexis se tricis expedire, inuitantem incolumitatem rapere: ignauia, vt otio indulgeat, aut vt insanis appetitionibus morem gerat, in posterum mittit, & iterum redditurum occasionem fallaciter sibi suadet. *Epicuri* (adnectit Seneca) *epistolam ad hanc rem pertinentem legi. Idomenæo, quæ scribitur: quem rogat, vt, quantum potest, fugiat, & properet, antequàm aliqua vis maior interueniat, & auferat libertatem recedendi. Idem tamen subjicit, nihil esse tentandum, nisi cùm aptè poterit, tempestiuéque tentari: sed cùm illud tempus diu captatum venerit, exiliendum ait.* Nota attentius quæ addit: *Dormitare de fuga cogitantem vetat, & sperat etiam ex difficillimis salutarem exitum: si nec properemus ante tempus, nec cessemus in tempore.* O vtilissimum documentum! quod si plures fuissent amplexi, non lugerent miseri: verùm dum miserias suas amant, in futurum felicem sibi exitum promittunt, spebusque se euanidis fallunt. Cinxerat dura obsidione Naas Iabesenos, illi spebus, ac viribus destituti tributa pendere offerunt, iugumque admittunt. Distulit Naas, donec oculos effoderet, illis imperare, & supplicibus septem inducíarum dies imprudenter concessit: *Concede nobis septem dies.* Ratus est quouis tempore triumphum non posse è manibus elabi, sed quocumque vellet, posset victoria potiri; verùm qui, ni distulisset, triumphasset; quia distulit, periit. Itaque dum in futurum sibi eodem modo reportandum triumphum promisit, & inuitantem occasionem non rapuit falsò securus, iacuit inopina calamitate prostratus: *Constituit Saül populum*

populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon. O quàm meruit stragem pati, qui inuitante triumpho distulit redimiri. Ita Abulensis quæst. 3. *Rex Ammon libenter concessit, erat enim Rex stultus, nam si voluisset immediatè inuadere, viri Iabes resistere non potuissent, sed paterentur quodcumque vellet Rex.* Adeò erat triumphandi occasio opportuna, vt nullo labore obtineretur victoria: verùm dum stultus Naas eodem modo postea se triumphaturum promittit, triumphandi difficultatem adauxit. Ante septem dies iam hostis collectis viribus in campum prodiit, & penitus securum attriuit. Opportunum pœnitendi tempus pœnitentiam suadet, occasio ad salutem allicit; & tamen, dum peccatores Naas exemplum secuti in futurum distulerunt pœnitentiam, miseram pertulere ruinam. Facillimum erat Naas eo tempore hostes detriumphare, postea difficillimum fuit effugere.

§. XIX.

Si superior laborante Republica oblectamentis indulgeat, ab omnibus despicitur, nec pro superiore habetur.

Diligenda sunt ista (aiebat Cassiodorus 12. variar. 16.) *vnde Respublica videtur esse firmissima..., quapropter magna est quolibet tempore monstrata deuotio, sed tunc acceptior redditur, quando necessaria plus habetur,* Adnectit: *Caue ergo, ne te aut improbatæ redemptionis, aut torpentis desidiæ culpa respiciat; & quod expedire neglexeris, tuis inferas damna fortunis.* Semper rebus publicis attendere debet regentis solicitudo quæ licèt tranquillo tempore sit accepta, turbido magis probatur laudanda. *Nequaquam par gubernatoris est virtus* (scribit Plinius 9. epist. 26.) *cum placido, & cum turbato mari vehitur: tunc admirante nullo illaudatus, inglorius subit portum. At cum stridunt funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus, & diis maris proximus.* Nauis gubernator eximiis laudibus celebratur, si irruenti procellæ obsistit, si inter confusa fluctuum volumina nauigium solerti industria, & indefessa rexerit vigilantia: vt è contra, pro rectore non habetur, ab omnibusque despicitur, si placidè capiat somnum, dum minatur per momenta naufragium. Iabeseni arcta obsidione cincti inducias à Naas postulant, vt ad vniuersos terminos Israël nuntios mittant, si aliqua forte sibi auxila eo tempore inueniant: *Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israel.* O quàm prudentia de mentis arce deturbabatur! Si paulò antè Saul in Regem fuerat conclamatus, cur ad ipsum nuntios non mittant, & auxilium ab eo deposcant? Quia cùm tunc Saul (inquit Abulensis quæst. 3.) aut propriis commodis, aut oblectamentis attenderet, nec Principem existimabant, nec pro superiore habebant: *Non curabant de eo, tanquam si non haberent Regem; putabant enim frustra esse petere ab eo auxilium, & ita viri Iabes non miserunt immediatè ad Regem suum.* Rationem subdit: *Erat autem causa huius, quia tunc magis videbatur rusticus, quàm Rex, quia sequebatur boues venientes de agro, & vacabat agriculturæ.* Consonat Lira. *Veniebat de agro, vbi fuerat causa spatiandi, vel se exercitandi in arte sagittaria, vel huiusmodi.* Itaque cùm magnum subditos adurgeret periculum, Saul erat in agro aut proprium quærens agriculturæ lucrum, aut venationis oblectamentum: ergo ad eum non delegarunt nuntios pro Rege non habentes, & aspernantes. Suis inferebat Saul damna fortunis, dum laborante Republica exiguis attendebat lucris, aut caris oblectamentis. Vt hinc discant superiores rebus publicis attendere, si reuerentiam velint sibi conciliare. Saul pro Rege non habetur, dum propriis attendit commodis, aut studet oblectamentis.

§. XX.

Oratio hostium vires frangit, & imminentia pericula auertit.

ORatio vt est opima Deo victima, sic contra dæmonem arietis machina acerrima; in dæmonis muros non solum audet, sed prorsus euertit; supplicitèr Deum rogat, sed ipsa humilitate aduersarium potenter debellat. Vbi populus anxia deuotione orauit, Assyriorum exercitus corruit: *Ex toto corde suo omnes orabant Deum.* Iudith. 4. vers. 17. Capite truncatus iacuit Holofernes fœminea manu, vt orationis patetet omnibus energia, cùm debili adeò instrumento miranda sæculis absolueretur victoria. Humilitas supplicantis elatos superat aduersariorum ausus, & armatos prosternit exercitus. *Nos* (aiebat Tertullianus de orat. cap. 11.) *non attollimus tantum, sed etiam expandimus, & Dominica passione modulantes, & orantes confitemur Christo.* Christus cruce expansus hostem debellauit, testante Ioanne: *Nunc princeps huius mundi ejicietur foras; & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ioan. 12. vers. 31. Oratio Christum expansum cruce imitatur, vtque Christus cruce; sic orans dæmonem abigit prece. Crux, & oratio melodiam conficiunt cœlo, resonant strepitu horribili diabolo. Itaque vt cytharæ Dauidica perniciem dæmoni, & salutem afferebat Sauli; ita oratio in cytharæ modum affert hominibus incolumitatem, & dæmonibus perniciem. Dura obsidione cincti ingemebant Iabeseni, nulla erat salutis spes, hostis armorum, & militum prævalebat ingenti copia, & vrbs armis, & militibus erat nuda. Quid tunc? Exiguo sibi concesso tempore nuntios mittunt, easque sibi vires colligunt, vt qui euuere tentabat oculos dextros, dextrum amiserit, & sinistrum: *Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israel.* Quàm imprudenter concesserit Naas, quæ petebantur, inducias, serò agnouit duras expertus catenas: *Percussit Ammon, vsque dum incaleseret dies.* Si quæras, quomodo celeriter adeo & auxilium comparatum, & aduersariorum robur penitus fuerit deletum? Respondebit Hugo Cardinalis, nuntios ad Saulem missos anxios fuisse deuotæ supplicis orationis gemitus, qui citissimè deuictis aduersariorum armis, orantes coronauere trophæis. Hugonem audi: *Saul, id est, Christus, populum suum ad se mittentem nuntios, oratione scilicet liberat ducens exercitum.* Iabeseni vbi ad orationem recurrunt, citissimè triumphum absoluunt, & qui sine oratione carerent oculis, orationis auxilio exundauere trophæis. Vt noueris quas vires sortiatur oratio ad defendendum orantem, & euertendum dæmonem superbientem.

TEXTVS.

VERS. IV. Venerunt ergo Nuntij in Gabaa Saulis: & locuti sunt verba hæc audiente populo: & leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit.

§. XXI.

Multorum oratio gemitibus associata depellit miserorum pericula, & diabolica retundit tela.

REs humilis videtur oratio, verùm eis viribus prævalet, vt contra armatos audeat, & vincat. Oratio omni

omnipotentiæ laudabiliter æmula nil expauet, quia honesta audacia triumphum præsumit. Et cur non vincat aduersarium, qui quodammodo incantat Deum? *Dimitte me* (Moysem alloquitur Deus) *vt irascatur furor meus contra eos.* Exod. 32. vers. 10. Hieronymus in Ezechiel. 13. sic scribit: *Cui dicitur: dimitte me, ostenditur, quod tenendi habeat facultatem.* Vt incantatio verbis robur illigat, & vires quodammodo enervat; sic oratio vel ipsam omni potentiam quodammodo incantat & si fas est dicere, ad infligenda supplicia illigat. *Quid est* (aiebat Gregorius 9. Moralium 9.) *seruo dicere: dimitte me, nisi deprecandi ausum prabere.* Prouerbium erat: *Nec Hercules contra duos*; verum quod Herculi non concessum, orationi datum. Ecce contra populum stat adoratus detestandis suffitibus vitulus, & ardet etiam furor diuinus vindictæ cupidine incensus, & tamen oratio prævalet contra solicitantem supplicia culpam, & contra æstuantem ad irrogandas pœnas vindictam. Quod si vnius oratio omnipotentiam quodammodo ligat, & quæ solicitabat culpa, pericula sedat, quid non assequatur multorum oratio gemitibus obarmata, & suspiriis anxijs munita? Iabesenorum nuntij referunt, quibus angantur periculis: Gabaa ciues charitate ardentes lachrymas, & deuotas preces opponunt, & iam pericula conuertuntur in trophæa. Ammonita perit, & Iabesenus omnibus spolijs gaudet: *Percussit Ammon, vsque dum inualesceret dies.* Sprevit Naas, quæ comparari possent, auxilia, quia ignorabat quantas vires orantium sortirentur lamenta. Contribules vocem leuant, & preces gemitibus armant: *Leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit*, & iam de charitatis flamma eliquatus gemitus, & de compassione ortus eiulatus non solùm affert Iabesenis salutem, sed aduersarijs ingentissimam cladem. Audi Hugonem. *Leuauit omnis populus vocem suam ad Dominum.* Dum ad Dominum orationem charitate nobilitatam, & lachrymis fultam mittunt, pericula contrà bulium auertunt, & quæ orationi vires insint, factis statuunt. Lachrymis veluti mucronibus vulneratus periit Naas, & dum pernicioſa cautela eruere tentabat oculos, ostendit, quàm timeret rationabiliter planctus.

§. XXII.

Non potest populus non flere, si gubernator dormit, & hostis vrget.

GVbernator, Princeps hostium debet præuidere consilia, & opponere opportuna remedia. Quòd si aut consilia non præuideat, aut præuisis obsistere negligat, non potest populus tristi eiulatu in felicitatem suam non deplorare, vt etiam hostilibus mucronibus non vrgeri. Imperator totus oculus vtilitati publicæ prouidere, & totus manus negotia debet tractare *Oratores Athenis* (scribit Plutarchus lib. An seni) *cum Timotheo, & Iphicrate, Charetem Theocharis filium comparabant corpore florentem, & robustum, ac talem esse dicebant debere Atheniensium Imperatorum.* Itaque imperio existimabant præficiendum calamistro perpolitum, facieque pulcherrimum: corripuit tamen eorum stultitiam Timotheus, testatus has prærogatiuas parum imperio conducere, prodesse tamen Imperatorem habere totum inoculatum, otiique inscium. Audi Plutarchum: *Ibi Timotheus: Minimè gentium, inquit: sed eiusmodi esse eum, qui stragula Imperatori est portaturus: imperatorem verò eum, qui simul à fronte, & à tergo negotia videat. & cuius salubria consilia nullo animi motu pretelentur.* Itaque Respublica eget gubernatore prouido, actuoſoque, quod si aliter accidat, periculis laborabit cincta & erit hostilis audaciæ præda. Nota erant populo, quæ Naas consilia gereret, vtque eius conatibus resisteret, Regem petiuit, & Saulem delegit: *Videntes, quòd Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam: sed Rex imperabit nobis.* Saul electus est, vt hostem vinceret, aut repelleret. Eo tempore Naas Iabesenos dura obsidione cinxit, & effodere eorum oculos superbè tentauit, & populus magnis eiulatibus luxit: *Leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit.* Non solùm erat publici fletus causa Naas copiosis militibus vrgens, sed Saul oblectationi, aut agriculturæ attendens: *Et ecce Saul veniebat sequens boues de agro.* In agro erat Saul oblectationis causa, cùm suos durissima premebat angustia. *Veniebat de agro* (inquit Lira) *vbi fuerat causa spatiandi.* Vbi Naas cognouit Saulem agro spatiari, institit Iabesenos obsidione grauissima vrgere, & vbi hostis obsidione premebat, & Saul nulla arma ad resistendum parabat, non potuit populus non gemere, & eiulare, quia hostis de gubernatoris inertia sumebat audaciam; & de hostili audacia irremediabilis Rempublicam opprimebat miseria.

TEXTVS.

VERS. V. Et ecce Saul veniebat sequens boues de agro, & ait: Quid habet populus, quod plorat. Et narrauerunt ei verba virorum Iabes.

§. XXIII.

Aliquando gubernatores plus satagunt sua adaugere, quàm generalia detrimenta vitare.

QVi gubernatoris munus laudabiliter gerit, vt generalitatis attendat commodis, sua post ponit, & parui pendit. Qui verò sibi nimium attendit, otiosè, & indecorè munus subijt. Grande Reipublicæ est commodum, si electus generale curet augmentum; vt è contrà, miserum erit naufragium, si proprium solicitauerit commodum. *Confido Patres conscripti* (aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 11.) *quod ad agendas optimo Regi gratias omnium vestrum studia debeant concitari: quando proueclum meum excogitatum noscitis pro vtilitate cunctorum. Atque ideò alacriter excipiendum est, quod necessariè fuisset optandum.* Minister, gubernatórve, si studeat vtilitati cunctorum, gratanter debet excipi, vt ardenter desiderari: verùm si generali vtilitate spreta suis studuerit solùm augmentis, Respublica ingemiscet magnis afflicta pressuris. Eodem tempore populus ingemuisse refertur, & Saül boues secutus rediisse de agro narratur: *Ecce Saül veniebat sequens boues de agro.* In agro tempus consumpsisse, vt aratet, bouésque exerceret, tradit Abulensis *quæst.* 3. *Veniebat de arando, quod patet, quia portabat duos boues.* Itaque proprium colebat fundum, & nesciebat vrgeri populum: ergo copiosis lachrymis lamentabatur Respublica eum sortita fuisse gubernatorem, qui suis attenderet lucris, nec inundantibus obsistere curaret miseriis.

§. XXIV.

Plus Reipublicæ congruit gubernator laudabiliter superbus, quàm nimia humilitate remissus.

NOn semper nocet magnos gubernatorem spiritus gerere, nec prodest semper humilem abiectionem sectari: prudentia modum imponit, humilitas nimia officit, si exercere munus impediat: honesta superbia prodest, si laudabiliter audeat. *Ne aut acriter*

Eman. de Naxera in Reg.

vindicando (aiebat Cassiodorus 1. *variarum* 30.) *æstimetur nimius, aut leuiter agendo putetur improuidus.* Si nimia humilitas prouidentiæ, & laudabili audaciæ vires reprimat, officiet, & dedecus rectori afferet. Iabeseni ab hostibus obsessi legatos mittunt, & auxilia à contribulibus quærunt: contribules audita obsidione lamentabantur: *Locuti sunt verba hæc audiente populo.* Populus audit, & Saül nescit. Inquiramus, si placet, cur Iabeseni ad Saülem nuntios non amandauerint, ab eoque auxilium quæsierint? Si Saül paulò anteà fuerat in ducem electus; & à populo conclamatus, cur modo non denuntiarint obsidionem, vt depellat calamitatem? Iam Textus respondet: *Ecce Saül veniebat sequens boues de agro.* Saül etsi in ducem electus nimia humilitate non attendebat regimini, sed rusticano labori: ergo nihil ab eo sperauerunt forte, quia nimia cognouerunt depressum humilitate. Ita Abulensis *quæst.* 4. *Saül erat vir nimis humilis ... Nunc autem postquam in Regem sumptus est, illam eandem humilitatem seruauit.* Se gerebat vt priuatus, cum in ducem fuisset electus: ergo cùm agnosceret populus magnos spiritus non gerere, sed nimia pusillanimitate agriculturæ vacare, auxilium ab eo non sperarunt, sed despexerunt. Erat dux, ac si non esset, quia dum nimis humilis subtrahebatur, fastigium occupabat, munus non implebat. Omne vitium à gubernatore debet exulare; frequentertamen plus Reipublicæ nocet nimia humilitate remissus, quam aliquali tumore elatus.

§. XXV.

Non sunt mediocria certa relinquenda ob maiora, si dubia.

FAllit nos sæpissimè spes, promittens maiora, ausert iam possessa. Canis ille, dum offæ, quam gerebat dentibus, maiorem in aquis respexit vmbram, vt caperet vmbram, reliquit offam. *Non est quòd inuideas istis, quos magnos, felicésque populus vocat* (aiebat Seneca *epist.* 94.) *non est quòd tibi compositæ mentis habitum, & sanitatem plausus excutiat: non est quod tibi tranquillitatis tuæ fastidium faciat ille sub illis fascibus purpura cultus.* Dum quis mediocrem, pacatámque, qua vtebatur, fortunam fastidiuit, & ad sublimiorem statum peruenire tentauit, ipso sæpè in itinere iacuit deiectus: ad suspiratum fastigium non peruenit, & quod habebat, amisit. Miraberis Saülem in Regem iam electum agriculturæ vacasse, de ago namque reuersus, ac boues sequutus populi clamores audiuit: *Ecce Saül veniebat sequens boues de agro.* Vt imprudens est, qui sequitur fugientem, sic etiam qui auersatur fortunam inuitantem. Si Saülem quæsiuit dignitas cur abiecto adeò, atque humili animo est, vt maluerit boues sequi, quàm hominibus imperare? Cur prenset curuus rusticanum aratrum, qui regale potuit prensare dextera sceptrum? Quia sceptrum (inquit Abulensis) nondum erat firmum, & erat firmum aratrum. Deus eum in Regem delegerat, verùm populus vt Regem non suspiciebat, nec debitum honorem præstabat: *Despexerunt eum. Sup. cap.* 10. *vers.* 27. Ergo Saul vt prudens noluit mediocrem statum, quem habebat, relinquere, quousque meliorem fortunam posset pacatissimè possidere. Ita Abulensis *quæst.* 4. *Fortè in principio regni sui hoc faciebat, quia Israëlitæ nondum fauebant ei tanquam Regi suo, sed multi eorum despexerunt ipsum, & dixerunt: Non regnabit super nos, vt patet infrà in litera: ideò dum erat Rex dubius, nolebat priorem mutare statum.* Si spe adeundi thronum reliquisset aratrum, fors nec haberet aratrum, nec thronum: *Ideò dum erat Rex dubius, nolebat priorem mutare statum.* O vtile pluribus documentum! Promittunt sibi magna, vtque assequantur, expendunt imprudenter possessa: nec semel expensæ diuitiæ auolarunt, & malæ fundatæ spes fefellerunt. Prudens mavult mediocri, certáque fortuna vti, quàm maiorem suspirare, & vna & altera defraudatus lugere.

§. XXVI.

Honestè superbus mavult honorem dignitati præstare, quàm à dignitate accipere.

AMbitiosus dignitatem sitit, vt fascibus, prætextaque cultus non solùm splendeat, sed tumeat. Magnanimus, benemeritúsque adit dignitatem, vt ei dignis factis incrementauerit splendorem. Distat multum inter nobilitare prætextam, aut ipsa nobilitari. *Ne Cn. quidem Pompeio externa bella, aut domestica* (inquit Seneca *epist.* 94.) *virtus, aut ratio suadebat: sed insanus amor magnitudinis falsæ.* Virtus non commendabat arma, sed insanus magnitudinis falsæ amor arma quærebat. Quæruntur fastigia, quia splendorem possidenti refundunt. Ille verè magnus est, qui aliquid fastigio addidit, quo fastigium ipsum luceret. *Veniamus* (aiebat Cassiodorus Senatus Præpositum alloquens 9. *variarum* 24.) *ad Magisteriam dignitatem, quam non pecuniæ largitate, sed morum noscens suffragio consequutus: quo loco positus semper quæstoribus affuisti. Nam cum locus esset eloquio defœcato, causa tuo protinus credebatur ingenio. Exigebaris à benigno Principe, quod se tibi nouerat minimè commisisse, & quadam gratia præiudiciali vacabat alios laborare, vt te sententiæ tuæ copiosa laude compleret.* Adnectit: *Non enim proprios fines sub te vlla dignitas custodiuit, quando conscientiæ tuæ constat creditum, quod à multis fuit proceribus syncerissimè peragendum.* Dignitatis terminos virtutum luce ampliauit & obtinuit à possessore dignitas, plusquam ipsa dederat possessori. Nec aliter Sauli accidisse videtur: ad dignitatis culmen euectus adhuc vacabat agriculturæ: *Ecce Saül veniebat sequens boues de agro.* Non multò post inito cum Ammonitis certamine, sic eos debellauit, vt duo simul relicti non fuerint: *Reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.* Inquiramus, si placet; cur Saül anteà detrectarit fastigium, & aratro coluerit campum, & cur deuictis, profligatísque Ammonitis agriculturæ vlterius non vacauerit, sed regia dignitate splenduerit? Si electus ad regnum tellurem exercuit, cur profligatis iam Ammonitis ad percolendam terram non rediit? aut cur agriculturam exercuit, quousque aduersarium debellauit? Quia erubuit (respondet Abulensis) fastigium occupare, ante quam strenuis factis nobilitarit fastigium at postquam gloriosis actionibus dignitati splendorem addidit, sine rubore possedit. Accipe Abulensem q. 5. *Nolebat, quod principatus honoraret eum, sed ipse honoraret Principatum: quo vsque ergo ipse faceret aliquid dignum honore, nolebat se in honorabili statu ponere: cum verò pugnauit contra Ammonitas, & fecit ibi aliquid laude dignum, incepit esse honorabilis.* Non erubuit fastigium gloriosis factis nobilitatus, erubuit solummodò electus, suis nos factis edocens aliud esse nobilitari fastigio, aliud fastigium nobilitare.

§. XXVII.

Ni Princeps studiosè scisciteur, nesciet aduersa, quia adulatores solum adnituntur referre grata.

PVtabis, nil altis, felicibúsque deesse, cum omnia infortunia opulenta felicitas videatur excludere. Seneca tamen *lib.* 6. *de Benef.* admittit ab hoc te errore liberare. *Monstrabo tibi* (inquit *cap.* 30.) *ecuius rei inopia laborent*

laborent magna fastigia: quid omnia possidentibus desit. Scilicèt ille, qui verum dicat. Vt omnes gestiunt magnorum elucrari gratiam, refugiunt referre, quæ ingerere videntur molestiam; infausta omnes denuntiare refugiunt, quia inuidiam sibi conflare nolunt: ob id fere nullus ex animo sententiam dicit, sed, quæ auribus adulentur referre gestit. Xerxi, dum bellum inferret hostibus, nullus fuit, præter Demaratum, qui laudibus studium non celebraret, & indubium triumphum assereret: ille ingenio elatus, & adulatione impulsus se in pericula coniecit, & tardè veritatem agnouit. *Quàm miserabilis gens* (addit Seneca, *cap.* 31.) *in qua nemo fuit, qui verum diceret Regi.* Erat adulandi certamen, & vnũ amicorum omnium studium gratiam inire, etsi non dubitarent periculum imminere. Nec aliter Sauli videtur accidisse. Laborabat Respublica, quia Naas Iabesenis oculos dextros tentabat eruere; nec tamen fuit, qui Sauli ægro tunc existenti denuntiaret, & ni ipse scisciaretur, prorsus nesciret: *Ait: Quid habet populus, quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes.* Studiosè scisciranti retulerunt, ni scisciaretur, ora silentio comprimerent, nec referrent. Quòd si inquiras, cur adeò imminens celarant periculum, quando admittebat remedium? Respondeo, detrectasse omnes tristia Regi referre, veriti fortassis indignationem incurrere; ad Regem veritas non perueniret, ni ejulatus causam ipse rogaret: ast vbi scisciratus agnouit, prodiuit in campum, & contriuit inimicum: vt repetat Seneca: *Quàm miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret Regi.* Saul inquisiuit, & comperta veritate, quod opus erat disposuit. Ita Abulensis *quæst.* 5. *In hoc monstrauit se Saul Regem, quoniam quæsiuit quid esset illud, quod in populo fiebat, tanquam ad illum pertineret.* Opus fuit Regi, quid populo accidisset interrogare; nam cùm molestum esset, nullus audebat referre, quia timebat quisque relatione exasperare. Discant hinc Superiores, Principesque, si de Reipublicæ, suorumque statu notitiam habere discupiant, interrogare, & inquirere, aliter namque remedium periculis non poterũt adhibere. Veretur quisque infaustorũ denuntiatione affligere, quia gestiunt omnes grata adulatione palpare.

TEXTVS.

VERS. VI. Et insiliuit spiritus Domini in Saul, cùm audiuisset verba hæc; & iratus est furor eius nimis.

§. XXXVIII.

Laudabilis est ira Dei zelo flammescens, & communi vtilitati prospiciens.

SApiens in omnibus modum tenet, nihil reprehensibile laudandis admiscet, pacatum animum gerit, vbi ira non proficit: honesto tamen furore rapitur, vbi zelus, & scandescentia conducit. Ira in modum medicaminis adhibenda est: nam vt chirurgus limato vtitur instrumento, non vulneris infligendi, sed seruandæ sanitatis studio; ita sapiens inardescit pia ira, & laudabili excandescentia. *Beneficiis humana vita consistit, & concordia* (aiebat Seneca *lib.* 1 *de Ira, cap.* 5.) *nec terrore, sed mutuo amore in fœdus, auxiliumque commune constringitur. Quid ergo? Non aliquando castigatio necessaria est? Quid ni? Sed hæc sincera, cum ratione: non enim nocet, sed medetur specie nocendi. Quemadmodum quædam hastilia detorta vt corrigamus, & adactis cuneis, non vt frangamus, sed vt explicemus, eludimus: sic ingenia vitio prauâ dolore corporis, animique corrigimus.* Itaque sapiens ira vtitur, vt medicina medicus, nempè vt valetudinem stabiliat, & vitium depellat. Nec solum ira rationabilis ad aliorum curanda ingenia prodest, sed etiam associata ratione irato conducit; extollit animos, incitat, & ne quidquam ignauè gesserit, honestis stimulis agitat. Vt vidit Elias homines Dei charitate, patientiaque abuti laudabili ira correptus aiebat: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. 3. Reg.* 17. *vers.* 1. Ne flãmas euomens ira existimetur præcipitatus, aiebat: *In cuius conspectu sto.* Non delectabatur pœna, sed adurebatur culpa: ad grauiora remedia venit, quia hominum feritas, & improbitas curari leuibus non sustinuit. Audi Basilium Seleucienſem orat. 11 *O ira pietatis plena! O lingua, quæ cœlum franas!* Præmiserat: *Ira pietatis auxiliatrice adsumpta vocem emisit, qua cœlo legem siccitatis imposuit.* Ne hominum pranitas pestilenter serperet, ira pietatis plena cohibuit, & vtilissimis flagellis impietatis delirio furibundos sanauit. Nec aliter Sauli accidit: nam cùm insolentem iactantiam Naas per nuntios accepisset, cælesti spiritu incanduit, & duro supplicio tumore insanum, & insania tumidum castigare decreuit: *Insiliuit spiritus Domini in Saul, cùm audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis.* Spiritus, & iracundiæ motus conuenerunt, vt notum omnibus esset, iram illam pietatis esse plenam, & religioso zeli ardore inflammatam. Ita Caietanus: *Hinc habes, quod diuinus spiritus mouet quandoque animum hominis ad iram, & consequenter, quod ira est instrumentum virtutis, si moderatè assumitur: mouebat enim Spiritus Sanctus animum Saülis ad vindictam, & ideò congruum fuit, vt faceret ipsum excandescere.* Erat Saul Rex, vt hostilem insolentiam reprimeret, vt subiectis prouideret, & Numinis honori consuleret: ergo non oportuit remissè agere, sed religioso spiritu arderè; nam vt est vitium iracundia exoculata præcipitari, ita est virtus rationabili iracundia inardescere, & honesto ardore aduri.

§. XXIX.

Felix est semper labor, quo muneri satisfacis, pietatique inseruis.

LAbor pro religione susceptus, aut ab obligatione muneris ortus nequit à felicitate diuidi, quia non potest ab honestate separari. Virtus extra fortunæ regionem pacatè degit: in quocumque euentu futuris est, in culmine, & in valle sibi constat varietatis ignara, & aduersus omnes temporum adsultus munita: non quærit extrinsecus pretium, quia in se ipsa habet, & se ipsa contenta est. *Virtus* (aiebat Seneca *de vita Beata, cap.* 16.) *ad viuendum beatè sufficit, perfecta illa, & diuina. Quid ni sufficiat? Immò superfluit.* Felix Saul denuntiatur: *Et insiliuit spiritus Domini in Saül.* Iuxta Hebræum habetur: *Et prosperatus est spiritus Helohim super Saül, cùm audisset verba hæc.* Profectò Saulis prosperitas non videbatur dimetienda ab auditu, sed ab euentu. Quid profuisset audisse verba, tentasseque certamina, si non assecutus fuisset trophæa? Ergo illum prosperum deprædicet Textus, non quia verba audiuit, & audactet in campum prodiit, sed quia audentem barbarum fregit, & superbientem contriuit. O vtilem nobis doctrinam! In ipso pro virtute labore iam fructus est: qualiscumque fuerit euentus, honestus labor vberes adducet fructus non pendet à fortuna honestas, nec ab honestate diuidi potest vtilitas, vel cùm Saul disponit in campum prodire, cùm amplectitur periculum, cùm pro religione, & munere ardet in bellum, iam spiritus prosperatur, & virtus incrementis magnis augetur. Etsi decumbat pro religione, & munere pugnans, erit fortunatus, & infelix esset, ni pugnaret, quantumvis robore, & salute vsus. Innuit Caietanus: *Assimilatur prosperitati donum hoc spiritus diuini: tum quia velut successus prosper erat relatiuè ad præterita, &*

expectata; tum quia ad prosperitatem regni tendebat noua hæc commotio spiritus Saülis à spiritu diuino, qui aptè nominatur spiritus Helohim, eo quòd erat spiritus Dei, quatenus gubernat. Saül antea in agro; vbi vt placet Litæ, oblectationis causa versabatur, non erat tam fortunatus, etsi placido otio perfruitus; modò verò iam deprædicatur prosper, etsi dubia certamina subeat, etsi cum acerrimo hoste decertaturus in campum prodeat, quia modò religioni inseruit, & munus gubernatoris adimplet: *Successus prosper erat relatiuè ad præterita.* Non attento etiam euentu felicior erat Saül exercitum cogens, & bellicos labores subiens, quàm agro oblectationi deseruiens; nam agro nec inseruiebat religioni, nec satisfaciebat muneri; ast acies antecedens armatas & satisfaciebat muneri, & religioni.

TEXTVS.

VERS. VII. Et assumens vtrumque bouem concidit in frusta, misitque in omes terminos Israël per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saül, & Samuël, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus.

§. XXX.

Nonnulli præ se ipsis diuitias amant, & periculo etiam vitæ asseruare procurant.

EX quo diuitiæ in honore esse cœperunt, eo insano ardore quæruntur, vt pericula etiam vitæ facillimè contemnantur. Ita auri splendore obcæcatur obtutus, ita eius pulchritudine inflammatur affectus, vt de mentis arce deturbetur prudentia, & ipso capite capiti aliquando solicitetur corona. Quam benè Plutarchus de superstitione: *Existimat quis summum bonum diuitias esse. Hoc mendacium venenum habet, depascitur animum de statu eum ejicit suo, somnum adimit, furore implet, impellit de saxis, strangulat, liberam vocem adimit.* In eum cupiditas deuenit errorem, vt diuitias summum bonum existimarit; vtque venenum, si cor aduserit, omnes sensus torpere cogit; sic hoc mendacium, si viscera intrauerit, nihil intactum relinquit. Obsidebat Naas ciuitatem Iabes copioso adeò exercitu, armis adeò instructo, vt Iabeseni se dedere decreuerint, ni intra septem dies illis affuerit auxilium. Barbarus concessit inducias superbiæ suæ adulatus, & tumori blanditus, quasi collectæ Hebræorum vires suis solummodò adaugendis deseruirent triumphis, & militarent trophæis. Saül accepto nuntio, vt quàm citò delectum cogeret, & exiguo concesso tempore hosti occurreret, par boum in frusta concidit, & recusantis bellum boues eodem modo concidendos publicitus intimauit: *Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saül, & Samuël, sic fiet bobus eius.* Profectò tristi illo nuntio adeò Saül videtur obturbatus, vt à prudentia distet perculsus. Si discupit delectum citissimè cogere; cur sub capitis pœna non iubeat exire? Plures eligent exiguo boum pretio vitæ pericula redimere, & conflictum molestissimum euitare: ergo edictum publicet sub capitali dispendio, non sub boum excidio. Effectus edicti commendauit prudentiam, timor namque ita inuasit populum, vt omnes properarent ad bellum, vtque consulerent boui, grandi se obtulerunt discrimini, quasi satiùs fuerit conflictum inire, quàm bouem perdere. *Planè* (inquit noster Sanctius) *id, quod sibi faciendum proposuerat, consequutus est; nam momento temporis magni excitantur bellorum motus, magni undecumque fiunt militum concursus.* Saülem sua non fefellit, opinio, boues minatus est amittendos, vt qui nouerat apud homines eo in pretio haberi diuitias, vt malint, quàm amittere vitam periculo exponere.

§. XXXI.

Erubescit miles ducem non sequi, si aspexerit anteire.

LAbores difficulter suadet dux, & superior, dum otio indulget: plus exempla, & minus prosunt edicta: ast si miles ducem suum intueatur præire, & pericula deuorare, resumit animos, erubescitque arma non capere in inimicos. *Referre solebat* (inquit Plutarchus in Apophthegmatis de Chabria strenuo duce) *exercitum terribiliorem ceruorum duce esse leone, quam duce ceruo leonum.* Vera dixit: nam etsi milites leonis sint animis præditi, marcent timido duce sortiti; vt è contra etiam cerui timidi, si ducem leonem inspexerint, audent ad Principis exemplum compositi & vestigia eius sequuti. Vt quàm citò delectum cogeret Saül, quo Ammonitas superbientes impeteret, edictum publicari iussit, eius scilicet bones, qui ad bellum non procederet Saulem, & Samuëlem sequutus, mactandos, & in frusta concidendos: *Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saül, & Samuel, sic fiet bobus eius.* Grauiori pœna videbantur mulctandi, qui arma detrectarent, & exire refugerent: cur ergo leuem adeò mulctam indicit? Quia se Samuëlémque præituros declarauit: *Secutus fuerit Saül, & Samuël.* Quis bella detrectaret intuitus Samuëlem grandævum, & viribus fractum in campum prodire, vtque Iabeseni subueniret, vitam exponere? Quis non erubesceret Saulem Principem suum non imitari, & contra aduersarios procedere? Opus non erat Sauli grave interminari supplicium, quando efficax adeo adurgebat omnes exemplum. Ita noster Sanctius: *Est vis ad mouendum vehementior in rebus, quàm in verbis, in signis, quàm in literis, aut in lituo, ac tuba, quibus euocantur homines, & accenduntur ad arma.* Lituo ad arma homines accenduntur, viuidius tamen exemplo Principum inflammantur: ergo vbi Saül, se, Samuëlémque cæteris antecessuros præmisit, exemplis bella suasit. In religiosorum cœtu inuenis non audet recusare iejunia, si seniores antiquitatis priuilegio non vtantur, sed austeritatem religiosam sectentur. Erubuit armiger Ionatham non sequi, & si opus fuerit per scopulos reptando gradi.

§. XXXII.

Non est culpandus, qui præscriptam sibi regiminis mutat formam, si cogant circumstantiæ diuersam inire viam.

MAiorum præcepta, & gubernationis formulam decet obseruari, si aliud non contingat vrgentibus circumstantiis suaderi. Machabæi Sabbatis etiam pugnauerunt, quia hostilia bella adurgebant, & præscripta otia eis circumstantiis quam maximè incommodabant. Vt crimini dandum est nulla causa cogente jussa transgredi; sic imprudentiæ vertendum, cogente tempore, maiorum voluntatem non interpretari, & periculo occurrere. *Rationum publicarum reliquiæ infausta* (aiebat Cassiodorus 12. *variarum* 10.) *sunt agritudini comparandæ, quæ grauatum debilitant, nisi sub celeritate discedant.* Vt damnandus esset medicus, qui mutatis circumstantiis grauissimoque adurgente periculo nimis scrupulosè obseruaret pro aliis temporibus medicinæ præcepta; sic qui Rempublicam tractant, si pro tempore occasionéque periculo non occurrant, vt acceptæ formulæ imprudenter obediant. Iabeseni dura obsidione pressi, vix septem dierum inducias impetrarunt, Saulemque

Saulemque, vt celeriter opitularetur, monuerunt: ille datam sibi à Samuële formulam non obseruat, sed laturus opem approperat: *Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saül, & Samuël, sic fiet bobus eius.* Inquires cur Saul Samuelis præcepta non obseruarit, sed in campum contra aduersarium prodierit? Hanc illi Samuël formam tradiderat. *Descendens ante me in Galgala, vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias. Sup. cap. 10. vers. 8.* Si iubetur in Galgala descendere, septémque dies ad placandum victimis Numen expectare, quomodo nec in Galgala properat, nec expectat? Quia si in his circumstantiis expectasset (inquit Abulensis) deliquisset. Tempus inducarum erant septem dies, quos si expectando consumeret, hostis sine dubio triumpharet, & Iabesenus periret. Ergo vti prudens censuit datam sibi formulam pro eo tempore non obseruandam, sed quàm citò pugnam ineundam; ob id se statim comparauit ad bellum & adorsus est inimicum *Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saül & Samuël, sic fiet bobus eius.* Non tulit moras, non obtulit victimas; nec tamen prudentiam læsit, aut obedientiam imminuit. Ita Abulensis *quæst. 8. Dices: Quare ergo nunc cùm esset Saül in periculo, pugnante Rege Ammon contra Israëlitas, non descendit in Galgalam iuxta præceptum Samuëlis?* Audisti dubium, audi responsum: *Fieri non poterat, quoniam Iabesini solum habebant inducias dierum septem, & priùs deberetur tempus, quàm veniret Samuël; oportuit ergo, quodaliter prouideret hic Saul.* Si traditam sibi eis in circumstantiis formulam obseruasset perjisset: ergo se prudenter gessit, & populum liberauit.

§. XXXIII.

Nimius rigor exordia principatus aut infamat, aut turbat.

INitia principatus debent esse moderata, ne aut subiectos nondum firmatos asperitas nimia disturbet, aut fastigium possidentem infamet. Ingenium durum omnibus suspectum est, est nec tam docet obedientiam quàm contumaciam. *Ipsa initia* (aiebat Theodahadus Rex; *variarum* 38.) *bene plantare debent nostri nominis famam. Principis siquidem opinionem longe, latéque disseminat subiectorum custodita securitas, & vbi exercitus dirigitur, non grauandi, sed defendendi causa potiùs æstimetur.* Principatus exordia Principis stabiliunt famam, aut potentiam reddunt suspectam: nimius rigor animos exasperat, nimia lenitas vires præceptorum debilitat. Dignitatem adeunti prudentia opus est ne aut districtio trucem, aut remissio publicarit imbellem. Ob id Saul, vt delectum cogat, quo hosti occurrat, & pericula Iabesenorum depellat, certamen recusanti mulctam indixit, boues scilicet trucidandos, & discerpendos. *Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saul, & Samuël, sic fiet bobus eius.* Vrgens adeò periculum capitis pœnam intimare suadebat, aliter retardabit plures ignauia, dum exiguo detrimento vitari possint vitæ pericula. Cur ergo Saul non proferat edictum, & vrgeat sub capitis pœna ad bellum? Quia cùm esset principatus exordium (inquit Abulensis) noluit nimio rigore subiectos exasperare, sed mediocri pœna exacuere. Audi Abulensem *quæst. 8. Noluit comminari pœnam mortis, vel detruncationis membri, ne in principio regni sui à magno rigore incipere videretur.* Adnectit: *Non est ausus imponere maiorem pœnam, ne forte Israëlitæ non obedirent: nam nunc erat principium regni nondum bene firmati, quoniam multi de Israëlitis non plenè obediebant ei. Dixerunt enim: Saul non regnabit super nos, vt patet infra in litera.* Cùm nondum esset principatus constabilitus, ne vacillantes nimia exasperaret asperitas, ita prudenter se gessit, vt edicto non offenderet, sed alliceret; nam nimia asperitas exordia principatus solent perturbare, & subiectis occasionem resiliendi præbere.

§. XXXIV.

Dum superior muneri satisfacit vigilanti solertia, Deus opportuna præbet auxilia.

AD Numinis pertinet prouidentiam rectores vigilantes iuvare, & quod fragilitas quantumvis prouida, ac sedulè studiosa assequi non potest supplere: inerter otiosis non adest specialis prouidentia, nec solicitis, vigilantibúsque opportuna denegantur auxilia. *Propositi nostri est* (aiebat Theodahadus Rex 4. *variarum* 12.) *vt Prouincias nobis, Deo auxiliante, subiectas sicut armis defendimus, ita legibus ordinemus.* Cœlestia præsumpsit auxilia, qui & legibus mores componere satagebat, & armis depellere pericula procurabat: nec poterat cœlestem non experiri fauorem, qui debitam non omisit solicitudinem. Moyses diuinis iussis obtemperans populum ad terram promissionis ductabat, vtque inter liquidas vndas viam aperiret, virga, quam manu gerebat, mare diuisit, & iam vrens, & vehemens ventus in siccum profunda vertit. *Cúmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum. Exod. 14. vers. 21.* Otiosum videbatur virga insanientes fluctus percutere, dum Moyses nequit vndas in mutos digerere, nec limosa ariditate exiccare. Quid ergo manum extendat, vndásque percutiat? Quia vti prudens nihil omisit, & quod ipse nequibat, à Domino perficiendum indubiè credidit. Et quidem falli non potuit digna de Deo præsumptio; nam vrens ventus ad virgæ ictum secutus est, qui profundi dorsa vertit in siccum, & iter præbuit pluuerulentum. *Abstulit illud Dominus flante vento* (inquit Interlinearis) *id est, Spiritu Sancto.* Vbi Moyses nihil ex his, quæ ad illum spectabant, omisit, Spiritus Sanctus, quæ necessariò requirebantur, suppleuit, & iam salum vrens ventus aridum vertit in solum. Nec aliter hic videas accidisse. Accepto Saul nuntio boues diuisit in frusta, vt Israëlitas excitaret, & Iabesenis præbere auxilia suaderet: nec solùm promulgauit edicta, sed anteire decreuit castra. Quid tunc? *Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus.* Timor à Domino refertur immissus, cùm regali edicto populus conuocatus. Et cur modò Deus Israëlitas timore exacuat, & in aduersarios instruat? Quia Princeps nihil reliquit vt exercitum cogeret, & periculis occurreret. Innuit noster Sanctius: *Est planè mirabile tantam hominum multitudinem tam breui tempore, & tanta animorum conspiratione conuenisse.* Adjicit doctus Interpres. *Id fecit ingens timor, quem eorum animis Dominus indiderat.* Cùm Princeps adlegere copiosum exercitum immissis frustis, & edictis promulgatis solerter procurauit, cum se cæteris ducem præposuit, Deus eius studia immisso timore adiuvit; nam vt ad Saulem spectabat nil pro suorum salute omittere; sic ad Deum pertinuit, quod efficere ipse nequibat, prouidentia singulari supplere: nec enim Deus subtrahit auxilium, si Princeps, superióve muneri satisfaciat, nec quidquam ex his, quæ ad munus spectarint, omittat.

§. XXXV.

Vitat propria, charitas efferuescens dum pericula propulsat aliena.

DVm charitas efferuescens aliena pericula adlaborat depellere, sua probatur prouidenter impedire. Impensa pietas semper attulit lucrum, & eludit, dum naufragis succurrit, imminens sibi naufragium. *Ego* (aiebat Sponsa) *murus, & vbera mea sicut turris: ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Cant. 8. v. 10.* Videatur cui non multum sibi cohærere sententiam, quid iuvat, vt inuenerit pacem, exibuisse se turrim? *Ego murus, & vbera mea sicut turris: ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Quid cum excubiis paci? Turri excubiæ inuigilant, vt hostiles adiultus opportunè repellant, & dum inuigilant, solicitudinibus adlaborant. Qui verò tranquilla pace fruitur, otiatur. Quomodo ergo & se turrim ad peruileges excubias protulit, & imperturbata frui pace verax asseruit? Quia muri adinstar protexit, inquit noster Deltius, quia ad alendos populos vbera expandit, sibi pacem adinuenit. *Ego murus simul, & mater* (inquit noster Deltius hic in mixta) *murus ad protegendum; mater ad nutriendum; murus infirmis; mater paruulis.* Bellorum non sentit detrimenta, dum muri adinstar aliorum propulsauit pericula; pace fruitur, dum periclitantibus solicitè opitulatur. Sponsam imitari Israëlitæ, ne experiantur Iabeseni Naas desæuientem ferociam, non detrectauere pugnam: *Inuasit ergo timor Domini populum & egressi sunt quasi vir vnus.* Videbantur, vt sibi consulerent, à certaminibus subducendi, & in arma ruunt pronido timore agitati. Timore Domini referuntur occupati, & in campum etiam egressi. Iam si inquiras, quomodo timeant, & audeant? Respondebit noster Sanctius, vt proprio subuenirent timori, se pro fratrum salute obtulisse certamini, & ne experirentur, quæ sibi imminere videbantur pericula, depellere procurasse prouidenter aliena, vt qui non ignorabāt sua vitare, qui aliena pericula satagit charitate depellere. Sanctium Audi: *Hic porrò timor esse potuit, ne Naas victoria insolens in aliarum vrbium fines irrumperet, & quod facere iam cœpisset, vniuersorum oculos dextros eruret.* Ne barbarus tentet eorum oculos effodere, Iabesenos satagunt à periculo liberare, & timori suo medentur, cùm proximis auxiliantur; nam vitat propria, qui pericula propulsat aliena.

§. XXXVI.

Qui superiori suo detrectat parere, timeat cœlestem indignationem incurrere.

OBsequij disciplina, & morigera superiori subiecto saluti consulit, & calamitatem depellit. Refractarium servum compes constringit, sedulum pileus honore vestit. *Tanta obsequij diligentia opus est* (aiebat Tertullianus *de Patientia, cap. 4.*) *quanta sunt ipsa, quæ aut seueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur.* Qui Principi, aut superiori Numinis Vicario debitum denegauit obsequium, imprudenter sibi maturauit periculum. Mirum est, quam ab inferioribus obedientiam desideremus exprimere, & quam respuamus superiori præstare. *Nos* (addit Tertullianus) *non de hominibus modò seruitute subnixis vel quolibet alio iure debitoribus obsequij; verum etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes vsibus nostris à Domino prouisas, traditásque.* Quia nobis bebiæ traditæ, eis imponimus obedientiam vt etiam hominibus seruituti addictis, si detrectent obsequium, mulctam: ergo eodem iure à Deo potest infligendam sibi vereri mulctam, qui Deo in superiore denegauerit obedientiam. Ob id, dum Saül edictum promit, & arma in hostem prensare iubet, Israëlitæ parent timore correpti: *Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus.* Non ait: Inuasit timor Saül, sed *timor Domini.* Et cur modò Dominum extimescant, Saülique pareant? Mulctam Saül indixerat reluctantibus boues scilicet interficiendo; verùm hoc amplecterentur detrimentum, si grauius non vererentur supplicium; timuerunt tamen cœlestem iram, si superiori denegauerint obsequelam. Innuit Caietan. *Non timor perdendi boues, sed timor Dei narratur mouens populum.* Consonat noster Sanctius: *Quasi timerent, ne si Regis à Domino constituti detrectarent imperium aliquid ipsis diuinitus accideret mali.* Superioris iussis non obsequentes, diuinam in se concitaturos iram non dubitarunt: ergo prudenti timore perculsi obedientiam expromptissimam præstiterunt. Vt discas, si cupis cœlestem iram vitare superiori Dei vices gerenti expromptā voluntate parere.

§. XXXVII.

Verus obediens obsequitur, non vt temporalem effugiat pœnam, sed vt sibi promeruerit Numinis gratiam.

LEges (aiebat Seneca *epist. 94.*) *quid aliud sunt, quàm minis mixta præcepta? Primum omnium ob hoc illa non persuadent, quia minantur: at hæc non cogunt, sed exorant.* Leges transgressoribus imponunt mulctam vt suaserint obedientiam; ast decentiùs obedit ratione ductus, quàm timore coactus. Honestius putauit Tertullianus aduersus Psychicos *cap. 13.* vltrò officium facere, vt Numini placeas, quàm vt pœnam effugias: *Ego me sæculo, non Deo liberum memini; sic meum est vltrò officium facere Domino, sic indicere illius est.* Sub pœna aliquando sæculum præcipit; sed verus obediens non tam se obligatum sæculo meminit ob pœnam, quàm Deo, vt eius promereat gratiam. Qui pœnæ timore cogitur, minus obsequitur. Huius veritatis non ignari Israëlitæ, cum Saül promulgasset edictū minis intextū: *Quicumq; non exierit, & sequutus fuerit Saül, & Samuël, sic fiet bobus eius*, decreuerunt obtemperare, nō pœnam extimescentes, sed Numen obediendo honorantes: *Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus.* Arma tractarunt Numen reueriti, non pœna suasi. Notauit Caietanus: *Non timor perdendi boues, sed timor Dei narratur mouens populum.* Erubescerent timore amittendi boues edictis parere, qui honestiori titulo obedientiam quibant præstare. Vt hinc ediscant nobiliter obedire, qui ob vitæ institutum tenentur superiori parere.

§. XXXVIII.

Ni inconcussa illigentur concordia, quò fueris maior, plus nocebit militum summa.

NVnc est potiùs (aiebat Cassiodorus 10. *variarum* 23.) *quod regna coniungat promissio fixa, & voluntas concordia.* Concordia paruæ res crescunt, magnæ discordia labuntur. Vel aues ab vnione subsidium petunt: grues namque, vt sibi prospiciant, vigilias alternant, communi se cautela custodiunt; sicque quadam communione armatæ frustrantur pericula, & se inuicem adiuvando muniuntur aduersus tela. Quid proderit ingens militum copia, si inter se discrepent, & diuersis studiis diuisi hostium sint præda? Saul, vt grauissimo discrimini occurreret, militem vndequaque collegit, & exercitum numerosum instruxit; verùm

verùm etsi ingentissimus adesset pugnatorum numerus, ni stabili illigarentur vnione, exiguus esset exercitus. Postquam adlegerat Xerxes innumeras copias, potentiæ suæ, ac viribus adulatus promittebat sibi victoriam; verùm Demaratus, vt molem non benè concordia vnitam animaduertit, hostium asseruit futuram prædam: euentus Demaratum veracem asseruit, & Xerxes pudore detrimentoque miser tardè veritatem agnouit. *Stratus per totam passim Graiam* (inquit Seneca 6. de Beneficijs, cap. 31.) *Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba distaret.* Turba se ipsam pressit, & nullo ordine disposita, nulla concordia alligata non vicit, sed periit. Nec aliter Sauli accideret, etsi trecenta & triginta millia pugnatorum haberet, nisi ea animorum consipitatione conuenissent vt plurimi numero, vnicus viderentur affectu: *Egressi sunt quasi vir vnus.* Vt vnus à se non discrepat, sic quilibet non discordabat ab altero: ergo iam Ammonitis imminebat excidium, & Saul plus concordia, quàm summa promisit sibi trophæum. Adest Abulensis *q.* 8. *Dicitur, quod egressi sunt quasi vnus vir, id est, omnes vno animo.* Satis non esset tot hominum copias confluxisse ad victoriam reportandam, si studiis dissiderent, & inter se discordarent: ast dum concordi animorum consipiratione conueniunt, facillimè vincunt.

TEXTVS.

VERS. VIII. Et recensuit eos in Bezech: fuerúntque filiorum Israël trecenta millia: virorum autem Juda triginta millia.

§. XXXIX.

Mortis consideratio oppugnat vitia, & ministrat ad pugnam tela.

QVæ in corpore ætatis sentitur iniuria, prodest animæ; languent namque vitia, & vitiorum senescunt etiam ministeria. Dum mors ante oculos obuersatur, viget animus, seq; curat sibi reddere, & vitia, quæ placuerunt olim, expungere. *Non timidè itaque* (aiebat Seneca *epist.* 26.) *componor ad illum diem, quo remotis strophis, ac fucis de me iudicaturus sum.* Addit: *Incertum est, quo te loco mors expectet, itaque tu illam omni loco expecta.* Vt qui militares excubias agit, somno non indulget, nec tempus leuibus, ac fallacibus impendit, sed totus oculus sibi prouidet; sic qui ad vltimum diem attendit, studiosè mores componit. Mortis oblitum fallunt lenocinia, lenocinantur oblectamenta: ast mortis meditatione obarmatum non delectant ludicra, nec fallunt mendacia. Ob id Saul, quas adlegerat militum copias, in Bezech recensuit: *Recensuit eos in Bezech.* Recensere non solùm est numerum inquirere, sed contra hostem copias ordinare. Quod si inquiras, cur Bezech elegerit, vt milites ordinarit, eisque animos contra aduersarios indiderit? Respondebit Abulensis *quæst.* 8. *Bezech* interpretari testam: ergo luti, puluerisque ipso loco excitauit memoriam, vt contra serpentem eos roborarit ad pugnam. Audi Abulensem: *Aliqui dicunt, quod Bezech non est nomen vrbis, sed est nomen commune significans testam: & est sensus, quod recensuit Israëlitas in Bezech, id est, in testis, vel cum testis.* Fragilis testa milites ordinabat, & in hostes exacuebat. Naas tentauerat Iabesenos obcæcare, & lucis fontem extinguere, verùm non est assequutus votum, quia testa erat lucis armamentarium: Nec poterant obcæcari, quos Saul mortis consideratione satagebat præmuniri: *Recensuit Israëlitas in Bezech, id est, in testis, vel cum testis.* Cùm omnia illis in figura contigerint, Saul dum, in Bezech recensuit, quid posset fragilitatis meditatio, nos docuit. In Bezech ordinatur exercitus, testa namque lutea, dum ingerit fragilitatis memoriam, contra vitia animos exacuit ad pugnam. Non potest animosè aduersarium serpentem non adoriri, qui mortem didicit meditari. Plures de vitiis feliciter triumphassent, si fragilem mortalitatis testam ante conspectum habuissent: at dum mortis eos tenet oblitio, pro veris amplectuntur mendacia, & volatica sequuntur oblectamenta.

Eman. de Naxerain Reg.

§. XL.

Non semel ad Christi vexilla attulit calamitas, quos vitiorum castris adscripsisset felicitas.

NOn est paupertas adeò, vt existimatur, infausta, immò, ni nostri nos excæcarent affectus, habenda erat fortunatissima. Vitia aufert, dum vitiorum materiam, diuitias scilicet præcidit. Dauid frusto panis campis innutritus, de leone, vrsóque triumphauit, regie epulatus, à leone, qui circuit quærens, quem deuoret, subiugatus ingemuit. *Si vis scire* (aiebat Seneca *epist.* 80.) *quam nihil in illa* (paupertate) *mali sit, compara inter se pauperum, & diuitum vultus: sapiùs pauper, & fidelius ridet: nulla sollicitudo in alto est: etiam si qua inciderit cura, velut nubis leuis transit.* Pauper curis non premitur, ambitione non stimulatur, inuidentia non vritur. Vbertas, felicitásque, dum occasionem, & materiam voluptatum ministrant, animum à virtutis castris ablegant. Quos magna seruorum copia vides obsideri, cogita multis cupiditatibus inseruire. Si quos nitidos, & pretiosis vestibus exornatos demiraris, introrsus inspicias, multum mali sub splendore illo latere inuenies. Paupertas, mentem reluminat, & dum premit, docet. Saül, vt exercitum contra Naas ordinet, ad Bezech tendit: *Recensuit eos in Bezech.* Cur Bezech elegerit, vt sibi nomina milites dederint, quærunt Interpretes. Alij existimant eum elegisse locum, quia ibi populus de Adonibezech olim reportauerat triumphum, vt victoriæ memoria metum depelleret, & animos militibus inderet. Dum Bezech virili, ac strenuo conflictu in memoriam reportata reuocabat trophæa, accendebat animos ad certamina: nec enim qui olim detriumphauere victores, fas erat detrectare ignobiliter bellum, & infame subire iugum. Benè Rabbanus tamen historiam moribus adaptans, vult milites ibi Saulem vexillo suo adscripsisse, quia locus commodis carebat; & paupertatem signabat, ergo paupertas vtiliter suasit Saülis vexillum sequi, & voluptatibus renuntiare: *Bezech interpretatur egestas.* Ad egestatem Deus plures deducit, vt sua sequantur vexilla, qui fortè ridenti fortuna ad inimicorum tranrent castra. Languor, dum vires frangit, cupiditatem glisscere non permittit. Lacera vestis spiritus superbos frangit; angusta mensa intemperantiam excludit: ergo ad Bezech Saul Christi vmbra plures adducit, vt sibi adlegerit milites, quos alio in loco pateretur forsitan hostes.

§. XLI.

Iure fulget speciali honore nobilitatus, qui laudandis dotibus resplenduit etiam eximiùs.

VT est inter æquales differentia odiosa; sic inter inæquales laudabilis est differentia. Si personarum merita confundas, & eodem gradu dissimiles ponas: nihil erit ipsa æqualitate inæqualius, nil turpius. Dices: licet in eadem linea sit colossus eminere, & excedere longè pigmæum: fateor; sed ipse excessus suadebat, ne eadem locaretur in linea. Baruc, vt Babyloniæ

confusionem ostenderet, sic aiebat: *Videbitis in Babylonia deos aureos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, ostentantes metum gentibus. Baruc. 6. v. 3.* Solùm in Babylonia potuit idem honor tribui auro, & ligno. *In Babylonia* (exponit Hugo) *id est, in mundo.* Addit apud Hugonem Origenes: *Vnusquisque quod miratur, quod colit, quod diligit, hoc illi Deus est.* Si affectio pro ligneo stet, eundem sortietur honorem ac aureus: ast vbi ratio pretium rebus, & actionibus ponit honore, non æquabit aureum, & ligneum. Solùm in Babylonia inæquali æqualitate confundebantur dij, siue splenderent aurei, siue sordescerent lignei. Vbi adlecti à Saule milites recensentur, Iuda tribus speciali honore nobilitatur, *Fueruntque filiorum Israël trecenta millia, virorum autem Iuda triginta millia.* Et cur sub eodem numero &, sub eodem nomine Iuda tribus non censeatur, sed speciali titulo nominetur? Hanc quæstionem excitauit Abulensis *Quæret aliquis* (inquit *quæstione 9.*) *quare fuerit hic per se computata tribus Iuda, tanquam non pertineret ad Israëlitas?* Iam soluit dubium: *Respondendum est, quòd ista tribus erat vna de duodecim tribus Israël: erat tamen dignior aliis, ideò non computata est tanquam vna de illis.* Iam si inquiras, vnde specialis prouenerit dignitas c. 1. Iudicũ clarè ostender: Iuda namque tribus in fronte castrorum militabat, & alias tribus contra Chananæos antecedebat: ergo quæ animi vigore cæteris anteceſſit, quæ præ cæteris inimicos attriuit, non debuit cum aliis confundi, sed speciali honore nobilitari. Consonat Lira: *Segregatim numerabantur, eo quod ista tribus erat nobilior & bellicosior.* Discant Principes, superioréſque pro meritis. dignitatéque personarum impertiri honores, nec confundere qualitates.

TEXTVS.

VERS. IX. Et dixerunt nuntiis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cùm incaluerit Sol. Venerunt ergo nuntij, & annuntiauerunt viris Jabes, qui lætati sunt.

§. XLII.

Non æstimatur iucundum, quod ingrata fuerit dilatione suspensum.

LIcèt exiguo tempore afflictis ardenter exoptatum differatur auxilium, adurget anxios tormentum. Festinandum est, vt pendula spes respiret, & ne tarditas subsidium ipsum defœdet. Diserte Theodoricus 3. *variarum* 40 *Quamuis sensum nostræ pietatis turba multiplex cogitationis intraret, & diuersas regni partes consueta sedulitate resperaret, festinè remedia vestræ vtilitatis inspeximus, quoniam apud conscientium nostram lasionis genus est profutura tardare.* Læderet Iabesenos remedij tarditas, quando dura adeò diuexabat anxietas. Profectò si excrescentibus morbis læsio debacchari permittatur, inutilis dilata medicina inuenitur: ergo Saul hostili ferocitate afflictis quam citò adhibere remedia studuit, ne si differat, tempus & operam perdat: *Cras erit vobis salus, cùm incaluerit Sol.* Approperare curauit remedium, quia nouit exiguum tempus remanere, & expectantium animos variis spei, ac timoris motibus coarctari. Quoduis dilationis momentum confusis cogitationum turbinibus iactatos durissimè distorquebat, & concepta spes anxietatem incrementabat. *Cras erit vobis salus. Id est*, inquit Lira, *in futuro, de proximo tamen.* Consonat Caietanus: *Vide quàm celeriter fuerit congregatio tantæ multitudinis & facta, & ducta ad locum idoneum.* Nisi sub prouida celeritate adfuisset Iabesenis auxilium, dilatio inimico pareret gaudium duci probrum, & Iabeseno tormentum. *Ordinatio nostra* (inquit Cassiodorus 1. *variar.* 40.) *non debet per moram impediri; ne quod salubriter constat esse dispositum, per tarditatis vitium incurrat obstaculum.* Saul læsionis genus existimat profutura tardare: & ideò auxilia acceleranit impendere. Dum tarditatis moras nescinit, anxia suspensos expectatione in libertatem asseruit, & ferociam hostium contriuit. Vtinam iudices Principéſque ediscant afflictis compati, nec suspensione torquere.

§. XLIII.

Satis non est salutem hostem impetere, sed necesse est detriumphare.

PArum iuvat magna tentasse, si mediis in conatibus constet animi vigorem languescere, aut quod deterius, deficere. Quisquis ad perfectionem vsque non perduxit vota, aspersus est ignominia: vt qui cœperit ædificare, ne valuerit opus perficere. Magnum est animosè adire bellum, sed terga vertere est indecorum *Si præclarè cogitata* (inquit Cassiodorus 5. *variarum* 16.) *non benè agantur, ingrata sunt: illud autem solummodò perfectum dicitur, quod de voluntate sim l, & actione laudatur.* Cœpta non perficere, aut affert prudentiæ notam, aut animi denotat inconstantiam. Plures laudabiliter exorsi, ignominiam sibi intulerunt difficultate deterriti: vnde imprudenter sibi blandiunt, qui de exordiis solummodo gratulatur. Saül Iabesenis salutem promittit candente sole: *Cras erit vobis salus, cùm incaluerit Sol.* Cùm non adeò iucundum sit, quod qualibet tarditate dilatum, & Saül affuturum manè auxilium posset promittere, quærunt Interpretes, cur vsque ad meridiem suspensas Iabesenorum spes & traxit, & torsit? Si hostilia castra vigiliis matutinis ingreditur: *Ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incalesceret dies.* Cur mane adfuturam non promittat salutem, sed ad meridiem vsque distorserit anxietatem? Iam respondet Abulensis *quæst.* 9. scilicet sub aurora prælium inuisse, sed vsque ad meridiem triumphum de aduersario non reportasse: cúmque ad salutem perfectam satis non esset hostem adoriri, sed profligare, eo tempore promisit salutem, quo credebat fore profligatum iam hostem. Accipe Abulensem: *Non intendebat Saül, cùm sol incalesceret, aggredi Madianitas, sed per noctem in vigilia matutina; sic enim fecit: fuit tamen consummatum bellum tempore, quo incalescebat dies, & tunc fuit salus virorum Jabes.* Iam Saül hostem decreuerat impetere, ante quà Sol incalesceret, quia tamen ad salutem satis non erat in campum prosilire, sed aduersarium conterere, non dixit salutem affuturam manè, sed meridie, quo tempore iam erat victoria consummata, & salus perfecta: *Fuit consummatum bellum tempore, quo incalescebat dies, & tunc fuit Salus virorum Iabes.* Nullus sibi blandiatur, quod vitia insectari cœperit, si penitus non attriuit. Plures namque virili animo pugnam inceuntes aut difficultatibus pedem retulerunt deterriti aut voluptatum præstigiis euigorati.

§. XLIV.

Christus nullum laborem recusat, vt hominibus salutem afferat.

VRgent homines pericula, & lentè quærunt remedia. Cùm Christus Dominus grandi incommodo accelerarit remedia, vt auerterit ab illis pericula: dormit aliquando hostili obsidione circumdatus, & inuigilat Christus, alienæ salutis anidissimè studiosus. Pro

Pro reparatione itaque murorum Arelatensium, vel turriũ vetustarum (aiebat Theodoricus 3. *var.* 44.) *certam pecuniæ direximus quantitatem. Victualia quoque, quæ vestras releuare videantur expensas, fecimus præparari, vt vobis destinentur.* Quam erat regium læsos muros reparare, & incolas refouere; quàm pium erat propriis expensis mœnia, quibus defenderentur erigere, & victualia solicitudine vigilantissima prouidere! Forsitan qui hostilibus patebant adsultibus, operam non nauabant firmandis mœnibus, cùm Rex suis sumptibus protegere solicitaret subiectos. Ecce Saül cogit delectum, in matutina vigilia adoritur aduersarium, itineris non recusat laborem, & hoc totum, vt Iabesæni salute fruantur. *Cras erit vobis salus.* Non audies Iabesenos in pugnam parari, non audis solicitis excubiis muniri, & cùm eos grauissima vrgerent pericula, Saül vigiliarum tulit dilpendia: *Ingressus est media castra in vigilia matutina.* Saul inuigilat Iabesenus non laborat. Iam Saul Christi Domini gessisse personam tradit Glossa Moralis. *A diabolo impugnati dicto modo debent ad auxilium Regis Regum Iesu Christi per deuotas orationes recurrere.* Vide quanta Saul Christi personam gerens, pro Iabesenorum salute tulerit, ipse pernoctat, ipse inuigilat, ipse conflictum init, cum Iabesæni, quibus grauissimum imminebat periculum, nil aliud fecisse constet, quàm misisse legatum. Dormiunt sæpissimè peccatores diabolicis cincti indaginibus & quamuis breue agnouerint vitæ tempus aut voluptatibus incantati, aut spebus vanis delusi suis calamitatibus suffragantur. Quot miserabiliter periissent inerti sepulti somno, ni Christus inuigilaret, vt eos defenderet pientissimo studio?

§. XLV.

Regis verba non sint minus firma, quàm facta.

Fides inter mundi fluctuantes procellas pro ilice est, nec se humana fragilitas posset erigere, si promissis firmitas non adesset. Certè secura promissio amicitiam conseruat, adauget famam, & conciliat reuerentiam. Verùm etsi omnes inuiolatam seruare fidem teneantur, præcipuè in Regibus, magnatibúsque verba firmissima requiruntur; nam si promissa non dubitantur, iussa pura integritate colentur. Quòd si majestati piæ credulitatis reuerentia negetur, nil firmum, nil stabile reperitur. Quàm benè Theodahadus 3. *variar.* 44. *Releuate nunc animos, & de nostra promissione recreati futuræ copiæ spem tenentes diuiso fauore habete fiduciam. Quia non minus est, quod nostris verbis, quam quod horreis continetur.* Promiserat victualia, quibus eorum releuarentur expensæ, & ne dubium esset gaudium, victualia asseruit non minus fore certa verbis promissa, quàm si iam eorum horreis asseruarentur contenta. Saul etiam Iabesenis salutem promittit: *Cras erit vobis salus,* & licèt durissima obsidione cincti, nuntio accepto, referuntur lætati: *Lætati sunt.* Et cur immatura lætitia gestiant, cùm solum promissum habeant? Nonne poterit Saul fidem violare & promissam variis coloribus salutem differre? Præstolentur auxilium, sed non accelerent gaudium, ne spebus frustrati de ipso gaudio augeatur lamentum. Expende à Rege accepisse promissum: ergo adeò indubiè salutem affuturam crediderunt, vt ne regali fidei intulerint notam, præmaturam arripuerint lætitiam. Adest Abulensis *quæst.* 9. *Lætati sunt, scilicet Iabesæni, certificati fuerunt de auxilio.* Si Saul, quod asserebat verbis, contradiceret factis, promissio non afferret Iabesenis gaudium, immò nec temperaret lamentum: at quia promissis regiis inuiolatam ineſſe fidem non dubitarunt, lætitia generali plauserunt. Discant Principes promissa adimplere, & verba factis firmare.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

Vers. X. Et dixerunt: Manè exibimus ad vos, & facietis nobis omne, quod placuerit vobis.

§. XLVI.

Peccatores securas spes tunc delusi solent fouere, cùm miserandis stragibus indubium est propinquare.

Peccatores deteriori, quàm infirmi laborant lethargo, immò & delirio. Qui vini vaporibus rationem innubilat, dum breuis illa insania mentem deturbat, ab omni ratione aberrat, aut profundissimo somno indecorè vacat. Nec aliter accidit voluptatum vino ebrio, nam aut laborat delirio, aut indulget somno. *Omne vitium* (aiebat Seneca *epist.* 83.) *ebrietas & incendit, & detegit.* Vitium, vbi rationem abegit, falsis illudit, vtque delirus modò se Regem iactat, & credit; ita amentia vitiorũ possessus sibi imponit, & falsa pro veris habet. Ammonitæ, quibus insolens superbia, crudelitas sæua, malignitas liuida, securiorem sibi promittebant triumphum, cùm proximum illis immineret excidium. Impetrauerant Iabesæni septem inducianum dies, facta fide, si non adesset auxilium, se dedituros, & eorum voluntati prorsus subjiciendos. Aderat iam Saul copioso exercitu opem laturus; dies vrgebat decretus, & sequenti die promiserunt obsessi Ammonitarum voluntati se prorsus tradendos: *Mane exibimus ad vos, & facietis nobis omne, quod placuerit vobis.* Ammonitæ his spebus delusi, nullúmque periculum suspicati sibi plaudebant, & de spoliis diuidendis tractabant. Itaque somno indulgent, diem sequentem, triumphúmque expectantes: qui hostibus circumdati nec triumphum consummauere, nec crastinum. Ita noster Sanctius: *Vt securos redderent Ammonitas, & deditionis oblata expectatione suspenderent, crastina die prodituros se promittunt ex vrbe.* Adjicit: *His verbis omnem hosti metum adimunt auxilij venturi.* Tunc Ammonita metu nullo concutitur, tunc penè arridentis iam triumphi sibi spebus adulatur, cùm excidium adesse properantius dignoscitur. Quàm aptè mero vitiorum ebriis verba Senecæ data epistola accommodantur. *Adjice* (scribit) *illam ignorationem sui, dubia, & parum explanata verba incertos oculos, gradum errantem vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia velut aliquo turbine circumagente totam domum.* Qui capitis laborat vertigine, firma arbitratur circumvolui, & in rotæ modum verti. Qui laborat vitio, pernicioſiori morbo, quæ corruunt, arbitratur firma, & quæ circumvolvuntur, stata. Quum luctuosis cladibus erat Ammonita proximus, quando sibi adulabatur falsè securus. *His verbis omnem hosti metum adimunt:* ne si quid vereantur infaustum, sibi prouideant, & caueant. Omni solicitudine aduersarij curarunt vanis spebus securos reddere, vt sic incautos, & improuidos facilius possent destruere. O verum! Diabolus crastinum promittit, futurum trimphum spondet, vt peccator, dum falsis spebus delusus imminens non attendit periculum, irremediabile patiatur naufragium: tunc fraudulentus hostis maiori studio adlaborat securitatem suadere, cùm nouit & tempus finiri, & periculum appropinquare. Citissimè Ammonita erat radicitus euellendus, & promittebat sibi triumphum vanis spebus delusus.

TEXTVS.

VERS. XI. Et factum est cùm dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est in media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon, vsque dum incalesceret dies; reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.

§. XLVII.

Trinitatis fides dæmones affligit, & deterit.

INter procellosos opinionum fluctus securus portum appellit, qui Catholicæ fidei gubernaculo nauigium dirigit. Et vndè se humana mens contineret variis difficultatum vndis impetita, nisi secura fidei anchora procellas detriumphatet firmata. *Hæc* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 40.) *superna maiestati reuerentiam piæ credulitatis impendit: etsi beneficium tantæ rei latius quæras, immutabilis fidei est omne, quod benè viuitur.* Fides est inexpugnabile contra fallaciarum ictus scutum, securum contra præstigias dæmonum propugnaculum. Verùm etsi sancta cuiusvis mysterij fides diuinæ maiestati reuerentiam impendat, indiuiduæ præcipuè, sanctissimæque Trinitatis fides calamitosum dæmoni inuenitur excidium, & homini gloriosum trophæum. Obsederat Naas, qui serpens interpretatur, Iabesenos, nec tantum militabat, vt vitam auferret, quàm vt cæcitatem infunderet. Saul Christi Domini figuram gerens milites in tres partes diuidit: *Constituit populum in tres partes*, vt tripartito inæquales partes exercitu hostis faciliùs pereat attritus, & Israelita glorioso splendeat triumpho coronatus. Profecto satiùs videbatur vnito exercitu hostem impetere, quàm diuidere, & tamen Saul securum promittit triumphum: *Cras erit vobis salus*, cùm in tres partes omnino æquales partitur. Ecqua huius causa est? Fidem Trinitatis (inquit Rabbanus) & numero, & æqualitate profiteri milites voluit, quibus armis hostes adorti, trophæis opimis resplenduerunt citissimè coronati; & quidem euentus huius indubiæ fidei efficaciam ostendit, quandoquidem sola vmbra Ammonita iacuit subiectus, immò prorsus deuastatus. Accipe Rabbanum: *Rex noster Christus, qui est Sacerdos, & Propheta contra hostes aciem dirigens de vtroque populo milites eligit fide Trinitatis, & perfectione insignes, hostes fugat, & percutit gladio spiritus à manè lucescentis fidei vsque dum lumen scientiæ, & ardorem charitatis per totum orbem Ecclesia diffundat.* Vbi fides Trinitatis cœpit rutilare, inimicus cœpit perire, & qui fidei in diu duæ Trinitatis prensarunt arma, tulerunt de aduersariis trophæa; quia Trinitatis fides est fons lucis, salutis vigor, virtutum robur, dæmonum excidiũ, fallaciatũ venenũ.

§. XLVIII.

Magna nobis ab Angelis proueniunt subsidia contra diabolica bella.

DÆmonas continuis adsultibus homines circumuenire, & fallacijs multiplicibus obsidere, extra dubium est. *Operatio eorum* (aiebat Tertullianus in Apologetico, cap. 22.) *est hominis euersio: sic malitia spiritualis à primordio auspicata est in hominis exitium.* Quos Deus cœlo aduocat, flammescens inuidentia auertere nititur, nihil non tentat, vt tenebrarũ contagione veritatem corrumpat, vt voluptatum lenociniis animos attrahat, vt amentiis fœdis, & erroribus variis circumuentos subiiciat. Naas, qui interpretatur serpens, Iabesenos adoritur, & dextros effodere oculos solicitè adnititur. Magna cum lumine lis serpenti. Iabeseni orationem legatum mittunt, & iam Saul Christi Domini personam gerẽs delectum cogit, & tripartitum contra hostium audaciam, & insolentiam producit. *Constituit Saul populum in tres partes.* Hos milites Angelos fuisse existimat Glossa Moralis, qui in tres hierarchias ordinati hominibus suppetias ferunt, & malignis inferũt spiritibus bellũ; cùm humanũ deperatur prorsus auxilium. Et expende decertantium ingenia prorsus opposita. Serpens dextrum oculum fontem luminis conatur eruere; Angelus secum affert lumen, cùm diabolum incipit impugnare: *In vigilia matutina.* Vt aduenientè luce diffugiunt tenebræ, & in confusum chaos clauduntur præcipitatæ, ita serpentis milites, aduentantibus Angelis, effugerunt lucis armis repercussi, & cœlesti robore fracti. *Rex noster* (inquit Glossa Moralis) *Angelos per tres Hierarchias diuisit, & omnes sunt in adiutorium nobis contra dæmonis exercitum. Hebræor. 1. Omnes administratorij spiritus sunt in ministerium missi propter eos, qui capiunt hæreditatem salutis. Et sic debellatur Naas cum suo exercitu, id est, diabolus cum Angelis malignis.* Quanta Angelis debeas, ex hoc prælio conijce: nam vt Iabesenus, ni adfuissent Angelorum auxilia, dura constringererur catena; sic tu sæpè sæpius serpentis decipereris fallaciis, ni Angelicis protegereris auxiliis. Nec solùm debemus Angelis serpentem abigi, sed corporali etiam salute frui. Ecce serpens oculos conatur eruere, quod iniquè sæpè perpetrasset, nisi Angelus studeret obsistere. *Itaque* (addit Tertullianus) *corporibus quidem & valetudines infligum, & aliquos casus acerbos.* Cùm suppetat dæmonibus ad vtramque hominis substantiam oppugnandam subtilitas, & adurat liuoris peruersitas; contra corporalem spiritualemque salutem armantur, sed ab Angelis cohibentur. Iabesseni oculos corporis amisissent, ni Angeli contra Ammonitas pugnassent; ast Christi milites corporis salutem tuentur: *Cras erit vobis salus*, & abactis animatum periculis auxiliantur.

§. XLIX.

Peccatores altiori ligantur somno, quo misero propinquiores excidio.

OBseruabo me protinus (aiebat Seneca epist. 83.) *& quod est vtilissimum, diem meum recognoscam. Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit.* Nemo vitam suam respicit, nec vltimum diem mente reuoluit, immò tunc peccatores longius arbitrantes distantem, cùm certum est ferè iam adesse præsentem; sensus fatiscunt, caligat oculus, auditus obtunditur, & cùm tempori cedant omnia vitæ instrumenta, solum aduersus tempus perseuerat animorum fallacia. Tunc appetituum insania aduersus veritatem, & experientiam fortius munitur, cùm mortem propinquare clarius agnoscitur. Profundissimus somnus non permittit oculos emergere, nec aures strepitu etiam vehementi pulsari. Ecce Saul media castra Ammonitarum inuadit. *Ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon*, & Ammonita propinquare non sentit. Quis dubitet trecenta millia hominum magnum excitasse strepitum deambulando? Quis ambigat campum impleuisse, nec facilè posse latere, & tamen is topor Ammonitas sepeliebat, vt nec strepitum audierint, nec tot millia aduersariorum propinquare, cognouerint. Notauit Abulens. q. 9. *Subitò introiuit Saul in castra Ammonitarum: non enim putauerunt illi adesse hostes, & cùm illi securi dormirent in aurora, inuasit eos Saul ingrediens in medio castrorum non sentientibus Ammonitis.* Nonne tibi

tibi videtur miraculi adinstar eo Ammonitas omnes somno illigari, vt tot copias nec antea adspexerint, nec propinquare cognouerint? Profecto vitia instar incantamentorum sunt; nam vt incantatus obstupet, & à se alienus quodammodo factus oculos habet, & non videt; aures habet, & non audit; sic vitiis irretiti ante oculos posita transeunt, adhortamentaque non percipiunt. Forsitan Ammonita somno adeò alto non indulgebat, cùm inimicus distabat: ipsa inimicorum propinquitas effundebat dormientibus tenebras, & tunc dormiebant falsa securitate confisi, cùm discrimini, & hostilibus mucronibus iam oblati. Videas aliquando peccatores instanti mortis periculo confessionis tempus differre, & grauiori somno tunc illigari; quasi ipsa discriminis vicinitas eripiat sensum, & conciliauerit somnum.

§. L.

Silentium victoriæ de inimicis reportandæ opportunum.

VIrtutum desideria, bonorum omnium probantur auspicia: verùm à decoro linguæ silentio triumphorum desumuntur exordia. Philosophia non solùm docet facere, sed silere. Vnde Tertullianus lib. de Patientia, cap. 15. aiebat: *Os taciturnitatis honore signatum.* Plures si linguam cohibuissent, deprædicandis triumphis exundassent; ast dum parum cauti offendunt verbis, priuantur & triumphis. Moyses apprehensa virga elementis imperarat: fluctus diuiserat, hostem audentem demerserat, & tamen dum labia non cohibet, ad promissionis terram non peruenit: *Dixitque eis: Audite rebelles, & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? Cúmque eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Num. 20. vers. 10. Labiis deliquit, manu miracula perpetrauit: *Et distinxit in labiis suis,* Psal. 105. vers. 34. aiebat Psalmista, Mannæ esculi pluuia, petræ aquatili sequela resplenduerat Moyses honoratus, & tamen ab ingressu terræ inuenitur prohibitus. *Et distinxit in labiis suis* (inquit Euthymius ad hunc locum) *ambiguo quippe, ac flexiloquo sermone locutus est, hæsitans an aqua flueret.* O quanta manus opera ambiguus sermo (si fas est dicere) obscurauit; Moyses ad terram promissionis iter aperuit, sed sibi verbis ingressum distulit. Leui culpa deliquisse in confesso est apud Interpretes, & cùm omnia illis in figura contigerint, hoc nos linguæ lapsu Moyses edocuit, quam sit arduum lingua non labi, & quanta oporteat silentium solicitudine custodire. Iob strenuus athleta inimici omnes edoctus versutias, & referés technas aiebat: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum; & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Iob 19. vers. 20. Et cur qui consumpsit carnes, labiis pepercit? Forsitan quia à labiis auxilium sibi aliquod sperauit. Promittebat sibi aduersarius ardore doloris aliquod verbum impatienter proferendum, aut iræ impatientia in amicos iactandum: ergo non abstulit labia, à quibus sperari poterat culpa: at Deus technis remedium opposuit, & vtile frænum iniecit: *Frænum posuit in os meum.* Iob. 30. vers. 11. Ne mirandum sæculis leuis sermo deflorarit triumphum, vtile Deus iniecit frænum, & Iobi fræno discruciauit aduersarium. Opportunè Gregorius lib. 20. Moral. cap. 17. *Frænum silentij sibi super impositum sanctiuri apud dura reproborum corda conspiciunt.* Silentio deuotionem custodit, scopulum leuitatis elusit, hostem detriumphauit. Os taciturnitatis honore signatum otiosa non profert verba, nec incurrit, quæ ex linguæ lapsibus resultare solent pericula. Huius veritatis conscius Saul silentiosè duxit exercitum, vt reportaret de hostibus triumphum: *Ingressus est media castra in vigilia matutina.* Nil studiosius curauit, quàm ora taciturnitate continere, ne aduersarius periculum posset effugere; & fors ni silentium custodissent, hostilia castra non deuastassent. *Progressum est Hebræorum agmen* (scribit noster Sanctius) *magnis itineribus, & nocturno silentio, ita vt neque exspectari posset ab hoste, nec sentiri.* Verba inimicos excitarent, & exciti aufugerent: ergo silentium custodiuit, & custodito triumphauit.

§. LI.

Christi Domini incunabula fuerunt inimicorum excidia.

RApiunt nos prædicandi temporis bona (aiebat Cassiodorus 11. variar. 1.) *& velut longa aviditate sitientes ad haustum dulcissimi saporis inuitat.* Natalis Domini vigilia ad haustum dulcissimæ felicitatis inuitat, quia præsepe & calamitatis probatur exilium, & felicitatis augmentum. O sæculi beata fortuna, vbi sol resplendenti lumine circumfusus tenebratum deprimit ausus. Hunc puerum festinent omnia regna inter præsepis angustias oculis expansis videre, & sciant sibi ab hoc præsepio salutem indefessam manare. *Cras erit vobis salus.* Quando sapientiam vagientem audire afferet reuerentibus gaudium, & inimicis excidium. O quantas supernæ maiestati gratias debemus supplici deuotione referre, quando de gerulæ brachiis recens natus iam nouit inimicos deuastare. Ammonita indubios sibi triumphos promittebat, & Iabesenos durissima obsidione vexabat: verùm Saul vbi cælestem tuam citò tenebras effugaturam præsensit, salutem affuturam promisit: *Cras erit vobis salus.* Oppignoratam fidem liberauit opima coronatus victoria, quia matutina vigilia hostilia adorsus est castra: *Ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon.* Ammon in vigilia matutina gemit, percussus, quia eò tempore Christus Dominus resplenduit exortus. Ita Hugo Cardinalis: *Cras, in vigilia Natalis Domini.* Vbi omnium Dominus nascitur, omnium aduersarius euertitur. De Virgine dictum putes, quod data epistola Cassiodorus scribit: *Felix Domina... nam & glorioſum Regem nobis edidit, & latissimum imperium animi fortitudine vindicauit.* Hæc vigilia afflictis prosperitatem attulit, miseræ propulsauit lamenta, cælestia nobis accelarauit & gaudia. In hac vigilia Iabesenus illæsum conseruauit aspectum, & Ammonitæ dignum tulere supplicium.

TEXTVS.

VERS. XII. Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste, qui dixit: Saul non regnabit super nos, date viros, & interficiemus eos.

§. LII.

Apud sæculum magis fortuna attenditur, quàm persona.

OMnes (aiebat Seneca de Tranquillitate animi, cap. 10.) *cum fortuna copulati sumus.* Verum dixit; nec enim cognatio, & sanguinis communio cum cognato adeò nos illigat, vt florens fortuna copulat. A naturæ vinculis coniuncto, si infelix, recedimus; extraneo, si fortunato, studiosè adglutinamur. Adulatio spebus innutritur, quæ si deficiant, cessabit. Quos vides magna circumstantia circumseptos, adinstar Numinis adoratos, despicient ipsi, qui adorabant altos, euersos. Saulem cælesti sorte ad regnum designatum

plures despexerunt, quia rusticanum & solloce indutum spectarunt: & quamuis filij Belial nec debitum obsequium penderent, nec allatis muneribus designatum Principem honorarent; nullus fuit, qui insolentes reprehenderet, aut contumaces reprimeret; modo præteritam illam irreuerentiam populus honoris Saulis zelotypus suspirat effuso sanguine punire, & iniuriam capitali pœna abolere: *Quis est iste, qui dixit: Saul non regnabit super nos, date viros, & interficiemus eos.* Et cur modò vindictæ desiderio inardescunt, qui ante ora indigna taciturnitate signarunt? Aut si antea patienter tulerunt insolentem audaciam, cur modò non differant etiam mulctam? Quia iam Saul victoria coronatus prospera vtebatur fortuna, felicitate resplendebat miranda: ergo iam omnes cum eius fortuna copulati, in proteruos inflammabantur zelotypi. Idem erat Saul anteà, sed prosper adeò non erat; cúmque apud sæculum magis attendatur fortuna, modò ei omnes adulantur, & celebrare adnituntur. *Sic res ex voto* (inquit noster Sanctius) *& supra opinionem multorum expedita popularium animos conciliauit Sauli, vt communi studio ad mortem expetierint eos, qui Saulis detrectabant imperium, indignumque putabant, quem debitis regio nomini prosequerentur muneribus.* Quamuis in fortuna ius, ratioque exigebat, vt debita regio nomini munera offerrent, & electum officiis exhibitis honorarent; verùm minus illis persuasit, quàm fortuna, persona. Iam omnes fortunato plaudunt, iam ei parere affectant, iam iniurias studiosissimè vindicant. Cognati etiam cognatos expetunt ad mortem, vt sibi deuinxerint maiestatem. Sunt namque qui strictius copulantur fortunato, quàm consanguineo, & affectant despicere cognationis iura, vt maiora felici pendant obsequia. Itaque modò ardent vindicare quàm anteà iniuriam non curauerunt punire. Vt noscas, quàm sit verum, quod aiebat Seneca, omnes scilicet cum fortuna copulari, & fortunati gratiam expetere.

TEXTVS.

VERS. XV. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.

§. LIII.

Sapiens obsurdescit ad iniuriam, & audit ad indulgentiam.

NEmo optimo superiori tam vilis sit, vt perire non sentiat. Dignus imperio est, qui compressit iram sibi ipsi dominatus, & prudenter erranti benignus. *Excogitare nemo quicquam potest* (aiebat Seneca lib. 1. de Clementia, cap. 19.) *quod magis decorum regenti sit, quàm clementia: quocumque modo is, & quocumque iure præpositus cæteris erit. Eo scilicet formosius id esse, magnificentiusque fatebitur, quo in maiori præstabitur potestate, quam non oportet noxiam esse, si ad naturæ legem componitur.* Inflicta pœna aut solatium affert ei, qui iniuriam accepit, aut securitatem promittit: verùm cùm Principis maior fortuna sit, quàm vt tali solatio, aut securitate egeat, clementia eius semper adauget gloriam, immortalemque seruat famam. Qui de capite suo sententiam expectauit, ad seruatoris sui laudem viuet, & maiorem nomini eius laudem pariet benignitate affernatus, quàm seueritate punitus. Nec satis est Principi palam sententiam non proferre, sed sollicite, ne proferatur, curabit. Obmurmurarant nonnulli cùm Saul ad regale fastigium designaretur: *Filij Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Sup. cap. 10. vers. 27. Saul prudenti surditate audire dissimulauit, ne in vindictam cogeretur prorumpere: *Ille verò dissimulabat se audire.* Modò accepta iam de Ammonitis stupenda victoria populus illatam Principi iniuriam vindicare conatur: *Date viros, & interficiemus eos*, & qui antea prudenter surdus, populi modò voces audiuit, & data venia animum verè regium ostendit: *Non occidetur quisquam in die hac.* Et cur modò non dissimulet etiam se audire, vt antea dissimulauit? Affectet nescire se populi desideria, vt digna infligatur vindicta, vt affectauit non audire probrosa verba. Profecto dissimulans, ne puniret, decoram affectauit surditatem, & modò surditatem non affectans impleuit rectorem. Ingenti incremento laudem sibi peperit, cum benignus, vt indulgeret, audiuit, & cùm vt non puniret, surditatem affectauit. *Audiuit Saul,* (inquit Abulensis quæst. 9) *quomodo populus peteret à Samuele vires ad pœnam, & quia si ipse consentiret, occiderentur viri: voluit amplius benignitatem suam ostendere, vt sicut excellens apparuerat in fortitudine contra hostes, ita quoque excellentior esset in clementia erga subditos; multum enim virtus ista Principem extollit.* Ducum idea detriuit hostes acerrimus, subiectisque pepercit benignus: clementia non minùs resplenduit, quàm victoria: dissimulauit se audire iniuriam, vtque inungendam auerteret pœnam, audiuit expeti mulctam.

§. LIV.

Diem, quem inopina clarauit felicitas, cruenta non obscurauit seueritas.

VT est tempus seueritatem exigens, ita etiam pœnam infligere dissuadens. *Seruis* (aiebat Seneca lib. 1. de Clementia, cap. 18.) *ad statuam licet confugere.* Etsi serui error iracundiam moueat, debitus statuæ honor punire vetat. Nonnulli dies statuæ priuilegio gaudent: quo die omnia fastè, prosperèque cesserunt, non decet suppliciorum seueritate interturbare lætitiam, & obscuram offundere animaduersionis nebulam. Omnia tempus habent, & quæ alio esset deprædicanda, alio seueritas probatur odiosa. Crudelitatem sapit, arguitque ferociam nullis felicitatibus deliniri, nec festiuis temporibus quid donare. Accepta iam de Ammonitis miranda victoria, apparuit nonnullorum, qui Saulem anteà despexerant, pernicacia. Ipso triumpho excitatus est populus ad Principis adeò strenui castigandam iniuriam, ipse verò vti prudens tempus opposuit, & refractariis veniam temporis priuilegio concedendam asseruit: *Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.* Ni eo tempore parceret, appareret sæuus, & fortassis ipsis, qui vindictã expetebant, odiosus. Principes multa famæ suæ, multa dignitati, ac tempori debent: ergo Saul sanguine effuso noluit generalem defædare lætitiam, sed dare veniam: fuit namque benigni Principis parcendi occasionem quærere, & vindictam exposcentibus humanitate resistere. Animum in potestate habuit, & subiectorum affectus inexpugnabile munimentum sibi acquisiuit. *Dixit* (scribit noster Sanctius) *eiem illum Israeli toti illuxisse candidum, cùm insperata victoria concisus esset inimicus insolens, & aliorum animi, qui minus fauebant Hebræorum gloriæ, aut illorum insidiabantur commodis, fracti cecidissent, neque fore, ex ipsa communi, aut è sua existimatione, si publicam lætitiam contribulium cædes infestaret.* A tempore priuilegium reis quæsiuit, ne lætitiæ communi aliquid detraheret: clementia animum regalem ostendit, felici adeò tempore publica vindicta proderet durum, & truncum.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XIV. Dixit autem Samuël ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.

§. LV.

Peccator, si euasit imminens Dei benignitate periculum, arripere debet alacriter pœnitentiæ remedium.

QVisquis peccatis inficitur, accelerat sibi mortem & maturat imprudenter stragem. Vt periculosum est viperam sinu fouere, sic culpam alere. Peccasse est fragilitatis humanæ; ad pœnitentiæ remedium non confugere, reprehensibilis est proteruiæ. *Neminem pudeat* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ, cap. 7.*) *iterata valetudinis iteranda medicina est. Gratus in Dominum exiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidem volentem.* Culpa infectus, si ad pœnitentiæ medelam involarit, Deum inueniet gratis oculis suspicientem: verùm licet omnes celeri gressu ad inuitantem misericordiam debeant contendere, qui iam imminenti vrgentissimo periculo erepti alacriori studio tenentur ad pœnitentiam confugere, & humanitatem Numinis honorare. Filij Belial, qui Saüli iniurij, ad mortem, & quidem debitam, expetebantur: at Saül eorum patrocinium suscepit, & morti, eripuit: *Non occidetur quisquam in die hac.* Principis clementia liberatos Samuël ad novum Principi obsequium exhibendum inuitat, & ad pœnitentiam adlectat: *Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.* His verbis Belial filios ad pœnitentiam vocasse tradit Caietanus. Ipsum audi: *Vt sic illa pœnitentes concurrerent vnanimiter cum reliquis ad regnum Saülis.* Benè: verùm si Samuël Propheta sanctissimus duram illorum cernicem agnoscens distulit ad pœnitentiam allicere, cur agressus est modo retrò factorum pœnitudinem persuadere? Quia modò ipse Saül è vestibulo mortis eduxerat, & vrgentissimo periculo liberarat: ergo nec duritia restitit, nec procacia indurit. Audi quæ Textus adiecit: *Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül coram Domino.* Non potuerunt ad Saülis pedes non prosterni, & eius clementiam deprædicare, qui iam iam expetebantur ad mortem, & recuperauere salutem. Ipsum periculum docuit Principis honorare clementiam, & deierare procaciam.

§. LVI.

Superior curam agat non tantum virtutis, sed delinquentium etiam honoris.

MEdicus ægrotum pestilenti vlcere laborantem tactu blandiente permulcet, & quò difficiliùs ægritudo admittit medicinam, adhibet attentius medelam. Idem imitetur, cui omnium credita salus: cum vitiis debet luctari, & ægrotum molli curatione decipere; citiùs, melióque non semel sanitas obtinetur, remediis fallentibus, quàm acerrimis, & exasperantibus. Quàm benè Seneca 1. *de Clementia cap.* 17. *Agat Princeps curam non tantum salutis sed etiam honestæ cicatricis. Nulla Regi gloria est ex sæua animaduersione. Quis enim dubitat posse; at contra maxima, si vim suam continet, si multos iræ alienæ eripuit, neminem suæ impendit.* Magna gloria est sine hominis detrimento occurrisse vitio, & prudenti clementia obstinatum animum flectere, & ad resipiscendum adducere. Deliquerant filij Belial, & quamuis populus ad mortem eos expeteret, alienæ indignationi Saul perituros eripuit. Tunc Samuël ad Galgala cum reliquis communi præcepto duxit & Regem consalutare suasit: *Dixit Samuël ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.* Et cur iniurios, & ad mortem expetitos publicè non carpat, & rubore suffundat? Quia vt prudentissimus superior suadendo omnibus regnum innouare, culpam edocuit pœnitudine depellere, & antiquam sententiam demutare; dúmque publico, ac generali edicto omnes inclusit, honestæ cicatricis curam egit: *Perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül.* Consecutus est, quod optabat, nam filij Belial iugum subierunt, & confusionem vitarunt, iam audaci lingua non obmurmurant, sed obedientiam cum cæteris præstant; & qui grauiter reprehensi, forsitan pertinaces tuerentur sententiam, molliter inuitati non respuerunt admittere medicinam: sicque nec perseuerauit culpa, nec decorauit nota. Innuit Caietanus: *Suauem elegit Samuël modum ad confirmandum regnum Saülis de consensu omnium, absque punitione eorum, qui despexerant Saülem.* Optimum superiorem egit suadendo demutare sententiam, & excusando illis notam. Vt ediscant hoc facto superiores duros emollire, & honori etiam prouidere.

TEXTVS.

VERS. XV. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino, & lætatus est ibi Saül, & cuncti viri Israël nimis.

§. LVII.

Gloriosius est omnium suffragiis dignitatem adire, quàm fortunata sorte possidere.

SVffragiis ad dignitatem eligi indubium est meritorum præconium; felici sorte designari tribuitur ferè semper fortunæ. Communis consensus largitur honorem, sors affert felicitatem. *Pendebam* (inquit Cassiod. *3. variarum 5.*) *circa eos anxia vota ciuitatis, crescens supra priuatos publicus amor eorum. Senatus animum eorum sequebatur, turba propositum. Eò necesse erat Romam velle quod cuncti videbantur optare, miróque prosperitatis euentu firmum circa eos custodiebat arbitrium voluntas vaga populorum: quod inter cæteras dignitates munus iudicamus esse præcipuum.* Adnectit: *Nam si paucorum amor iustè iam gloria est, tantæ ciuitatis affectus quod potest trahere præconium? Proinde sicut omnia ingrata videntur obscura; sic generaliter dilecta præclara sunt.* Præclarum est vniuersorum expeti votis, & adire dignitatem suffragiis, quandóquidem suffragia meritorum sunt testimonia, Saul apud Galgala Rex dicitur factus, cùm fuerit anteà ea dignitate potitus: *Fecerunt ibi Regem Saül coram Domino.* Iam se difficultas offert. Si ante ad regiam fuerat dignitatem euectus, quomodo Rex apud Galgala denuo factus? etsi modo nouiter factus, quomodò anteà regiam dignitatem sortitus? Rex erat Saul cœlesti sorte designatus; plures tamen eius dignitatem non suspiciebant, immò sorti potiùs, quàm meritis adscribendam obmurmurabant; ast modò omnium plausu, consensúque imperio dignus est habitus: ergo modò dicitur Rex effectus. *Fecerunt ibi Regem Saül.* Innuit Caietanus: *De consensu omnium.* Sorte designatum inuidentia, aut ambitio obscurare tentauit; contra communi consensu electum, nec malignitas mutire præsumpsit, nam consensus deprædicabat eximiis meritis exornatum, & regalibus vitiis dignum.

§. LVIII.

§. LVIII.

Nec dura peruicacia contradicere audet, quod generali plausu, & consensu deprædicari cognoscit.

GEneralis assensus, communis plausus, dum virtutem alicuius commendat, contradictionis querelam vitat: non audet à generalitate approbata æmulatio infamare, quia veretur odium subire. Si aliàs inconstans, vagáque populorum voluntas firma consensione rei alicui præstat assensum, clarum veritatis est testimonium. *Necesse erat Romam velle* (datum supra audi Cassiodorum) *quod cuncti videbantur optare.* Itaque necesse erat Romam eligere, quod & Senatus prudentia eligendum censebat, & studium generalitatis optabat. *Diutius quidem differendo* (aiebat Atalaricus 9. *variarum* 24.) *pro te cunctorum vota laſſauimus, vt benevolentiam in te probaremus generalitatis, & cunctis desideratior adueniret.* Quis pertinaciter obluctetur, si omnium consensu veritati testimonium reddatur? Contradixerant plures electionem Saulis, & quamvis Samuël à Deo destinatum assereret, & sors mirabilis declararet: filij Belial aut singularitatem affectantes, aut iudicio suo nimis fidentes maluerunt obmurmurare, quam exhibitis muneribus à Deo electũ Regem agnoscere. Adeò hæc singularitas fuit odiosa, vt pœnam ei infligere ardentissimo desiderio expeteret turba: verùm Samuël, peruicaciam euinceret, sententiámque demutare cogeret, supplicia non intulit, sed communi assensu eius ora sigillare decreuit: *Perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül.* Et cur modò inuidentia non reclamet, nec peruicacia antiquis propositis perseueret? Quia ea erat (inquit Caietanus) generalis, concordísque sententiæ efficacia, vt iam demutare sententiam cogeretur peruicax quantumvis duritia. *Suauem elegit Samuël modum ad confirmandum regnum Saülis de consensu omniũ absque punitione eorum, qui despexerant Saulem, vt sic illi pœnitentes concurrerent vnanimiter cum reliquis ad regnum Saulis.* Forsitan grauissimæ inflictæ pœnæ peruicaciam non vincerent, sed firmarent; at vniuersali consensui nec durities potuit resistere, nec antiquam sententiam non demutare. *Vt sic illi pœnitentes concurrerent vnanimiter cum reliquis ad regnum Saulis.* Anteà discrepabant Samuëli, sortique imprudenter resistentes; verùm vbi generalis consensus obluctantium arguebat inuidiam, aut damnabat peruicaciam maluerunt cordatè resipiscere, quam in gratiam omnium sustinere.

§. LIX.

Non est felicitas consummata, quousque Deo gratiarum actio repensa.

NIhil magis curandum est, quàm vt memoria nobis beneficij tenaciter hæreat. Nullus potest referre gratiam, ni conseruarit memoriam: nec sufficit beneficium memoria retinere, si possis externis signis, & gratulatione debita compensare. *Statim gratus est, qui se onerat* (aiebat Seneca *lib. 2. de Beneficiis cap. 24.*) & nobiliter grati verba ad gratitudinis normam subiecit. *Numquam tibi gratiam referre potero: illud certè non desinam vbique confiteri me referre non posse.* Beneficium grato animo acceptum honorauit, & confitendo reddidit: qui non retulit gratiam sibi ipsi intulit imprudenter iniuriam; nam & ingrati notam tulit, & beneficæ liberalitatis fontes obturauit. Samuël ad Galgala ducit populum, vt Deo victimas pacificas immolet, & Saulem Regem proclamet: *Fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino.* Cùm Saul iam anteà fuerit Rex consalutatus, hic non videtur recenter effectus. Quomodo ergo dicitur: *Et fecerunt ibi Regem Saul.* Profectò quod beneficium à Domino postulauerant, scilicet habere Regem, iam obtinuerant; verùm Deo vsque ad Galgala victimis immolatis gratias non retulerant: ergo relatis gratiis incepit esse beneficium, quod sine gratiarum actione existeret detrimentum. Sibi fecerunt Regem, dum immolatis victimis contestati sunt gratitudinem: *Et immolauerunt ibi victimas pacificas.* Adest Hugo Cardinalis: *Fecerunt ibi Regem, id est, confirmauerunt, & immolauerunt ibi victimas pacificas, id est pro pace habita, & conseruanda.* Non erat beneficium confirmatum, donec nobile tributum gratitudinis constabat impensum: ergo cùm in Galgala oblatis victimis nobile persoluerunt tributum, confirmatunt sibi cœleste donum.

§. LX.

Eo solo tempore quis dignitatem possedit, quo dignis factis dignitatem honorauit.

PArum iuvat munus adire, ni debitas adeuntem muneri actiones constet persoluere. Iudex non debet dici, qui dirimendis litibus non attendit. Gubernatoris nauis furatur honorem, si despicit reprimere tempestatem. *Optatus* (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 19. *ad optata perueniens sui nominis sortitus effectum. Et ideò supradictum assiduis laboribus comprobatum cornicularium sumere censemus officium. Vt iure inter primates assistat, qui tyronum inculpabiliter egit excubias.* Pleno lumine resplenduit officium debitis laboribus comprobatum, nec excubiarum optatus nobilitaretur præconio, si vigiliarum non laborasset studio. Sunt, qui dignitatum commoda exambiant, & annexos labores fastidiant, cùm non debeat tempus dignitatis censeri, quod debitis muneri actionibus constiterit defraudari. Populus Saulem Regem in Galgala constituisse refertur: *Fecerunt ibi Regem Saul coram Domino*, cùm multò anteà fuerit à populo conclamatus: *Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex.* Sup. cap. 10. vers. 24. Si tantò anteà purpureis vittis resplenduit coronatus, cur modò referatur electus? *Fecerunt ibi Regem.* Expende, amabote, ad quid Regem petierit populus: *Egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. Sup. cap. 8. vers.* 20. Expetitus Rex ad Martia bella, dum Iabesenos cingerent hostes, occupabatur agricultura: *Veniebat sequens boues de agro.* Modo intrepido, inuictóque animo prosiliit in campum, & reportauit detritis hostibus triumphum: ergo modò Regem fecerunt, quia regni tempus à persolutis dignitati factis dinumerarunt. Innuit Abulensis *q. 12. Nunc manifestata probitate Saulis, & quod principatum regium mereretur, omnes gratulabantur, quod esset Rex eorum, ideò nunc fuit opportunum innouari eum, vt moneret firmum regnum eius, & præcedens contradictio nihil noceret.* Vbi facta respondent muneri, munus contradictionem non patitur; aut si desint, obscuratur, & despicitur. Pro Rege Saul à plurimis non est habitus donec ad hostes debellandum egressus; at vbi labores dignitati annexos subiuit, pro Rege haberi ab omnibus cœpit. Consonat Caietanus: *Fecerunt regnare, hoc est, regalem statum assumere, & officium exercere.*

CAPVT

CAPVT XII.

1. DIXIT autem Samuël ad vniuersum Israël : ecce audiui vocem vestram, iuxta omnia, quæ locuti estis ad me, & constitui super vos Regem. 2. Et nunc Rex graditur ante vos ; ego autem senui, & incanui : porrò filij mei vobiscum sunt : itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto sum. 3. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi : & contemnam illud hodie, restituámque vobis. 4. Et dixerunt Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. 5. Dixit ad eos : Testis est Dominus aduersum vos, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt. Testis. 6. Et ait Samuël ad populum: Dominus, qui fecit Moysem, & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti. 7. Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris. 8. Quomodo Iacob ingressus est in Ægyptum & clamauerunt patres vestri ad Dominum, & misit Dominus Moysem, & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto, & collocauit eos in loco hoc. 9. Qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, & in manu Philisthinorum, & in manu Regis Moab, & pugnauerunt aduersum eos. 10. Posteà autem clamauerunt ad Dominum, & dixerunt : Peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruiuimus Baalim, & Astaroth : nunc ergò erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi. 11. Et misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephe, & Samuël, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter. 12. Videntes autem, quod Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos dixistis mihi : Nequaquam, sed Rex imperabit nobis : cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis. 13. Nunc ergo præsto est Rex vester, quem elegistis, & petistis. Ecce dedit Dominus vobis Regem. 14. Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini, eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis sequentes Dominum Deum vestrum. 15. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros. 16. Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. 17. Nunquid non messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluvias: & scietis, & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectum Domini, petentes super vos Regem. 18. Et clamauit Samuël ad Dominum & dedit Dominus voces, & pluvias in die illa. 19. Et timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuëlem, & dixit vniuersus populus ad Samuëlem : Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur : addidimus vniuersis peccatis enim nostris malum, vt peteremus nobis Regem. 20. Dixit autem Samuël ad populum : Nolite timere : vos fecistis vniuersum malum hoc : verumtamen nolite recedere à tergo Domini, sed seruite Domino in omni corde vestro. 21. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. 22. Et derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum : quia iuranit Dominus facere vobis sibi populum. 23. Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam, & rectam. 24. Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro : vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit. 25. Quòd si perseueraueritis in malitia : & vos, & Rex vester, pariter peribitis.

TEXTVS.

VERS. I. Dixit autem Samuël ad vniuersum Israël: Ecce audiui vocem vestram iuxta quæ locuti estis ad me, & constitui super vos Regem.

§. I.

Ea superior vitæ claritate resplendeat, vt ab iniquis etiam iudicibus explorari non timeat.

QVI superioris, aut iudicis locum tenet, debet eam vitæ formam tenere, vt non timeat iniquis, & inuidiosis oculis spectari. Illi pretiosior fit cunctis prouentibus æquitatis integritas, & integritatis floriditas; laudibus eius accedat fides, quam diligunt cœlestia, & venerantur mortalia. Nesciat quisquam de iudice submurmurare contraria, sed cum altercantibus plurimis ad vnius fauorem pronunciauit iuris decreta, & discidit querula semper dissidia refrænet derogare cupientes integritas actionis, & cogatur propria conscientia tacere, qui cuperet murmurare. *Non enim dete* (aiebat Cassiodorus 5. *variarum* 40.) *aliquid redemptæ laudi, aut loquaci famæ credimus, qui nobis expectantibus sæpè placuisti ... Et ne fauoris alicuius putaretur excessus, desideria supplicum ipsis præsentibus intimabas. Ori tuo altercantium desideria conuenerunt, & quod difficillimum gratiæ genus est, alternæ parti in discreta laude placuisti.* Ea sinceritate, æquitate ea altercantium iudex causas discreuit, vt qui spebus

Eman. de Naxera in Reg.

fraudatus perdidisse sibi imputaret, non iudici adscriberet. Eiusmodi erat Samuel superiorum, ac iudicum norma. Ita ab adolescentia populum rexerat, vt dignitate iam exauguratus vitam suam vel maleuolis examinandam exponat; *Dixit autem Samuël ad vniuersum Israël: Ecce audiui vocem vestram iuxta omnia, quæ locuti estis ad me, & constitui super vos Regem.* Gloriatur Regem constituisse non fauore corruptus, non cupiditate inescatus, sed generalitatis votis attentus. Et quamuis Belial filij electionē innubilare fuerint conati; quia conati ad mortem ab omnibus expetiti, vt clareret administrationis integritas, dum nulla potuit innubilare malignitas. Adest noster Sanctius: *Prius quàm populus dissolutis comitiis dilaberetur, integritatem suam coram omnibus probari voluit, aut spectari Samuël. Quare concionem habuit plenam officij: vitámque suam, & administrationis modum iniquis etiam iudicibus explorandum, & examinandum proposuit.* Ea probitate vixit, ea integritate munus peregit, vt examinis, quantumvis rigidi non timuerit censuram, nec à malignis etiam iudicibus promendam contra se veritus fuerit sententiam. Quàm fuit mirandus, quando malitia formidauit contra illum quidquam moliri, ne dum arguit, generalibus odiis videretur exponi.

§. II.

Mirum est, si dignitate deposita argumentatrix iudicem non tentet obscurare calumnia.

NOuit illatam à potente iniuriam dissimulare tolerantia; sed dignitatis elapso tempore criminatur sæpè querela. Fastigij luminibus splendenti plauditur, quia timetur. Ipse, qui detrimenta sensit, ne graviora pateretur, laudauit. *Potentiorum iniuriæ* (aiebat Seneca 2. *de Ira, cap.* 32.) *hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt. Facient iterum, si se fecisse crediderint.* Sententiam exemplis suffulcit Seneca. *Caligula Cæsar* (inquit) *Pastoris splendidi equitis Romani filium cum in custodia habuisset, munditiis eius, & cultioribus capillis offensus: rogante patre, vt salutem sibi filij concederet, quasi de supplicio eius admonitus duci protinus iussit. Ne tamen omnia inhumanè faceret aduersum patrem ad cœnam illum inuitauit eo die. Venit Pastor nihil vultu exprobrante.* Post magnas adeo acceptas iniurias venit relaturus gratias. Quas putas in functum iam dignitate iustas excitarit querelas? Itaque insolenti potestati cessit cordatus, acerrimam contra priuatum causam acturus. Dum potestatis tempus durat etiam, qui iniuriam acceperunt, dilaudant, quia de superiore obmurmurare expositum periculo non ignorant: verùm si iam dignitate exauguratum adspiciant silentio succedit clamor, de acceptis iniuriis conqueruntur, & apud iudices criminantur. Itaque mirum non est dignitates gerentem adulationibus extolli; mirandum tamen, si post dignitatem, vt olim contigerit celebrari. Non potuit Samuëlis sanctitas augustiori, elogio commendari, quàm deposita iam dignitate nullis fuisse querelis pulsatum, nec calumniis impetitum: *Ecce audiui vocem vestram iuxta omnia, quæ locuti estis ad me, & constitui super vos Regem.* Ac si dicat: Iam mea cessauit dignitas, iam eam adiuit alius; arguite me modo omni timore exempti, an aliqua fueritis iniuria perculsi. Ita noster Sanctius: *Neque verendum esse cuiquam putat quominus obiectare audeat quidquid in ipsius vita minus probet, aut quod velit à lege, aut publico iudicio correctum, cùm iam ipse nouo creato Rege, dignitatem, quam habuit, illuc vsque supremam, & regiæ proximam deposuerat.* Satis esse non duxit, dum dignitatem gereret, nullis criminationibus adurgeri, querelis nullis interpellari, sed deposita iam præfectura innocentis conuersationis, & administrationis optimæ indubium quæsiuit testimonium: nam vt fidem integritatis, probatisque non facit dum geritur dignitas, plausus; ita eximiè commendat administrationem, vitámque, si nullus post dignitatem fuerit conquestus.

§. III.

Grandis imprudentia est aliqua tentare, sed maior aliquando à iam tentatis recedere.

CÆcutiens oculus, & variis voluptatum præstigiis inescatus affectus aliqua solet tentare, quæ incommoda non dubitantur afferre: & quamuis detestabilior sit pertinacia, quam pœnitentia, tales solent circumstantiæ concurrere, vt periculosius, quam tueri, sit sententiam iam demutare. Maiora aliquando emergunt detrimenta, quæ minoribus impedire prudentia est: admissa graues attulerunt vota aliquando anxietates, sed maiores retractata afferent solicitudines. Ergo licèt Theodoricus gauderet spectacula non permisisse, quia virtuti aliquod afferebant detrimentum noluit sententiam retractare, veritus grauius emergendum damnum. Conducibilius censuit aliquantulum desipere, vt posset populos continere. Ipsum audi 3. *variarum* 51. *Hac nos fouemus necessitate populorum imminentium... nam quicquid æstimat voluptuosum, hoc & ad beatitudinem temporum iudicat applicandum. Quapropter largiamur expensas, non semper ex iudicio demus. Expedit interdum desipere, vt populi possimus desiderata gaudia continere.* Concessa spectacula aliqua afferebant expensarum detrimenta, sed si semel concessa prohiberentur, turbulenta populorum excitarentur dissidia: ergo expediuit grauius damnum minori redimere, & semel iam cœpta prosequi. Samson Philisthinæ amore captus sponsam ducere solicitauit: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Iudic.* 14. *vers.* 3. Non multò post, quam concupierat, reliquit, & grane honoris vulnus demutata sententia accepit: *Iratus nimis ascendit in domum patris sui: vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius, & pronubis.* Itaque non conueniebat nuptias cum alienigena expetere, verùm iam divulgatis, celebratisque minus expediebat relinquere; nam recedendo tulit honoris iniuriam, nuptias celebrando videri potuit aliquibus obscurauisse prudentiam. Ob id Samuël, licèt populus minus prudenter Regem expetiuerit, Saülémque delegerit, innouatum, confirmatúmque sequendum admonuit. *Ecce audiui vocem vestram iuxta omnia, quæ locuti estis ad me, & constitui super vos Regem.* Quod si objicias: Si carpit petitionis peccatum, cur innouat regnum, & si adhortatur sequi, cur displicuit eos Regem ambire? Hoc dubium exagitauit Abulensis *quæst.* 2. *Quare aliquis. Quare Samuël increpuit nunc Israëlitas de petitione Regis, faciendo ea, quæ fecit, & non antea?* Ante Regis innouationem non adeò seuerè carpit, nunc & renouat, & obiurgat, quo nos edoceat aliqua non tentanda sed semel tentata prosequenda, ne maiora resultarint incommoda, & graniora emerserint detrimenta. Si ante regni innouationem in eos acriter inuehereretur, fortasitan à semel iam consalutato Rege discederent magno Saülis præiudicio, & honoris dispendio: ergo carpsit petendi audaciam, & tamen eis in circunstantiis noluit demutari sententiam. Accipe Abulensem: *Si fortè increpasset eos ante istam pugnam, & confirmationem, voluissent desistere à Rege, dimittendo Regem electum, quod erat in præiudicium Saülis iam regnanti, & contra voluntatem Dei.* Erat contra voluntatem Dei iam electum relinquere, & relinquendo infamare; imprudentia fuit expetere, sed esset maior relinquere: ergo nec imprudentiam reliquit impunitam, nec divulgatam iam permisit demutari sententiam, edocens aliquando tentata minus prudenter, non

retractanda,

retractanda, si grauiora impenderint detrimenta. Sæpè iuuenes pulchritudine inescati euulgant se accepturos hanc, aut illam in sponsam, posteà præuisis aliquibus incommodis fatagunt resilire, nec attendunt posse vrgentissima pericula emergere: nam fœminæ honor sulpicionem subit, cognati iniuria exasperantur, & expetere vindictam moliuntur. Vndè verissima est thesis nostra, videlicet prosequenda aliqua minus prudenter tentata, ne si desistas, maiora contra te obarmeris detrimenta.

§. IV.

Quæ felicem euentum sortita, censentur sæpè prudenter decreta.

DE euentu censeri solent consilia, si cesserunt prosperè, nulla obscurata putantur prudentiæ offensa quia homines frequentiùs attendunt sortem, quam legem. Ab exordio hic error mortales inuasit, nam serpens, vt tegeret offensam, vetitæ arboris fructum spopondit eximiam allaturum fortunam: *Eritis sicut dij. Gen. 3. vers. 5.* Promisit veternosus serpens felicem euentum, vt de euentu culpam minueret, aut prorsus innubilaret, diuinitatem obtulit, & insidias rationi obtendit. Cæsari vti Numini altaria, & templa Romani dicarunt, & quia maximam eius demirabantur fortunam, nulla admisisse criminis rebatur offensam quasi omnia eius facta decretáque fuerint ab omni criminis contagio libera, quia cesserint fortunatæ prospera, & prosperè fortunata. *Fanum in hortis, quos populo legauit Cæsar* (inquit Plutarchus de Romanorum fortuna) *struxerunt, quod illud secunda fortuna euasisse, vt ipse testatus arbitrarentur maximum.* Pro deo coluere Cæsarem, quòd crediderint adeò fortunatum criminibus nullatenus sordidisse pollutum. Nec aliter Israëlitis contigit. Regem delegerant, de Ammonitis eximium triumphum reportarant, & Samuël accepto triumpho aggressus est obiurgare petitionis peccatum: *Ecce audiui vocem vestram iuxta omnia, quæ locuti estis ad me, & constitui super vos Regem.* His verbis reprehendisse Israëlitas tradit Lira vt qui Numen abiecissent & hominem culmine collocassent. Sed cui reprehensio videatur intempestiua, quando acceptus de hoste triumphus exigebat, modò non carpere culpam, sed mirandam deprædicare victoriam. Cur ergo Samuël sopiat scelerís recordatione gaudium, & reuocet in memoriam delictum? Quia cùm adeò fortunatum euentum electio Regis fuisset sortita, inquit Lira, sibi persuaderent, nulla se inquinatos offensa. Homines namque gratulantur sibi tentasse, quæ felicem euentum experiuntur obtinuisse. Adest Lira: *Hic consequenter describitur increpatio populi à Samuële; viderat enim populus Regem electum prosperè egisse, & ideò poterat credere in petendo super se Regem non peccasse.* Iam sibi ob consilium de consalutando Rege gratulabantur quasi nihil meliùs potuerint decernere, quam Regem repetitis clamoribus postulare. Ergo ne ob felicem euentum sibi de electione plauderent, & immunes culpa crederent, culpam in petitione Regis admissam & ostendit Samuël, & arguit, vt qui non ignorabat de euentu nomina accommodari decretis, & factis.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. II. Et nunc Rex graditur ante vos; ego autem senui, & incanui: porrò filij mei vobiscum sum: itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem ecce præsto sum.

§. V.

Aliquando sancti virtutes suas proferunt non laudis euanidæ desiderio, sed proximorum vtilitatis studio.

SVam ipsius apud alios (aiebat Plutarchus *de Sui laude*) *gloriam, vel opus prædicare, verbo esse dicunt omnes odiosum.* Adnectit: *Homini, quam vt ipse audiat ab aliis laudari se, nihil est auditu iucundius, vt Xenophon ait, aliis ab se ipso ingratissimum.* Laudes suas proferentes censemus vanitulos, & superbos: fugienda est sui iactatio quia dum sitit gloriam, obscurat famam. Nihilominus viri spirituales aliquando humilitati ad speciem quid detrahunt, & glorioſa facta ostendere non refugiunt, non vt adulentur vanitati, sed vt inseruiant magis virtuti. *Temetipsum* (addit datus Philosophus) *cùm reprehensionem laudes, licet. Primum si depellenda causa calumnia, vel criminis id facias, sicut Pericles. At qui infensi estis, inquit mihi: qui ni falior concedo nemini in iis, quæ ex vsu sunt, cognoscendis, & exponendis, amanſque sum Reipublicæ, & abstinens. Non solùm enim arrogantiam, insolentiam, & ambitionem declinauit, de se ipso tunc dicendo præclarè: verumetiam spiritus suos, & granditatem ob oculos ponit virtutis suæ, quæ non succumbendo succumbere facit, & opprimit inuidiam.* Aliquando inuidia ambitione, & tumore armata contra probos excitat bella, & opus est publicare facinora. Ad hæc flagrans religione zelus exemplis alios accendere sitit, vtque ad virtutem traxerit, virtutes promit. Samuël ab adolescentia sine alicuius offensione inter eos deguisse ostentat, vt Sauli se gubernationis normam exhibeat: *Conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto, sum.* Nouit adolescens suis sensibus imperare, ne cogeretur oculos aliorum timere: ergo se deprædicat innocentiæ templum nullo fauore corruptum, venalitate nulla sordidatum, vt ad crystallinum, pellucidúmque eximiæ adeò sanctitatis speculum Saul motes suos expoliat, & gubernare cæteros discat. Adest Chrysost. *Samuël pro se magnam proposuit laudem; attamen nullas illum arguit, quia non dicebat, vt se ipsum laudaret, sed quoniam Regē constituturus erat, pro defensione sua posuit, volens illum erudire, vt humilis sit, ac mansuetus.* Saulem in dignitate iam constitutum admonere apertè forsitan tribueretur audaciæ:, virtutes suas expromere tribueretur superbiæ: ergo quamuis à nullo argueretur, propriæ defensionis tutelæque specie conuersationem inculpabilem retulit, relationéque ipsa imitationem admonuit. Adnectit Chrysostomus: *Neque enim quis illum tunc iure conuenerat, vel arguerat, vt defensione haberet opus, sed vt illum faceret meliorem, hæc dicebat.* Virtutes proprias commendauit non tumidus, sed zelotypus, non vt euanidum lucraretur plausum, sed vt edoceret optimum administrationis stilum. *Qui ad vtilitatem audientium spectarit* (verba sunt Chrysostomi supra dati) *etiamsi commendet se ipsum, non solùm non meretur reprehendi, sed & coronari, & propter silentium taxandus. Nam & Dauid, & Amos, & Michæas se ipsos commendant.* Cùm sancti virtutes suas proferunt, vt alios lucrifaciant, non sunt censura digni, sed laudibus extollendi; abest prorsus ab eis laudis euanidæ desiderium, ardet salutis proximorum studium.

TEXTVS.

VERS. III. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bovem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum: si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contémnam illud hodie, restituámque vobis.

§. VI.

Vt quis audacter in aliorum inuehatur culpam, opus est intactam custodisse innocentiam.

DIgnus est aliis sequenda decernere, qui sibi modum visus est legitimæ conuersationis imponere. Despicit reus iudicem, si culparum habuerit consortem. Actiones suas nullus damnat in altero, & ad reprehensionem titubat lingua, nisi impolluta conscientia laudabili obarmetur audacia. Nec solùm superior tenetur effugere prauitatem, sed iniquam omnem impedire suspicionem. *Facilis est* (aiebat Cassiodorus 1. *var.* 4.) *recti persuasor, innocens index, sub cuius prædicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere.* Samuël tantum creuit conuersationis nitore, quantum profecerat dignitate, tanta vixit continentia, vt quam æquitatem suadebat monitis, etiam persuaderet exemplis; verùm ne maligna ambitus eum denigraret suspicio, Rege iam constituto, confirmatóque populum correxit, & prudenter vsque ad illud tempus distulit: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius.* Coram Rege à se constituto, confirmatóque populum arguit, ne fortè si anteà increpuerit, ambitu stimulari suspexerint. Ita Abulensis *quæst.* 2. *Quia fortè Israelitæ crederent, quòd Samuël durè ferebat Regem esse in Israël quod propter ipsum ab eo, & domo sua ablatus erat principatus, increparet nunc Israëlitas de petitione Regis, vt tolleret suspicionem, dixit:* Adnectit: *Cùm dominarer vobis nunquam iniustè egi.* Non solùm ostentauit innocentiam, vt carperet culpam, sed ne aliquo ambitu obscurati, aut indignatione suspicarentur moueri; Rege iam constituto aggreditur eos carpere, factis edocens alieni criminis iudicem innocenti conuesatione exornari, immò nec iniquis suspicionibus subiacere; nec enim potest sub conscientia læsa inuehi in alienum erratum lingua.

§. VII.

Si ad iudicium interpellans, Deum non attenderit, nec innocens criminationes effugiet.

ÆQuissimi animi signum est conuersationem multorum iudicio exponere, nec timere. Qui oculos testes veretur, conscientiæ timoribus exagitari probatur. Lux splendenti candore rutilans ad se intrepidè vocat aspectum, quia dum cu iosius examinat, assequetur maiorem plausum. Ob id Dominus discipulos instruens aiebat: *vos estis lux mundi. Matth. 5. vers.* 14. Verùm etsi lux triumphali coronetur candore, oportet oculis nullo pestilenti humore suffusis spectari: sæpè namque censetur obiectum eo colore tinctum, qui aspicientem infecit oculum. *Nonnulli* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.* 3.) *etiam de vtilitatibus suis cum odio isto pacisc untur contenti iniuria.* Erant, qui factitias criminationes, christianis imponerent satagentes innocentiam tribunalibus premi, vt odio, aut æmulationi quiuerint adulari; alieno crimine habebatur reus, quem inculpatæ vitæ tenor defendebat. Ob id Samuël, dum conuersationem ab adolescentia populari censuræ exponit, Deum attendere interpellatorem requirit: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius.* Ne quis adularetur Principi recenter electo factitias Samuëli potestate iam denudato causas imponendo, Deum monuit adesse: *Coram Domino*: iudicium non timuit, Regem à populo conclamatum iudicem conuersationis statuit: *Et coram Christo eius*; veritus tamen est, ne accusator oculos à ratione, cœlóque auertat, nam si hoc acciderit, erit innocentia rea, & virtus exibit damnata. *Hebraicè habetur* (inquit Caietanus) *Testificamini in me coram Iehoua.* Quàm erat vitiorum expers, qui solum verebatur iniquam aliorum conscientiam, cùm examini rigidissimo suam exponebat ab adolescentia vitam.

§. VIII.

Plures ad tribunalia conventi parvipendunt crimine defœdari, & fauore, aut auro conantur absolui.

PArum iuvat apud homines absolui, si apud Deum contigerit condemnari: hæc verò certissima veritas apud aliquos inertitur, & mutatur; renuunt apud homines haberi reos, parvipendunt apud Deum sordescere criminibus maculatos. Fauorabilem apud iudices solicitauere sententiam, qui conscientiam parvipendunt exulceratam. Clodius ipso in iudicio, quo desiderabat absolui, studuit criminibus defœdari. *Credat aliquis* (scribit Seneca *epist.* 97.) *pecuniam esse versatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius... Minus crimine quàm absolutione peccatum est. Adulterij reus, adulteria diuisit, nec ante fuit de salute securus, quàm similes sui iudices suos reddidit.* Vt in iudicio post tot crimina esset securus, deterioribus criminibus est infectus: despiciebat conscientiam, effugere satagebat externam notam: pecunia, potestateque inaurauit delicta, qui fœda adeò commiserat adulteria. Virtutis amator, si à Deo constet absolui, patienter fert sententia iniqua damnari. *Indè est* (aiebat Tertullianus *in Apologetico, cap.* 50.) *quòd ibidem sententiis vestris gratias agimus, vt est æmulatio diuinæ rei, & humanæ: cùm damnamur à vobis, à Deo absoluimur.* Absolui apud homines, si apud Deum damnarentur, parum iuvaret, vt noceret parum, si apud Deum absoluerentur, apud iniquum iudicem reos pronunciari. Ob id Samuël paratus in iudicio conuersationis suæ, & quam exercuerat, potestatis rationem reddere, coram Domino, & coram Rege voluit conueniri: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius*, vt non solùm constaret humano decreto liberari, sed iudicio diuino absolui. Parum namque prodesset, si Rex ab eo inunctus illum absolveret, si cœlestis sententia premeret. Adest noster Sanctius: *Quod ab his, qui defuncti sunt præfectura, exigit Respublica, id vltrò subire vult Samuël, iudicemque suæ vitæ, & causæ vult esse Deum cuius intelligentiam nihil latet, & Regem ipsum tunc vnctum publicè.* Quàm aliter solet accidere. Tota aliquorum solicitudo eò tendit, vt apud iudices nulla inueniatur culpa etsi apud Deum perpetrata clamet offensa.

§. IX.

Non refugit iudicium subire, qui inculpatè munus studuit semper implere.

SEcurus deposita potestate adstat tribunalibus, qui se nullis dum gereret, dignitatem polluit criminibus: nam sicut conscientia scelerum teste interpellari semper

semper est panidum ; sic innocentia prædito examinari, gloriosum. *Grande tibi* (aiebat Cassiodorus 7. *variarum* 12.) *negotium vides esse commissum. Quicquid egeris generalitas sentit; nam qui potest in vniuersitate peccare, gloriosus nimis est, si nescit excedere.* Clarent eximiè merita, si dignitas, & potestas nulla persuasit piacula. Hinc est, quod Samuël bonorum exempla sequutus, dum summa potestate nudatus, examinari in iudicio solicitet, vt immaculatæ vitæ, & exacti ritè muneris gloriam laudabili audacia ostëtet: *Loquimini de me coràm Dño, & coram Christo eius vtrũ bouem cuiusquã tulerim, aut asinum*, non tantum se rigido exposuit examini, sed vt scribit Iosephus, populum, ne aliquo timore frænaretur, inreiurando constrinxit. *Samuël Propheta* (inquit apud nostrum Sanctium) *priùs quàm comitia dissoluerentur, sic est alloquutus populum: Adiuro vos per maximum Deum, qui vobis optimos illos fratres Moysem, & Aaron misit, vt patres vestros ex Ægypto educant, vt absque pudore, & metu, omnique affectu alio liberè dicatis: Nunquid contra ius, & æquum fecerim, vel proprij lucri cupiditate, vel in alterius cuiusquam gratiam.* Quàm mirum fuit vrgere ad examen, quàm laude plenum, quàm æternis elogiis dignum ? cùm iudices, præfectique, si deponendi muneris tempus affuerit, anxia solicitudine satagant querelas sopire, & quis verentur, criminationes prouida cautela vitare. Quàm sanctè administrauit dignitatem Samuël, quàm à cupiditate vixit alienus, quàm ab adulatione remotus quando accusatorem non timuit, immò, si fas est dicere prouocauit.

§. X.

Non decet esse alterius voluntatis seruum, quem Respublica æquitatis, ac iustitiæ designauit ministrum.

AMorem constat esse iustitiæ, eos iudices ordinare, qui nec cupiditate sordescãt, nec magnatum gratiam exambiant. Aliquando iudices timore præpediti, aut ambitione suasi, cùm omni auaritia inueniantur liberi, ad gratiam ineundam obscurantur. Magnatibus adulati: ne magnatum votis resistant, aut illorum gratiam perdant, iura malignis glossis interpretantur, & potestate abutuntur. *Non decet* (aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 18.) *iudicem ministrum esse voluntatis alterius vt magis alteri pareat, cui tot milites obsecundant.* Certè etsi in aliis esset tolerandum magnatum voluntati subjici, in iudice, aut præfecto pudendum est; nec enim qui eligitur ad iustitiæ patrocinium, magnatum expectare debet suffragium. Samuël, vt qui nouerat frequens hoc vitium plures inficere, non solùm se probat cupiditate non maculatum, sed nec adulatione pollutum *Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem.* In Hebræo habetur: *Si complacui*. Non, vt complaceret, oppressit, nec vt adularetur altis, iniuriam intulit minimis, sed ab omni ambitu, cupiditatéque immunis legibus parebat, & cæteris imperabat. Auli Caietanum: *Si oppressi aliquem, iuxta Hebraum habetur: si complacui. Et est sermo de violatione iudicij ad placendum alicui.* Non est insolitum, vt magnatum gratia ineatur, iura inuertere, & leges iudices adulterare: at Samuël ea integritate resplenduit, vt se exhiberet iudicem totius erroris expertem: nullum inuidia, aut cupiditate depressit, nullum gratia blandiente absoluit, vt ei aptè congruat, quod datus Cassiodorus aiebat: *Nullus iudicum, quod in te corrigere posset, inuenit. Accessit enim venustas oris, & castitas animi: iuuenem te solus decor ostendit, ab ore primæuo cana verbis manauerunt. Contendit mos ætatis, & maturitas mentis.* Ab adolescentia iudex fictus cæcos iuventutis affectus potestate non adiuvit, sed cana maturitate frænauit; alienis nunquam hiauit diuitiis, nec vt debilem opprimeret, obediuit magnatum votis, sed iudicum, præfectorúmque norma edocuit nullum opprimere, & nulli contra iustitiam placere.

§. XI.

Oblata iudici, aut superiori munuscula sunt famæ tinea, & æquitatis scandala.

SEmper iudicio (aiebat Seneca *de Tranquillitate animi, cap.* 1.) *fauor officit.* Adjice, & donum. Multos existimo potuisse sanctæ, ritéque munus, obire si voluissent oblatis munusculis abstinere. Nil violenter rapiunt, nil artificiosis calumniis quærunt; verùm dum à munusculis non abstinent, integritati suæ offundunt nebulam, & quam iustitiæ integritate quærebant famam, admissis munusculis reddunt suspectam. *Sepè nihil interest* (audi Senecam 2. *de Beneficiis, cap.* 14.) *inter amicorum munera, & hostium vota. Quidquid illis accidere optant, in id horũ intempestiua indulgẽtia impellit atque instruit. Quid autem turpius, quàm (quod euenit frequentissimè) vt nihil interfit inter odium, & beneficium.* Plurimum interest inter odium, & beneficium, si affectum attendas; parum aliquando, si effectum aspicias. Hostis votum est famam innubilare, munetis est proprium suspicionem nutrire. Quisquis præfectus iudexve, si quid ab amico accepit, suspicioni occasionem tribuit. Ob id Samuël contentus non fuit ad ritè exacti muneris testimonium ostendere nihil violenter tulisse, nullum calumniis afflictasse, sed addidit, nec gratuitò oblata munera suscepisse: *Si de manu cuiusquam munus accepi.* Iuxta Hebræum habetur: *Faciam celare oculos meos in eo.* Quòd si dicas gratis oblata munera acceptare, æquitati non contraire, respondebit Caietanus, munera tenebras secum afferre, nec posse accipientem cæcutientibus oculis res, provt sunt, aspicere, aut iudicium rectum formare. Vndè si Samuël munera acceptasset, ansam iniquæ suspicioni dedisset: nam qui nossent accepisse, suspicarentur legem violasse. Præmittitur iuxta Hebræum: *Et de manu cuiusquam accepi pretium.* Statimque subditur: *Et faciam celare oculos meos in eo.* Et est sensus: *Si accepi quamcumque rem pretio æstimabilem, vt celarem oculos meos à prosequenda iustitia.* Expende idem esse munus, & pretium, vtque nunquam offertur pretium, nisi ad quid emendum, ita iudici nunquam munus offertur, nisi ad aliquid impetrandum. Munere velaminis adinstar oculos asseruit celari, quia non est facile perspicaciam cum munere conuenire.

§. XII.

Nonnulli iudices calumniantur, vt æquitatis colore aurum prædentur.

MOdò *est felix, & certa conditio negotiorum* (aiebat Cassiod. 8. *variarum* 18.) *quando ille sententiam dicit, qui non potest ignorare, quod eligit.* Verum dixit; sed aliquando iuvat parum non ignorare, si calumnias studeat instruere. Non ignorant aliquando iudices, aut ministri inferiores nullam se auri auferendi sortiri causam, sed confugiunt ad calumniam, & auferunt mentito æquitatis colore, quod nequibant auferre lege. *Fuit Medius* (inquit Plutarchus *lib. de adulat.*) *in Alexandri adulatorum grege princeps, & architectus coryphæus aduersus optimates instructus. Præcepit sic, vt intrepidè adorirentur, & morderent calumniis docens, licet morsu læsus vlcus curauerit, cicatricem tamen remansuram calumniæ. Nempè hisce cicatricibus, vel potiùs gangrenis & carcinomatis exæsus Alexander perdidit Callisthenem, Parmenionem, Philotam.* Aperto Marte impetere optimos impetentis prodit malitiam: ergo calumnia vocatur in auxilium, vt dum denudato

diuitiis adscribitur culpa auferentem non lædat iniquæ semper rapinæ querela. Calumniator iustitiæ tegitur colore, cùm ardeat cupiditate. Calumnia vel innocentem infamat, cumque prudentes malint redimere nummis famam, quam pati calumniam, studiosè à iustitiæ ministris calumnia fingitur, pecuniaque aufertur. Samuel nullum calumniatum fuisse testatur: *Si quempiam calumniatus sum*, vt qui nouerat plures ad calumnias confingere, vt diuitias quiuerint deprædari. Ita Abulensis quæst. 3. *Calumniari est bona alicuius tollere iniustè, quæsito aliquo colore, sicut interdum Principes faciunt aliquas leges, vel constitutiones duras, in quas necesse est incidere subditos, & hoc faciunt, vt ab eis pœnas exigant, & est propriè calumnia.* Itaque hoc, aut illo colore interpellant innocuos ad iudicium, vt ab interpellatis prædentur aurum: opponunt iniquas lites, cauillationes, violatas leges, & cum non ignorent nullum fuisse delictum, æquitatis prætextu prædantur aurum: *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt; vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Isai. 10. v. 1. Itaque Scribæ, satellitesque inito fœdere causas confingunt, vt videantur æquitati consulere, & diuitias possint auferre. Ita ad Isaiæ 10. Oleaster: *Nunc talia sunt iura, & stipendia ministrorum, vt vix pauper audeat sua iudicio requirere. Plusquam plura sunt ministris soluenda, quam ea, quæ iusto iudicio se sperat recuperare.* Adnectit: *Posset etiam esse sensus. Væ statuentibus statuta iniqua, & scribis scribentibus oppressionem, vt declinare faciant à iudicio, id est, iudicium tenuium, inuertentes illud, vt rapiant iniquis sententijs bona pauperum. Aliqui pro, oppressionem, vertunt mendacium.* Itaque aliquando scribæ, quibus Respublica indubiam fidem voluit adhiberi, mendacium scribunt, & falsis causis, & veris calumnijs pauperes premunt.

§. XIII.

Sunt, qui potestate ad rapiendum abutantur, & humilium bona prædentur.

NIhil erit securum, nil reperiri poterit firmum, si potestas deflexerit ad rapinam, & impunè invalidis inferre adnitatur offensam. *Decet regiam iustitiam custodire* (aiebat Cassiodorus 10. variar. 28.) *quod à iudicibus benè agentibus fuerit ordinatum, maximè quorum conscientia sic nota, vt nihil incautè, nihil venalitatis studio fecisse videantur.* Iudices decet conscientia purissima relucere, & nulla fraude, aut venalitate fœdari. Quid enim luctuosius accidere posset Reipublicæ, quàm ministros alere ad æquitatem seruandam, & potestate eos abuti ad detestabilem prædam? non audent iniuriam passi mutire, quia verentur indignationem contra se viuidius inflammare: quasi dignitas sit ius ad omnium bona, aliquando qui ea funguntur, impunè grassantur. Miserum est, si potestas, quæ fouere tenetur, institiam, suppetias ferat indignæ cupiditati ad damnabilem prædam. Quod si hoc scelus frequens non esset, ab eo Samuel non se purgasset; studuit tamen in primis ostendere nulla se rapacitate pollutum, aut venalitate obscuratum: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum.* De potestatis abusu loquutum fuisse tradit Abulensis *quæst. 3. Id est, arguatis me de iniusto principatu, si vultis; est autem communiter iniquitas principatus in accipiendo bona subditorum per manifestam violentiam, vel per calumniam.* Itaque subditi non solum subiacent aliquando calumniæ, sed etiam manifestæ violentiæ: & licèt superiores, Principumque ministri sanctis titè legibus debeant obedire, eis contemptis auctoritatem deprauant, & ad rapiendum adulterant.

TEXTVS.

Vers. IV. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam.

§. XIV.

Mirum est, si contra dignitate iam functum argumentatrix non insurgat querela, nec obscurare factitia adnitatur causa.

IVdex adamussim legibus compositus se totius erroris expertem exhibet innocentiæ templum, æquitatis sacrarium, nullum inuidia deprimit, aut blandiente gratia attollit. Frequenter tamen satis non est vita iudicis: aut superioris innocens ad irrationabiliter exasperati vitandas querelas, aut effugiendas calumnias. Quisquis de crimine interpellatus, vel cum altero ad tribunalia descendit iuri suo nimis confisus, si contrariam tulit sententiam, dolorem lenit abrodendo iudicis famam. Arduum est iudicem cunctis placere, & nullam inuidiam pati. *Thebani* (inquit Plutarchus lib. de sui laude) *cùm in crimen vocarentur Prætores, quòd die exeunte magistratus eorum non illicò domum repetissent, verùm finibus Laconicis intulissent arma, & res Messenæ ordinassent, Pelopidam fractum, & supplicem grauatè absoluerunt. At cum Epaminondas multum res gestas extolleret, atque ad extremum paratum emori diceret se, si euasisset ab se Laconiam, instauratam Messenem, socios adiunctos Arcadas ipsi inuitis faterentur: non sustinuerunt tabulas ad ferendum in eum sententiam accipere, sed cum in illius admiratione, gaudioque, & risu sunt digressi.* Quæ Epaminondas egerat, exigebant elogia, & præmia: non tamen defuit inter Thebanos, qui crimen ei obiiceret, & ad tribunal vocaret. Mirum fuit effugisse calumniam, vicisse inuidiam. Hinc mirandus est Samuel quandoquidem post tot præfecturæ annos nullum habuit, qui exulceratus hac, aut illa causa crimen opponeret, aut confingeret. *Testificati sunt* (inquit Lira) *eius innocentiam.* Consonat Theodoretus: *Cùm esset iudex, excedebat à potestate, & eam tradebat, Regierat ergo consentaneum, vt quæ gesserat, narraret, & quòd in Republica gerenda cum laude esset versatus, consentientem haberet populum.* Consentaneum erat, sed difficile adeò, vt miraculi adinstar fuerit nullum pati æmulum, nullam sustinere inuidum, eo præcipuè tempore, quo dignitatem alteri tradebat, & insulas denudabat.

TEXTVS.

Vers. V. Dixitque ad eos: Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt, testis.

§. XV.

Qui anteà dilaudabant, si de aliquo defectu arguantur, obmurmurant, opinionemque arguentis infamant.

LAbia non tam sequi probantur veritatem, quàm affectionem. Vt iudicio officit fauor, sic officere probatur & dolor. Qui permissus, vt ei libuerit, vincere, iudicem laudibus extollet, & superiorem sumptuosis elogiis deprædicabit: si tamen aut digna mulcta puniatur, aut reprehensione aspera castigetur, mutato affectu superioris

superioris abrodet famam, & obscurare adnitetur criminationibus vitam. Vandali, dum Amalafrida regiæ stirpis decus eis grauis non fuit, miris elogiis deprædicauere Reginam: ac dum eis non complacuit, passi non sunt viuere nec priuatam. Adeò à se ipsis distant homines sibi permissi, aut castigationibus, quantumuis iustis emẽdati. Iam populus testimonium innocentiæ Samuelis reddiderat: *Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam.* Reddito innocentiæ testimonio iterum instat, & repetita attestatione fulciri veritatem exoptat: *Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac; quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis.* Otiosum videbatur, cum deposita iam dignitate, & nullo timore cogente Samuelis innocentiam exertis vocibus declarassent; repetitum veritatis testimonium ambire, & vt redderent, procurare. Cur ergo Samuel interrogare iterat, & præfecturam nulla nota ostendere maculatam affectat? Blanditurne vanitati, adulatur superbiæ, quando contentus non est suas semel laudes audire, sed solicitat iterum resonare? Non studu.: (inquit noster Sanctius) innocentiæ testimonium suffulcire superbus, sed prudentissimè cautus oportebat eos modo carpere, errataque obiicere; adeóque distant à se ipsis homines reprehensione exasperati, aut fauore illecti, vt veritus sit, ne obiurgati sententiam demutauerint, & eius innocentiam obscurare contenderint. Sanctium audi: *Homines, maximè qui leui sunt ingenio, atque versatili, aliter solent, quàm anteà de rebus sentire, ac iudicarent certè licèt idem sentiant, quando aliquid audiunt de se, quod minus adlubescit, aliter loquuntur, quam sentiunt, aut rem aliter interpretantur, aut aliquid affingunt veritati, aut occasionem quærunt, vt de aliorum fama indignius loquantur.* Habet affectus nescio quam potestatem in iudicium, aut saltem in eloquium; vndè pro varietate affectus iudicium mutatur, aut verbum: ergo ne aliter Hebræi loquerentur, dum eorum animos reprehensio mœrore contraheret, repetum eius innocentiæ testimonium reddi voluit. Adnectit Sanctius: *Timere poterat, ne in vitam suam durius animati, & reprehensione exulcerati vehementi, aut aliquid fingerent falsò, aut, quæ nunc probant, iniquius improbarent: quocirca nunc de sua integrite publicum, & frequens aduocat testimonium.* Frequens aduocat testimonium, quia dolor inuertere solet iudicium, & pro elogio proferre indignissimum vituperium.

§. XVI.

Corrigentis languent verba, si se infectum agnoscit culpa.

IVdex, superiorque deligitur ad reprimendam audaciam, adseruandamque disciplinam. Auderet iniquitas, ni supra cerucem suam splendere gladium videret; peruersitas glisceret, nisi districtionem adesse nosceret. Optimi iudices ipsis incunabulis reprimere vitia gestiunt, ne, si adulta, induratáque, durè vindicare cogantur; verum quamuis aliorum mores superior ad legis normam adlaboret conformare, ni ipse actionum laudabili puritate resplendeat, haud facile erit consequi: nam si eum aliquis culpæ reatus infecerit, rigida nequit alios coercere sententia, quia delinquentes tuetur à se perpetrata culpa. Obnoxius est iudex reo suo, si auara cupiditate pollutus, si crimine aliquo sordidatus. *Fama erunt nostri temporis tui mores* (aiebat Cassiodorus 6. variar. 21.) *esto vitæ continens, vt possis in alienos esse iudex. Prima æquitas est, à se præsules inchoare, vt debeant crimina nosse metuere, quem nequeunt similem reperire.* Ab omni culparum labe liber tenetur nitere, qui inscendit tribunal, si voce libera crimina velit damnare. Samuel populi iudex frequenti, repetitoque testimonio vitæ suæ, anteactæque potestatis innocentiam probauit: *Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis,* qui populum aggrediebatur arguere; nec si propria haberet peccata, aliena corrigere posset crimina. Ita noster Sanctius: *Quia cùm iniquitas os soleat obstruere eorum, in quibus aliquid est pudoris, & mentis, neque quisquam audet aliis quicquam obiicere, si conscius animus aliquid agnoscat, quod ab aliis sentiat obiici posse, quò ex innocentia explorata audaciam conciperet ad reprehendendum, probatam vult prius Israeli toti suam innocentiam.* Ne verba reprehensionis languescerent, semel & iterum exploratam deprædicati voluit innocentiam, quò prudenti audacia infectari valeret culpam, & quidem perfrictæ frontis esse probatur, qui habet ad reprehendendum audaciam, sentiens proprio crimine exulceratam conscientiam.

§. XVII.

Ea Princeps arte debent erudiri, vt non videantur reprehendi.

MAgna nauclerii peritia agnoscitur, si inter scopulosas syrtes Carybdim, Scyllamque, nauim auriga sens indemnis portum appulisse nosceatur. Potestas sua crimina vetat reprehendi, zelus non permittit ora indebito silentio signari. Vnde opus est concionatori Principem ita instruere, vt eius euitetur inuidia, & effugiatur etiam silentij indecori querela. Saulem impurato spiritu laborantem Dauid aggreditur medicari, ea tamen arte, vt videatur delinire. Sonoræ cytharæ pulsu personat animum, oblectat auditum: *Tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saül. 1. Reg. 16. vers. 23* Notauit non sine lepore Seleucienſis Basilius, *orat. 14. Lyræ melos veluti telum iaciebatur in dæmonem. Quis audiuit trophæum cantibus excitatum.* Contra Philisthæum arripuit fundam, contra Saülem melodiam; nam potestas nisi leniſſimis medicamentis curetur, facillimè exasperatur. Nec aliter Samuel se gessit, cum Saüli traderet potestatem. Sui ipsius caulam egit, dum potestatis administrationem nulla cupidine, aut venalitate pollutam frequenti, repetitóque generalitatis testimonio comprobauit, & Saülem suis factis optimæ gubernationis edocuit formam, & omnem populi vitauit etiam querelam: *Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam.* Samuëlis prudentissimam politiam, & politicam prudentiam commendauit apud nostrum Sanctium Chrysostomus. Audi eius verba: *Prætextu excusationis vtrumque periculum declinauit: illum docuit, cuiusmodi gubernationem esse conueniat, simulque vitauit odium doctrinæ.* Ni Samuel à cupiditate abstinendum edoceret Saulem, silentium populus sugillaret, si clarè instrueret Regem, eius fortassè indignationem incurreret: ergo ea se prudentia gessit, vt nec tacens populi sustineret querelam, nec loquens Regis inuidiam. Prætextu propriæ defensionis vtrumque periculum declinauit: nam vitauit odium doctrinæ, & periculum silentii. Dum se toto gubernationis tempore, cupiditate, calumnia, violentiaque immunem generalitatis testimonio comprobauit, his pestibus gubernatorem non inficiendum ostendit: ergo propriæ causæ obtentu Saulem instruxit, & populi querelas vitauit. Et quidem hac edocendi forma concionatores instruxit, ne Principes, ac Præsules irreuerenter, carpant, & ne damnabili pusillanimitate ora in populi detrimentum contineant.

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. VI. Et ait Samuël ad populum: Dominus, qui fecit Moysem, & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti.

§. XVIII.

Qui aliquomodo offensus alium carpit, non creditur zelo moueri, sed vindictæ desideriis aduri.

ALiquando ab aliis offensus, vt muneri suo satisfaciat, eos solet carpere, & delicta corrigere: verùm cùm, teste Tertulliano *lib. de Patientia, cap.* 10. Summus sit impatientiæ stimulus vltionis libido, sic offensus offendentem erudiat, vt muneris obligationem agnoscatur clarissimè implere, non vindictæ negotium gerere, & honesto colore indignationi inseruire. *Est* (aiebat Septimius) *& alius summus impatientiæ stimulus vltionis libido negotium curans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed & gloria vbique vana, & malitia nunquam non domino odiosa: hoc quidem loco maximè cum ab alterius malitia prouocata superiorem se in exequenda vltione constituit.* Qui malitia offensus offendentis carpit malitiam dolori suo existimatur blandiri, non culpæ mederi. Vndè Socrates serui iniquitate irritatus in aliud tempus corrigere distulit, ne admonitio adscriberetur iracundiæ flammescenti, non admonitioni salubri. *Inde est* (scribit Seneca *lib.* 1. *de Ira, cap.* 15.) *quod Socrates seruo ait: Caderem te nisi irascerer. Admonitionem serui in tempus sanius distulit, illo tempore se admonuit.* Noluit seruum carpere, veritus obiurgationem adscribendam fore non prudentiæ, sed vindictæ. Ob id Samuël virtutis studiosissimus, cùm à populo dignitate fuisset exauguratus, & populi peccata corrigere Dei tenetur vicarius, studiosè curauit, vt agnoscerent correctionis verba à cœlesti spiritu dictari, non ab humano solùm corde prodire: *Et ait Samuël ad popolum: Dominus, qui fecit Moysem, & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti.* Caietanus legit: *Adest.* Ac si dicat: spiritus, qui per Moysem, Aaronémque vos olim edocuit, modò etiam adest, vt mihi inspiret doctrinam, & moueat linguam. Itaque cœlesti spiritu testatur moueri, vt olim Moyses, & Aaron cùm populum de Ægyptia seruitute conati sunt ad ingenuam libertatem transferre. Nam cum ab eis non exiguam accepisset offensam, videri posset vltionis causam solicitare non Numinis gloriam: ergo cauit omnem suspicionis audaciam, ne eneruarit correctionis energiam. Ita Caietanus: *In Hebræo non est verbum, adest; verùm congruè subintelligitur, vt declaret Samuël præsentiam summi Dei subiunctis verbis tanquam ex diuino instinctu procedentibus intendit enim loqui vt Propheta.* Prophetico spiritu eos carpere demonstrat, ne quis putaret ab exulcerato corde admonitionem prodire, & ad iracundiæ solatium carpere, nam si aliqua præcessit offensa, correctio existimatur vindicta, quantumvis à charitate sit orta. Vt Propheta loquitur, & Dei præsentiam adesse sibi testatur. Discant ab aliis exasperati omnem vindictæ opinionem fugere, & si fas fuerit, admonitionem in aliud tempus differre.

TEXTVS.

VERS. VII. Nunc ergo state vt iudicio contendam aduersùm vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris.

§. XIX.

Nulla nobis à Domino conferuntur beneficia, de quibus non sit ratio in iudicio petenda.

COmpellat rationabiliter propitius animus (aiebat Cassiodorus 11. *variarum* 8.) *ne vos vrgeat terror armatus.* Compellat propitia seueritate Samuel Hebræos, vt tot diuinis beneficiis extitisse pudeat ingratos ne diuinæ vindictæ in se ipsos armarint rigorem, ni tantis beneficiis debitam reddiderint gratitudinem. Humana beneficia in Kalendario non debent annotari, sed diuina nequeunt in Kalendario non scribi. *Nemo* (aiebat Seneca 1. *de Beneficiis cap.* 2.) *beneficia in Kalendario scribit: nec auarus exactor ad horam, & diem apellat. Nunquam ille vir bonus cogitat nisi admonitus à reddente: alioquin in formam crediti transeunt.* Obscurat beneficia, qui in formam crediti confert, quandoquidem de illis ratio est reddenda, & ingratitudo damnanda. Ob id Samuel collata à Deo beneficia in memoriam reuocat non ad liberalitatis fastum, sed ad vitandum ingratitudinis detrimentum: *Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersùm vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris.* Hebræus habet: *De omnibus iustitiis Iehova, quas fecit vobiscum.* Quod si inquiras, cur diuina misericordia appelletur iustitia, respondebit Caietanus, diuina beneficia accipientem ita reddere debitorem, vt teneatur rationem reddere, & ni reddiderit, suppliciis soluere. *Beneficia diuina collata & ipsis, & patribus appellat iustitias summi Dei secundum effectum, quia reddebant eos debitores secundùm iustitiam Deo: huiusmodi enim debita sunt materia causa quæ proponitur in hoc iudicio.* Materia iustitiæ in iudicio propositæ erant beneficia collata, vt agnoscerent nihil à Deo hominibus conferri, quin homo teneatur exolvere, & licèt seueritatis specie compellet, ipsa seueritate compellarorum causam humanus agit: est enim amoris signum, ne possit punire, prouidenter admonere. Vtinam nos in memoriam adduceremus accepta à Domino beneficia, ne oblitos vrgeat punitio seuera.

§. XX.

Experti diuinam misericordiam, in hominibus collocamus fiduciam.

PLurimum valent apud homines, quæ ante oculos obseruantur, cùm vtilius sit amare tutiora. Experti sæpe sæpiùs Numinis tutelam, si adurgeat aliquod periculum, hominis solicitant gratiam, & cùm fas esset omnem spem in Domino collocare, malunt ab homine suppetias expetere. *In hac me potiùs parte conspicite* (aiebat Cassiodorus 11. *var.* 8.) *qua latent præsentes. Non est vobis damnum absentia mea, vtilius est iudicem mente nosse, quàm corpore.* Vtilius erat Hebræis Deum Regem liberalitate sentire, quàm Saulem corporeis oculis expectare, & tamen sic illorum animos rapuit aspectus, vt Saul, reiecto Domino fuerit à populo conclamatus. Non ignorabant de ergastulo Ægyptio

Ægypto eorum patres sine Rege fuisse eductos, & stupentibus vndis ad terram promissionis translatos; & cùm tot indubiis experimentis edocti, ad Dominum debuissent recurrere; quia Naas adornabat bellum; humanum voluerunt ducem habere. Ergo Samuël ab eis rationem exigit, cur periculo accincti maluerint confugere ad auxilium humanum, quàm toties experti auxilium implorare diuinum: *Dominus, qui fecit Moysem, & Aaron, & eduxit Patres nostros de terra Ægypti.* Hanc sententiam ita interpretatur Abulensis *quæst. 9. Quasi dicant: Non poterimus habere alium principatum, per quem eruamur ab hostibus, nisi per regalem: quod si fuisset verum, rectè petiuissent Israëlitæ, sed falsum est: poterant enim liberari ab hostibus sine Rege, & hoc probat Samuël inductiuè per maiora pericula Israëlitarum, scilicet ipsi fuerunt in Ægypto in maxima seruitute, & liberauit eos Deus inde per manum Moysi, & Aaron, & hoc sine Rege: ergo poterat eos semper liberare, dato quòd non haberent Regem.* Itaque cùm auxilij diuini idoneum vadem haberent ab Ægypto libertatem, eumque indubio effectu adesse sentirent, etsi Deum oculis non viderent, ea tenuit eos ingrata amentia, vt sibi ab homine salutem potiùs promitterent, nec fiduciam suam in Domino collocarent. Quam frequenter hoc crimen hominibus potest objici. Mulierculæ paupertate pressæ malunt ab homine pudicitiæ iniuria leuamen quærere, quàm à Domino, qui vitam eis dilargitus est, postulare. Vt imminens periculum effugiant homines, Dei iniuria solicitant sibi auxilium, nec Deum implorant, cuius ope indubiè vitassent damnum. Hebræi, dum verentur Naas arma, Regem expetunt, & tot auxiliante Domino, reportatas obliuioni victorias tradunt.

§. XXI.

Ad conscientias cæcis tricis implexas liberandas eligendus est Sapientiæ luminibus præditus, non solùm virtutibus exornatus.

ALiquando variis criminum nexibus ingemunt conscientiæ illigatæ, distorquentur confusis scrupulorum voluminibus impetitæ, quibus sedandis anxietatibus, & medicandis vlceribus eligendus est non solùm moribus expolitus, sed etiam Sapientia ornatus. Nam si desit scientia hærebit sanctitate præditus, & dissoluet tricas doctus: sine luce tenebræ nequeunt depelli, nec sine scientiæ luminibus caligines propulsari. *Interpellantium te ponderibus* (doctum alloquitur Cassiodorus 9. *variarum* 24.) *Sapientissimus arbiter onerabat; tantúmque de animi tui cognita disceptatione præsumpsit, vt in beneficij locum tuum præstaret æstuantibus sine aliqua cunctatione iudicium. Quoties ille te grandæuis proceribus imputauit? dum non sufficerent ad primordia tua, quos tanta longæuitas ætatis instruxerat.* Non quærebat Athalaricus ad perplexas lites enodandas ætate longa maturum, sed sapientiæ luminibus exornatum. Præmiserat: *Reperit conscientia prædatum, & legum eruditione maturum.* Factis edocuit Athalaricus ad expediendos perplexos nodos, & ad cæcas lites enodandas eligendum esse conscientia præditum, & scientiarum eruditione matúrum; nam si desit conscientia, tutum non erit decretum, nec, si scientia desit, consilium. Nec solùm Athalaricus, sed venerabilis etiam Samuël idem nos exhibet documentum. Dum ad Hebræos tetri fumi nebulis obcæcatos, & catenis duris soluendos Moysem, Aaronémque refert delegatos: vtrumque Deus misit, & vtrumque ad vincula cæca exoluenda expedisse monstrauit: *Dominus, qui fecit Moysem, & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti.* Notauit Hugo Cardinalis: *Moyses Sapiens fuit, Aaron eloquens. Hæc duo vult Dns esse in illo, qui mittitur ad populum liberandum.* Dum Moyses omni Sapientia Ægyptiorum instructus mittitur, quis eligendus sit ad conscientias scrupulorum tenebris & criminum nexibus liberandas, ostenditur.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. VIII. Quomodo Jacob ingressus est in Ægyptum, & clamauerunt patres vestri ad Dominum, & misit Dominus Moysem, & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto, & collocauit eos in loco hoc.

§. XXII.

Dei serui, cùm reliqui premuntur inopia, frui solitant abundantia.

QVa Deus erga suos se solicitudine gerat, publicarunt tempora rerum omnium penuria laborantia, & longa sterilitate squallétia. Eliæ tempore, cum longa siccitas diuexaret, & terra visceribus nimio calore duratis aureos messium fœtus non ederet, Eliæ vberi prouidentia destinauit Deus aligeras aues, quæ eum pascerent saporatis eduliis: *Coruis præcepi, vt pascant te ibi. 3. Reg. 17. vers. 4.* Tellus, vt habitantium exundabat sceleribus, sic deficiente pluuia viduabatur maturis fructibus: cúmque lurida fame omnes diuexarentur, sine labore Elias abundanti fruebatur mensa, & limpidissima aqua. *Sub clementia boni Principis* (aiebat Cassiodorus 12. *variar. 7.*) *nihil constat licere fortuitis: quando siniſtros casus corrigunt, qui præstare prosperrimè consueuerunt.* Siniſtrum illum casum Dei benignitas correxit, & Eliam aliis famescentibus abundare disposuit. Quod & Iacob accidisse testatur Samuël. *Quomodo Iacob ingressus est in Ægyptum.* Generalis terram premebat inopia; eam tamen erga Iacob curam gessit, vt benignè à Pharaone exceptus omnibus ad vitam necessariis copiosè abundaret ditatus *Alebat eos, omnémque domum patris sui, præbens cibaria singulis. Genes. 47. vers. 12.* Ægyptij venundabant pecora, seque in seruitutem regiam tradebant, & cum possessionibus priuarentur, Iacob, eiusque familia nouis possessionibus augebantur. *Trade eis terram Iessen.* Notauit Abulensis *quæst. 10. Primò receperunt beneficia, quia Pharao Rex Ægypti dedit eis diuitias multas & plaustra.* Subjicit Tostatus: *Præter hoc autem dedit eis postea terram optimam in qua habitarent, quam ipsi petiuerunt, scilicet terram Iessen.* Cùm alij pecora, possessionésque venderent, & angusta mensa vitam alerent, ea Dei prouidentia est Iacob vsus, vt ditissimas possessiones acquireret, & siligineum panem manducaret. Sæpesæpiùs videbis Seraphici Francisci filios, aliósque dicatos Numini religiosos durissimæ famis tempore necessariis ad alendam vitam exundare, & sine anxiis laboribus calamitatem eludere. Iacob, eiusq; filij fame orbem premente delicato pane vescuntur; & acquisitis possessionibus ditantur.

§. XXIII.

Mundus initio ostensis deliciis allicit, sed durissimè postea premit.

VT venatores, aucupésque fallacia ostendunt oblectamenta, quibus latentia dissimulantur pericula; ita nos mundus dulcissimis spebus, & fallacibus voluptatibus allicit, & semel captos durissimè premit. *Multos ostendam* (aiebat Seneca *de vita beata, cap. 11.*) *voluptatibus obsessos, in quos fortuna omnia*

munera sua effudit. Voluptate alliciuntur grata, sed vt obsessi ingemunt, & fera fallaciam pœnitudine agnoscunt. *Plerisque contingit* (Adnectit Seneca *cap.* 12. *per hilarem insaniam insanire, ac per risum furere.* Insaniunt hilaritate, risu furunt, & qui exterius apparebant beati, interius inueniuntur miserrimi. Fidendum non est voluptatis promissis, nec fortunæ donis: nam, quos munerant, sæpè ligant, & qui exiguo tempore, voluptatibus fruitus, ingemiscit per longos annorum tractus obsessus. Regem petierant Israëlitæ honore allecti, sed Samuel clamaturos posteà prænuntiauit, nec dissimilem ac in Ægypto seruitutem futuram prædixit: *Quomodo Iacob ingressus est in Ægyptum, & clamauerunt patres vestri ad Dominum.* Historiam in memoriam renocat, quam repetere nobis proderit ad doctrinam. Iacob cum nobili familia intrat in Ægyptum plaustris regiis vectus & magnificis promissis inuitatus: opipara fruitur mensa, Iessen tellure moratur optima. Verùm eius posteri obscuris operibus ingemuerunt addicti, & duris ad Dominum clamauere verberibus castigati: *Clamauerunt patres vestri ad Dominum.* Gaudia copiosissimis eiulatibus soluerunt, & qui ingenua vtebantur libertate, ignobili constricti sunt seruitute. *Cùm durius vexarentur Hebræi* (inquit noster Sanctus) *sub Pharaonis iugo, neque spem haberent vllam emergendi ex conditione misera, & ministerio sordido, vltrò Deus, qui in eo populo regnabat, euocauit Moysen à Pastoritia cura, & sapiùs Prouinciam illam recusantem adegit, vt populum in libertatem assereret.* Facilè fuit Ægyptum intrare, difficillimum exire: promiserant sibi Israëlitæ magnis commodis, & honoribus frui, verùm honor desiuit in sordidum ministerium, & successit lamentum gaudio, nec se vinculis expedirent, ni Moyses, & Aaron sæculis retrò inuisa miracula perpetrarent: ergò Samuel Israëlitis prænuntiat miseris eiulatibus posteà clamaturos, & si modo Regem inaugurent, & magnum sibi honorem indè promanaturum existiment. Mundi promissa, tuaque vota solicitè examina, ne sub gaudij crusta durissima latere experiaris lamenta.

§. XXIV.

Benigni Principis est supplicia silentio tegere, & larga manu beneficia profundere.

IVstitiam decet protervos dignis suppliciis corrigere, sed sæuitiam redolet ostentare. *Impium est* (aiebat Athalaricus 9. *variarum* 18.) *nos illis esse remissos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos.* Impiũ esset excessus non punire, & inflictis supplicijs erroribus non obuiare. Princeps ab inflictis pœnis opinionem potestati non quæret, beneficentiam dignius ostentabit. Larga beneficia Principem decent, & tutius est liberalitas metam transilire, quàm seueritate iustitiæ normam excedere. Samuel collata populo à Numine beneficia referens, ait: *Misit Dominus Moysen, & Aaron, & eduxit patres de Ægypto, & collocauit eos in loco hoc.* Si Deus non solùm de Ægypto Israelitas eduxit, sed Ægyptios etiam confusis vorticum voluminibus mersit cur Samuel tacet naufragia, & solùm refert trophæa? Nonne Ægyptios vndis sepelire ingentissimum Hebræorum fuit beneficiũ, quando aliter anxietate gemerent perculsi, & solicitudine diuexati. Ergo referat inflictam Ægyptiis pœnam, non solùm concessam Israelitis victoriam, quando inuidiæ adscribitur deprædicanda tacere, aut aliquomodo decurtare. Profectò Samuel, quia Regem recens electum instruebat licèt Ægyptiis pertinacibus inflicta fuerint digna supplicia, arcano silentio præteriit, & liberali manu beneficia concessa memoriæ protulit, vt nouus Rex ediscceret malos punire, sed de inflictis pœnis non gloriari, adeóque largis beneficiis suos nobilitare, vt silentio nequirent tegi. *Collocauit eos in loco isto* (Abulensis *quæst.* 10.) *scilicet in terra ista optima manante lacte, & melle, & in hoc significantur magna beneficia.* Beneficia narrantur, illata supplicia aquis, & silentio obteguntur: quia vt regium est liberali manu beneficia profundere, ita potestatem de illatis pœnis ostentare videretur sæuum, aut tyrannicum. Referat Samuel à Deo in Israelitas collata, illata in Ægyptios non referat; nam licèt æquitas suaserit miserandum naufragium, regius honor consulebat etiam silentium, quando inuitè geritur, quod silentiosè præteritur. Discat Saul magnitudine beneficiorum obliuionis iniuriam vincere & discat etiam supplicia infligere, sed nullatenus ostentare.

§. XXV.

Sæpè vbi fertilitas floret, & culpa viget.

HAnc sanam, & salubrem formam vitæ tenere memento (aiebat Seneca *epist.* 8.) *vt corpori tantùm indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Durius tractandum est, ne animo malè pareat: cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit aduersus infesta corpori.* Non facilè paret rationi delicijs circumfusus, delicata mensa luxuriam nutrit, generosum vinum noxio præcordia calore accendit, ampla in domo pretiosis marmoribus, & mirandis suppellectilibus splendenti superbia turget, frugalitatem exigit Philosophia: vbi deliciæ nascuntur vbi ad manum est, quod appetitum possit irritare, facilius cupidini obsequitur, quàm rationi. Aliquid loci licentia vel à modestis impetrat, & vbertas frugi esse vetat. Mihi crede, vbi tellus saporatis fructibus nimis luxuriat, virtus marcet, & eodem loco conspicitur vitiorum diuersorium, & virtutis exilium. Seuera quoque ingenia commodis circumfusa delicatè vixerunt, & omisso, aut interrupto cum vitiis bello, de corporibus fouendis tractarunt. Vbi Samuel retulit Israelitas fertili loco collocatos, virtutis adnexuit oblitos. Quæ loci fuerit qualitas, tradit Hugo Cardinalis: *In loco tam nobili, quàm fertili.* Loci fertilitas, & amœnitas animos effœminauit, & ad corrumpendos mores non parum adiuvit. Seuerior loci disciplina firmat ingenium, & voluptatum non permittit fallacias, quæ ad laboriosas tellus pro exiguo cibo cogit angustias. Israelitas Dei subrepit obliuio: *Oblitisunt*, quia loci fertilitas animos eneruauit, & amœnitas otiosam inertiam fouit.

TEXTVS.

VERS. IX. Qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, & in manu Philisthinorum, & in manu Regis Moab, & pugnauerunt aduersus eos.

§. XXVI.

Parum interest Dei beneficia memoriter retinere, ni cures dignis actionibus honorare.

PArum iuvat accepta beneficia non ignorare, ni satagas laudandis actionibus respondere. *Plerique* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentia cap.* 7.) *naufragio liberati exinde repudium & naui, & mari dicunt, & Dei beneficium, salutem suam scilicet memoria periculi honorant.* Dei beneficium memoria honorat, qui naui, & mari dicit repudium, & detrectat iterum subire naufragium. Crimini danda esset memoria, sic nec temeritatem

temeritatem arcerer, nec misericordiam Dei honoraret: attestatio gratitudinis est probitas actionis, nam beneficium depretiat, qui otiosa ignauia non vitat, aut damnanda repetit temeritate periculum, & beneficioris eludit votum. In amœnam, saporatisque fructibus exundantem regionem collocauerat Deus Israelitas de sordidis Ægyptiorum ergastulis non sine prodigiosis miraculis erutos; illi verò etsi non ignorarent accepta, obliuioni Dei tradiderunt mandata *Obliti sunt Domini Dei sui.* Obliuio non deleuit memoriam, sed cùm fas esset iteratis beneficiis digna gratitudine respondere, cassa quodammodo reddiderunt beneficia, dum adorarunt idola, & acceptam libertatẽ deflexerunt ad miseram seruitutem: *Obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor.* Minus peccassent, si prorsus beneficiorum obliti culpis inuenirentur infecti; ea tamen obliuio non auferebat memoriam, sed exaggerebat malitiam. Notauit Abulensis quæst. 10. *Obliti sunt beneficiorum illius non quidem simpliciter, tanquam non recordarentur, quòd Deus introduxisset eos in terram illam, sed obliti sunt quantum ad hoc, quòd non agerent gratias Deo.* Vberes fructus à terra Dei beneficio percipiebant, obliuiscebantur tamen sacris altaribus ad largitoris gloriam offerre, quia malebant idolis figmentis vanissimis consecrare: ergo, vt vidit Deus diuitias, fructusque à se dilargitos ad impietatis, vanitatisque vsum transferri, Sisaræ sæuissimo hosti eos tradidit, vt quod tempus impendebant voluptatibus, occuparent gemitibus.

§. XXVII.

Durius videtur in manus ministrorum incidere, quàm Principem quantumuis asperum sustinere.

PRinceps, quos iugo subiicit, conseruare tributarios contendit, ne dum nimis miseranda oppressione aggrauat, ipsa aggrauatione deperdat. Ast ministri nonnulli principali potestate obarmati, & subiectorum non domini, iniquis solum lucris attendunt, & vt deprædentur, factitiis causis affligunt: *Cùm vos* (aiebat Athalaricus 9. variar. 20.) inferiores ministros alloquens) *Prouinciis nostris, iuuante Deo, annua reparatione præstamus, ne desint iudicia per vniuersos fines Italiæ distributa, intelligimus de inopia iustitiæ copiam venire causarum. Culpa siquidem vestra probatur esse negligentia, quoties à nobis coguntur homines legum beneficia postulare.* Eligebant miseri longa interualla peragrare; vt exponere possent Principi captiosas ministrorum technas, vestitas æquitatis colore iniustitias, tyrannicas, & inhumanas violentias. Nam quis eligeret longè iustitiam quærere, si suis posset in sedibus inuenire. Hinc est, quòd cùm Deus collata in populum beneficia ad impietatis fomentum vidit detorqueri, ingratos in manu Sisaræ magistri militiæ Regis Hasor dereliquit: *Tradidit eos in manus Sisaræ magistri militiæ Hasor, & in manu Philisthinorum, & in manu Regis Moab.* Historiam temporum tenorem non sequi notauit Caietanus: *Non ordinatæ scribuntur historiæ, nam (vt patet in libro Iudicum) prior fuit oppressio à Rege Moab.* Iam se difficultas offert; cur scilicet non dicat Samuel eos tradidisse Hasor Regi, sed Sisaræ eius duci. Si Hasor in eos obtinebat dominium, dicat Hasor traditos, non Sisaræ subditos. O arcanam Sapientiam! Deus in eos indignationem volebat ostendere, & ob id non dixit Asoris subiisse iugum, sed Sisaræ eius ministri asperum, ac intractabile ingenium, nec enim adeo graue esset Regi fuisse subiectos, quam militiæ duci traditos, nam Rex non adeò dirè, & inhumanè tractaret, vt tributũ ab eis acciperet; at Sisara non solum exigebat tributa Principi, sed suæ etiam auiditatis rapacitati: ergo vt durius esset supplicium ministro tradidit, quos Hasor Regi subiecit. Innuit Abulensis quæst. 10 *Iste Sisara fuit quidam magnus dux Chananæorum, & vocatur minister militiæ Hasor, id est, dux, vel rector belli.* A Rege mitiùs tractarentur, à ministro durius affligebantur: ergo vt indignationem exaggeret, non exprimat fuisse Hasor subiectos, sed eius ministris traditos: *Tradidit eos in manus Sisaræ magistri militiæ Hasor.*

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. X. Posteà autem clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruiuimus Baalin, & Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi.

§. XXVIII.

Vera pœnitentia, dum abradit culpam, culpæ appendicem depellit etiam miseriam.

CVlpa secum affert grauissima pericula; & vrgentissima incommoda. Quisquis vitiis inficitur, sibi inuidet, & saluti, quietique imprudentissimè insidias obtendit. Ea verò est Dei misericordia, vt ad depellenda, abradendaque nocentissima hæc venena veræ pœnitudinis hominibus offerat medicamina. Et quidem dum homo dolet, ingemiscitque, venia peccatorum impetrata, mortis operta diruit, & damnationis titulum delet. *Collocauit* (inquit Tertullianus, de Pœnitentia cap. 7.) *in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Adnectit: *Habes iam, quod non merebaris; amisisti enim, quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini acccommodat, vndè restituas, quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, ne dum ampliato: maius enim est restituere, quàm dare, quoniã miserius est perdidisse, quàm omninò non accepisse.* Suã Deus indulgentiã cõmendat, dũ, quã homo acceptam perdiderat felicitatem, per pœnitentiam restituit, nec solùm paratus est imagini suæ ignoscere, sed amissum clemẽti largitate cumulatius instaurare. Collocati in terra promissionis Israelitæ ingenua gaudebant libertate, quam insipienter amiserunt, vt Baalin, & Astaroth inseruirent; verùm, quanta illis incommoda indigna illa seruitus afferret, experti, confugerunt ad lamenta, & abiuratis erroribus asciuerunt sibi pœnitudinis patrocinia: ergo dum proponunt Domino inseruire: *Seruiemus tibi,* dum non erubescunt admissam culpam dolenter fateri: *Peccauimus, quia dereliquimus Dominum*, Deus misericordiam maturans eis prouidit remedium, & ad felicem reduxit statum: *Misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter.* Lamenta confidentiam pepererunt, & abactis hostibus salutem recuperarunt. *Confitebantur Israelitæ peccatũ suum* (inquit Abulensis quæst. 10.) *quia vexatio dabat eis intellectum.* Vexatio erat eorũ oculis pro collyrio, & dum vero pœnitentiæ dolore eliquabãt lachrymas, propulsabant etiam miserias, vt alienis factis ediscas pœnitentiam non differre, si salutem desideras consequi. *Neminem pudeat* (verba sunt Tertulliani iam dati) *iteratæ valetudinis iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidem volentem.* Quid certius?

§. XXIX.

Peccatores damnabili patientia tolerauerunt sæpissimè incommoda, ne deierarent scelera.

Si ab aquis peccare desistimus, necessitate, non sponte innocentiam induimus (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ cap.6.*) *Quis ergo in bonitate præcellens, cui non licet, an cui displicet malo esse.* Liberam voluntatem requiri ad innocentiam reparandam, & ad pœnitentiam ineundam probare contendit Tertullianus, verùm eius verba, scilicet, *necessitate, non sponte pœnitentiam induimus*, sic peccatoribus apto, vt scilicet, nisi graui necessitate adacti, & quodammodo compulsi à vitiorum castris non recedant, nec ad virtutum castra se conferant. Monet ægritudo, & tamen adeò obsurdescunt, vt opus sit mortis periculum iam iam imminere, vt velint sibi consulere: etsi incommoda adurgeant, indurantur iniqua tolerantia, & detestanda patientia, & ni id generis sit calamitas, quæ nequeat tolerari, peccatores nesciunt resipiscere. Ob id Deus pia seueritate ægritudinem aggrauat, tormenta multiplicat, & si fas est dicere, descendit cum pertinaci tolerantia in arenam, vt assequatur victoriam. Israëlitæ post diuisum mare, post demersum Pharaonem, post adeptam vberem, æmœnamque promissionis terram, cùm tot alienis plagis eruditi, & magnificis beneficiis obligati dignum Deo famulatum tenerentur præstare, maluerunt idolis, & insanis adfectionibus inseruire: ergo Deus misericordi seueritate eos inimicis, & quidem duris, tradidit, quo verberibus castigati pœnitentiam arriperent, iniquitatémque deierarent: illi verò ad perferendos labores indurabantur, & ne abjurarent delicta, perferebant damnabili tolerantia flagella: opus fuit calamitatem augere, quousque iam bellis fracti, & durissimo iugo pressi clamauerunt ad Dominum, vt exhiberet illis auxilium: *Pugnauerunt aduersum eos: posteà autem clamauerunt ad Dominum.* Oppressi durissimè clamauerunt, nec ante durissimam oppressionem clamarunt. Notauit Abulensis *quæst.* 10. *Cùm Israëlitæ desererent Deum, tradebat eos in manu hostium, sub quibus manebant aliquanto tempore non clamantes ad Deum. Cùm autem iam duraretur malum super eos, cognoscebant iniquitatem suam, & tunc gemebant ad Dominum.* Non gemebant iniqua patientia armati, quousque calamitatibus disperibant attriti; vt repetere posses, quod aiebat Tertullianus: *Necessitate, non sponte pœnitentiam induimus.*

§. XXX.

Ob patrum merita filiorum temperari solent supplicia.

Optimæ politicæ congruit ob maiorum gesta posteris honorem deferre, vt etiam dignam teneritatem indignationémque temperare. Sputinna Bructerum Regem vi, & armis in regnum induxerat, ferociss imámque gentem terrore subegerat, Cúmque Coctius eius filius vita excessisset, honor illi statuæ decretus est, vt absens pater tantorum gestorum in filio acciperet præmium, & doloris etiam solatium. Ita Plinius 2. *epist.* 7. *Hoc quidem virtutis præmium, illud solatium doloris accepit, quod filio eius Coctio, quem amisit absens, habitus est honor statuæ. Rarum id in iuvene, sed pater hoc quoque merebatur.* Insolitum erat iuvenem ad statuæ honorem peruenire, sed patris ea erant merita, vt eius filio, etiam ætate contradicente, decerneretur statua. Nec aliter ac in dilargiendis honoribus, in suppliciis minuendis, culpisque dissimulandis maiorum debent attendi merita, & egregia honorari facinora. Deliquerat populus vitulum constituens, & debitos soli diuinitati honores impendens; cúmque Deus digna indignatione vellet in idololatras desæuire, sapiens Moyses, vt auerteret supplicia, ad maiorum confugit merita: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum. Exod.* 32. *vers.* 13. Maiorum retulit præclara facta, vt frigesceret ardens ira, quod & assecutus est: *Placatúsque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Merebantur filij duris flagellis puniri, sed parentum merita obtinuerunt attemperari. Notauit Oleaster hic ad mores: *Parcendum ergo illis erat, vt patres gauderent.* Si acris, vt merebantur filij, exerceretur vindicta, egregia viderentur contemni parentum facta: ergo Deus optimæ politices forma filiis pepercit, & parentes honorauit. Nec aliter in nostro Textu accidisse reperies. Afflicti nimis Israëlitæ clamant: *Erue nos de manu inimicorum nostrorum*; & Deus clementer annuit: *Misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephte, & Samuël, & eruit vos.* In libertatem asserti sunt ob maiorum merita, & exhibita Domino officia. Notauit Abulensis *quæst.* 10. *Quamquam indigni essent, Deus exaudiebat eos, quia sic pepigerat cum patribus ipsorum.* Eximia patrum merita fuerunt filiorum propugnacula, & contra aduersitatem auxilia: vt politicus gubernator discat posteris honores impertire, & ob maiorum merita aliquando, si delinquant, dissimulare.

§. XXXI.

Ne silentio maneant sepulta, cœlesti pulsu aliquando sancti sua euulgauere magnalia.

Nil sanctis humilitate charius, optabilius nil, quàm à se egregia facta celare, & humili silentio tegere sciunt humilitatem virtutum esse decus, ornamentum sanctitatis, venustatémque perfectionis, & ob id animitus illam sectantur. *Natus* (aiebat Tertullianus de Christo Domino *lib. de Patientia, cap.* 3.) *adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci.* Eximias virtutes mirandásque lucidis humilitatis tenebris contexit, & & humilitatem edocuit: *Non gestit agnosci.* Humilitas agnosci non gestit, ignorari exambit. Accipe Wetricum *in Allegoriis Tilmani ad Luc.* 15. *Ipsa siquidem est omnium virtutum maxima, cùm tamen virtutem se esse nesciat. Ipsa fere omnium radix, & seminarium, fomes, & incentivum; ipsa cumulus, & fastigium, & custodia & disciplina. Ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consummantur, per ipsam conseruantur.* Itaque humilitas apud virtutis studiosos magno in pretio est; verùm quia aliquando à se egregiè facta aliorum sunt vtilissima documenta, eos cœlestis pulsus sine humilitatis præindicio quodammodo cogit evulgare, & ad Numinis gloriam referre. Samuël modestiæ norma, humilitatis regula gloriosas suas virtutes prodit, & literis asseruandas scribit: *Misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephte, & Samuël, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum.* Clarissimis heroibus se inserunt & magnalia à se perpetrata non tacuit. Quod si inquiras, cur se ipsum inter Israëlitici populi proceres numerauerit, cùm humilitati minus congruat, à se egregie facta referre, quàm silentio laudabili sepelire? Respondebit noster Sanctius, relationem nec ab ambitu, nec ab inani ostentatione profectam, sed maiori Numinis gloriæ dicatam: se Samuel triumphorum retulit instrumentum, vt de instrumenti ignobilitate sumptuosius Dei triumphatoris resplenderet elogium. Sanctium audi. *Quod se ipsum inter Israëlitici proceres numerauit Samuël, humilitati potius tribuendum est, atque modestiæ, quàm ambitioni, & inanium rerum gestarum ostentationi. Eò enim spectat hæc commemoratio ducum, & Imperatorum, quæ*

quos elegit Dominus, & quorum significantur præclarè gesta, vt significetur quid Deus fecerit olim ad vtilitatem & gloriam gentis suæ. Itaque non retulit à se præclarè gesta euanidæ laudis ambitione, sed Numinis gloriæ cupidine: inutile instrumentum se retulit, & magnalium à Deo patratorum gloriam adauxit. Abulensis *quæst.* 11. existimat, vt hæc de se scriberet, cœlesti pulsu agitatum, ne si verè humilis tegat, posteris silentio noceat: *Si Samuël relinqueretur soli arbitrio suo, non dixisset hoc; quia viri virtuosi est laudes suas supprimere: erat tamen Samuël Propheta, & loquebatur ista, quia Deus iubebat.* Samuël vera humilitate præditus à se egregiè facta nec literis mandaret, nec referret, sed humili modestia celaret: verùm quia oportebat ad aliorum vtilitatem literis commendari, & proferri, cœlesti Deus illum pulsu mouit, & motus sine vanitate retulit, & scripsit: *Erat Samuël Propheta, & loquebatur ista, quia Deus iubebat.* Vt Propheta à Deo impulsus, & eius luce illustratus mira sua retulit; sæpè namque Deus, ne à sanctis patrata humilitas sepeliuerit, eos sic mouet, vt ab omni ostentatione alieni, quæ miranda gesserunt proferant, & literis commendata ad posterorum eruditionem relinquant.

§. XXXII.

Nomina sua consecrarunt æternitati, qui egregiè consuluerunt proximorum saluti.

EGregia opera linguam suam habent, qua futuris sæculis proferuntur, & sine ostentatione laudantur. Quærant ab externis monumentis contra obliuionem auxilium, qui gloriosis factis sibi non æternarunt elogium: ast qui Reipublicæ attulerunt incolumitatem, qui proximorum procurauere salutem, operum sibi erexerunt statuam, & sine monumentorum expensis æternauerunt memoriam. Audi Plinium 9. *epist.* 19. de Frontino scribentem: *Vetuit extrui monimentum; sed quibus verbis? Impensa monimenti supervacua est, memoria nostri durabit, si vitam meruimus.* Parum, est si monimentum duobus versiculis euulgarit, quod feceris, sumptuosius epitaphium honestè adeò vixisse, vt per totum terrarum orbem sic nominis tui memoria viuat, vt obliuio nulla sepeliat. Ierobaal, Samson, Iephte, & Samuël sibi non erexerunt statuas: verùm dum pro salute proximorum, & Dei gloria indefessè laborarunt; sine vanitatis fastu, sine plausus ambitione æterna sua nomina reddiderunt: *Misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephte & Samuël, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum.* Leo discerptus, Philisthæus subiugatus, Israëlita in libertatem asserius Samsonis erunt monimenta, quæ nullis temporum adsultibus quibunt obliterari, aut euerti. Innuit Abulensis *quæst.* 13. *Inducit ergo solùm illos iudices, qui liberauerunt Hebræos ab hostibus.* Qui studiosiùs pro salute populi laborarunt, qui aduersariorum ferociam edomuerunt, æternitati literis commendantur, & delendis nunquam elogiis dignissimis referuntur. Nec enim poterant horum Heroum æternitati non conferri egregia facta, quando proximorum saluti, & Numinis consuluerunt honori.

§. XXXIII.

Quos Deus ad proximorum salutem deligit, speciali, ac cœlesti fauore munit.

QVi à Numine ad multorum salutem deligitur, auxiliis competentibus adiuvatur, & quod humanum assequi nequiret studium, perficit robur arcanum. *Filium te* (aiebat Theodericus 3. *variarum* 2.) *præsenti munere procreamus, vt competenter per arma nascaris, qui bellicosus esse dignoscaris.* Fortitudine eximium in filium adoptauit, & ad Martia bella delegit, & quia delegit suppetiis competentibus communiuit. *Damus quidem tibi equos, enses, clypeos, & reliqua instrumenta bellorum: sed quæ sunt omnimodis fortiora, largimur tibi nostra iudicia.* Parum prodesset ad Martia certamina delegare, & armis necessariis non instruere: ergo quem delegit, instruxit. Quod si humana prouidentia armat quos deligit prouidentia diuina; multò melius quos ad aliorum salutem extulit obarmabit, & cum humana desunt subsidia, opportunè exhibebit cœlestia. Hanc veritatem repetitis testimoniis suffulcit Samuël: *Misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum, vestrorum per circuitum.* Gedeon deligitur, & tubis resonantibus hostis euertitur: militantium numerus erat exiguus, sed exiguo numero innumerus hostis iacuit prostratus. Sampson maxilla inauditum retro sæculis reportauit triumphum & vt reportaret, inuictas vires indiderat cœlum. Vt notum omnibus sit arduas difficultates facilè mè vinci, & à Deo electos subsidiis specialibus obarmari. Repetere posset de quolibet horum ducum Theodericus, quod 3. *variarum* 3. scribebat: *Diù nostris ordinationibus geminum mutuatus obsequium, & consiliis particeps eræ, & disposita laudabili assumptione complebas. Subisti sæpè arduæ legationis officium. Restitisti Regibus non impar assertor, coactus iustitiam nostram & illis ostendere, qui rationem vix poterant cruda obstinatione sentire. Non te terruit contentionibus inflammata regalis auctoritas: subjugasti quinimò audaciam veritati, & obsequutus ordinationibus nostris in conscientiam suam barbaros perculisti.* Non esset Gedeoni facile innumeros barbaros effugare: nequiret Samson leonem discerpere: non posset Iephte hostium insolentiam reprimere: fas Samuëli non esset Philisthinum depellere, ni insolita adfuissent auxilia, & stupenda hostes debilitarent miracula; verùm quia à Deo ad salutem cæterorum electi auxiliis specialibus sunt muniti, miris coronauit triumphis, quos arduis destinauerat præliis. Notauit noster Sanctius: *Quæ de illis antiquis heroibus sacra narrat historia, non ab illis gesta sunt, sed per illos à Deo, qui & pugnandi formam præscripsit, & ad victoriam animos inspirauit, & vires.* Eas Deus inspirabat vires, vt insolita depræliandi forma vincerent, & hostem vel solo cantu terrerent: ergo qui à Deo electus ad proximorum salutem, quantumvis, viribus, imbecillus, cœlestia sperat auxilia, & de hostibus præsumat trophæa, nam quos Deus delegit, suppetiis competentibus communiuit.

TEXTVS.

VERS. XII. Videntes autem, quòd Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis, cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis.

§. XXXIV.

Reprehensibilis est, qui magna vicit, & in exiguis defecit.

NOnnunquam qui eximiis virtutibus arduas appetituum lites, & captiosas dæmonum technas detriumphauit, reculis captus est, & affectioni adulatus, aut euanido timori blanditus perfectionem amisit, & à virtute desciuit. Iurè illæ virgines reprehenduntur, quæ carnis adsultibus superatis somni blanditiis illigatæ dormierunt, & inerti otio reportatos de hoste grauissimo triumphos obscurarunt. Iure Acham rubore suffunditur, qui Iordane transacto, hostilique

muro diruto, aliquo de anathemate pollutus, & captus est: *Tulit aliquid de anathemate. Iosuë 7. v. 1.* Veste coccinea iacuit victus, qui murum diamantinum transgressus. Id ipsum Samuël improperat Israëlitis; nam cum sæpesæpiùs grauissimis periculorum vorticibus cincti à Dei principatu nullatenus resiluissent, vt Naas bellum adornare audierunt, Regem, qui in campum prodiret, armáque tractaret, obstinato animo postularunt: *Videntes, quòd Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis, cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis.* Huius sententiæ scopum fuisse, Israëlitas rubore suffundere tradit Abulensis *q. 13. Est increpatio, scilicet quod in omnibus periculis supra positis, quæ erant magna, liberauit Deus Israëlitas sine Rege, nunc autem præsente periculo paruo Regem petierunt.* Aliqualem excusationem haberent, si magnis periculis oppressi Regem petiissent; at magnopere reprehensibiles erant, qui exiguo periculo cesserunt ignaui, cùm grauissima superassent strenui: est enim indecorum magna vincere, & exiguis cedere.

§. XXXV.

Quantum de creaturis imprudenter confidimus, tantum diuina auxilia tardamus.

Ille à te deuotionem petit (aiebat Cassiodorus 3. *variar. 2.*) *qui te magis defensare disponit.* Deus à nobis specialem deuotionem exigit, quia nos prouida vigilantia defensat. Tantum adimes cœlesti solicitudini, quantum religiosæ ademeris confidentiæ. Qui à creaturis mutuatur auxilia, sibi tardat beneficia cœlestia. Euanidæ spes aduersantur saluti, & creaturis imprudenter confidere, est cœlestem erga se tutelam quodammodo depretiare. Deus non solùm generali dominio Hebræos gubernabat, sed vt vnicus, & specialis Rex eorum curam gerebat; verùm qui vni Deo obsequentes assequuti sunt de inimicis trophæa, maluerunt hominem deligere, eiusque arbitrio pacem commendare, tractare arma & committere: *Videntes quod Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis, cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis.* Quæ inimici Israëlitis possent desiderare, ipsi repetitis instantiis desiderarunt, & toties experti miranda in certamine auxilia, humanum ducem delegerunt ad bella. Notauit Abulensis *q. 14. Quia Hebræi petierunt sibi Regem hominem, abiecerunt Deum, ne regnaret super eos: nam in eodem regno duo Reges speciales esse non possunt: assumpto ergo aliquo Rege inter Iudæos, iam non habebant Deum in Regem quantum ad specialem principatum.* Specialem Dei amiserunt prouidentiam, dum in homine collocauerunt fiduciam, & dum imprudenter exambiunt commoda, cœlestia, propulsauerunt auxilia. Iam Deus, qui titulo speciali antea eis fauebat, generalis dominij titulo gubernabat. Iam peculiaria præstare subsidia non tenetur, dum ab Israëlitis, ne vnicus regnaret, abijcitur. Quam illis fuit inglorium, vt se subjicerent homini, officia negare debita Numini! Cæca fiducia securum eis abstulit in periculis auxilium, & maturauit lamentum.

§. XXXVI.

Superioris est nota alium subiectos suspirare, & anxiis votis exquirere.

VT regentis est gloria communi assensu celebrari; sic est iniuria si alius suspiretur, & anxiis desideriis quæratur. Sicut generaliter dilecta præclara sunt, sic quæ generaliter respuuntur ingrata. *Si paucorum amor* (aiebat Cassiod. gubernatorem allaudans 3. *var. 5.*) *iustè iam gloria est tantæ ciuitatis affectu, quod potest habere præconium.* Vt grande præconium est cunctorum suffragiis expeti, sic est inglorium anhelis alium votis desiderari; nam licet cæca imprudentia desiderando erret, errando etiam aliqualem notam inurit. Munus rectè gerere non putatur, si alius anhelis votis expetitur. Hanc illatam Numini iniuriam semel & iterum Samuël inculcat, & accepta à Numine beneficia in memoriam reuocat; vt notum sit fuisse alium Regem expetitum non aliquo gubernantis defectu, sed cæcissimo delirantium pruritu: *Videntes quod Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis, cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis.* Inquires, cur toties exprobret Regem alium desideratse? Cur tot trophæa de inimicis reportata, Deo regnante retulerit? cur per circuitum confidenter habitasse in memoriam reuocarit? Quia licet in suspicionem nequeat venire Deum ritè gubernatoris munus peregisse, nec opus fuerit tot testimoniis probasse, anxium illud populi desiderium rectori erat quodammodo inglorium: & dum vagam populorum voluntatem circa eligendum Regem liquebat conuenisse, Samuël repetitis argumentis, manifestis miraculis, frequentibus testimoniis ostendere aggreditur manifestè deliraſſe. Itaque Numinis deprædicandam gubernationem tot euidentibus argumentis declarare oportuit, & amentiam ingratorum ostendere, ne Numinis gubernatio aliqua denigraretur nota, aut suspicaci obscuraretur malitia. Audi Abulensem *q. 14. Dixerunt: Rex noster pugnabit bella nostra pro nobis, quasi iam non faceremus mentionem de Deo, quod pugnaret pro eis, & in hoc abiecerunt Deum, ne regnaret super eos specialiter, cùm ante hoc habuisset regnum, & hoc grauiter tulit tanquam iniuriosum.* Alterius votum erat tunc regentis dehonestamentum, quando innuebant munus ritè non gerere, sed dominio abuti, & quamvis manifesta esset nouam regiminis formam expetentium insania, Numinis aliqualis erat iniuria, cámque suspicionem contra tunc gubernantem inducebat generale alterius desiderium, vt Samuël repetitis argumentis optimam Dei gubernationem asseruerit, & quæ oriebatur à communi clamore, notam propulsarit: vt discas quàm lædat regentis famam alium expeti, & quam ingeneret suspicionem anhela solicitudine procurari.

TEXTVS.

VERS. XIII. Nunc ergo præsto est Rex vester, quem elegistis, & petistis: ecce dedit vobis Dominus Regem.

§. XXXVII.

Deus multa concedit iratus, quæ denegaret propitius.

Tanto diuinitati plurima debemus (aiebat Athalaricus 8. *variarum 24.*) *quanto à cæteris mortalibus maiora suscepimus.* Plurima debebat diuinitati Israëlita, quando præ cæteris mortalibus speciali Dei potiebatur imperio, non solùm generali dominio: & quando pro tanto munere nil idoneè poterat compensare, cæco, & ambitioso pruritu ausus est Regem ad arma tractanda petere. Restitit prudenter Samuël quantis se difficultatibus implicarent, apertè expostuit, & quàm ingratè se erga Deũ gererent, exprobrauit: illi verò nec tot beneficiis obligati, nec difficultatibus, aut periculis deterriti obstinato animo Regem sibi dandum institerunt: ergo Samuël ab eis electum, ac petitum replicat,

ne experti calamitates Deo Regem eis dedisse imprudenter adscriberent,& clamarent: *Nunc ergo præsto est Rex vester, quem elegistis, & petistis: ecce dedit vobis Dominus Regem.* Regem dedit, sed vt eorum imprudentiam puniret, vt audaciam castigaret; Regem dedit iratus,& ingratè à populo abiectus, cum tot retrò sæculis non concessisset propitius. Audi Abulensem *quæstione 14.. Ecce Dominus dedit vobis Regem non gratis, sed ad petitionem vestram importunam. Vide ex hoc non debet concludi, quod non peccauerint, cùm Dominus eis dedisset Regem, quia non dedit tanquam vellet, & gratum haberet, sed quia importuni erant Iudæi, dicentes: Nequaquam, sed Rex constitue nobis. Deus autem interdum multa concedit iratus, quæ non concedit placatus.* Iratus dedit, quod delirans Israëlita importunis precibus expetiuit: vtque suæ insaniæ, non diuinæ prouidentiæ adscribat incurrisse calamitatem, publicitus ostendit Dei nomine Samuel Regem fuisse electum ad eorum iteratam, importunámque petitionem. Sunt namque qui Dei prouidentiam infamare tentent querelis, cùm infortunia sua anhelis solicitauerint votis.

§. XXXVIII.

Ratò, si noxia nobis expetimus, quousque infeliciter assequamur, desistimus.

TVnc solùm multorum vaga voluntas constans perseuerauit, cùm nocitura sibi expetiuit. Inexperta velle adscribendum est leuitati, sed post notitiam insistere in expetendis nociuis, vertendum est imprudentissimæ obstinationi. Facilè ab honestorum prosequutione retrahimur, stultis desideratis insistimus. *In quantum ignorantia segregaris* (aiebat Tertull. *de Pœnitentia, c. 5.*) *in tantum contumaciæ agglutinaris. Nam sidicrò te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desisti? Neque enim timorem alia res, quàm contumacia subuertit.* Contumacia vitiis peccatores agglutinantur, pœnitentia leuius abolitionem scelerum prosequuntur. Qui dignitatem suspirat, qui diuitias exambit, qui voluptatibus inseruit, pedem non referet, quousque assequatur inania vota, & sibi nocentissima desideria. Promiserant Israëlitæ Deo inseruire, & vt peculiari eorum Regi parere. *Erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi.* Facilè demurarunt sententiam, & nouâ expetiuerunt regiminis formam; cumque Samuel multimodis eorum insaniam conatus fuerit reprimere, offirmato animo institerunt, quousque Regem, quem desiderauerant, impetrarunt: *Nunc ergo* (ait Samuel) *præsto est Rex vester, quem elegistis, & petistis.* Ac si diceret: Iam consequuti estis vota, nec aliter vestra quiescere potuit insania. Hinc voco quod aiebat Tertull. iam datus: *Comparationem videtur egisse, qui vtrumque cognouerit, & iudicato pronuntiasse eum meliorem, cuius se rursus esse maluerit.* Maluerunt facta comparatione homini subiacere, quàm Numini. Consonat noster Sanctius: *In suum malum populus obstinato consilio Regem efflagitauit, neque destitit, donec tandem extorsit.* Qui pro Rege Deum habere proposuerant, sententiam citò mutarunt; qui hominem in Regem depoposcerant, quousque extorserint, non destiterunt. Vt noueris, quàm nostra thesis sit vera, scilicet peccatores, si noxia sibi expetiuere, nullatenus quousque assequantur, desistere. Vtinam ea animi firmitudine virtutis alumni assequi conarentur perfectionem, qua vitiorum assectæ prauitatem.

TEXTVS.

VERS. XIV. Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini, eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.

§. XXXIX.

Dei patientiam exasperat, qui vt delictis excusationem obtendat, eius præcepta durissima publicat.

DElinquere est fragilitatis humanæ, sed pernicaciæ exoculatissimæ, vt delictorum excusationem prætendas leue virtutis iugum durissimum infamare, quasi vires subiectorum excedat iussionum asperitas,& præceptorum rigiditas. Cùm principalem deceat prouidentiam fessa fouere,& asperitatem lenire; qui principis iussa aspera conqueritur, notam incussisse dignoscitur, fragilitatisque culpam vult esse præcipientis contumeliam. *Decet* (aiebat Cassiodorus *4. variarum 19.*) *principalem prouidentiam fessa refouere, vt asperitatem casuum mitiget lenitas iussionum.* Regalem commendat prouidentiam iussionum lenitas, vt asperrima infamat rigiditas: ergò qui Numini asperitatem adscribit, eius prouidentiam lædit. Ob id Samuël monet Israëlitas hoc periculum deuitare, ne contingat iustam Dei indignationem incurrere: *Eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis sequentes Dominum Deum vestrum.* Qua lege? *Si non exasperaueritis os Domini.* Os Domini exasperare idem esse ac præcepta aspera reputare, laboréque in præcepto fingere, secundùm illud: *Qui fingis laborem in præcepto. Psal. 93. vers. 20.* Tradit Hugo Cardinalis: *Non exasperaueritis, id est, non reputaueritis mandata eius aspera.* Qui asperitatem mandatis arrogat, culpam suam leuigat: ergo monet Propheta, vt si fortè deliquerint, fragilitatem suam agnouerint: nec de præceptis Domini murmuraverint: est enim non ferendum, delinquere,& culpam intractabili Numinis ingenio insipienter arrogare.

§. XL.

Deum amaritudine replet, qui ad infligenda supplicia cogit.

DEus ex se benignissimus in omnes vult larga beneficia diffundere, & dilargitis muneribus exornare. Inexhaustus liberalitatis fons riuulos lucis spargit,& se ipsum quodammodo debitorem suæ generositati constituit, ita vt exhibita gratis obsequia, debita arbitretur tributa. Audi Tertullianum *de Patientia cap. 2. Iam primum qui florem lucis huius super iustos, & iniustos æqualiter spargit; qui temporum officia, elementorum seruitia, totius genituræ tributa dignis simul, & indignis patitur simul occurrere.* Expende illud: *Genituræ tributa*, quasi solvat debitum, non largiatur beneficium. Hinc vt ingenio suo blandiatur, se ipsum ostentat benefaciendi studiosum, immò aliquomodo sibi detrahit ne supplicia infligendo amaritudinem subeat. Redeat iterum Septimius: *Sustinet ingratissimas nationes, ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes: luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidiè insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat. Plures enim Dominum idcircò non credunt, quia sæculo iratum tandiu nesciunt.* Inflicta supplicia testarentur dominium, patientia animum prodit paternum, eaque est diuina bonitas, vt si fas est dicere, malit dominum non haberi,

quàm

quàm patrem non iudicari. Hinc est, quod ad supplicia irroganda perueniat amarus, cum ad misericordiam festinet lætus. *Quasi parturiens loquar* (aiebat apud Isaiam) *dissipabo, & absorbebo simul. Isai. 42. v. 14.* Quæ parturit mulier, doloribus adurgetur, & periculis contristatur: ergo Dominus ad supplicium veniens parturientis subit anxiam tristitiam, & adurentem molestiam. Huc voco Vverrici verba in Allegoriis Tilmani ad Luc. 15. *Quasi plus cruciavet misericordem compassio miseri, quàm ipsum miserum passio sui.* Compatitur, dum nostras culpas compulsus punit, nec quid illi amarius, quàm miserum plectere. Cum de ore eius exacutus gladius exiret, quasi in camino exarsit pes eius. *Fedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti... & de ore eius gladius utraque parte acutus exibat. Apoc. 1. vers. 15.* Vtraque parte acutus erat gladius, quia ipse pungebatur pungens, & ad hæc, patiebatur etiam ardentissimas flammas, fundere coactus vltrices iras. Hinc discès, cur semel, & iterum Samuel admoneat Israëlitas, ne exasperauerint Dominum: *Non exasperaueritis os Domini.* Et iterum: *Si non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos.* Idem esse exasperare, ac felle, amaritudineque replere, docet noster Sanctius: *Id est, exasperare os, vt aliquid nempè asperum, & acerbum loquatur, aut exasperare sermones, quod statim dicitur. Id aliquando feciſſe Samariam queritur Oseæ cap. 14. Pereat, inquit, Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.* Itaque si inquiras, cur repetitis monitis suadeat Deum non exasperare, inuenies idem esse ac ad supplicium acuere, & absynthio acerbissimo replere, dolet namque Deus supplicia nobis infligere, vt eximiè gaudet suis nos muneribus adornare.

§. XLI.

Virtutem sequi est virtutis præmium, & deprædicandum elogium.

DEO *parere* (aiebat Seneca *de vita Beata, c. 15.*) *libertas est.* Non gaudet libertate vitiorum vernula, felicitate non fruitur, qui felicitate vmbratili, fucatáque fallitur. *In virtute* (adnectit Seneca *cap. 16.*) *posita est vera felicitas.* Si in aliquo alio, scilicet edacitate, luxuria, ornatúve fortuna consisteret, feliciora nobis essent animalia, robustiori stomacho, & viribus validioribus prædita. Splendidus, & discolor auium ornatus fœminarum vincit studium, & mentitæ pulchritudinis apparatum. Nil deesse potest virtutis alumno, non titubat supra firmam basim positus. Vt hanc nos veritatem edoceat Samuel, audi quid dicat: *Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini,* Quid: *Eritis & vos, & Rex vester, qui imperat vobis sequentes Dominum Deum vestrum.* Expectabas magna præmia, salutem, honores, felicitatem, & solum audis in virtute perseuerantiam, & constantiam in Domino sequendo firmam. Deum audire, Deum non exasperare, Deum timere eximia probantur officia: ergo nanciscantur eximia præmia. Cur ergo nil aliud addat, quàm Deo inseruire, & iteratis officiis prosequi? Quia nullum aliud ex istis adiacentibus adeo eximium virtutis præmium est, vt in virtute perseuerare, & honesta amplecti. Audi Senecam iam datum. *Nil cogeris: nullo indigebis: liber eris, tutus, indemnis: nihil frustra tentabis: nihil prohibeberis. Omnia tibi ex sententia cedent: nihil aduersum accidet, nihil contra opinionem, ac voluntatem. Quid ergo? Virtus ad viuendum beatè sufficit, perfecta illa, & diuina.* Philosopho noster Sanctius consonat: *Hoc idem est ac si diceret: Regnabit in vobis Deus.* Itaque virtutis præmium est Deo parere, & eius mandatis adamussim obedire. Quid deesse potest extra desiderium omnium posito? quid erit opus ei, qui omnia in se colligit? quod vestigia virtutis sequentem periculum perturbauit? Qui Deum non sequitur, quantumvis se altiùs efferat, quantumvis diuitiis affluat, dura catena premitur, se pro libero habet, sed seruus est, & quidem miserrimus. Ergo vti magnum virtutis præmium proposuit Samuel in virtute perseuerare, & Deum vestigiis non vacillantibus sequi.

§. XLII.

Virtus nequit præmiis dignissimis non coronari, & ideò superfluum videtur exprimere.

FOeneratorem fallit decoctor, mare serenitate promittit, sed naufragium affert. Præmia offert Iacobo Labanus, sed post anxios labores solùm invenit pro Rachele Liam, asperúmque soceri supercilium, & Ieuiris impositum rapinarum dehonestamentum, Deum illum alloquutus aiebat: *Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum. Gen. 31. vers. 3.* Inquires: Si Laban præmium Iacob arbitrio relinquit, vt seruiat: *Constitue mercedem tuam, quam dem tibi. Genes. 30. vers. 28.* Cur Deus non offerat mercedem, vt pareat? Estne Deus Labano auarior? parcior ne est? Minimè: sed dum de præmio tacet, necessariò præmium reddendum virtuti docet. *Virtutem omnium* (aiebat Seneca *epist. 81.*) *pretium in ipsa est. Non enim exercentur ad præmium: recte facti, fecisse merces est.* Pro præmio sibi ipsa virtus est, ipsa ad laudem, & gloriam sibi est satis; verùm licèt sibi satis sit, illi nequit deesse laudis elogium, & beatitudinis præmium: verum cùm necessariò virtutem sequatur præmium, exprimere videtur otiosum, quia obtinendum fore est indubium. Promittat Laban mercedem, vt Iacobum allexerit ad laborem, quia dubium est, an respondeat labori præmium, immò non est dubium pro præmio sustinendum supercilium. Ast Deus, dum se offert comitem, arcanè de præmiis taceat: nam qui Deum sequitur, nequit debitis præmiis fraudari, qui sequitur mundum potest vanis solum spebus eludi. Ob id Samuël contentus fuit populum adhortari, vt Deum dignis prosequeretur officiis, & tacuit, quia assequenda necessariò, de præmiis: *Eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.* Si Deum sequantur, ducem, & auspicem semper habebunt, & calamitatem frustrabunt. Adest noster Sanctius: *Dicuntur planè illum Regem habituri ducem, & auspicem, qui viam ostendat, expediatque, & suam quoque manum ad pugnandum admoueat pro ipsorum salute.* Vbi hortatus est Dominum sequi, salutem, & felicitatem promisit, nec exprimere fuit necessarium, qui nunquam præmiis religiosum caruit officium.

§. XLIII.

Prudentis est non expectare trahi, sed sponte sequi.

PLura sunt, quæ velis nolis, efficies, nam etsi voluntas desit, vis coget. In his prudens de ipsa necessitate gratum procudit obsequium, & mavult deuote obsequi, quam ad obsequelam violenter trahi. *Habebit in animo* (aiebat Senec *de vita beata cap. 15.*) *illius voluntatis præceptum: Deum sequere. Quisquis autem queritur, & plorat, & gemit: imperata facere vi cogitur, & inuitus rapitur ad iussa nihilominus. Quæ autem dementia est trahi, quam sequi.* Stultus quodammodo est, qui status sui non ignarus tentat iugum excutere, si quantumvis reluctetur, nequit vitare. Superioris iussis standum est aut vi, aut sponte. Sibi inuidet, qui reluctantia laborem addit,

addit; vt consulit sibi, qui prompta obsequela difficultatem præcepti lenit: à se ipso prudens laudabiliter exigit, quæ promisit, ne coactio operis auferat venustatem, obsequelæque pulchritudinem. Ob id Samuël Israëlitas admonet, ne os Domini exasperent eius iussionibus reluctando, sed vti ducem sequendo: *Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini, eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum.* Ac si dicat: Cùm impossibile sit Dei dominium effugere, conducibilius vobis erit sequi, quàm trahi: ergo estote non exasperantes, sed obsequentes: est enim stultum dominium non posse effugere, & effugere tentare. *Morbos dico* (adnectit Seneca) *funera, debilitates, & cætera ex transverso in vitam humanam incurrentia: quidquid ex vniuersi constitutione patiendum est, magno excipiatur animo: ad hoc Sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est.* Ducitur aliquis à Deo per ægritudines, per paupertatem, per dolorem; cumque non sit in eius potestate vitare reluctantia, consultius erit sequi ductorem patientia: ergo quocumque ducat, inquit Samuël, Deum sequimini; nam, velitis nolitis, ad hæc perferenda trahemini. Fuge hanc stultitiæ notam; est namque aut stultitia, aut dementia non sequi, sed trahi. Consonat noster Sanctius: *Cùm Rex, & alij dicuntur sequuturi Deum, dicuntur planè illum Regem habituri.* Indubiè Deum habituri sunt Regem, qui, quà voluerit, ducat: ergo vtilius erit spontaneè sequi, quàm inuitè trahi.

§. XLIV.

Magnum virtutis est præmium superiorem sortiri Deum sequutum, & virtutibus exornatum.

Miserum est Principem, superioremve sustinere specie hominem, sæuitiâ tygrim. Aliqui cùm subditorum eis tradita sit tutela, immani furunt sæuitiâ. Quid miserius, quàm deuoueri imperantis iræ, aut amentiæ? *Quis non* (aiebat Seneca *de Clementia, c. 19.*) *Vedium Pollionem peius oderat, quàm serui sui, quod murenas sanguine humano saginabat, & eos, qui se aliquid offenderant in viuarium: quid aliud quam serpentibus, obijci iubebat.* Miseri serui Pollionis dominio traditi, cuius auribus adulabantur tristes gemitus, cuius oculis gratum erat spectaculum sævus deseruientium cruciatus. Ob id Samuel, vt Israëlitis suadeat virtutem colere, Deique præceptis obedire, promittit Regem morigerum, & cœlestibus iussis attemperatum: *Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini, eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.* Inquires, cur vt facilius ad virtutes alliciat, non offerat in præmium prolixam vitam, prosperam fortunam, pacem tranquillam, sed Regem Deum sequentem, quod potiùs est Regis commodum, quàm populi præmium? Immò omnia hæc promisit (inquit noster Sanctius) quandoquidem nullum temporale angustius, & excellentius est præmium, quàm sortiri Principem Dei imaginem, qui suis prospiciat, & eorum commodis prouidenter attendat. Hoc namque vno verbo & Reipublicæ tranquillitatem, & contra hostiles impetus arma, & contra sceleratos promisit munimina. Magnum Dei munus Reipublicæ Princeps prouidus, ac optimis moribus exornatus: *Cùm Rex & alij dicuntur secutari Deum, dicuntur planè illum Regem habituri, ducem, & auspicem, qui viam ostendat, expediatque, & suam quoque manum ad pugnandum admoueat pro ipsorum salute.* Grande meritorum elogium est à Deo obtinere superiorem, & Principem, qui potestate non abutatur, nec suæ voluptati, & cupiditati aduletur, sed qui suorum saluti, & securitati prouideat egregiis dotibus clarus, & virtutibus expolitus.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. XV. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.

§. XLV.

Grauius aliquando punit Deus, eius ministros, & prædicatores parui pendere, quàm aliis vitijs delinquere.

Sæpissimè Deus per nuntios, concionatoresque suos ad salubrem nos pœnitentiam vocat, & suæ iracundiæ seueritatem denuntiat; quibus vti Dei ministris, eiusque personam gerentibus & gratum debetur obsequium, & honoris vtiliter exhibetur officium. *Virum venerabilem* (aiebat Cassiodor. i o. *var. 22.*) *Sacerdotio clarum, doctrinæ laude conspicuum, legationis nostræ ad pietatem vestram fecimus vota deferre. Confidimus enim in virtute diuina, quod & suis meritis vobis abundè placeat, & desideria probatæ petitionis obtineat.* Nostræ salutis desiderium per legatos suos diuina majestas intimat, & felicem euentum anhelis votis expectat. Vtque legatis debitum deferre honorem est delegantis obsequium; sic parui pendere est probrum. Et licet culpa quævis diuinam prouocet iracundiam, quæ in suos legatos perpetratur, indignationis viuidius accendit flammam. Ieroboam, quantum in se est, cœleste Numen diuinitate exaugurat, dum idolis execrando altari sacrificat; altare scinditur, vt defuso cinere splendor veritatis nascatur: *Ecce altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est. 3. Reg. 13. v. 4.* Ieroboanus, quam ad offerenda idolis thura manum extẽderat, contra Prophetam emisit, & quia emiserat, exaruit: *Extendit manum suam de altari dicens: Apprehendite eum, & exaruit manus eius, quam extenderat contra eum.* Mira res! Manus ad sacrilegum altare extensa non arescit, & de altari contra Prophetam missa iam marcet. Nonne idola colere grauius, quàm Prophetam apprehendere? ergo maiori iure debuit sacrificando neruis resolui, quàm Prophetæ minando debilitari? Cur ergo extensa versus altare vigeat, & versus Prophetam marceat? vt hoc facto (inquit Glossa Moralis) noueris quàm exulceret cœlestem iram prædicatores contemnere, & eorum monita parui facere. *Per hoc ostenditur obstinatio peccantium, qui ad verba prædicatorum non conteruntur, & quod peius est, eos aliquando persequuntur.* Grauiori exterius pœna mulctatur in Prophetam audere, quàm in ipsum Deum delinquere, quasi durius puniat Deus; quam propriam iniuriam, legatis suis illatam irreuerentiam. Nec obscurè significanit id ipsum Samuel, dum semel, & iterum os Domini, eiusque sermones non exasperare Israëlitas admonuit, ne duram eius manum ingemiscerent experti, & dignis pœnis mulctati: *Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos.* Et supra: *Non exasperaueritis os Domini.* Rogabis, cur armetur manus in eos, qui sermonem, & os Domini exasperant, cùm alia delicta aut patienter sustineat, aut mollius corrigat? *In digito Dei* (aiebat) *ejicio dæmonia. Luc. 11. vers. 19.* Si truculentum adeò hostem castigat digito, cur armet in proprios subiectos manum? Audi ab Hugone Cardinali, vt nodum soluas, quid sit os Domini exasperare: *Os Domini dicit Prophetas Domini, per quos Dominus loquitur.* Dum Prophetas ad se delegatos

non audiunt, dum dehonestant, dum eorum comminationes parvipendunt, manui ministrant arma, quibus inferat horribilia supplicia; ergo docet, ni quis velit experiri extensam contra se manum, Dei reuereri ministrum, vt notum omnibus fuerit admissam contra se culpam patienter sæpesæpiùs dissimulare: ast in ministros suos perpetratam rigidè, ac seuerè punire.

§. XLVI.

Priuatus punitur ob culpam propriam, superior sæpè ob alienam.

SÆuitia, & nimia rigiditas à probo superiore exulet. Quid enim ferina rabies assequetur nisi contumacem resistentiam, & durissimam pervicaciam? *Grauior multò pœna videtur* (aiebat Seneca 1. *de Clementia cap.* 22.) *quæ à miti viro constituitur.* Pœna à miti inflicta, dum clarius ostendit culpam, depellit etiam querelam; verum vt nimia rigiditate peccatur, sic etiam inerti indulgentia delinquitur. Facit enim consuetudinem peccandi facilitas parcendi. Curandum est superiori, ne nimia patientia insolescat culpa: nam vt delinquens supplicium meretur admissa culpa; ita etiam superior pœnam meretur reprehensibili patientia: *Si non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.* Et cur non audientium sermones, & os Domini exasperantium patres puniantur? Exerceat in exasperantes vindictam, sed eorum patribus non inferat pœnam, quando delictum non est patrum, sed filiorum. Nomine patrum (inquit Abulensis) superiores, & Principes appellauit, non solùm vt nouerint se non tam subiectorum dominos, quàm parentes, sed etiam vt vereantur se solùm exhibere patres, quandoquidem sunt ad punienda delicta iudices, si dissimulent, si corrigere differant, si mores seueritate non componant, si dissimulando licentiam præbeant, sciant Dei manum contra se extendendam, & sustinebit reprehensibilis tolerantia, quod fœda culpa. Sermones Domini non audire subiectos, superiori imputatur, dum eius negligentia delinquitur. *Intelliguntur hic* (ait *quæst.* 14.) *per patres Principes, vel Prælati, qui sunt patres populi.* Adnectit: *Et sic est sensus, quòd tam Israëlitæ, quàm patres sui perirent, scilicet Reges eorum.* Nulla hic Prælatorum culpa refertur, nisi subiectos sermones Domini non audire, & os Domini exasperare; verum vocando patres innuit nimia indulgentia vsos, & tolerantia obscuratos. Vtque constet superioribus subiectorum imputari delicta, si solicita non refrænauerint vigilantia, manum testatur armandam super cupiditatibus insurgentes, & super superiores dissimulantes: *Erit manus Domini super vos, & super patres vestros.*

§. XLVII.

Graue supplicium est Prælato verè patre priuari, & eius solatio destituti.

OPtimus superior cunctis optantibus viuit, ab eo, vt communi parente, & miser solatium, & afflictus indubiè sibi promittit remedium. Assiduis clementiæ, bonitatisque argumentis testatur optimus Princeps se non tam esse dominum, quàm parentem. *Vnum est* (aiebat Seneca *lib.* 1. *de Clementia cap.* 19. *inexpugnabile munimentum amor ciuium. Quid pulchrius est, quàm viuere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus? Si paulum valetudo titubauit, non spem hominum excitari, sed metum? Nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute præsidis sui commutatum velit: omne, quod illi contigit, sibi quoque euenire deputet.* Felicissima est Respublica talem præsidem nacta, vt misera destituta, amittet namque securissimum præsidium, & si aduersa perturbarint, solatium. *In hoc* (subjicit Stoicus) *assiduis bonitatis argumentis probauit non Rempublicam suam esse, sed se Reipublicæ. Quis huic audiat struere aliquod periculum? Quis ab hoc non, si possit, fortunam quoque auertere velit, sub quo iustitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas florent? Sub quo opulenta ciuitas copia bonorum omnium abundat?* Vt Samuël populum à delictis cohibeat, minatur, si aliter faxint, aspera Dei manu puniendos, nec solùm ipsos acris vindictæ experturos amaritudinem, sed eorum etiam Prælatos, quos Patres vocat, subituros indignationem. *Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.* Benè est, quòd seuerè timore mulctæ à placulis Israëlitas arceat, sed quid energiæ comminationi addit, cùm ad patres etiam supplicium extendit. Profectò si vnus Prælatus defecerit, succedet alter, nec enim sunt tot culmina ambitoribus, quàm ambitores culminibus: ergo alia ratione terrorem terrori adjiciat, vt ad obsequelam flectat. *Intelliguntur hic Patres, Principes, vel Prælati, qui sunt patres populi* (inquit Abulensis *quæst.* 14.) *quod maximè conuenit principatui regali, quando rectius est.* Nil aliud comminari potuit amarius, quàm Principe patre priuandos, parum esset Prælato carere, sed Prælato patre acerbum erat priuari. Vt enim est magnum beneficium superior Dei vices grens, & suis studiosè prouidensita est supplicium acerbum paterna hac gubernatione destitui, & prælato non patri subiacere. *Nec alio animo* (addit Seneca iam datus) *rectorem suum intuetur, quam si dij immortales potestatem viuendi sui faciant; intuemur venerantes, colentesque. Quid autem? Non proximum illis locum tenet is, qui se ex deorum natura gerit beneficum, ac largum, & in melius potens.* Audiant Prælati Senecam, vt non solùm habeantur maximi, sed laudentur etiam optimi. Itaque si deliquerint, minatur Prælatis parentibus priuandos, quia vt est eximium beneficium superior officiis patens; sic est durum flagellum supercilio, & asperitate feriens.

TEXTVS.

VERS. XVI. Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quàm facturus est Dominus in conspectu vestro.

§. XLVIII.

Vt magnates sua agnoscant errata, videntur necessaria prodigia.

SVnt, qui iudicio suo nimis fidant, & errasse nulli sibi argumentis persuadeant, quod semel animo conceperunt, obstinatè tuentur, nec retractandum, quantumvis se veritas oculis ingerat, arbitrantur: prudenter vertunt cœpta prosequi, & quia vanitatis, ac superbiæ præstigiis se errare posse non credunt, inceptis semel insistunt. *Pessima consuetudo est* (aiebat Cassiodorus 2. *variarum* 3.) *despicere veritatem. Credit sibi omnia cedere, si elatum contigerit in abominabili certamine superare.* Pessima, sed consuetudine veritas despicitur, & elatio, si infelici certamine superato, sibi vti prudenti blanditur. Petierant Israëlitæ Regem sibi dari, qui tractaret arma, & hostilia auerteret bella. Restitit Samuël variis, efficacibusque cauillationibus, sed populi magnates instarunt: consolatus Rex detritis Ammonitis triumphauit, & populus trophæis diuitatus resplenduit. Samuel, cuius studiū erat mores perpolire, vt reatum suum in Regem petendo agnoscerent,

agnoscerent, ad miracula confugit: *Nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro.* Otiosa videbantur esse miracula, vt agnoscerent Deum abiecisse, & eius loco Regem consalutasse, fuisse delirium. Nonne vtilius est Regi à Numine, quàm ab homine? Ergo cùm ipsa euidentia erasse conuincat, quid Samuël elementa obarmat? Quia præsumptio (inquit Abulensis) cùm per Regem à se electum contriuisset Ammonitam, suam in Rege deligendo dilaudabat prudentiam: ergo vt agnoscerent errata, superflua non extiterunt prodigia. Ipsum audi q. 14. *Hic ponitur Samuëlis increpatio contra populum per diuinum miraculum, nam si solum increpasset verbis, Israëlitæ adhuc non crederent se peccasse: vt ergo manifestum esset eis, induxit diuinum miraculum de tonitruis & pluuia, in quibus erat manifesta probatio.* Indubiis miraculorum probationibus erasse ostendit; nam magnates rationis euidentiam eluderent, sibique de electione plauderent: est namque pessima magnatum consuetudo despicere veritatem, etsi contingant desiderata succedere, sibi nullatenus persuadebunt errare.

§. XLIX.

Cœlestia innocentiæ testimonia plurimi habenda, humana elogia parui culmina possidentibus æstimanda.

Discrepant sæpesæpiùs externa labia, & interna corda; corde odium geritur, elogium ore iactatur. Qui alti incedunt, se tam magnos, quàm audiunt, reputant, cùm adulatorum certamen sit, & studeant laudibus demereri, quos solent animitus auersari: sumptuosiora elogia proferunt, sed vt suo timori subueniant, non vt quam mentiuntur in præsulibus, innocentiam suspiciant. Disertè Tertullianus in Apologetico eos carpit, qui cùm apud conscientiam suam vitiis infectos, ac prorsus crederent humanos, sumptuosis elogiis sanctissimos celebrabant vt deos. *Nobis, inquitis, dij sunt* (inquit in Apologetico, cap. 10.) *Appellamus, & pronocamus à vobis ad conscientiam vestram, illa nos iudicet, illa nos damnet, si poterit negare, omnes istos deos vestros homines fuisse.* Non ignorabant, quales eorum essent imperatores; colebant tamen dignitatem, non hominem, deum appellabant, quia eius promereri satagebant superbis elogiis gratiam, & blandissimè fallendo beneuolentiam. Sanctissimè vixerat Samuël, iudiciariam potestatem ita exercuerat, vt rationem non timeret reddere, nec æmulus quiret vel coloratis solùm rationibus infamare: nihilominus etsi à toto populo honorabile accepisset testimonium, studiosè curauit, vt eius optimo regimini annueret cœlum, & splendentibus signis redderet ineluctabile testimonium: *Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro.* Cur Samuël contentus non est ad eius innocuam vitam, & æquissimam regiminis formam comprobandam generalitatis testimonio, quando ei ita populus plausit, vt nullus æmulus dissentiret, aut inuidus aliquam querelam opponeret? Quia cùm adhuc vel deposita iudiciali potestate, Ecclesiastica fulgeret, plausus ille videri poterat non tam redditus innocentiæ, quàm dignitati. Quis enim auderet exasperare, quem adhuc videbat dignitatis luminibus prælucere? ergo à cœlo accersiut suffragium, & indubium veritatis testimonium. *Deus* (inquit noster Sanctius) *appellatus testis prodigia quædam dedit è cœlo, quibus ostendit suum de Samuëlis sanctitate, & populi vesana petitione iudicium, & quale esset ipsius de re tota illustre testimonium.* Populus plausit, sed magnati, sed dignitatis fastigio adhuc splendenti. Ad innocentiam igitur comprobandam satis non erat populare suffragium, si cœleste non adfuisset testimonium. Ad hæc: ostendit Samuël suis factis magni non habendam acclamationem popularem, & habendam plurimi approbationem cœlestem. Nec enim iuuat, si Numini displiceas, apud homines celebrari, & plausibus repetitis extolli.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. XVII. Numquid non messis tritici est hodiè? Inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluvias, & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini petentes super vos Regem.

§. L.

Tempora sæpesæpiùs inuertuntur, vt se in pœnitudinis præsidium recipere peccatores conentur.

TEmpora suas statas leges habere videntur: hyeme aër riget, & iam in niuem, iam in grandinem vertitur. Cùm ver aperiri incipit, calor in aquam vapores resoluit, adulto iam, adustóque verè nimbi rari, nec pertinaces sunt. Hæ temporum leges adeò inuerti solent, vt serenitatis tempora pluuiæ grandinosæ occupent, & contra naturam pugnent. *Hyeme* (aiebat Seneca 4. *quæstionum natural. cap. 4.*) *aër riget, & ideò nondum in aquam vertitur, sed in niuem, cui aër proprium est. Cùm ver cœpit, maior inclinatio aëris sequitur, & calidiore cœlo maiora fiunt stillicidia.* Hæc temporum statura licet frequenter non varientur, aliquando ob hominum delicta inuertuntur, & pluuiæ, niuisque tempore ardentissimus calor adurit, vt etiam serena tempora procellæ, & nimbi pertinaces occupant, & contra se nubes in æris campo belligerant. Peccatores ipsam naturam dedisce re ingenium docuerunt, & contra se ipsos tempestates armarunt. Vides messis tempore vastos, ac pertinaces nimbos eiaculari fulgura, & horrisona tonitrua: *Nunquid non messis tritici est hodie: inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluuias, & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini.* Messis triticeæ tempore regio illa nec horrisonam grandinem, nec volatica fulgura, nec ardentissima fulminum patiebatur tela. Hanc tamen grauissimam tempestatem conflarunt sibi Israëlitæ, & in eos perpetratæ armarunt cœlum offensæ: *Videbitis quia grande malum feceritis vobis.* Ipsis tempestatem adscribit, quasi eorum delicta cum grandine paciscantur, & in auctores à vero Ioue fulmina mutuentur. Messis triticea sternitur, prolixus vinearum labor frustratur, perit impensus telluri sudor, & confusaneus aures diuerberat eiulatus: grandine vastabantur vineæ, sternebantur segetes, & quod rudis adhuc antiquitas adscripsit arcanis incantationibus accidere manifestè ostendit Samuël perpetratis sceleribus. Itaque æstivum tempus hyemis induisse videbatur ingenium, exuisse proprium. Innuit Caietanus: *Ad hoc affert diuinum testimonium per pluuiam, ac tonitrua tempore insolito, vt populus agnoscat peccatum suum, & interna pœnitentia deleat illud.* Adnectit inferius: *Timorem mortis corporalis formidatæ ex fulminibus excludit ab eis; ita tamen vt eos dedisse occasionem huic malo affirmet.* Dum eos huic malo occasionem dedisse affirmat, tempestatem illam, non tam terteis vaporibus, aut aliis aëris qualitatibus constatam, quàm eorum erroribus manifestat. Itaque ipsi in vineas, ac segetes adduxerunt grandinem, obarmarunt imbrem, & quod longis interuallis ligonem, aratrumque passa produxerat terra, strauit momento culpa: *Eos dedisse occasionem huic malo affirmet.* Ad hæc: ea torua

temporis facies eo spectabat, vt agnoscentes admissam culpam acri eam dolore expungerent, & vera pœnitentia delerent. *Vt populus agnoscat peccatum suum, & interna pœnitentia deleat illud.* Contra se horrisonæ in aëre depugnabant procellæ, vt agnoscerentur culpæ, & misericordia plus lucebat, dum seueritatis specie statuta temporum demutabat. Ipsi sterilem reddiderant annum, sed dura pœnitentiâ ingentissimum metebant lucrum. Geminum ab hac tempestate documentum nobis promanauit: vnum misericorditer Deum tempora immutare, quo nos valeat ad pœnitentiam adducere: alterum peccatores sibi ipsis inuidere, & contra maturos, ac demetendos iam fructus tempestates, quibus sternantur, adscisscere.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Et clamauit Samuël ad Dominum & dedit Dominus voces, & pluuias in illa die.

§. LI.

Deus ad sanctorum preces mutat tempora, & statа temporum variat iura.

RVdis antiquitas, vt tempora immutaret, ad superstitionem confugiebat: hic vt imminentem auerteret tempestatem, immolabat pullum; hic agnum, alius graphio aliqualem sanguinem à digito educebat; & sanguinem effusum litabat. His hostiis nubes delusi placari existimabant, & placatas aliò diuertisse gaudebant. Audi Senecam lib. 4. *quæst. natural. cap. 6. Pro se quisque alius agnum immolabat, alius pullum. Protinùs autem illæ nubes aliò declinabant, cùm aliquid gustassent sanguinis.* Adnectit *cap. 7. Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus, & repelli.* Errabat antiquitas vanis superstitionibus, & incantamentis ius in tempora inesse credens: at mendacium illud inseruire potest religioni; nec nobis dubitandum est, vero altaris sacrificio, & sanctorum merito eam vim inesse, vt tempora immutarint, & statas temporum leges inuerterint. Audi Eliam pia ira efferuescentem: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia nisi iuxtà oris mei verba. 3. Reg. 17. vers. 1.* Quod fieri posse credebat antiquitas cantibus imbres scilicet adduci, aut repelli, vides Eliæ meritis factum, quando eius vocis imperio nubes ita obtemperabant, vt redirent, aut auolarent. Et iterum Samuele holocaustum offerente cœlum eiaculatum est fulmina, & contra Philisthinos ardentissima tela: *Cùm Samuël offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim. 1. Reg. 7. vers. 10.* Vides inuersa tempora, oblatóque agno tempestatem conflatam, quæ vires in Philisthinos produceret, Israëlitas non læderet. Hic quoque habes ad Samuëlis preces æstiuo tempore imbres missse, & fulgura coruscasse. *Clamauit Samuël ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluvias in illa die.* E vestigio Prophetæ preces tempestas sequuta est, vt postmodum etiam eius oratione frænata, vt noueris, quanta Sanctorum orationibus vis insit ad elementa aut armanda, aut cohibenda. Adest Augustinus: *Samuële inuocante Dominum per pluvias, & horribiles voces intonuit ... quos fragores per Samuëlis deprecationem iterum Dominus compescuit, postquam populi de hac re pœnitudinem iustus adspexit.* Samuëli Deus temporis concessit habenas, vt pro eius arbitrio tempestas accederet, aut cessaret, & quod de Faetonte fabulosa finxit antiquitas, in Dei seruis, & amicis indubia nobis ostendit veritas.

TEXTVS.

VERS. XIX. Et timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuëlem. Et dixit vniuersus populus ad Samuëlem: Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur: addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem.

§. LII.

Dei timor est salutis tutamentum, & periculorum exilium.

TImor hominis (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ, cap. 7. Dei honor est.* Qui Deum timet humanam fatetur imbecillitatem, & adorat potestatem cœlestem. *Hæc enim* (præmiserat Tertullianus, *cap. 6.*) *prima audientis incitatio est, metus integer.* Vt pictores, ni parietem dealbent, nequeunt colores inferre, nam præuia illa dolatio est necessaria dispositio; ita nisi metus integer animum disponat, intingátque, Numinis effigies non pingitur. Timor manus à furto compescit, oculos à concupiscentiis arcet, superbiæ præsumptionem depellit, modestiam verecundiam custodit, & petulantiam expungit. *Timor* (scribit ipse de cultu fœminarum, *cap. 2.*) *fundamentum salutis est: præsumptio impedimentum timoris. Vtilius ergo si speremus nos posse delinquere: sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus.* Periculosa est securitas sine timore, nam qui securus agit, solicitus non inuigilat, & dum imprudenter sibi de securitate plaudit, facilius ruit. Samuel populi salutis studiosus tempestatem horrisonam excitauit, qua populo timorem incuteret, vt qui benè nouerat Dei timorem esse salutis fontem, & radicem: *Et timuit omnis populus nimis Dominum.* Dum timent Dominum, admonet non timere. *Nolite timere.* Et cur modo depellit timorem, qui ad incutiendum timorem adduxerat tempestatem? Quia timori de timore subuenit, inquit Caietanus. Docuit Deum timere, & eo timore pericula propulsare. Tutam securitatem habebunt, si vt fas est, Deum timeant, & ni Deum timeant, opus erit plura timere, & ad tempestatis vel sibilum paulare: *Ecce effectus intentus in populo, diuinus videlicet timor cum agnitione peccati, quod commiserant.* Diuinus timor pœnitudinem suasit, confessionem edocuit, diuino timore muniti contra alios timores inueniebantur protecti, & obid poterant, quia timebant, non timere, & si non timerent, nequirent timoribus non cruciari.

§. LIII.

Prudentia est periculis adurgentibus ad sanctos recurrere, sed opus à propria solicitudine non cessare.

DVm vrgent pericula, dum mors imminet, lucrosa prudentia est ad sanctorum preces recurrere, & eorum meritis obarmari, non tamen propriæ solicitudini est parcendum, nec à remediis cessandum. Sunt, qui omnia sanctorum precibus velint obtinere, cùm ignauiam sectentur: ad tentationem propulsandam non arripiunt pœnitentiæ instrumenta, nec satagunt delere peccata: sanctorum lamentis, ieiuniis, vigiliisque cupiunt omnia componi, & nulla sui ipsorum molestia liberari. Cordatus ita ad sanctorum confugit merita, vt ipse etiam sibi prodeat solertissima vigilantia. Israeliticus

Israëliticus populus confusis maris voluminibus impeditus, & hostilibus mucronibus infestatus ad Moysem recurrunt; ille ad Dominum preces fundit: sed audi quid Dominus dixerit: *Quid clamas ad me, loquere filiis Israel, vt proficiscantur. Exod. 14. vers. 15.* Vtrumque opus erat Israelitas citatis gressibus fugere, & Moysem cœleste auxilium fusis precibus impetrare. Non eluderetur periculum, si Israelita non explicaret, vt fugeret gressum, quantumuis Moyses ederet deuotum ploratum: at vbi Moyses preces fundit, & Israelita iter alacriter peragit, Pharao submergitur, & optatus triumphus reportatur. *Non est propter hoc intelligendum* (inquit Lira) *quod eius oratio Deo displiceret, sed vt offenderetur exaudita: vnde subjicit: Loquere filiis Israël, vt proficiscantur.* Orante Moyse, & populo gradiente aquæ, quæ timebantur dextra, leuáque muros effectæ non solùm perniciem non afferunt, sed exhibent munimentum. Soliditatem recipit liquor, & solum maris aresçit in pulverem. Populi gradus, & Moysis fletus periculum conuerterunt in triumphum. Horrisona tempestas repentè oborta Israelitarum animos nimio timore concussit; illi ad Samuëlem sanctitate eximium recurrunt: *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur.* Nec solùm recurrunt ad orationis profugium, sed dolenter admissum confitentur peccatum: *Addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum.* Samuëlis oratio, & pœnitentium confessio depulerunt armatam fulminibus tempestatem, & imminentem abegerunt etiam mortem. *Dixit autem Samuël ad populum: Nolite timere.* Fragor in serenitatem conuersus est Samuele orante, sed & populo confitente. Et forsitan quæ coniuncta iuvarunt, disiuncta non profuissent; nam oratio sine pœnitudine tempestatem non arceret, & pœnitudo sine Samuelis oratione temporalem pœnam non effugeret: at vbi sanctorum merita, & pœnitentium fœdus iniuere sapientia, periculum euanuit, & serenitas illuxit. Notauit Augustinus: *Fragores per Samuëlis deprecationem iram Dominus compescuit, postquàm populi de hac re pœnitudinem intus aspexit.* Discant, hinc qui aliquo periculo vrgentur, ad sanctorum preces confugere, & à propria solicitudine non cessare, sic enim de periculis elaborabunt trophæa, & quæ solliciti timoris occasio, secura producet gaudia.

TEXTVS.

Vers. XX. Dixit autem Samuël ad populum: Nolite timere, vos feciſtis vniuersum malum hoc: verum tamen nolite recedere à tergo Domini, sed seruite Domino in omni corde vestro.

§. LIV.

Si mors immineat, acri timore pulsamur, si desædet culpa, parum affligimur.

FAreor insitam nobis corporis nostri charitatem. Vndè antiquitus prouerbium erat: Si vales, benè est, quasi salno corpore cætera constent, & ægrotante solicitæ curæ diuexent. Sine corpore non possumus viuere, sed non est viuendum corpori: non cogitamus quàm iucundum sit intrepida conscientia frui, quàm sit magnificum ita virtutibus inseruire, vt ipsam vitam discamus generosè contemnere, & vltra casus fortunæ viuere. Audi Senecam *epist. 15. Mos antiquis fuit vsque ad meam seruatus ætatem primis epistolæ verbis adjicere: si vales benè est. Rectè & nos dicimus: si philosopharis, benè est. Valere enim hoc demum est sine hoc æger est animus.* Adjicit: *Ergo hanc valetudinem præcipuè cura, deindè & illam secundam, quæ non magno tibi constabit, si volueris benè valere.* Obseruato etiam antiquo more, esset solatium, si vel secundo loco animi valetudo poneretur: verùm sic ea, quæ ad corpus pertinent, totum hominem occupant, vt nec vltimum locum huic expetendæ salutis curæ relinquant. Certè cupiditas nunquam satiata in acquirendo auro laborat, voluptas exoculata præcipitat, insidiosa felicitas sperantibus melior, quàm assequutis, solicitis distringit curis. Tota hominis occupatio est viuere, totus labor mortem appetere. Deliquerant Israëlitæ Regem petendo; valida tempestas declarabat admissam culpam, & ob culpam mortis minabatur pœnam. Israelitæ pauore mortis perculsi ad Samuelem accurrunt, & ab imminenti morte suis precibus liberari deposcunt: *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur.* Expende, si placet anxiis precibus solicitasse imminentem mortem auertere, *Vt non moriamur*, nec curasse culpam expungere. Non aiunt: Ora Dominum, vt nobis culpam remittat, sed vt mortem auertat: *Vt non moriamur.* Hunc ergo timorem Propheta sedat: *Nolite timere*, sed vt timorem salubriorem edoceat: *Vos feciſtis vniuersum malum hoc.* Ac si dicat: Cur non timetis causam, & expauescitis pœnam? Nolite timere adeò solicita anxietate mortem, quæ imminet, sed timete culpam, quæ inhæret. *Timorem mortis corporalis* (inquit Caietanus) *formidatæ ex fulminibus excludit ab eis ita tamen vt eos dedisse occasionem huic malo affirmet.* In memoriam renocauit culpam, quia illo terrore acti occupati, corporalem solum mortem auertere procurabant solliciti, & cum fas esset ad mortis conspectum confugere ad pœnitentiam, solum attendebant corporali vitandæ morti inuenire medicinam.

§. LV.

Cùm non raro à nobis possimus petere nostræ calamitatis remedium, externum solicitamus auxilium.

QVas patimur contra salutem, aut dolorem tempestates, ex tetris vitiorum, voluptatisque vaporibus sæpè conflantur, & contra ipsos auctores insurgunt. Paulatim incipiunt vitia, postèà adolescunt, & adulta viperæ adinstar alentis rumpunt præcordia: cúmque non sit arduum mortale hoc venenum à corde expungere, & demutata sententia ad sanitatem redire, ea homines tenet stultitia, vt à se remedium nolint petere, sed ab aliis non sine labore solicitare. *Quod futuri temporis incerta fors voluit* (aiebat Seneca *epist. 15.*) *quare potius à fortuna impetrem, vt det, quam à me, ne petam? Quare autem petam oblitus fragilitatis humanæ?* Fragilitate humana commissa scelera, quæ laboris, & anxietatis sunt causa, plures obliuiscuntur, & cùm possint ablata causa impedire affectum, à sanctis viris deprecantur auxilium. Pharaonis durissima peruicacia contra se armauit elementa, cúmque grando, & ignis ingenio discrepent, contra ipsum fœdus inibant: ille terrore compulsus vt mortem arceret, ad Moysis, Aaronísque orationes confugit: *Orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei, & grando. Exod. 9. vers. 8.* Grando, & tonitrua cessarent, si populum ipse dimitteret, & cùm posset à se petere calamitatis remedium, à Moyse, & Aarone solicitè quærebat auxilium: aliorum solicitat orationem, qui sibi prouidere poterat, si veram arriperet pœnitudinem. Nec aliter, ac Ægyptiis, accidisse videas Hebræis. Regem petendo contra se tempestatem excitarunt, oborta procellosa tempestas eorum animos pauore repleuit, & ad Samuelem accurrentes quærunt remedia, cùm à se ipsis possent petere contra tempestatem auxilia: *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum, tuum, vt non moriamur.* Ecquis

hoc ait ? Ipse profectò Samuël : *Vos feciſtis vniuerſum malum hoc; verum tamen nolite recedere à tergo Domini.* Ac ſi dicat : Veſtra culpa hæc tempeſtas conflata eſt : ergo cauſam tollite, & adhærete Domini tergo, & carebitis periculo ; à vobis namque ipſis poteſtis petere, quam exambitis, ſerenitatem, ſi ad veram confugitis pœnitudinem. *Timorem mortis corporalis* (inquit Caietanus) *formidatæ ex fulminibus excludit ab eis : ita tamen vt eos dediſſe occaſionem huic malo affirmet.* Adiungit: *Quamuis petendo Regem peccaueritis vt diuino videtis teſtimonio, hoc tamen dumtaxat à vobis exigitur, vt non ceſſetis ſequi Iehoua.* Ecce dum eos eſſe tempeſtatis cauſam oſtendit, effectum poſſe impedire docet. Non ratò qui culpis ſuis ægrotat; culpam ægritudinis conſeruat cauſam, & externam à medicis ſolicitat medicinam. Cúmque ipſe à ſe poſſit remedium petere, mavult in externa ope quærenda inutiliter deſudare.

§. LVI.

Dei inhæreat veſtigiis, qui cupit expediri timoribus anxiis.

STulti vita (aiebat Seneca *epiſt.* 15.) *ingrata eſt, trepida eſt, tota in futurum fertur.* Nequit ſtulti vita aeri non diu xari timore, & anxia aduri ſolicitudine. Non poſſunt ſupervacua animum implere, cùm ſolummodò valeant hautientium ſitim inflammare ; alliciunt oculis grata, ſed conſcientiam implacabilem carnificem contra ſe armant admiſſa. Bona conſcientia virtuſque olympo degit, quem nec turbines concutiunt, nec fulmina feriunt. Non loquor de falſa ſecuritate, qua vtuntur deluſi, ſed de ſolida, firmáque, qua fruuntur virtutibus exornati. Malæ mentes (Virgilio teſte) habent ſua gaudia, ſed quæ vt placida decipiunt ſomnia. Dura tempeſtas apud Galgala exorta eſt, pertinaces obſcurique nimbi minabantur, decertabant venti horriſono ſibilo aures verberantes, crebra fulgura referiebant oculos, frequentiſſima tonitrua, fulmináque conſternebant prorſus animos. Hebræi territi, & pauore nimio perculſi ad Samuëlis preces confugiunt : *Ora proſeruis tuis ad Dominũ Deum tuum, vt non moriamur.* Samuel non recuſat orare, ſed eos edocet, qua ratione poſſint formidinem omnem depellere. *Nolite timere . . . Verumtamen nolite recedere à tergo Domini.* Ac ſi dicat : Etſi ego oranerim, dum veſtigiis Domini non inſiſtitis, formidinem depellere non poteritis : ergo ſi non vultis timere, curate Domini veſtigia ſectari ; nam qui Deum ſequitur, nullo timore concutitur. Ita Abulenſis *quæſt.* 15. *Non credatis vos penitus relictos à Deo, nec morituros propter hoc, quia ſi ſeruieritis ei, nihilominus benefaciet vobis, ſicut prius fecerat.* Promittit, ſi Domini veſtigiis inhæreant pace tranquilla fruituros, & ab anxiis ſolicitudinibus eximendos, nam qui virtutem amplectitur, conſcientiæ timoribus non aduritur.

§. LVII.

Vel magnis ſceleribus infectus non debet deſperare, quia omnibus in integrum, ſi velint, licet reſtitui.

INiquorum anxia, & ſuſpecta vita ſupplicia ſemper præſumit, quia ſuppliciorum merita agnoſcit : in eam aliquando deſperationem venerunt, vt remedia fugiant, & reſpuant. *Plerique* (aiebat Seneca *epiſt.* 4.) *inter mortis metum, & vitæ tormenta miſeri fluctuant, & viuere nolunt, & mori neſciunt.* Verùm nullum illis grauius malum, quam poſſe in integrum reſtitui non credere, & cæca deſperatione diffidere. Nullus eſt animæ morbus, qui parabilem non habeat medicinam qui ſuperni medici, ſi velit, non experiatur clementiam. Abiecerant à ſe Iſraëlitæ Numinis regimen, & dum malunt homini ſubiacere, quàm Numini, ſæuam adeò excitauere procellam, vt æther in eos dimicauerit, & horriſono fragore diſtorſerit. Tempeſtas ſic eorum animos debilitarat, ſic ſalutis ſpem ademerat, vt opus fuerit Samuëli afflictos conſolari, & ad meliorem ſpem erigere : *Nolite timere, vos feciſtis vniuerſum malum hoc : verumtamen nolite recedere à tergo Domini.* Ac ſi dicat : Nolite arbitrari latam iam de veſtra ſalute ſententiam, & omnem ad ſalutem occluſam viam; adhuc eſt in veſtro arbitrio diuina clementia frui, ſi velitis eius ſequi veſtigia, & obſeruare præcepta. Ita Abulenſis *quæſt.* 15. *Nolite recedere à tergo Domini id eſt, quamquam peccaueritis, non credatis vos penitus relictos à Deo, vel morituros propter hoc, quia ſi ſeruieritis ei, nihilominus benefaciet vobis, ſicut prius fecerat.* Non erat adeò malum delictis inſici, vt deſperare : ergo promittit ad antiquam ſalutem reducendos, ſi velint à Domino amplius non recedere, ſed veſtigiis eius inſiſtere. Caïn, etſi à facie Domini rejiceretur ſtultè fugit, & ni fugiſſet, ſibi miſericordiam paraſſet : *Dixitque Cain ad Dominum. Maja eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear. Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar. Geneſ. 4. verſ.* 13. Niſi ſe ipſe abſconderet, eum Domini facies quæreret, & licèt eo die ſenerum vultum oſtendiſſet : *Ejicis me hodie à facie terræ*, poſteà ad miſericordiam maturaret, & verè pœnitentem hilari facie reciperet. *O vocem* (aiebat Baſilius Seleucienſis *orat.* 4.) *ipſa cæde magis execrabilem ! ò ſententiam impiam, & impia impietate tetriorem !* Poſt fratricidium, poſt audax celandi mortem facinus adhuc manebat remedium, ni ipſe ad deſperationis præcipitaret ſe baratrum. Pejus fuit de Domini miſericordia non benè præſumere quàm Abelum morti tradere : *Major eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear. O vocem ipſa cæde magis execrabilem !*

§. LVIII.

Deus totum ſibi cor exigit, nec alterius rei conſortium admittit.

CÆcutiebant olim Philoſophi, putantes inire poſſe fœdus voluptatem, & virtutem. Voluptate illecti, & conſcientia repercuſſi adlaborabant, quæ abinuicem diſcrepant, concordare, & in conſortium vnire. *In hac parte* (inquit Seneca 4. *de Beneficiis, cap.* 2.) *nulla pugna eſt cum Epicureorum delicatæ, & vmbratica turba in conuiuio ſuo philoſophantium. Non eſt, inquit, voluptas ſine virtute. Sed quare ante virtutem eſt ? De ordine putas diſputationem eſſe ? De re tota, & de potſtate eius ambigitur : non eſt virtus, ſi ſequi poteſt.* Epicurei virtutem voluptatis miniſtram conſtituebant, pediſſequam, non aſſociantem : quos benè Seneca arguit, diſputationémque ait non eſſe de ordine, ſed de re. Quandoquidem virtus nequit cum prava voluptate fœdus inire, aut conſortium vllum habere. Manifeſta eſt cæcitas in vtramque partem claudicare, & in vna cordis ara diuerſa adeò confuſè colere. Ob id veternoſi ſerpentis fallacias detegens Chriſtus aiebat : *Scriptum eſt enim : Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Matth.* 4. *verſ.* 10. Virtus acerrimus hoſtis eſt vitij ingenio ab illo reſiliens, & interualla longiſſimis reſidens. Ob id Samuel totum cor Numini dicandum admonuit : *Seruite Domino in omni corde veſtro.* Nam ſi cor diuidant, nequibunt Numini placere, ſed acriùs exaſperare. Adeſt Abulenſis *quæſt.* 15. *Seruite Domino in omni corde veſtro, ſcilicet in tota cogitatione, volitione, & viribus nulli alteri ſeruientes.*

Sub-

Sunt, qui satagant coniungere cum præsumptione virtutem cum oratione cupiditatem, cum nimia corporis, ac salutis cura perfectionem; horum igitur vt cæcam dementiam fugillans Samuel, in omni corde Deum colendum edocuit, & nullum admittere consortium asserit: *Seruite Domino in omni corde vestro.*

TEXTVS.

VERS. XXI. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.

§. LIX.

Grave est, si pecces magnis promissis illectus, sed gravius, si spebus omnibus destitutus.

HOnesta sequimur, quando in illis relucet spes in contrarium aliquando transituri, si plus scelera promittant. Expectanda est per se honestas, in virtute præmium virtutis est: verùm vanis spebus inescati homines aut cupiditate ducuntur aut voluptate raptantur. Pro duce proposuerunt habere cæcitatem, & sequuntur quo aut vtilitas ducit, aut commoditas. *Sapiens* (aiebat Seneca *epist.* 9.) *etiamsi contentus est se, tamen habere amicum vult: si ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ob hoc quod Epicurus dicebat in hac ipsa epistola; vt habeat qui sibi egroto assideat, succurrat in vincula coniecto, vel inopi.* Plures Epicurus discipulos reliquit negotiationi attendunt, non honestati, quæ ad commodum, vtilitatémque accedunt, sectantur, & quid consequuturi sint, spectant. Itaque quò spes vtilitatis, aut commoditatis vocarit, sequentur cæci; verùm etsi graviter delinquant voluptati, vtilitatique inseruientes, aliqualem habent ad speciem excusationem, dum cupidini, aut vtilitati non famulantur nisi spebus illecti, & magnis promissis inescati: verùm qui se vitiis tradidit spebus omnibus destitutus, & promissis nullis illectus ad prauitatis apicem peruenit; quandoquidem non erat illusus, sed nuda malignitate inflammatus perire dignus est, qui nec fallaciæ excusationem pro se potest adducere, aut arguenti concupitam vtilitatem opponere. Vt idola non sequantur Israëlitæ, ostendit Samuel ab illis nullum posse sperare emolumentum, aut fructum: *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt: vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.* Ac si dicat: aliqualem excusationis vmbram haberetis, si Epicuri discipuli idola colerétis, spectantes vt inopibus subuenirent, vt ægrotis assiderent, vt vinculis coniectos emerent; verùm cùm prorsus sint vana figmenta, quæ nec prodesse possunt, nec defendere, vester error diuinam exasperabit patientiam, & ad durissimam compellet vlctam: *Quod si perseueraueritis in malitia, & vos, & Rex vester pariter peribitis.* Cur non pereat, qui à peccato nullum alium, quàm peccasse fructum expectat, quem potiùs dispendium auocat, quam vlla vtilitas, aut commoditas alliciat. Iure Samuel denuntiat perituros post vana declinantes, cùm nequeant dubitare nullatenus colentibus profutura: *Quæ non proderunt vobis.* Adest Abulensis *quæstione* 15. *Declinare ad vana est quando aliquis sequitur viam veram, & deindè recedens ab illa sequitur viam inutilem, quæ ad nullum finem proficit.* Excusatiùs peccant prodigus, dum se cupiditatibus, voluptatibusque addixit, aliquem sibi fructum promittens; agnouit tamen se nullam excusationem habere, dum addictus miserabili seruituti non obtinebat, quo famem sedaret aut corpus tegeret: *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Luc.* 15. *vers.* 16. Si quis vel siliquas daret exiguum illud lucrum seruitutis esset illicium: at seruire omni spe destitutus, & omni vtilitate frandatus, aggrauat peccandi studium, & seruiendi desiderium. Videas mulierculas peccare, vt peccent, homines nocere, vt noceant, quin illis vlla spes vtilitatis affulgeat, aut commoditatis alliciat.

§. LX.

Parum iuvat exterius viam virtutis sequi, si contingat interius insanis appetitionibus sordidari.

QVi viam veritatis ingressus est, non debet à rectâ semitâ declinare, & quod exteriùs videtur mereri internis appetitionibus defraudare. Miserum est corporis passibus ad virtutem ducentem sequi, & cordis gressibus declinare, quando sic incedens nec honesta virtutis assequitur lucra, nec oblectantia vitiorum commoda. Huiusmodi infelicissimos dixeris, quandoquidem virtutis non excusant laborem, nec assequuntur vitiorum vtilitatem. Coguntur sæpesæpiùs ieiunare, prolixas horas orationi impendere, ministeriis humillimis inseruire, quæ si ritè peragerent, verum cordi afferrent gaudium, & dignum labori præmium: verùm si cor insanis appetitionibus æstuet, si ab externo opere studium distet calamitas adaugetur, & labor ingeminatur. Hos iure comparabis incarceratis, & violenter detentis, de quibus ita Cassiodorus 11. *variarum* 40. *Cella gemituum, tristitiæ domus, apud superos Plutonis hospitium, locus perpetua nocte cæcatus, in qua non vnum tormentum sustinet reus, qui ante quam incurrat necis exitus, à supernis probatur abscissus. Primum pedor ille collega catenarum abominabili mœrore diseruciat, auditum alieni gemitus & lamenta conturbant, gustum ieiunia longa debilitant, tactum pondera prementia defatigant, lumina diutius tenebris obtusa torpescunt; non est vnum cautis exitium: multifaria morte perimitur, qui carceris squallore torquetur.* Quid simile non patiatur, qui austeram religionem ingressus continuis debilitatur ieiuniis, qui angusto cubiculo premitur, qui squallenti soloce vestitur? Hîc, si dignis gressibus asperam sequatur viam, magnam apud sæculum adquirit famam, & apud cœlicolas gloriam. Si tamen corde declinet insanis appetitionibus subiugatus, & infelicibus desideriis distortus, à captiuo non discrepat; quia nec fas est obtinere iucunda, nec potest fugere laboriosa. Ideò Samuel admonet Israëlitas, vt tergo Domini exterius insistentes interius ad vana non declinent: *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis*, id est, vt interpretatur Interlinearis, *post vana mundi desideria*; nam eam viam ingressi, nec desideria adimplere, nec fructum itineris quibunt capere. Ita Abulensis *quæst.* 15. *Declinare ad vana est, quando aliquis sequitur viam veram, & deindè recedens ab illa sequitur viam inutilem, quæ ad nullum finem proficit.* Ad nullum finem proficit, si inter se dissideant vestigia, & vota; nam vestigia non peruenient ad terminum, nec vota assequentur fructum. Quam miserabilis fuit gens Hebræorum, dum per desertorum aspera, vbi non suppetebat aqua, vbi panis deficiebat, nubem sequebantur corporalibus gressibus, & involabant versus Ægyptum cæcissimis affectionibus. Audi Psalmistam: *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde: & isti non cognouerunt vias meas, & iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Psal.* 94. *vers.* 10. Sequebantur corpore, & corde errabant, nequibant ad requiem peruenire Ægypti deliciis inhiantes, nec propinquare poterant ad Ægyptum nubem sequentes. *Per requiem* (inquit Euthymius hic) *promissionis terram intellige, in qua Israëliticus*

populus

populus post quadraginta annorum peregrinationem lassus quieuit. Qui corde non errarunt, laborum inuenerunt placidam requiem, at corde errantes,& gressibus tantum corporis sequentes nec ad requiem peruenerunt, nec labores itineris excusarunt.

TEXTVS.

VERS. XXII. Et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum, quia iurauit Dominus facere vos sibi populum.

§. LXI.

Summum beneficientiæ ingenium est ita se ad benefaciendum ligare, vt nequiuerit resilire.

DEus hominibus benefacit, nil præter ipsam benefaciendi rationem vtilitatis expectans, ni fortè existimes sacrificiorum vapores olfacere, & extorum fumum expetere. Aspice quanta quotidiè hominibus beneficia distribuat, opportunis imbribus aridam telluris faciem emollit, armentorum greges alit, campos saporatis fructibus replet, accensis cœlo luminaribus exornat diem, fontes arentes infuso per occultos meatus liquore reintegrat, & totum hoc, vt liberalitati suæ blandiatur, & si fas est dicere, hominibus aduletur. Omnia ista sine mercede, sine vllo ad ipsum perueniente commodo facit, & quod plus mireris, ingratos sustinet. Quàm benè Tertullianus *de Patientia, cap.2. Florem lucis huius super iustos, & iniustos æqualiter spargit, qui temporum officia, elementorum seruitia, totius genituræ tributa dignis simul, & indignis patitur simul occurrere: sustinet ingratissimas nationes, ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes.* Vel cùm amens hominum ingratitudo idola laboriosis artificiis confingit, & debitum Numini honorem indignè transfert, ipse beneficia impertitur, vtque parens amentis filij misertus patienter sustinet, & repetitis donis allicere discupit: verùm adhuc totum hoc non est augustius liberalitatis eius argumentum, sed quod se ipsum quodammodo voluerit obligare, ne ingratissima hominum perulcacia quiuerit impediri. Ipsi homines opponunt obicem, quo impediant, aut retardent beneficia; verùm Deus se ipsum benefaciendi debitorem constituit, ne impedimentis quiuerit retardari, aut hominum obstinatione impediri. Testatur Samuel, dum sub iuramento asserit promisisse Israelitas peculiarem sibi populum facturum: *Iurauit Dominus facere vos sibi populum.* Et quid opus fuit iuramento, quando sine iuramento, poterat eos peculiarem sibi populum constituere? Perpende huius liberalitatis solertiam. Nouerat Israëlitas ad idola deflexuros; nouerat ingratissimis actionibus eius exasperaturos patientiam: ergo iuramentum emisit cuius fide quodammodo adactus non posset à benefaciendo cessare, quantumvis Hebræorum obstinatio insisteret impedire. Ita Abulensis *quæst.* 15. *Etiam hoc faciet, quia iurauit, quod haberet vos in populum, etsi nunc derelinqueret, videretur infringi iuramentum illius.* Itaque ipse resiliendi impedimentum architectatus, ne Hebræus liberalitatem vinceret, quamvis ingratus impedire contenderet. Olim Deus promiserat Hebræis se eos in populum accepturum, si eius præceptis obtemperarent, vocémque audirent: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Exod.* 19. *vers.*3. Verùm eorum ingenium præsciens, & conditione violata præuidens opposituros obstaculum, quo teneretur, addidit iuramentum cuius fidem testatur Samuel non infringendam etsi fœdus violarint, Regémque petiuerint.

§. LXII.

Prudentia est abstinere à vindictæ solatio, vt grauiori occurreris detrimento.

DVabus de causis vindicta expetitur, ad accepti doloris solatium, & ad infligendum merenti supplicium. *Est & alius summus impatientiæ stimulus* (aiebat Tertullianus *de Patientia, cap.* 10.) *vltionis libido negotium curans aut gloriæ, aut malitiæ.* Malitia nunquam non Domino odiosa, vt gloria non ratiò vana. Sed esto: aliqua à vindicta possit oriri gloriola, perpendendum est, an admisceatur gloriolæ obscura nota. Solet namque vltio opinionem infuscare, & acceptam iniuriam nescientibus aperire. Prudentia est abstinere à vindicta, & ab infligenda pœna, quando hoc leue solatium grauius potest parere detrimentum. Magnam Numini Israëlitæ occasionem dederant eos deserendi, grauissimisque suppliciis mulctandi: reatus non inscij ad Samuëlem accurrunt, vtque fusis precibus diuinam auertat indignationem, obnixè deposcunt: quibus Samuel Deum ob se ipsum vindictam desertionis, quam verebantur, non expetiturum asseruit: *Non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum: quia iurauit Dominus facere vos sibi populum.* Cùm non ignorarent gentes elegisse Deum Israëlitas in speciale peculium, licet iustissimis de causis desereret, aut impotentiæ introducendi eos in terram promissam verterent, aut sententiam demutasse obmurmurarent. Vndè apud omnes gentes vindicta, quantumvis digna grandis esset honoris diuini nota, quandoquidem aut haberetur varius, aut viribus destitutus: ergo suis nos factis erudiens propter se ipsum etiam exasperatus electum semel populum noluit deserere, sed studuit suspiciones audacissimas propulsare. Ita quæstione data Abulensis: *Quamquam Israëlita mereantur relinqui à Deo, tamen Deus non desereret eos propter gloriam nominis sui, scilicet quia videretur aliquo modo deprimi honor suus, nam dicerent gentes in circuitu, quod Deus Israël non poterat defendere cultores suos ab hostibus, ideò relinquebat eos: ne autem hoc improperarent, Deus nolebat relinquere Israëlitas.* Itaque deserens, aut aterens Israëlitas illatæ iniuriæ quæsisset solatium; verùm solatium ipsum esset apud gentes dehonestamentum, & ipsa, quæ se vlcisceretur, potentia apud exteros haberetur infirma: ergo edocuit opinioni dissimulando consulere, & grauiori damno minus non vitare. Aliquando homines verbo aspero, aut aliquo dolore exulcerati aduersarium occiderunt vltionis exambientes gloriolam, & ob perpetratam mortem publici supplicij tulerunt infamiam. Alius ne leuia dissimularet, grauissima tulit; vxore, filiis, dimittisque carens exilio duro ingemuit mulctatus. Prudenter lance oportet expendere, an grauiori leuius periculum redimas, ne honoris appetens honorem imminues. Plures etsi ob diuina mandata manus à vindicta non arcerent, propter se ipsos abstinere deberent ab vltionis gloriola, ex qua ingentissima solent emergere detrimenta. Insania est honoris grauiori detrimento consuluisse leuiori damno.

TEXTVS.

TEXTVS.

Vers. XXIII. Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam, & rectam.

§. LXIII.

Glorioſum eſt iniurias beneficiis compenſare, & iniurios humanitate confundere.

VItio penes errorem ſolatium videtur doloris (aiebat Tertullianus *de Patientia, cap.* 10.) *penes veritatem certam redarguitur malignitatis.* Qui ſe vlciſcitur, magnam amittit gloriam, cùm æternare potuerit famam. Quid glorioſius, quàm iniurium confundere, & ſe homine, quodammodo maiorem oſtendere? Hominem & ſeruus occidit, & ſerpens, & ſagitta: ſeruauit quidem nemo niſi maior eo, quem ſeruauit: proximus Deo eſt, qui ſtimulis exagitatus in vltionem non proſilit, qui intelligit magni animi eſſe poſſe vindictam ſumere, & parcere. *Intelligit magni animi eſſe iniurias in ſumma potentia pati, nec quicquam eſſe glorioſius* (aiebat Seneca 1. *de Clementia, cap.* 20.) *Principe impunè laſo.* Adnectit *cap.* 21. *Principis maior eſt fortuna, quàm vt tali ſolatio egeat, manifeſtiórque vis, quàm vt alieno malo opinionem ſibi virium quærat.* Opinionem virium quærit, qui vindictam diſcupit, ſed robuſtior apparebit iram frænando, quam inimicum feriendo. Hoc præcipuè dico; glorioſè vltus eſt, ſi quos habuit ſibi contrarios, ad eius genua viderit humanitate deiectos. Satis vindicatus eſt, qui infra ſe videt iniurium, & trepidum, & rubore ſuffuſum. Iſraelitæ nouam potendo regiminis formam Samuëli ademerant poteſtatem; ille verò dum patienter tulit ampliorem à Deo obtinuiſſe poteſtatem oſtendit, & in eorum conſpectu clementis imperauit. Procelloſa repentè exorta tempeſtas Iſraelitis ſuaſit ad Samuëlis pedes deuolui, & culpam ſuam confiteri: *Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur. Addidimus enim vniuerſis peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis Regem.* Quid tunc Samuel? *Abſit a me hoc peccatũ in Dominum vt ceſſem orare pro vobis.* Quantò glorioſius fuit Samueli poſſe vindictam ſumere, & veniam dare? Æternum eius virtutis erit monimentum pro iniuriis, & audacibus preces fudiſſe, & eorum timorem humanitate ſedaſſe. Quàm apta Senecæ iam dati verba. *Quiſquis ex alto ad inimici pedes abiectus alienam de capite ſuo, regiámque ſententiam expectauit, in ſeruatoris ſui gloriam viuet, pluſque nomini eius conferet incolumis, quam ſi ex oculis ablatus eſſet.* Ingenti incremento laudem ſuam adauxit Samuel, dum conatus eſt populo ſupplici, & ad pedes eius deuoluto ſalutem orationibus impetrare, & nil aliud præter humanitatis, ac veniæ gloriam deſumere. *Vide inſtitiam Samuëlis Prophetæ* (inquit Caietanus) *peccare ſe fatetur coram ſummo Deo ſi ceſſaret orare pro populo.* Tam longe erat ab expetenda vindicta, vt ni preces pro eis deuotiſſimas funderet obſcuratum ſe Numinis exiſtimaret offenſa: & quidem glorioſius fuit Samueli parcere, quàm punire, quando reſplenduit adæquè dolore fortior, & humanitate exornatior.

Eman. de Naxera in Reg.

§. LXIV.

Glorioſum eſt ſic parcere, vt nec trepida ſuſpicione ſinas iniurium torqueri.

VT qui exhibet toruo vultu, corrumpit beneficium; ſic qui veniam exhibet aſperis verbis, & fumantis iracundiæ notis veniam obſcurat, quia iniurij animum nondum ſedat. Illa venia perfecta eſt, quæ animitùs offenſam remittit, & ab offendentis animo omnem fumantis adhuc indignationis ſuſpicionem abradit. Non quieſcit tutus, qui offendit, ſi aliquod doloris veſtigium deprehendat, quia ſuſpicio anxietatem ſemper conciliat. Ita parcendum eſt, vt in offenſam remittens corde nullum remaneat doloris veſtigium, & accipientis veniam animum nullum timoris exulceret argumentum. *Vtinam* (aiebat Seneca 1. *de Clementia, c.* 19.) *eadem homini lex eſſet, & ira cum telo ſuo frangeretur.* Apum præſtantior non ſolùm neſcit nocere, ſed ſpiculo exarmata timorem curat abigere. Eam legem deberent homines imitari; venia talis ſit, quæ non ſolùm fractam iram oſtendat, ſed penitùs exarmatam ſuadeat: nam dum in offendente rationabilis, ſuſpicioſúſque timor viuit, venia nondum perfectè reſplendet. Offenderant Iſraelitæ Samuelem iudiciali poteſtate exaugurantes, & nouam regiminis formam introducere ſatagentes: poſteà ad eius pedes deuoluti culpam confeſſi ſunt, & Samuel non ſolùm humanitate iniuriam vltus eſt, ſed promiſit pro eis obnixè orare, & indefeſsè viam veritatis oſtendere. *Abſit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt ceſſem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam, & rectam.* Qui offenderant, vt pro eis oraret ſuppliciter poſtularant: *Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur.* Ille non ſolùm ſpopondit orare, ſed eos etiam erudire: *Et docebo vos viam bonam, & rectam.* Satis humanè ſe gereret, ſi veniam daret, & offenſam clementer remitteret; & tamen veniæ addidit pro eis orare, & ſalutis viam edocere: quia ſi tantùm ipſe daret veniam, vererentur ne Deus eius cauſam ageret, complacerétque Samueli digna vindicta iniuriam irrogatam compenſans: ergò vt omnem ab eorum animis ademerit ſuſpicionem, fore ſe apud Deum interceſſorem promittit, & laborem eos edocendi non reſpuit. Itaque vt cumulatior reſplenderet humanitas, omnem ab eis trepidæ ſuſpicionis occaſionem exemit. Caietanum accipe: *Debitorem ſiquidem ſe agnoſcit, tum ad orandum pro populo, tum ad docendum eos viam bonam, & rectam. Et dixit hoc ad tollendum à populo ſuſpicionem vindictæ, hoc eſt, quod Samuël tanquam vltor iniuriæ ſibi illatæ à populo volendo Regem, qui iudicaret eos, deſineret intercedere pro ipſis ad Deum.* Si Samuel fuſis precibus diuinam indignationem non emolliret, Iſraelitæ conceptum nullatenus timorem ſedarent; nam quamvis Samuel per ſe ſupplicium non infligeret, ſed animitùs parceret, ſi à docendo, orandóque ceſſet, Numen de illis vindictam ſumet: ergò Samuel, vt omnem ſuſpicionis occaſionem præcideret, non ſolùm generoſa humanitate pepercit, ſed erudire, & orare etiam ſpopondit, ſuis factis edocens ita præſtandam veniam, vt nulla ſuſpicio offendentem torqueat, ſed plena ſecuritate quieſcat.

§. LXV.

Eccleſiaſticus ſuperior quamvis offenſionibus exaſperatus tenetur pro ſibi ſubiectis orare, & cæleſti doctrina imbuere.

CHriſtus Dominus paſtorum norma erroneam illam ouem, quæ eius paſcua repudiauerat, & ad paſtorem æmulum ſe contulerat, patienter quæſiuit, &

humeris ad antiqua pascua reduxit. Facile erat offendentem relinquere,& relinquendo iniuriam vindicare, maluit tamen pastoris officium implere,& exasperantis saluti consulere : *Vadit ad illam , quæ perierat , donec inueniat eam. Luc.* 15. *vers.* 4. Illa ab obligatione desciuerat,ipse verò munus impleuit,nec salutis studium remisit : quod expendens Tertullianus *lib. de Pœnitentiâ , cap.* 12. qua solet profunditate scribebat : *Erroniam ouem patientia pastoris requirit , & inuenit : nam impatientia vnam facilè contemneret , sed laborem inquisitionis patientia suscipit,& humeris insuper aduehit baiulus patiens peccatricem derelictam.* Pater prodigum filium recepit , sed non quæsiuit ; pastor & quæsiuit , & aduexit , ostendens maiorem quodammodò esse obligationem pastoris , quàm patris. Peccatrix ouis pastorem reliquerat , & exasperauerat , & offenderat ; verùm licèt ipsa imprudenter se gesserit,pastor implere munus gestiuit. Hanc Samuël formam sequutus est ; populus , dum nouam formam regiminis introducit, illum offendit ; ille verò vltus non est populum relinquendo , & ab oratione cessando, immò crimini vertit preces non fundere, & cœlesti doctrina priuare. *Absit à me hoc peccatum in Dominum , vt cessem orare pro vobis , & docebo vos viam bonam , & rectam.* Quod expendens Caietanus sic ait : *Debitorem se agnoscit tum ad orandum pro populo,tum ad docendum eos viam bonam & rectam.* Illi cum pastore se non rectè gesserant ; ille verò munus impleuit , & ac si offensam non accepisset , eorum vtilitati, ac saluti prouidit.

TEXTVS.

Vers. XXIV. Igitur timete Dominum , & seruite ei in veritate , & ex toto corde vestro : vidistis enim magnificata quæ in vobis gesserit.

§. LXVI.

Bonus Prælatus sibi non quærit , sed Domini gloriam sitit.

COnfido Patres Conscripti (aiebat Athalaricus 8. *variarum* 11.*)quod ad agendas optimo Regi gratias omnium vestrum , studia debeant concitari : quando prouectum meum excogitatum noscitis pro vtilitate cunctorum.* Dignitatem suam cunctorum vtilitati confessus est tributariam , nec plausum sibi impendi voluit , sed gratias Numini reddendas suasit : respuit laudem , muneris subiuit laborem , quod & nuntius ille cœlestis edocuit ; virgam manu gestans ostentabat potestatem. Gedeon hœdum portat , & ei officium facere gestit ; ille verò , vt in Domini honorem sacrificium cremaretur , virgam extendit : *Extendit Angelus Domini summitatem virgæ , quam tenebat in manu , & tetigit carnes, & panes azymos : ascenditque ignis de petra , & carnes , azymósque panes consumpsit. Iudic. 6. vers.* 21. Virga ignem de petra extraxit , & integrum holocaustum in Domini honorem consumi fecit. Quàm alia fuit hæc virga à virga Ionathæ: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu , & intinxit in fauum mellis , & conuertit manum suam ad os suum. 1. Reg.* 14. *vers.* 27. Ionathas virga sibi quæsiuit fauum , Angelus vsus est virga , vt Deo offerretur sacrificium: facta prodiderunt auctores , fauus virgam declarauit terrestrem , sacrificium cœlestem virgam. Angeli exemplum Samuël sequutus est , nam cùm populus eius seruituti se deuoueret : *Ora pro seruis tuis,* vt solum Deum agnoscerent Dominum procurauit : *Timete Dominum , & seruite ei in veritate , & ex toto corde vestro.* Omnem laudem, gloriámque Domino voluit,sibi plausum non quæsiuit: *Timete Dominum* (inquit Hugo) *sicut filij , ex toto corde , non ex necessitate.* Vt filius totus est patris , ita vult Samuël , vt populus agnoscat se omnia Numini debere , illíque ait gratias ex toto corde reddendas, laudésque decantandas : si Samuel sibi sitiret plausum sibi augustum abstulisset elogium ; ast dum Numini omnem exambiuit gloriam immortalem sibi procudit famam.

TEXTVS.

Vers. XXV. Quod si perseueraueritis in malitia , & vos, & Rex vester pariter peribitis.

§. LXVII.

Apud sæculum magnatum delicta honorantur, apud Deum , vt popularium puniuntur.

DElicta suam etiam apud sæculum sortiuntur fortunam; popularium culpa acri seueritate castigatur; magnatum crimen cæcis de industria oculis præteritur immò non solùm præteritur , sed dilaudatur. Opportunè Tertullianus *in Apologetico , cap.* 39. *Apaturii , Dionysiis mysteriis , Atticis coquorum delectus indicuntur ad fumum cœnæ Seraphicæ sparteoli excitabuntur , de sola triclinio Christianorum retractatur.* Aparituria dicta sunt à fraude, quam passi sunt Athenienses à Bœotis, vt refert Herodotus in vita Homeri. Fraus ergo celebrabatur dissertis mensis , quia à magnate patrata. Christianorum angusta cœna & sugillabatur , & damnabatur , quasi ob auctores actiones deberent aut condemnari , aut extolli. Non erat ratio , aut lex iudicij regula , sed iudicantium insania : magnates impunè peccabant ; Christiani tunc exigui , & pauperes vel cùm virtutem tractabant , censuræ acerrimæ subiacebant. Ergo ne Israelitæ ita apud Deum fore existimarent, testatur Samuel populares , & Regem eodem modo subituros supplicium , si æquale perpetrarint erratum : *Quod si perseueraueritis in malitia , & vos, & Rex vester pariter peribitis.* Ac si dicat: Rex apud sæculum impunè peccat , apud Deum verò non est personarum acceptio; facta cum lege conferuntur, personarum extrinseca depretiantur. Adest nostes Sanctius : *Affirmat si aliter rem suam , aut communem statuant tam ipsis,quàm ipsorũ Regi,quem ad ipsorũ vota tradidit Deus , omninò fore pereundum.* Magnum est inter Regis , plebeiorúmque delicta apud sæculum discrimen , nam Principis delicta celebrantur,pauperis leuia etiam errata puniuntur,apud Deum verò æstimat Samuel actiones solummodo attendendas,non personas spectandas.

CAPVT

CAPVT XIII.

1. FILIVS vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israël. 2. Et elegit sibi Saül tria millia de Israël: & erant cum Saül duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Ionatha in Gabaa Benjamin: porrò cæterum populum remisit vnumquemque in tabernacula sua. 3. Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philisthiim, Saül cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi. 4. Et vniuersus Israël audiuit huiusmodi famam: percussit Saül stationem Philisthinorum, & erexit se Israël aduersus Philisthiim. Clamauit ergo populus post Saül in Galgala. 5. Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israël, triginta millia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arenam, quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven. 6. Quod cùm vidissent filij Israël se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis. 7. Hebræi autem transierunt Iordanem in terram Gad, & Galaad. Cumque adhuc esset Saül in Galgala, vniuersus populus perterritus est, qui sequebatur eum. 8. Et expectauit septem diebus iuxta placitum Samuëlis, & non venit Samuël in Galgala, dilapsúsque est populus ab eo. 9. Ait ergo Saül: Afferte mihi holocaustum, & pacifica; & obtulit holocaustum. 10. Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuël: veniebat: & egressus est Saül obviam ei, vt salutaret eum. 11. Locutúsque est ad eum Samuël: Quid feciſti? Respondit Saül: Quia vidi, quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philisthiim congregati fuerant in Machmas. 12. Dixi: Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Necessitate compulsus obtuli holocaustum. 13. Dixit que Samuël ad Saül: Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum. 14. Sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suum, eo quod non seruaueris, quæ præcepit Dominus. 15. Surrexit autem Samuël, & ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saül obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin. Et recensuit Saül populum, qui inuenti fuerant cum eo, quasi sexcentos viros. 16. Et Saül, & Ionathas filius eius populúsque, qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porrò Philisthiim consederant in Machmas. 17. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei. Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Saül. 18. Porrò alius ingrediebatur per viam Bethoron: tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum. 19. Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël: cauerant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam. 20. Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. 21. Retusæ it aque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium, vsque ad stimulum corrigendum. 22. Cumque venisset, dies prælij non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saüle, & Ionatha, excepto Saül, & Ionatha filio eius. 23. Egressa est autem statio Philisthym, vt transcenderet in Machmas.

TEXTVS.

VERS. I. Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israël.

§. I.

Non rarò qui ad dignitatem peruenit virtutibus exornatus, citò sordescit sceleribus pollutus.

VLMINA dignitatum periculis plena sunt, quia non solùm inflammant inuidentium desideria, sed corrumpunt possidentium etiam studia. Non solùm æmulantium cupiditas, inuidentium prauitas, ambitiosorum temeritas laqueos obtendunt, sed ipse insidiosus plaulus, mentitus ipse adorationis cultus rationem fascinat, splendor oculos, ne rectè aspiciant, offuscat, & mentem deprauat. Alexander Diogenem externa contemnentem, & se ipso immò & parte sui contentum adspiciens ingemuit, & anhelo suspirio declarauit velle se Diogenem imitari, sed dignitatis obstaculis præpediri. Ita Plutarchus ad principem indoctum: *Corinthi cùm Diogenem, ex præclara indole sua amplexus, stupénsque eius animos, & celsitatem. Nisi, inquit, Alexander essem, Diogenes sim: felicitatem penè dixerim splendorémque, & potentiam suam, vt virtutis obstaculum quod eum distringeret, grauatus, & æmulans vile pallium & manticam: quod his inuictus Diogenes, atque inexpugnabilis esset, non vt ipse armis, equis, & sarissis* Adoratione delusus, negotiorum occupatione distractus ipsis plausibus illigatus virtutis venustatem, quam agnouerat, noluit amplecti, quia grauissimum erat tot

rebus sibi iucūdissimis denudari. Diogenē sequi magna impediuit fortuna, quia plurima secum afferebat obstacula. Vt regio aliqua saluti nocua est, ita altitudo virtutibus parum apta: cerebrum mouet felicitas, emollit animum vestis pretiosa, delicata mensa extruit pudori insidias, inter delicias, & voluptates animi vigor langueſcit, & & qui anteà aduersus appetituum adsultus perstiterat invulneratus, gemit blandimentis captivus. Saul virorum sortiebatur ætatem, innocentiam infantium, cùm ad dignitatis culmen euectus est in culmine citò sordidit vitiis infectus, & obscuratus: *Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israël.* Ante culmen per longam annorum seriem conseruauerat innocentiam, in culmine citissimè admisit culpam, quasi ipse majestatis splendor virtutis fuerit obstaculum, & ad prauitatem illicium. Ita Procopius: *Symmachus exponit: Sicut puer annículus. Quo verbo simplicitas animi ipsius ostenditur, quam in regno habuit, qua tamen non longo tempore vsus est. Quocirca additur: Et duobus annis regnauit, nempè cum illa morum simplicitate. Posteà ad prauitatem declinans diuina gratia destitutus est.* Quàm esset Saul fortunatus, si thronum non inscendisset, sed culturæ agrorum vacasset! Rutis laboribus fractus resplenduit innocenti vita, in culmine dignitatis scatuit delictorum caterua.

§. II.

Dignitatum celsa magnis laboribus possidentur, & tempore breui amittuntur.

CVlmina in arduo posita sunt: ipsum iter, & si ambitiosorum, aut æmulorum turba non impediat, confragosum est. Multa opus est non sine labore vincere, multa vorare. Quod eleganter expendebat Tertullianus *lib. de Pœnitentiâ, cap. 11. Illos, qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis; verùm & contumeliis omnibus inniti in causa votorum suorum.* Adnectit moralissimus: *Idque totum propter vnius anni volaticum gaudium.* Post longos annos in atriis occupatos, post vestium ignobilitates, post conuiuiorum abiurationem, post ad cuiuscúmque maioris occursum deiectionem ad magistratus tamen deuenerunt fastigium, volauit tamen exiguo tempore volaticum illud gaudium: *Vnius anni volaticum gaudium.* Non superfuit aliquibus ad fruendam consulatus euanidam gloriam integer annus, quia in ambitu positus fuerat annorum ingentissimus numerus. Ad hæc: Quàm pertinaci patientia, & inflexibili tolerantia ambitoribus opus sit audi ex Cypriani ore ad Donatum. *Qui amictu clariore conspicuus fulgere sibi videtur in purpura, quibus hoc sordibus emit vt fulgeat? quot arrogantium fastus prius non perculit? Quas superbas fores matutinus salutator obsedit? Quot tumentium contumelioſa vestigia stipatus, clientium cuneis ante præcessit, vt ipsum etiam salutatum comes postmodum pompa præcederet obnoxia non homini, sed potestati, nec enim coli moribus meruit ille, sed fascibus.* Cultum non tam sibi, quàm fascibus impensum prolixa expectatione deiectione ignobili, sumptu non exiguo plures emerunt, qui in ipso dignitatis aditu defessa iam atque attrita ambitus laboribus, vita caruerunt, aut exiguo tempore in fastigio durarunt. Saul ad regnum concordi omnium plausu, celebratus peruenit, postea cum Ammonitis durum certamen iniuit, & cum sperares victoriam adeptum, longo tempore partis prælio commodis vsurum, audis duobus tantum annis possedisse regnum: *Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset; duobus autem annis regnauit super Israël.* Ita noster Sanctius: *Mihi verisimilius est regnasse Samuëlem octo & triginta annos, Saülem verò tantum duos.* Itaque iuxta huius auctoris placitum Saul breui tempore amisit imperium, quod contumelias dissimulando, & cum acerrimis hostibus confligendo sibi acquisierat, & innouarat. Vt videas quàm sit nostra thesis indubia, citò videlicet culmina amitti, & post anxios conflictus, & prolixos annorum tractus possideri.

§. III.

Vitia non sunt dignitatum, sed hominum.

ARduum est culmine elatos virtutibus splendere; ibi namque fragilitatis obliuionem inducit impensus ab ambitoribus cultus; ibi patrocinatur cupiditatibus potestatis fastus, ibi gulam prouocat cibus pretiosus saporatè conditus: verùm etsi hominem tot vitiorum irritamenta circunstent, potest nihilominus animi constantia vincere, & integra puritate lucere: fastigio, magnitudiníque suæ adscribebat Alexander Diogenem omnia contemnentem, & celsa virtutum arce eminentem non imitari: ast nil impediebat, quo minus esset Diogenes Philosophia, & Alexander fortuna. Non erant eius vitia dignitati annexa, sed ab intemperanti animo exorta. Audi Plutarchum ad Principem indoctum: *Integrum erat ei philosophiam sectanti atque animi habitu fieri Diogeni, simulque fortuna manere Alexandro: atque ideo fieri Diogeni magis, quia Alexander erat: quod aduersus ingentem fortunam, quæ vehementi vento, & fluctibus agitabatur, multa opus haberet saburra, & gubernatore magno.* Ipsa ingens fortuna amplam etiam virtuti exhibebat materiam: præstantior Diogene dolium habitante esset, si orbem possidens, vt Diogenes viueret. Deus creaturarum imperio Adamum imaginem suam nobilitauit: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Gen. 1. v. 28.* Dignitas dominari animātibus suadebat, non serpenti subijcinon erat erga Euam cæcus affectus, erga fructū appetitus erga diuinitatem ambitus cōsequentia dignitatis, sed crimen hominis. *Innocens erat* (inquit Tertullianus *de Patientia cap. 5.*) *& Deo de proximo amicus, & paradisi colonus. At vbi semel succidit impatientia, desiit Deo super, desiit cœlestia sustinere posse.* Itaque dignitas culpis hominem non infecit, sed potiùs homo, dignitatem etiminibus obscurauit. Animalium Rex florebat innocentia, serpenti subiectus, dignitatéque abusus propria obscuratus est culpa: quod & noster Textus diluciae ostendit, referens Saulem infantili innocentia exornatum adjisse thronum, & eandem duobus annis conseruasse: *Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israël.* Dignitate fultus inculpatè vixit duobus annis, vt liqueret omnibus, potuisse annis reliquis conseruare dignitatem, & virtutem. Notauit Procopius: *Quocirca additur: & duobus annis regnauit, nempè cum illa morum simplicitate: posteà ad prauitatem declinans diuina gratia destitutus est.* Ipse ad prauitatem declinauit, non dignitas impulit; vt firmum, stabilitúmque maneat dignitatibus exornatos perseuerare posse virtutibus expolitos.

§. IV.

Felix Respublica, cuius præpositi innocentia pueri, iudicio senes maturi.

QVi aliis præest, vitæ debet puritate lucere, & prouida solicitudine inuigilare; puer sit vitæ candore, senex prudentiæ maturitate; sic enim & Respublica respirabit, & superior immortalem sibi famam procudet. Quod si aliter accidat, ingemiscet Respublica, & Regentis sordescet fama. *Adhuc enim* (aiebat Seneca *epist. 4.*) *non puerilia in nobis, sed quod est grauius, puerilitas remanet, & hoc quidem peius est, quod auctoritatem*

auctoritatem habemus senum vitia puerorum: nec puerorum tantum, sed infantium. Illi levia, hi falsa formidant, nos utraque. Si Reipublicæ senes puerorum adinstar formident levia, si sequantur falsa, emergent grauissima incommoda; nam pueros facilè est corrigere, senes difficillimum emendare. Felix, fortunatáque erit illa Respublica, vbi in Principe amico fœdere concordanere pueri innocentia, & prudentia senis cana, nam prudentia sapienter reget, & innocentia non lædet. Felicem hunc Reipublicæ Hebræorum statum depinxit Scriptura, Saulem referens regno maturum, & vitæ innocentia puerum: *Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel.* Itaque erat laudabili simplicitate innocens, sagaci prudentia senex, abiecerat puerilitatem conseruarat innocentiam. Nulla Reipublicæ sors felicior, si dutasset. Ita Lira: *Duobus autem annis regnauit, scilicet in bonitate, & innocentia sua, licet pluribus annis regnauerit existens in malitia.* Nil gerebat duobus illis annis vt puerulus, nil vt adultus peccabat sed amico fœdere copulabantur puerilis innocentia, & prudentia senilis, atque matura: ergo Respublica & viguit, & floruit.

§. V.

Virtutes citissimè fastidimus, vitia prolixis temporibus conseruamus.

Vir bonus (aiebat Seneca *epist. 76.*) *quod honestè se facturum putauerit, faciet, etiamsi laboriosum erit: faciet, etiamsi damnosum erit: faciet, etiamsi periculosum erit: rursus quod turpe erit, non faciet, etiamsi pecuniam affert, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam. Ab honesto nulla re deterrebitur: ad turpia nulla spe inuitabitur.* Boni viri qualitates eleganti penicillo depinxit, sed ipsis delineamentis bonorum raritatem ostendit. Et quidem frequenter contrarium accidit: Quod honestum decernitur, aut non fit, aut frigidè satis; quod lucrosum, voluptuosúmque, expetitur obstinata solicitudine. Vt vestibus sine dolore nudamur, sic virtutem facilè exuimus; vtque pellem non sine magno sensu, sic vitia non sine ingenti dolore deponimus. Audi Ieremiam: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Hierem. 13. *vers.* 23. Adhuc cum vita pardus non deponit varietatem; adhuc moriens Æthiops non mutat colorem. *Si mutare potest Æthiops* (inquit Interlinearis) *niger in peccatis pellem suam, aut pardus varietates suas, diuersitates vitiorum.* Veluti extrinsecus adhærent nobis virtutes, tenacissimè inhærent errores; virtutem vt externam vestem exuimus, vitio, vt pelli, tenaciter adhæremus; quod si aliquod respuimus, pro altero & frequenter deteriori commutamus. Saul duobus annis virtutem coluit, plurimis secutus est prauitatem: *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset: duobus autem annis regnauit super Israël.* Quàm citò quod ingressus fuerat innocentiæ iter reliquit, quam longis spatiis, & prolixis annis prauitatis viis asperrimis est immoratus; ita honestatem amplexus est, vt citò desereret fastiditam auidè adeò arripuit, vt longis annorum tractibus non reliquerit, prauitatem. Notauit Lira: *Duobus annis regnauit, scilicet in bonitate, & innocentia sua licet pluribus annis regnauerit existens in malitia.* Malitia plures annos occupauit; duos tantum acquisiuit sibi innocentia; nam vt plurimum longa temporum spatia dicantur prauitati, tempora exigua virtuti.

§. VI.

Si desit virtus, sub regio ornatu felicitas est personata, si adsit, sub attrita veste est vera.

QVod Epicurei falsò de voluptate senserunt, de felicitate iure & sentirent, & pronuntiarent. *Non est*, aiebant (teste Seneca 4. *de Beneficiis, cap. 2.*) *voluptas sine virtute.* Verius dicerent: Sine virtute non est felicitas. Externus splendor fallet oculos, magna palatia parient videntibus stuporem, circumfulæ, copiosæque diuitiæ mentientur diuinitatem. Omnia tamen ista, si virtus desit, personata sunt quantumvis vti magna suspexerit populus, quia quantum mali interius lateat non est expertus. E contrario si lacera vestis, si mensa angusta, si cibarius panis, ibi infelicitatem commorari arbitrantur delusi, & horrescunt cæci. Quàm disertè Pomponius apud Senecam *epist. 3.* *Quidam adeò in tenebras refugerunt, vt putent in turbido esse quidquid in luce est.* Adnectere potuisset: Adeò plures obrutuerunt, vt quidquid in luce est, arbitrentur & sordidum & obscurum. *Non colorem vestium* (inquit Seneca de vita beata, *cap. 2.*) *quibus prætexta corpora sunt, adspicio: oculis de homine non credo. Habeo melius, certiúsq; lumen, quo à falsis vera dijudicem, animi bonum.* Verum dixit, nam licet splendidis argumentis fulgeas, & delicato apparatu splendeas, te nunquam pronuntiabo felicem, si animus prauitate sordescat; vocabo tamen felicem, etsi in manipulo fœni iaceat, quem virtus ornat, quem innocens vita commendat. Saulem annis plurimis obtinuisse Israelitarum imperiũ comprobatur, & tamen duobus tantum regnasse dicitur: *Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset: duobus autem annis regnauit super Israel.* Quod si inquiras, cur duos tantum annos eius imperio adscripserit Textus Sacer, quando sunt, qui quadraginta regnasse existiment? Respondebit Glossa Moralis, solùm his duobus annis, quos ornauit virtutibus, verè regnasse, aliis personata solùm dignitate fulsisse. His duobus elapsis videbatur Rex, sed reuerà erat veluti pictus, aut laruatus: purpura collucebat exterius, sed cum se vitiis addixit, & animum prauitati subiecit, vera dignitate est priuatus. *Actor. 13. dicitur, quod regnauit quadraginta annis, sed hic ponitur tantum tempus, quo permansit in humilitate, & bonitate. Ex quo patet, quod Rex malus tempore malitiæ suæ non est secundum veritatem Rex dicendus, sed tantum æquiuocè, sicut oculus lapideus, aut depictus, & idem dicendum est de prælato modo.* Vt Regum imagines vita spirituque carentes felices non sunt quantumvis grato purpuræ nigrore colluceant, & orbem manu gestantes potestatem ostendant; ita fortunati non sunt, quicumque verò spiritu carent, etsi diuitiis, voluptatibúsque circumfusi admirationem sibi concilient, Ecclesiaste asserente: *Melius est canis viuus leone mortuo.*

TEXTVS.

VERS. II. Et elegit sibi Saül tria millia de Israël : & erant cum Saül duo millia in Machmas, & in monte Bethel : mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin. Porrò cæterum populum remisit vnumquemque in tabernacula sua.

§. VII.

Qui inter hostes degit, etiam accepta victoria obarmetur vigilantissima cura.

QVi in hostili regione commorantur, solicitudine semper punguntur : perspicacibus oculis intuendum est, ne insidiæ lateant, & ex improuiso insurgant, & licet hostis videatur contritus, prudenter armatur metus. Perierunt plures, quia iam accepta de hoste victoria nulla timuere pericula, & dum incauti degunt calamitatem incurrunt. *Quid est enim gratius* (aiebat Cassiodorus 3. *variarum* 38.) *quàm humanis rebus cautelam semper adhibere, quæ aut sit necessaria, aut non grauat esse superfluam*: Vbi est necessaria, non omittitur inculpatè cautela, & licet necessaria non sit discrimini, congruens erit sedando semper timori : nec enim pacatè viuitur, si cor timoribus solicitis adurgetur. Saül Ammonitas detriuerat, mirandúmque triumphum reportarat ; verùm non adeò victoria est fisus, vt exinceps otiaretur incautus; immò strenuos milites sibi delegit, & tutiora montis adiuit : *Elegit sibi Saül tria millia de Israël.* Triumphis coronatus milites deligit, & montis se cacumine munit : nam cùm non distarent hostium præsidia fuit catela necessaria. Ita Caietanus : *Electio ista facta videtur tunc quando erant in Galgalis post victoriam contra Ammonitas. Oportuit autem habere iugiter tria millia virorum electorum in promptu propter Philisthinos adhuc retinentes præsidia in pluribus locis Israëlitarum.* Si hostes penitus fracti fuissent, aut longissimis interuallis distarent, posset Saül adeò solicita cautela non vti, sed pacatè quiescere: ast cùm non longè essent inimicorum castra, & præsidia prudenter tractauit arma, ne dum inter hostes otiatur securus, improuisis lugeret irruptionibus subiugatus: *Oportuit autem habere iugiter tria millia virorum electorum in promptu propter Philisthinos adhuc retinentes præsidia in pluribus locis Israëlitarum.* Peccatores, si huius aut illius tentationis impetum fregerint, & feliciter triumphum tulerint, deponere solent arma, quasi nulla vereantur pericula ; cúmque occasiones nec longè distent, & hostes insidias emoliri non cessent, nimia confidentia perierunt, & acceptum triumphum frustrarunt.

§. VIII.

Exercitus non tam constat numero, quàm strenuo militum animo.

EXercitus plurimum distat à turba, turba se ipsam multitudine premit, & dum ordinem nescit seruare, aduersariorum triumphis agnoscitur inseruire. Cùm bellum Græciæ Xerxes indiceret, fere innumerum delectum coëgit : adulatorum alius aiebat ad primum nuntium belli terga hostes versuros, Græciámque grandi illa exercitus mole non solùm posse vinci, sed obrui : alius vastam camporum latitudinem explicandis copiis non sufficere. Tunc Demaratus plus se fidere aduersariorum exercitu paucis militibus, sed strenuis adornato, asseruit. *Tot ista gentium millia* (inquit apud Senecam 6. *de Beneficiis, cap.* 31.) *trecenti morabuntur, hærebunt in vestigio fixi, & commissas sibi angustias tuebuntur, & corporibus obstruent.* Demarati sententiam euentus ostendit verissimam, & licèt tarde agnouit Xerxes ex ipsa magnitudine natam fuisse perniciem, & quos ipse regebat turbam, non exercitum fuisse. Miles, qui pedem non referat, qui gloriosè contempta vita hostem adoritur, pro mille est. *Cùm expectaret quidam* (inquit Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis) *Laconem in expeditionem euntem claudum, atque equum quærentẽ: Non intelligitis, inquit, non fugiẽtes, sed manentes in bello requiri* ? Militum, si ad litui hostilis clangorem verterint terga, parum proderit copiosa summa; pauci iuuant, si vel de genu pugnent, & aduersariorum telis pectora obiiciant. Hinc est, quod Saül non tam numerum, quàm militum, attendit animum : *Elegit sibi Saül tria millia de Israël.* Terribilis erat Philisthinis exercitus, quia etsi non constaret grandi numero, inuicto militum constababat animo. Innuit nofter Sanctius : *Ex bello, quod exitu secundo confecit Saül contra Naas, copiosum secum habebat exercitum, qui ducis auspicatum illud exordium sequuti libenter sub illius signis dimicarent. Ex omnibus tamen elegit millia, reliquos tamen domum abire iussit.* Noluit multitudine premi, nec numerum militum sibi ignotum sortiri, sed strennis ac prudenter ferocientibus exercitum militibus componere, ratus fortiorem esse manum paucis leonibus instructam, quam innumeris leporibus comparatam.

§. IX.

Tibi consules eisdem subsidiis, quibus afflictis subueneris.

ELias, dum inopi, afflictæque viduæ exiguam multiplicauit farinulam, ex ipsa farinula sibi confici imperauit placentam : *Noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti : verum tamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me. 3. Reg. 17. vers.* 13. De ipsa farinula, qua egenti subuenit parari etiam sibi cibum disposuit : nec enim potuit Elias sibi non elucrari alimentum, dùm afflictæ exhibebat subsidium. Adest Theodoretus hic *quæst.* 51. *Magnos ille pollicitus quidem est fontes farinæ, & olei; eam autem iussit primum & facere, & afferre panem.* Eadem farina erat viduæ remedium, & largitoris etiam subsidium : sibi Elias, ne famescceret, prouidit, qui farina famescenti subuenit. Et Saül, dum ad suorum tutelam militem adlegisse refertur, sibi prouidisse dignoscitur : *Elegit sibi Saül tria millia de Israël.* Quæres, cur sibi dicatur elegisse, quos milites ad suorum tutelam constat armasse ? Quia idem erat, respondebit Abulensis *quæst.* 2. aliis prouidere, & sibi consulere; ipsum aliorum munimentum erat procurantis auxilium. *Samuël hoc ei commendauit, quando vnxit eum secretè, dicens : Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum eius de manu inimicorum eius.* Procurata populi libertas Sauli attulit dignitatem, & quibus se tueretur habuit milites, quos ad populi salutem adlegit ; eius tempora regi cinxit corona, dum ab hostibus obsessos liberat angustia.

§. X.

§. X.

Ita alienis consulendum est commodis, vt propriis non exponaris periculis.

CHaritas benè ordinata incipit à se ipsa, & præcipuè in rebus spiritualibus, vbi genus esset dementiæ in virtute pati detrimentum, vt alienum solicitaueris commodum. Elisæus supra defuncti corpus incumbit, sed citò ad deambulandum surrexit: *Deambulauit in domo semel huc, atque illuc.* 4. *Reg.* 4. *vers.* 35. Quæres, cur Propheta deambulauerit, & opus, quod inceperat, prosequutus non fuerit? Ad quod respondebit Abulensis *quæst.* 51. à cadaueris frigore Prophetæ calorem quodammodo tepefactum: ergo deambulans proprium calorem fouet, ne dum defuncti corpus calefacere adnititur, proprij caloris aliquod detrimentum patiatur; nec enim prudentia esset frigus contrahere, vt frigido calorem infunderet: *Descendit de lectulo, & ambulauit per domum, scilicet per cœnaculum semel huc, & illuc, id est aliquando declinabat ad vnam partem, & aliquando redibat ad aliam eundo, & redeundo sicut illi, qui deambulant per domum ad faciendum exercitium.* Exercitio calorem suum fouit, ne ipse pateretur detrimentum, dum ad vitam nititur reuocare defunctum. Nonnulli, vt alios à litibus expediant, falsum inramentū emittunt; alij, vt temporalia miseris solicitent commoda, perpetrauere peccata, & grauiori sui dispendio aliorum studuerunt subsidio. Saul ad populi salutem electus militum collecta manu sibi prouidit, ne ipse in manus veniat inimicorum, dum ab inimicorum manibus studet alios eripere. *Elegit sibi Saül tria millia de Israël.* Noluit periculo imparatus exponi, dum admittit cæteris auxiliari. *Oportuit* (inquit Caietanus) *habere iugiter tria millia virorum electorum in promptu propter Philisthinos.* Ad propria subiectos remittens, vt domesticis fruerentur commodis, obnoxium noluit remanere periculis; quandoquidem imprudentiæ vertendum esset aliis consulere, & sibi non prouidere.

§. XI.

Principem thronum aditurum decet arma tractasse, & peritia militari floruisse.

SEcurus celsa conscendit, qui militari virtute floruit Nesciet disponere bella, qui Martia ignorauit certamina. Cúmque Reges tueri debeant armis Rempublicam, oportet calluisse bellicam disciplinam. *Tutius* (aiebat Cassiodorus 11. *variarum* 1.) *tunc defendit regnum, quando arma deposuit.* Arma, quæ tractabat, deposuit, & armorum peritia tutiùs gubernauit. Addit Aurelius: *Respicite namque Patritium Liberium Præfectum etiam Galliarum, exercitualem virum communione gratissimum, meritis clarum, forma conspicuum, sed vulneribus pulchriorem, laborum suorum munera consequutum: vt nec Præfecturam, quam benè gessit, amitteret, & eximium virum honor geminatus ornaret.* Post deuictos hostes vulnetibus eius fortitudinem pro linguis referentibus peruenit ad Principatum, vt exercituali labore eruditus labores militum non despiceret, sed præmiaret. Saul etiam vbi accepit regnum, Ionatham Principem ad thronum destinatum armorum peritia exercuit, vt quem sors adlegisse videbatur ad thronum, arma conciliarent & plausum: *Elegit sibi Saul tria millia de Israël, & erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Ionatha in Gabaa Benjamin.* Filium Martiis certaminibus exerceri voluit, vt ad fastigium regnum adaptarit, *Ducem præfecit* (inquit noster Sanctius) *vtpotè tam grandem ætate, quique & robore valeret ad dimicandum, & consilio ad bellum administrandum.* Si Ionathas prudentia non vrgeret, si non polleret fortitudine præfectum armis non constitueret, quantumvis paterno persuaderetur affectu, quem verò robore, & prudentia agnouit præditum, præfecit armis, ne delicato otio, & blanditiis torperet effœminatus, & vitiis deliciarum appendicibus deprauaretur infectus. Corpora mollia, & vmbratili vita candida melius nouerunt fugere, quàm certare. *Cùm vestes quidem complures licerentur* (inquit Plutarchus in Apophthegmatis laconicis verbo, Agesilaus) *corpora verò ex vita vmbratili candida, & mollia derident, & inutilia, & vilia assistens Agesilaus: Hi sunt infit, quibus cum dimicatis.* Arrogantiam militum correxit, quando vicisse comptos, & politulos victoria erat aut nulla, aut parua. Corpora algoribus indurata, ardore solis adusta, armorum pondus sustinere edocta hostibus timorem incutiunt, delicata facilè cedunt: ergo Ionathas se campo induret, & armorum peritia obarmet, vt si adierit thronum, sciat bella disponere, & duces copiis præficere. Est namque optima politices Principem thronum adire armorum peritia instructum, & spoliis hostilibus coronatum.

TEXTVS.

VERS. 111. Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa, quod cùm audissent Philisthiim, Saül cecinit buccina in omni terra dicens: Audiant Hebræi.

§. XII.

Qui aliorum saluti desiderat prouidere nulla vitia sibi patiatur appropinquare.

EA Ionathas suos firmitate dilexit, vt non pateretur esse solicitos, eorum securitas eius erat ornatus, vtque à suis propulsarit pericula, laboriosa Martialis campi non detrectabat incommoda: ea tamen prudentia enituit, vt anteà propriam domum in libertatem assereret, quam pro aliorum vtilitate certaret. In Gabaa ciuitate sua præsidium habebat Philisthæus, vt ad tributa cogeret, & Israëlitas seruitutis infamia premeret. Hanc ergo munitam aduersariorum stationem in primis aggressus est demoliri, & hostem à suis finibus propulsare, ne illi obiiceretur sustinere in propria ciuitate aduersarios, & expellere agressum fuisse de aliorum ciuitatibus inimicos: *Percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa.* Saul contra Naas pugnarat, & Iabesenos ab obsidione defenderat, cùm in propria ciuitate hostile pateretur præsidium, & non sine dedecore sustineret aduersarium. At Ionathas, ante quàm armigero associatus, & manibus, ac pedibus reptans hostilia aggrederetur castra, à ciuitate sua depulit inimicorum præsidia, prudenter ratus debere priùs sibi prouidere, & posteà pro cæteris militare. Notauit noster Sanctius: *Hæc statio, & plures aliæ, quæ fuerunt vt est verisimile, in Israëlitide regione dispositæ id fecerunt, ne qua ibi cuderentur arma, neque aliquod ibi fieret instrumentum è ferro, etiam rusticum, quod miseræ, atque extremæ subiectionis argumentum est.* Itaque Gabaa Saulis ac Ionathæ ciuitas illo hostium præsidio ingemiscebat subiugata, & tributis obnoxia: ergo Ionathas à ciuitate sua incepit, dedecus reputans, vt eius patria hosti penderet tributa cùm ipse decertaret, ne aliorum patriæ persolverent vectigalia. Adjcit noster Sanctius: *Quod ferre non potuit Jonathas vir fortis, & audax, quique abolere cupiebat dedecus illud ex Israëlis nomine: Quare aggressus est stationem, quam habebat infestam,*

&

& proximam, quam ita percussit feliciter, & fortiter, vt partim cæsis, partim fugatis hostibus offensionem illam & ignominiam è patria ciuitate depulerit. Depulso iam à patria ciuitate hoste armis non abstinuit, sed stationes alias Philisthinorum aggressus generalitati adferre salutem procurauit: noluit tamen ordinem inuertere, nec hostem in propria ciuitate passus hostes expugnare alienæ salutis solicitus: cùm sint plures, qui propria contempta, alienæ saluti inuigilent, & hostem ab aliis propulsare laborent. *Vobis* (aiebat Seneca *de vita Beata, cap. 27.*) *aliena scrutari mala, & sententias ferre decoquam. Quare hic philosophus laxius habitat? Quare hic lautius cœnat? Papulas obseruatis alienas, ipse obsiti plurimis vlceribus. Hoc tale est quale si quis pulcherrimorum corporum næuos, aut verrucas derideat, quem fœda scabies depascitur.* Felices essent aliqui, si quorum carpunt leuissima vitia, facta imitarentur; verùm cùm ipsi intrinsecùs, extrinsecúsque inseruiant vitiis, leuibus aliorum irascuntur erratis, & alienæ ægritudinis medici, ipsi variis morbis laborant semper ægroti. Ionathas priùs patriam suam libertate donauit, posteà aliarum ciuitatum libertati prouidit

§. XIII.

Si vitium Rex, caput que destruitur, imbellis turba facillimè dissipatur.

VItia concatenata sunt, alterum alterum protegit, & vnius patrocinio aliud crescit. Magna aliis in materiis tardè proueniũt, in hac nescio quo impetu & nascũtur, & crescunt. *Inuenit* (aiebat Seneca *lib. 7. natural. quæst. cap. 31.*) *luxuria aliquid noui, in quod insaniat. Inuenit impudicitia nouam contumeliam sibi. Inuenit deliciarum dissolutio, & tabes aliquid tenerius, molliúsque, quo pereat.* Gregatim incedunt vitia, & quasi manu facta nos impetunt, & quod peius est, prosternunt, se tuentur, & ne aliquod expellatur, aliud succurrit, & robur nostrum eneruat. *Huic* (aiebat Iob de Behemoth) *montes herbas ferunt; omnes bestiæ agri ludent ibi. Sub vmbra dormit in secreto calami, in locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius. Iob. 40. vers. 15.* Veluti vmbrarum vallo protegitur vmbra, ne lux queat irrumpere, & præcipuam vmbram dissipare. Adest Gregorius *lib. 33. Moral. cap. 4. Vmbræ Behemoth istius vmbram eius protegunt, quia peccatores quique, in quo sibi malè sunt conscij, in eo & alium peccantem defendunt. Vmbræ vmbram eius protegunt, dum nequissimorum facta nequiores peruersis patrocinijs tuentur.* Itaque peccatores se muniunt, & delicta ipsa se constipata defendunt: verùm si animus veritate, virtutéque obarmatus præcipuam vmbram abegerit, cæteræ quasi appendices, & consequentiæ diffugiunt, & pereunt. Ionathas Philisthinorum stationem euertit intrepido animo, & felici successu: *Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa.* Hebræus Textus habet: *Percussit Præfectum Philisthinorum.* Hinc exoritur dubium. Percutere Præfectum est ducem, & capitaneum auferre, non stationem totam vastare. Quomodò ergò, si totam percussit stationem, Hebræus Textus victoriã coarctat, aut quid si Præfectũ percussit, Textus noster triumphum amplificat? Quia vtrumque (inquit Caietanus) est veritati conforme; nam cùm in stratione illa præcipuus hostis esset dux, qui alios & regebat, & gubernabat, eo sublato cæteri animis exciderunt. *Iuxta Hebræum habetur* (inquit Caietanus) *Præfectum Philisthinorum; sed sensus in idem redit, quoniam percussum intelligitur præsidium Philisthinorum; cum suo Præfecto.* Adeò certum est præcipuo hoste debellato alios debilitari, tergáque vertere, vt idem fuerit Præfectum debellasse, ac stationem euertisse, *Defuncto eo* (Alexandro) *Demades orator* (scribit Plutarchus in Apophthegmatis verbo, Alexander) *cernere ait se Macedonum exercitum ex licentia obcæcato cyclopi similem.* Si vitium aliorum præcipuum ducémque absteleris, leuioris armaturæ milites facillimè detriumphabis: ergò animum exere Ionatham imitatus vince Præfectum, & de statione tulisti triumphum.

§. XIV.

Vitia nos subiugant non tam propria valentia, quàm nostra ignauia.

VItiis non magnum robur est: nobis deficit animus, aut quod peius est, noster nos subiugat appetitus vinci volumus, & ob id in campum contra vitia non prodimus, immò nos dedere procuramus. Audi Senecam 7. *natural. quæst. cap. 31. Nondum satis robur omne proiecimus. Adhuc quidquid est boni moris extinguimus lauitate, & politura corporum. Muliebres mundities antecessimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri sumimus. Tenero, & molli gressu suspendimus gradum; non ambulamus, sed incedimus; exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur. Quotidiè comminiscimur per quæ virilitati fiat iniuria, vt traducatur, quia non potest exui.* Robur nos ipsi debilitamus, & vitiis suppetias ferimus. Voluptati, deliciísque operam damus; vanitati oculi nostri, manusque inseruiunt. Malumus tributa pendere, quàm vitium abigere, cùm non sit arduum abigere, si dedignemur tributa pendere. Philisthini stationem in Gabaa multis temporibus tenuerunt, hanc facilè Ionathas percussit, & deuastauit: *Percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa.* Ante audis triumphum, quàm prælium. Si inquiras, quomodo Ionathas tam facilè hostes deuicerit, aut quomodo tot annis Israëlitæ tributa pependerint? Respondebit noster Sanctius toto eo tempore tributa pependisse non tam alienis vitibus oppressi, quàm propria inertia tardati. Noluerunt cum hoste confligere, sed parere. Vbi Ionathas decreuit aggredi intrepidè, vicit feliciter, vt constiterit hostes præsidium habuisse non tam propriis armis munitum, quàm Israëlitarum ignauia, & imbecillitate protectum. *Aggressus est stationem, quam habebat infestam, & proximam, quam ita percussit feliciter, & fortiter, vt partim cæsis, partim fugatis hostibus, offensionem illam, & ignominiam, è patria ciuitate depulerit.* Vbi audacter iniuit prælium, feliciter assecutus est triumphum, & anteà fuisset reportatus, si vt fas erat initus fuisset conflictus, sed quia torpemus, opprimimur.

§. XV.

Infausta ad aures perueniunt celeriùs, felicia tardiùs.

FAma velocissima est, nec solum velox, sed loquax; parua, amplificat, terribilia exaggerat, eo tamen discrimine, vt perniciùs afferat amara, quàm dulcia. Vide Claud. contra Alar.

Famáque nigrantes succincta pauoribus alas.

Celeriùs mouet alas pauoribus nigras, quàm faustis pulchras. *Natura famæ omnibus nota est* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap. 7. vestrum est.*

Fama malum, quo non aliud velocius vllum.

Cur malum fama? Quia velox? Quia index? An quia plurimum mendax? Velox, & mendax; verùm non tam velox, dum affert prospera, quam ingrata. *At Cassium Longinum* (scribit Plutarchus *in quæst. communal. quæst. 1.*) *cum rumor incerto auctore filium eius peregrè decessisse allatus esset, neque verum posset dicere, neque*

eximere

eximere suspicionem : vir Senatorius audiens eum natu iam grandior : Non contemnes, inquit, Longine incertam futilitatem, & improbam famam. Ac si diceret : Rumor hic, etsi nullo auctore sparsus, nullatenus est contemnendus, nam cùm sit infaustus, erit certus: infausta celeriter inuolant, frequenterque inueniuntur verâ. Ionathas stationem Philisthinorum viriliter aggressus euertit, prorsusque deuastauit : fama statim Philisthinos perculit, & Saul buccina iussit Hebræis victoriam Ionathæ denuntiare : *Percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cùm audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra dicens : Audiant Hebræi.* Si tam citò Philisthæi audierunt, cui opus est buccina, vt Hebræi audiant ? Ad Israelitas volucris perueniet fama, si adeò celeris, peruenit ad Philisthæos. Expende nuntium illud Philisthæis fuisse satis acerbum, scilicet eorum præsidium deuastatum, euersumque, Hebræis felix satis erat, & iucundum : ergo fama, quæ afferebat tristia, statim ad Philisthinos peruenit : *Et audierunt Philisthiim* ; quæ verò Hebræis afferebat fausta, peruenit morosiùs, & tardius. Buccina denuntiabat, quia fama lentis gradibus incedebat. Notauit Abulensis *quæst. 3. Non poterat latere eos, cùm magnum damnum eis nunc intulissent Iudæi.* Magnum malum non latuit Philisthinos, lateret fortè aliquando triumphus, ni buccina resonaret, Hebræos : nam infausta celerius, & felicia ad aures perueniunt tardiùs.

§. XVI.

Qui Christum ducem sequitur, libertate integra fruitur, & indecoris vectigalibus liberatur.

EA cæcitas mortales occupat, vt quærentes salutem in varios morbos incurrant ; tunc se perfecta frui libertate existimant, cùm duriori captiuitate adlaborant. *Quando maximè putat se liberatum* (aiebat Philo *lib. de Somniis*) *tunc fit paratissimum certamen.* Non potest non magna tributa pendere, qui vitiorum iugum noluit excutere. Qui verò Deum sequitur, non solùm non pendit tributa, sed ditissima de hoste reportat trophæa. Sub Pharaone ingemiscebat populus, quousque nubem sequutus est : *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendâ viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroq; tempore. Exod. 13. v. 21.* Deum secuti ducem, iam sordidis luti laboribus non premuntur, immò deuictis hostibus spoliis ditissimis onerantur : *Liberauit Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos super littus maris. Exod. 14. vers. 30.* Iam Ægyptiorum arma pro spoliis sunt ; iam seruitus commutatur in triumphum, quia secuti sunt Dominum. Prodest Philo *lib. de Somniis* : *Suscitauit demersus tanquam superantem visionem, & victoriam, cui impugnari potest, & gaudium spe maius occasionem illam auferre. Ideò dicitur : Vidit Israel Ægyptios mortuos ad ripam maris. Magna videlicet vindex manus cogens in ore, & labris, & sermone cadere eos, qui instrumenta hæc contra veritatem exacuunt : vti ne alienis, sed propriis armis, quæ contra alios suscipiunt, ipsi moriantur.* Ægyptios mortuos conspicati non sunt, donec nubem sequuti ; aſt vbi Deum pro duce decreuerunt habere, tributa mutata sunt in trophæa. Philisthini in Gabaa habebant præsidium, vt ad pendenda tributa Israelitas cogerent, & seruitute durissima premerent : verùm vt decreuerunt Ionatham sequi, nescierunt tributa soluere. *Philisthini* (inquit Abulensis *quæst. 3.*) *erant Domini Israelitarum, & premebant eos tributis, imponebántque eis leges quas volebant. Ad faciendum autem hæc omnia seruari, & vt non rebellarent Israelita contra Philisthinos erat posita acies eorum in Gabaa, quæ propriè vocatur statio, à stando dicta.* Itaque dum Ionatham ducem non sunt sequuti indecoris tributis sunt prægrauati : aſt sub eo duce iam statio subruitur, & Israelita spoliis hostilibus diuitatur : *Percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa.* Ionatham Christi gessisse personam, tradit Glossa Moralis : *Per Ionatham, quæ donum columbæ interpretatur, Dominus Iesus Christus significatur.* Sub Christi vexillo pugnantes, destructis aduersariis indigna non solvunt tributa, sed præclara accipiunt trophæa. Vt noueris, quam sit commodum Christum sequi, & eius mandatis obsequi.

§. XVII.

Qui de hoste præclaram accepit victoriam, ad nouam obarmetur prudenti solicitudine pugnam.

NVnquam dæmon inuidiæ suæ otium facit, & quâvis ingemiscat victus, noua tentat certamina rabido furore inflammatus. Si quidquid vetus error inquinauit, si quidquid corde hominis ignorantia commisit, id omne pœnitentia verrat, & radat, expulsus hostis ab aliis nequioribus spiritibus suppetias sollicitat, quò mûdá pectoris domum validioribus irruptionibus euersam possideat, & munditiem omnem euerrat. Viuidiùs inflammatur, dum extinguitur, præcipuè tamen satagit, cùm homo rebellat, ne tempus ad se muniendum recolligat. Notauit Tertullianus *de Pœnitentia, cap. 6. Omnes quidem deditos Domino spectat, vt omnis salutis in promerendo Deo petitores : sed præcipuè nouitiolis istis imminet, qui cùm maximè incipiunt diuinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiâ adhuc recentis nec perfectis luminibus incepta reptant : & dicunt quidem priſtinis renuntiare, & pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt. Interpellat enim illos ad desiderandum ex priſtinis aliquid, ipse finis desiderandi.* Quàm maximè festinat fugientes persequi, ne tempus habeant, quo se præsidiis circumvallare, & aduersus eius technas possint muniri. Ob id Saul victoriam Ionathæ aduersus Philisthæos fecit proclamari : *Saul cecinit buccina in omni terra dicens : Audiant Hebræi.* Saulis animum fuisse ad arma Israelitas tuba ciere, & ad certamina conuocare, concors Interpretum sententia est. Audi Liram : *Hoc fecit Saul proclamari, vt filij Israel præcauerent sibi ab insultu Philisthinorum in hoc facto contemptorum, & non siderent de se ipsis in aliquo.* Benè : sed satius videbatur manifestioribus verbis inflammare, quàm acceptam victoriam solùm referre. Si audiunt hostem deuastatum, sibi plaudent, & minus accuratè in campum studebunt exire : ergo Martiali edicto pronocet ad arma, non solùm referat asportata trophæa. Satis fuit, respondet Lira, referre trophæa, vt vocarit ad arma : nam Philisthæus vbi deuictus, quàm citò numerosas copias colliget, & in campum properanter exibit, quod & effectus ostendit. Et quidem siue Philisthæus per se spectetur, siue vt dæmonis vmbra censeatur, bona politices edocebat accepto triumpho nimis non fidere, sed ad noua prælia improuidenter præparari, nam certum est inimicum tunc viuidius inflammari, cùm contingit extingui. Plures, dum sibi de victoria adulantur, facilè ab hostibus euertuntur.

§. XVIII.

Plus obtinet sæpè superior ciuili vrbanitate, quàm acri, & duro timore.

VIr bonus, quod honestè se facturum putauerit, faciet, etiamsi laboriosum fuerit; verùm celeriùs in opus prosiliet comitate allectus, quàm asperitate tractus. Vt generosus est hominis animus, non vult cogi, sed allici. Saül Ionathæ victoriam fecit promulgari: *Audiant Hebræi*, vt prouida denuntiatione vocarit ad arma, & iam omnes accinguntur in prælia: *Erexit se Israël aduersus Philisthiim.* Affectum erga suos prodidit, dum cautelam erudiuit. *Cautela* (aiebat Cassiodorus 1.*var.* 44. *prodit affectum, & quæ studiosius diligimus, maiori gratia custodimus.* Vt subiecti sibi omni solicitudine prouiderent studuit, & buccina, quæ cautelam edocebat, tenerum Saülis affectum etiam promulgabat. Sed inquires, cur hic vniuersus Israël properarit ad arma, cùm non omnes vrgente Ammonita, inuolarint ad prælia? *Percussit Saul stationem Philisthinorum, & erexit se Israël aduersus Philisthiim.* Quia Saul (inquit Abulensis) modò in colligendis copiis aliam, quam priùs formam tenuit; ibi discerptis bobus timorem incussit hic victoriæ proclamatione solùm allexit: ergo dum decentius tractantur, faciliùs obediunt. Accipe Tostatum *quæst.* 4. *Quæret aliquis quare Saul non diuisit hic boues in frusta mittens in omnes terminos Israëlitarum, vt cito venirent, sicut fecit in bello contra Ammon?* Hic validior, numerosiorque erat aduersarius: ergo & copiosior exercitus opponendus, & congregandus. Hanc sibi rationem obiecit Abulensis. *Cum Saul vellet hic congregare omnes Israëlitas in bellum, quia maius certamen erat, quàm contra Ammonitas, debuisset eos sic vocare.* Vocandi videbantur vt priùs, quando copiosior hostis vrgebat, & grauius ad speciem periculum omnes ad arma vocabat: sed ob id ipsum minis non deterruit, sed vrbanius conuocauit, & dum vrbanius cum illis agit, sine coactione plures collegit; ingenui namque dum honestiùs tractantur, facilius obediunt. Audi Tostatum: *Credens Saul, quòd Israelitæ confestim obedirent ei ad omnia, quæ iuberet, non misit particulas boum sicut priùs timorem incussurus, sed fecit vocari clangore buccinæ.* Suis factis edocuit Saul plus ab ingenuis obtineri, quàm timore, vrbanitate. Timor plures, sed ciuilitas armauit omnes: *Erexit se Israel.*

§. XIX.

Superior timore deterreat indomitos, alliciat humanitate morigeros.

BOnus superior debet medicum imitari, nec sano austera applicabit remedia, nec grauissimè laborantibus dulcia. *Ægris* (aiebat Cassiodor. 12.*var.* 3.) *non vna causa salutis est, alter cibis reficitur, alter per abstinentiæ beneficia tenuatur: hic lauacra mollia, ille ferrum quærit ad vulnera, & varium poscit remedium diuersa qualitas passionum. Sic qui populis præesse cognoscitur, non vno consilio præditus inuenitur.* Adnectit ad nostram thesim satis opportunè: *Feroces districtione premendi sunt, mansueti ciuiliter admonendi, dolosi cautè, simplices sub lenitate tractandi sunt.* Ni districtionis falx scelera secuerit, in magnum Reipublicæ incommodum improbitas pullulabit: verùm vt vtile est pestilentes morbos frænare, sic sanitatem fouere. Moyses eadem virga morigeros Israelitas adiuuit, & Ægyptos refractarios repressit, & Angelus nube illa veluti throno insidens contra Ægyptios eiaculatus horrores, pluit Israelitis floridas luces: *Erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem. Exod.* 14.*v.* 20. Israelitico populo longa ariditate sitienti copiosos Moyses eduxit latices, turbulentos audaciæ Ægyptiorum opposuit vortices: contra indomitos fuit durus, morigeris semper humanus. *Vbique probatur* (ait datus Cassiod.) *esse necessaria prudentia, quoniam vtilitas omnibus adhibere videtur commoda.* Hanc Moysis regiminis formam Saul videtur sequutus, quando, vt cogeret copiosum exercitum, iam terroribus premit, iam buccina solummodò allicit: *Assumens vtrumque bouem concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum dicens: Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saul, & Samuel, sic fiet bobus eius.* Sap. c. 11.*v.* 7. Posteà iam timorem non incutit, sed sonora tuba delectum cogit: *Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi.* Inquires: Si satis fuit hùic clangere, cur ibi timorem incussit? aut si opus ibi fuit timorem incutere, cur hic contentus est bellum tuba solummodò denuntiare? Hanc dubitationem proposuit Abulensis *q.* 4. *Quare non diuisit boues ad vocandum Israelitas ad bellum, sicut fecit in bello contra Ammon?* Audisti dubium, audi responsum. Priùs filiorum Belial plures secuti exemplum Sauli detrectabant parere, & absque iugo cupiebant viuere: ergo illos intentato supplicio opus fuit cogere, iam Israelitæ Principem suum amabant morigeri: ergo minis abstinuit, & vrbanus admonuit. Accipe Abulensem: *Israelitæ contempserunt eum à principio, quando electus est, cùm multi eorum dixissent: Non regnabit super nos, vt constat supra cap.* 11. *Timuit ergo, quòd non obediretur mandato suo de vocatione ad pugnam. Ideo volens eis incutere terrorem misit boues in frusta cæsos, significans animositatem suam, adjiciens etiam verba dura... Nunc autem Israelitæ timebant Saulem, & amabant.* Modò erraret, si cum morigeris se durè gereret, erraret antea, si indomitos nimia humanitate tractaret: ergo vsus est eximia prudentia, dum morigeros tractauit humanè, indomitos durè.

§. XX.

Sacerdotis munus est ad honesta bella ciere, & futura pericula denuntiare.

SAcerdos populi est veluti pædagogus, & tutor; pericula debet prænidere, & suos prouidenter communire. Pædagogus puero viam demonstrat, & si quid peccet, obiurgat. *Sacer sermo* (aiebat Philo *lib. de Somniis*) *alios vt Rex facienda imperat; alios vt præceptor familiares discipulos vtiliter instruit; alios item tanquam consiliarios sententiis optimis instruit, non valentes ipsi sibi consulere.* Subiungit: *Interdum scisitatur ex quibusdam sicut ex Adamo illud: Vbi es?* Aliquando Sacerdos interrogationibus asperis errantem rubore suffundat, aliquando humaniter pericula ostendat, & fugere admoneat, aliquando in hostem irruere audaciter edoceat, quo laudabiliter munus impleat. Dum Philisthæi ad pugnam se præparant, Sacerdotalis tuba Israëlitis futurum bellum prænuntiat, & ad arma tractanda prouocat: *Saül cecinit buccina in omni terra dicens: Audiant Hebræi.* Illud: *Cecinit buccina*, idem est ac fecit sacras tubas periculum prædicere, & ad certamen accendere. Ita Abulensis *q.* 4. *Oportebat vt clangerent in eis Sacerdotes, & ipsi mitterentur per omnes partes Israël ad vocandum Israelitas.* Itaque Saul vt dæmones in Philisthinis adumbratos vinceret, quod primum cauit fuit Sacerdotes clangere, & clangore populi torporem depellere: est namque Sacerdotis munus populum admonere, vt pericula denuntiare: & animaduertere, Sacerdotes buccinis vti, quæ spiritu inflatæ resonant, & inflammant. Non ciebant ad spiritualia bella calamistratis verbis, cincinnatis periodis, sed spiritu resonantibus tubis: monet vel sine verbis spiritus; auribus solum adulatur sine spiritu sermo decorus.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. IV. Et vniuersus Israël audiuit huiusce-modi famam: Percussit Saul stationem Philisthinorum: & erexit se Israël aduersus Philisthiim: Clamauit ergo populus post Saul in Galgala.

§. XXI.

Superbi omnem sibi gloriam arrogant, & adscribi sibi egregia aliorum facta procurant.

HOmines, præcipuè ingenui, gloriæ desiderio du-cuntur: sed vt virtuti fauet, si sit gloriæ sitis generosa, ita contra virtutem est, si intumescat superba. *Equorum cursus* (aiebat Cassiodorus 1. varia. 13.) *hominis clamoribus incitatur, & sonantium manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas appetatur. Quantum indè homines stimulari posse credimus, quos ad laudis auiditatem natos singulariter inuenimus.* Generosum equum ad perniciorem cursum excitat plausus, vt resonantium manum festivus sonus. Ingenuum hominẽ ad virtutem etiam promouet honestæ laudis studiositas, & splendoris auiditas; inueniuntur tamen homines, qui nolint propriis facinoribus sibi famam promereri, & satagant alienam gloriam furari. Ionathas audacter, & feliciter stationem Philisthinorum aggressus à propria patria propulsauit infamiam, & obtinuit singularem victoriam: hanc sibi Saul iam arrogat, & se aduersarios deuicisse clangore publicat: *Percussit Saul stationem Philisthinorum.* Benè est, quòd duci sub se militantium facta adscribuntur; vndè victoria Ionathæ duci Sauli potuit adscribi, & eius laudibus applicari. Verùm Abulensi videtur hoc non fuisse ex communi vsu, sed ex auido gloriæ appetitu. Saul etsi initio regnum recusarit humilitate præditus, sic iam à se ipso degenerarat superbia inflatus, vt Ionathæ etiam filio inuideret, & eius triumphum sibi applicaret. Ipsum audi quæst. 4. *Hoc fortè erat, quia volebat Saul sibi gloriam, & propter hoc omnia gesta magnifica quamquam essent altorum, volebat sibi attribui, alioquin irascebatur.* Non sitiebat Ionathæ virtutem, sed laudem, quam non fuerat assecutus, sibi arrogabat victoriam, & alienis laboribus vanam incrementabat superbiam. Est enim arrogantium, & vanitatorum proprium alienam gloriam furari, & mentitis coloribus sibi adscribere.

§. XXII.

Proficit regentis ad laudem, quam subiecti exercuere decorosè virtutem.

VT superiori adscribitur subiectorum defectus, ita etiam virtutum plausus. *Illud vigori tuo* (aiebat Cassiodorus 12. variar. 3. superiorem alloquens) *reputabitur, si nullius præsumptione peccetur.* Subiectorum modestia regentis est gloria, & omnium manibus operatur, qui docere omnes, quomodo operandum fuerit, dignoscitur. Saul Ionatham arma tractare docuit, & militibus præfecit: ille, vt erat andax, & prudens, opportunam nactus occasionem, stationem Philisthinorum satis munitam aggressus est. Non potuit hostis impetum ferre, & stationem maluit desertare: *Percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gaba.* Satio ab strenuo Ionatha euertitur, sed triumphus Saulis laudibus applicatur: *Vniuersus Israel audiuit huiusce modi famam: Percussit Saul stationem Philisthinorum.* Saul non percussit, sed Ionathas deuastauit: verùm ducis resplenduit fama, dum miles hostilia accepit spolia. Ita Abulensis quæst. 4. *Dicitur, quòd percussit Saul stationem Philisthinorum, quamquam secundùm veritatem non percussit ipse, sed Ionathas, vt patet supra, quia tamen Ionathas erat constitutus sub Rege, & fecit hoc auctoritate illius, dicebatur ille fecisse.* Militum strenuis factis creuit Saulis gloria, vt indignis actionibus sordesceret eius fama; nam superiori applicatur, quidquid à subiectis efficitur.

§. XXIII.

Ad parentum notam, aut famam quidquid à filijs efficitur, applicatur.

QVamuis omnis prouectus ad diuinitatis sit fauorem referendus, quando omne constat bonum ab eius benignitate collatum, vt etiam, licèt omnis error sit delinquenti applicandus, quia ab eius arbitrio non dubitatur exortus, speciali tamen iure ad parentes pertinet quidquid filij aut laudabiliter operantur, aut ignobiliter exequuntur. *Hinc est* (aiebat Cassiod. 9. *var.* 23.) *quod Patritium Venantium sub admiratione pensemus, & fœcunda prole gaudentem, & tot consularibus parem.* Rationem reddit: *Quorum infantiam bonis artibus enutritam, iuventutem quoque armis exercuit, formans animum literis, membra gymnasiis.* Patris erat gloria filius morum laude exornatus, & virtutum studio excultus, dum integra perfectione transmissum videbatur ad posterum, quod parenti quodammodo fuerat innatum: Hinc est, quod Abrahami gloriæ adscribitur, Isaacum tradidisse vinculis manus: *Quia fecisti hanc rem. Gen. 22. vers. 16.* Puer vitam aris, cultuique sacrarat, vernantis iuventutis florem contempserat, & tamen adscribitur totum parenti, quia ab eius institutione promanauit quòd filius diuinis obtemperaret præceptis, & se gaudenter sacraret aris. *Lætatus est puer* (aiebat Zeno Veronensis *serm. 1. de Abraham*) *patre fideli ipse quoque fidelior: nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat.* Eruditus à patre filius Deo obedire sine tergiuersatione paruit: ergo oraculum actionem integram ad parentis retulit gloriam. Hinc etiam est, quòd triumphus à Ionatha reportatus resonante buccina Saüli inueniatur adscriptus: *Percussit Saül stationem Philisthinorum.* Si veritatem examines, non inuenies Saülem Philisthinorum stationem adortum, sed Ionatham trophæis hostilibus coronatum: verùm cùm Ionathas esset Saülis filius, quam viriliter exercuit virtutem, buccina patris applicuit ad laudem. Notauit Abulensis *quæst. 4. Dicitur quòd percussit Saül stationem Philisthinorum, quanquam secundùm veritatem non percussit ipse, sed Ionathas.* Saül filium armis iustruxerat, militiæ præfecerat: ergo quod filius studiosè fecit instructus, parens dicitur effecisse alienis elogiis prædicandus, nam parentibus applicatur, quidquid à probis, aut improbis filiis efficitur.

§. XXIV.

Superioris factum, est actionis deseruientium frequenter auspicium.

VT à cespite suo virgulta non discrepant, vt à radicis qualitate fructus non discordant; sic Regis ad exemplum totus componitur orbis, & in superioris actione veluti in radice prænoscitur, quid à populis peragatur. Dum solem, lunámque elementorum Principes Deus cœlo insereret, aiebat: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tẽpora, & dies & annos. Gen. 1. v. 14.* Hugo Cardinalis

hic sic interpretatur : *Insigna serenitatis & tempestatis.* Adnectit moraliter : *Luminare maius, & minus, Doctores maiores, & minores.* In sole futura serenitas præuidetur, vt tempestas etiam conjicitur ; quia inferiora elementa solis habitum imitari non dubitatur. Ob id Ezechias, vt se occasui proximum ad vitam reuocatum omnes dignoscerent, solem ab occasu ad orientem transtulit, & hoc indubium signum accepit : *Reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* 4. *Reg.* 20. *vers.* 11. Itaque in superiore videbatur, quod inferiori accidebat, & sol ab occasu ad orientem regressus Ezechiam ab occasu mortis ad vitæ orientem reuocatum fuisse, significauit. Notauit Augustinus *lib.* 2. de mirabilibus Sacræ Scripturæ, *cap.* 28. *Conuenienter tale signum euenit quoniam sicut sol in procinctu occasus sui superpositus in diei initium reducitur ; sic Rex in mortis expectatione constitutus quasi ad incipientis vitæ gaudia reuocatur.* Quod soli accidit, & homini soli subiecto etiam contigit, quasi superioris actio subiecti actionis & indicium fuerit, & testimonium. Vt audiuit Israël Saulem contra Philisthæum erectum, iam refertur in pugnam præparatus : *Percussit Saul stationem Philisthinorum, & erexit se Israël aduersus Philisthiim.* Totum hoc buccinam resonasse tradit Abulensis *q.* 4. *Saul cecinit buccina in omni terra dicens : Audiant Hebræi. Et vniuersus Israel audiuit huiusmodi famam.* Quam famam ? Iam refert : *Percussit Saul stationem Philisthinorum, & erexit se Israel aduersus Philisthiim.* Pr ofectò ipsa buccina videtur sibi contraria ; nam si, vt ad bellum prouocet Israëlitas, clangore resonat, quomodo iam erectos denuntiat ? Ionatham, Saulémque bellum injisse, & erectos ad certamina detriumphasse publicet, Israëlem iam erectum non resonet, quandoquidem, vt tractent arma, resonat buccina. O vtilem nobis eruditionem ! Buccina, quæ Saulem denuntiabat erectum, Israëlem etiam erectum denuntiauit ; quia in Principis gestis subiectorum actiones præuidebantur, iam dicitur Israël sequutus vestigia, quia absque dubio imitabitur Saulis exempla. Audi ipsum : *Erexit se Israel aduersus Philisthiim ; istud etiam denuntiabant tubicines : quamquam enim Israelitæ non se erexissent contra Philisthiim, quia ipsi nihil horum sciebant : tamen quia Rex erexit se, dicitur, quod ipsi se erexerant.* Adeò certum est subiectos maiorum facta imitari, vt erecto iam Saule, & Israëlitæ dicantur erecti, quasi iam habeatur factum, quod nondubitatur futurum.

TEXTVS.

VERS. V. Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israël triginta millia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus sicut arena, quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven.

§. XXV.

Satius est collectis viribus inimicum impetere, quàm bella exiguo exercitu protelare.

QVi rem militarem egregiè tractant, renuunt exiguis manibus hostem adoriri, quia modico exercitu non posse agnoscunt deleri. Xerxes eam manum collegit, quæ solo aspectu timorem incuteret, & aduersariorum robur expectoraret. *Alius aiebat* (inquit Seneca 6. *de Beneficiis, cap.* 3.) *non laturos nuntium belli, & ad primam aduentus famam terga versuros : alius nihil esse dubij, quin illa mole non vinci solum Græcia, sed obrui posset.* Strenuus dux magna militum copia stuuit vel ante certamina hostibus animos adimere, & sine pugna triumphũ reportare. Magna magnis exercitibus tentanda sunt, alioquin quod collectum timeret, in partes diuisum hostis consumet. Vbi animaduertit Philisthæus stationem, quam in Gabaa habebat, ab Israëlitis euersam, totas collegit vires, vt vno iactu rem confioeret, & inimicum deleret. Veritus est, ne dum per partes ab hoste debilitatur, nequeat posteà prævalere, & cogatur iniquis conditionibus pacem inire : *Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israel triginta millia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus sicut arena, quæ est in litore maris plurima.* Quàm fuerit prudens consilium, sequens versus edocuit ; nam Israëlitæ magnum adeò exercitum conspicati terrore terga verterunt perculsi, & prorsus examinati. Ita noster Sanctius : *Cum illas copias viderent à Palæsthinis esse coactas, quas contrahi posse non putabant, neque contra tam instructas acies satis sibi esse virium, desponderunt animos.* Si exiguo exercitu Mattem Philisthæi tractarent, in campum Israëlitæ prodirent ; verùm, vt prudentes, eas opposuerunt acies, quarum vel solo aspectu aduersariorum debilitarentur vires : nam bona politices edocet satiùs esse copioso exercitu cum hoste semel confligere, quàm exigua manu certamina augere aut pericula sibi imprudenter adscisere.

§. XXVI.

Prudens vt inimicum possit atterere, auxiliares sibi vires solicitat comparare.

NOster aduersarius dæmon viribus prævalet ; nec facile est nisi auxiliares tibi sanctorum preces, & suppetias compares, cum eo confligere, & propulsare : collectis verò auxiliaribus copiis aut assequêris trophæa aut euitabis certamina. Abraham strenuus miles Aner, Escol, & Mambrè sibi associauit, vt victoria insolentem inimicum attereret ; & quamuis magnis ipse viribus prævaleret, comparandas tamen sibi suppetias duxit : *Venerunt mecum Aner, Escol, & Mambrè : isti accipient partes suas.* Genes. 14. *vers.* 24. Fortassis, ni auxiliares vires sibi comparasset ; non vinceret. Notauit Hugo Cardinalis : *Nota, quòd Abram cum tribus sociis eximè reducere captiuos.* O quot dæmonum astutias effugeret & versutias superarent, si amicos sanctos haberent, à quibus auxilia peterent, & impetrarent ; verùm dum ignaui, imprudentésque auxiliares vires sibi non solicitant, triumphum non reportant. Ipsi dæmones in Philisthinis adumbrati nobis pro exemplo sunt. Deuastarat Ionathas, quam in Gabaa habebant stationem : ergò dolore icti maturandum sibi censuerunt, & auxiliaribus collectis viribus grauius, ac durius bellum Israëlitis intimarunt : *Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israel triginta millia curruum, & sex millia equitum, & reliquam vulgus sicut arena, quæ est in littore maris plurima.* Itaque non desponderunt animos victi, sed quia victi, resumpserunt animos, & militaris gloriæ studiosi suppetias sibi comparauere soliciti. Notat noster Sanctius : *Cùm nuper edita suorum clade vehementer dolerent, & conseruandæ bellicæ gloriæ studiosi sibi non tentandum putarent, talem adornarunt militarem instructum, qualis in angusta illa regione videbatur comparari non posse.* Adnectit : *Nunc adfuisse quoque ferunt Tyriorum auxiliares copias, & ex ipsis tot curruum, & equitum millia esse congregata.* Noluerunt suis viribus fidere, quia desiderabant triumphare, & Israëlita, vt instructas adeò curribus vidit copias, obscuras quæsiuit latebras. Fortè Philisthini secundam accepissent clades, nisi auxiliarem sibi Tyriorum comparauissent virtutem : ast dum propriis viribus addiderunt robur extraneum deterruerunt inimicos : ergo imitare Philisthinos

listhinos, & anxiis precibus sanctorum tibi compara auxilia, quibus instructus possis de hostibus reportare trophæa.

TEXTVS.

VERS. VI. Quod cùm vidissent filij Israël se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis.

§. XXVII.

Prudentia est proprias vires expendere, & periculum prouidenter effugere.

NVllus (aiebat Thucyd. *l. 1. in conc. Corinth. 3.*) eadem factis præstat, *quæ inter deliberandum sibi promittit. Nam consultamus securi in opere autem cum timore deficimus.* Hebræi magnis acclamationibus victoriam sibi promittentes descenderunt in Galgala: *Clamauit populus post Saul in Galgala.* Decreuerant viriliter hostes aggredi, & intrepido animo ineunda certamina, reportandáque sperauere trophæa. Alij tamen à se ipsis extiterunt; nam qui propositum pugnare securi, præsente iam hoste defecerunt perterriti. Vt noueris quàm alius sit homo occasione distanti, ac præsenti; verùm boni consulamus hanc Hebræorum fugam. Descenderant alacriter in bellum, vt tamen viderunt potentissimum aduersarium, maluerunt sibi fuga consulere, quam in hostis potestate captiuos gemere: *Quod cùm vidissent filij Israël se in ualle positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis.* Si leges militiæ tantum spectes, inglorium fuit ducem deserere, & ignobili fuga salutem acquirere: quandoquidem laudabilius est honorem vita redimere, quàm infamia terga vertere. Si tamen moribus adaptare volueris, vtile hinc documentum percipies. Prudentia est vires proprias expendere, & aduersariorum robur metiri, nam supra vires audere non est intrepida animositas, sed exoculata temeritas. Si plures imbecillitatem suam considerassent, occasione præsenti non cecidissent; ast dum sibi adulantur, & inconsideratè occasiones non effugiunt, promittentes sibi victoriam, experti sunt indecoram ruinam. *Libenter* (inquit noster Sanctius) *ad imperium Saulis undecumque Israëlitæ conuenerant; magnos enim animos, & audaces spiritus indiderat Ammonitarum cædes; sed cùm eas copias viderent à Palæsthinis esse coactas, quas conterere posse non putabant, neque contra tam instructas acies satis sibi esse virium, desponderunt animos.* Arrogantia periculosissima esset se ipsos fallere, & fallendo perire: exiguas vires experti, & aduersariorum vires validissimas intuiti maluerunt saluti prouidere, quàm vanitati adulari.

§. XXVIII.

Pro periculi qualitate sunt quærenda effugia, & elaboranda tutamina.

SIc animum componamus (aiebat Seneca *epist. 61.*) *vt quidquid res exiget, id velimus.* Componi debet animus, & rerum qualitatem dispicere, & quod exigit ratio, velle. Sunt tamen, qui virtutem, & voluptatem adnitantur componere agnoscunt cupiditatum, voluptatum, & aliarum pestium vires, & aduersus earum assultus se aliquali pœnitentiâ, & mortificatione communiunt, non tamen ab occasione recedunt, nolunt in hostis manus deuenire, sed nec volunt tutiora petere. Saul in Dauidem, quem præsentem nouerat, hastam eiaculatur, lancea casso vulnere in parietem perlata est: Dauid, vt periculum euaderet, se in domum recepit. Non destitit inimicus, sed satellitibus missis domum obsedit: *Misit Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur mane.* 1. *Reg.* 19. *vers.* 11. Dauid periculum tantisper effugit, non tamen prorsus euasit. Quid tunc? Michol domum relinquere consulit, & ad tutiora inuolare, nec aliter salutem asserit posse obtinere: *Nisi saueris te nocte hac, cras morieris. Deposuit eum per fenestram: porrò ille abiit, & aufugit, atque saluatus est.* Contra validum adeò inimicum domus erat inualidum munimentum: Ergò oportuit longius discedere, & ad loca tutiora fugere. *Videns Saul* (inquit Lira) *quòd Dauid iterum eius declinauerat, & fugerat, misit post eum, vt caperetur, & occideretur, sed per eius vxorem eripitur.* Dauid nolebat periculo exponi, sed nec domus deliciis renuntiare: verùm prudentissima Michol tutiora admonuit quærenda profugia, & validiora tutamina, alioquin etsi aliquali illa fuga hostis eluderetur tantisper impetus, imminebat miserrimus casus: exigua illa tutela satis non erat ad inimici insidias eludendas, & erat satis ad solicitas curas sedandas vndè ipsa tutela hosti quodammodò deseruiebat, & saluti insidias parabat. Hanc veritatem agnouisse videntur Hebræi, nam cùm ingentem aduersariorum manum fuissent contuiti, confugerunt ad speluncas, locaque tutissima: *Absconderunt se in speluncis, & abditis, in petris quoque.* Rogabis cur modò in proprias non se receperint domos, cùm aliàs, clade etiam accepta repetierint patrias sedes? *Casus est Israël, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum. Sap. cap. 4. vers. 10.* Si antea vnusquisque fugit in proprium tabernaculum, cur modò petrarum quæsiuerint munimentum? Quia cùm modò (respondet noster Sanctius) ingentissimas agnouerint hostium vires censuerunt, vt sibi consulerent, tutiora quærenda profugia, & petrarum adeunda munimenta, ne si leuia se receperint ad tutamina, laborem perdant, & hosti triumphi occasionem exhibeant: *Neque existimarunt in patrijs sedibus, & domibus effugere se posse hostile ferrum; atque ideò latebras quærunt, speluncas, & occultos sinus; quos putabant occultos esse Palæsthinis.* Prudenter pro hostilis roboris magnitudine studuerunt sibi prouidere, persuasi satis non esse, vt cúmque fugere, & periculum declinare. Vt discas, qua debeas vti cautela, quando tentationibus, occasionibúsque vis agnoscitur esse magna.

§. XXIX.

Virtutem sequimur, dum spes arridet læta; deficimus si appetat calamitas dura.

HOnestas per se expetenda est, & in quocumque habitu amplectenda, vt plurimum tamen eam sequimur, dum omnia contingunt fausta, & deficimus, si suspicemur imminere ob virtutem dura. *Fixum est illud* (aiebat Seneca *lib. 4. de Beneficiis, cap. 16.*) *à quo in cætera probationes nostræ exeunt: honestum ob nullam aliam causam, quàm, quia honestum sit, coli.* Honestum per se ipsum coli debet; verùm non semel vtilitatis causa virtus assumitur, & si vtilitas cesset, deseritur. Necesse est initia inter se, & exitus congruant, placebit honestas, quandiù expediat, in contrarium transibitur, si plus promittat voluptas. Euerterat Saul Philisthinorum stationem, & iam populus triumphantem sequitur: *Clamauit ergo populus post Saul in Galgala.* Philisthæus copiosum adlegit exercitum, cúmque Saulem sequuti periculum imminere sibi existimarint,

existimarint, deseruerunt castra, & tuta quæsiuere profugia. *Absconderunt se in speluncis, & in abditis.* Pauci cum Saule remanserunt, cæteri timore perterriti auolarunt. Hic delineati quod virtuti accidit, tradit Rabbanus: *Viri cum Saul remanentes Catholici Christo firmiter adhærentes.* Exiguus numerus cùm Christo remansit, desertarunt illum plures, vt saluti consulerent, & suis commodis prouiderent. Quòd si inquiras, quomodò tam citò defecerint, qui alacriter adeò in campum prodierant? Respondebit noster noster Sanctius, statione Philisthinorum à Ionatha destructa spoliorum spebus accutrisse illectos, defecisséque incommoda sibi imminere contuitos: *Libenter ad imperium Saulis vndequaque Israelitæ conuenerant, magnos enim animos, & audaces spiritus indiderat Ammonitarum cædes: sed cùm eas copias viderent à Palæsthinis esse coactas, desponderunt animos.* Vbi sperarunt spolia, inuolarunt ad certamina, vbi arbitrati sunt temporalium imminere iacturam, Christum reliquerunt, & conflictum detrectarunt.

TEXTVS.

Vers. VII. Hebræi autem transierunt Jordanem in terram Gad, & Galaad. Cúmque adhuc esset Saül in Galgala, vniuersus populus perterritus est, qui sequebatur eum.

§. XXX.

Plures sequuntur non personam, sed fortunam.

AD mercedem pij sumus, ad mercedem impij, quia cùm vtilitas expectetur, actio, prout congruit, dirigitur. *Qui causa vtilitatis assumptus est* (aiebat Seneca *epist. 9.*) *tandiù placebit, quandiù vtilis fuerit. Hac re florentes amicorum turbas circumsidet: circa euersos ingens solitudo est: & indè amici fugiunt, vndè probantur.* Quæ ad vrgentia opem amicorum exigebant pericula, amicos abegerunt, & adinstar Lydij lapidis non veram, sed obæratam amicitiam fuisse declararunt. Itaque non solida, sed fucata amicitia fortunam secuta est, quod & Textus noster ostendit: nam cùm Hebræi triumphatorem Saulem vsque ad Galgala comitati fuissent, vt ingentem inimicorum instructum conspicati sunt, illum reliquerunt: *Hebræi autem transierunt Jordanem in terram Gad, & Galaad.* Ij ipsi, cùm non multò pòst Ionathas Philisthinos deuastasset, ad Saulem redierunt: *Sed & Hebræi, qui fuerant cùm Philisthiim heri, & nudius tertius, ascenderántque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cùm Israel, qui erant cum Saul, & Ionatha.* Infra *cap. 14. vers. 21.* Ad fortunæ nutum mouebantur, triũphis coronato assistebant, periculis cinctum desertabant, vt noueris amicos fuisse non personæ, sed fortunæ. Notauit Rabbanus: *Quædam pars illorum, qui Hebræi vocantur, timore perterriti defecerunt à Saul & à viris, qui cum eo erant, & descenderunt in castra Philisthiim. Vndè in sequentibus: Sed & Hebræi, qui fuerunt cum Philisthiim heri, & nudius tertius ascenderántque cum eis in castris, reuersi sunt.* Saulem comitabantur, quia expediebat: at cùm maius pretium Philisthæus promitteret, transierunt ad Philisthæum, quæ fierant commodum, non sequebantur honestum. O quot altos comitantur, & amicitiam mentiuntur, quos solum tenet aut lucri causa, aut ambitionis sitis, aut spes gloriæ. Ita est, erit, & ab initio ita fuit. Vitia hominum sunt, non temporum, & homines ferè semper sequuntur fortunatos, & deseruerunt euersos.

TEXTVS.

Vers. VIII. Et expectauit septem diebus iuxta placitum Samuëlis, & non venit Samuël in Galgala, dilapsúsque est populus a b eo.

§. XXXI.

Securè degit obedientia armatus, magnis etiam periculis cinctus.

REgum ducumque clementia (aiebat Curtius *lib. 8.*) non in ipsorum modo, sed etiam illorum, qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia. Qui expromptè obsequitur, Principem sibi allicit, & clementem inuenit. In obsequentis arbitrio est superiorem sortiri sibi aduersum, aut amicum; nec solùm obsequio innutritur clementia, sed obsequentis salutis, & prosperitatis solicita cura. *Meliora nobis erant* (aiebat Tertullianus *lib. de Patientia, cap. 4.*) *in obsequij disciplina.* Obsequium superiorem quodammodò cogit, vt subiectis prouideat, & ab eis pericula auertat. En mirandum huius veritatis testimonium. Philisthini copiosissimas manus instruunt, vt Saulem penitus deuastarint, & quam putabant accepisse iniuriam in euersione stationis Gabaa, à se depulerint: *Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israël, triginta millia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus sicut arena, quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethauen.* Eum terrorem Israëlitarum animis vel aspectus solus incussit, vt ferè omnes dilapsi fuerint; Saul tamen septem diebus in Galgala expectauit iuxta placitum Samuëlis. *Et expectauit septem diebus iuxta placitum Samuelis.* Miraculo simile videtur Philisthinas cohortes adeò curribus, & equis instructas, & ad impetendum hostem paratas nil septem dierum spatio tentasse, nec, vt apparet, pedem mouisse. Si Saul à suis desertus persistit exigua satis manu in Galgala, cur non adoriantur hostem exarmatum, & copiis nudum, quando & occasio inuitabat, nec tempus deerat? Alij alias rationes inuenient, ea se mihi ad mores offert, voluisse scilicet Deum mirandum hîc virtutis obedientiæ constitui exemplum. Saul persistebat in Galgala Samuëlis præceptis obsequutus, illi namque Dei nomine dixerat: *Descendes ante me in Galgala* (*ego quippe descendam ad te*) *vt offeras oblationem, & immolet victimas pacifica: septem diebus expectabis.* Itaque Saul, etsi inimicorum exercitu quodámodo cinctus, & imminenti, strage perterritus, maluit præceptum implere, quàm violato periculum declinare: ergo dum obsequitur, ipsa obedientia munitur: non aggreditur hostis delere, immò nec audet appropinquare, quia religiosum obsequium Sauli erat securum præsidium: *Fecit Saül* (inquit noster Sanctius) *quod à Samuële in mandatis acceperat: Expectauit septem dies.* Consonat Caietanus: *Ipso Saüle præsente ibidem vbi congregatus fuerat populus pro bello contra Philisthinos, prædicta gesta sunt.* Hostes campos inundant, militares currus numerum vincunt, occasio impellit, tempus iuvat, & tamen copiosus adeò exercitus non mouetur, quia Saul obedientia custoditur, vt hinc eluceat quantum robur insit obedientiæ ad obsequentem protegendum, & periculum propulsandum.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. IX. Ait ergo Saül: Afferte mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum.

§. XXXII.

Stultus est, qui diuturnos in virtute labores positos frustratur, vt timori, aut cupiditati. aduletur.

SVnt, qui egregia opera aggrediantur, in bello fortes, in foro modesti, animosè paupertatem ferentes humiliter infamiam, aduersus amicos benigni, aduersus inimicos temperati, publica & priuata religiosè, & sanctè administrantes, quibus non defuit in his, quæ toleranda erant patientia, & in his quæ agenda, prudens astutia, & tamen, ô miserum! cùm oportebat cupiditates refrænare, metum reprimere, exantlatos labores elucrari, omnia amiserunt, & se stultis actionibus sordidarunt. Quàm benè Seneca *epist.* 120. *Quidam alterni Vatinij, alterni Catones sunt: & modò parum illis seuerus est Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi, & contentus vili Tubero: modò Licinum diuitiis, Apicium cœnis, Mecœnatem delitiis prouocant. Maximum indicium est malæ mentis fluctuatio.* Non solùm malæ, sed infelicis, & stultæ mentis argumentum est post longa spatia in virtute colenda posita mutare consilium, & cum exiguum tempus restat, amittere debitum tot laboribus præmium. Ecce Saul descendit in Galgala, per septem dierum spatia periculis adurgetur, expectatione lassatur, & cùm iam exiguum restaret, ab obedientia deficit, vt timori medeatur, & honoris cupiditati aduletur. Pacifica, & holocausta offert, & offerendo delinquit: *Et obtulit holocaustum.* Quid tunc Samuël? *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* Congruentiùs videbatur dicere impiè, quàm stultè egisti, quandoquidem religionem læsit, & Sacerdotis honorem ambiuit. Cur ergo suggillat stultum? *Stulte egisti.* Quia magna profectò erat imprudentia post laboriosam adeò patientiam, post expectationis tolerantiam, post campi labores omnia amisisse, & ad vitium declinasse. Ita Hugo: *Vsque ad septimum diem expectauit, & cùm tota septima die deberet expectare Samuelem, timore compulsus in ipsa septima die sacrificauit, & ita peccauit transgrediens pactum, quod pepigerat cum Samuële. Vndè Iosephus dicit: Expectauit Saül Samuelem non cum perfectione.* Ecce stultitia expectationis laborem sustinuisse, & ob exiguum tempus expectationem omnem labefactasse.

§. XXXIII.

Nonnulli honorem amittunt proprium, dum exambiunt impotenter alienum.

AMbitio, dum exoculata honorem quærit, amittit, assequi nequit, quod imprudenter suspirat, & amittit aliquando, quod iure habebat, crescendo minuitur, acquirendo depauperatur. Ingeniosè Tertullianus *in Apologetico, cap.* 33. *Non enim Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum volet dici, si homo sit: interest homini Deo cedere. Satis habeat appellari Imperator. Grande & hoc nomen est, quod à Deo traditur.* Adnectit satis ingeniosè: *Negat illum Imperatorem, qui Deum dicit; nisi homo sit, non est Imperator.* Qui Imperatorem Deum vocat, exaugurat, nam imperatoris priuat honore, & non assequenda extollit diuinitate. Prudens intra rationis se limites continet, & honorem proprium tuetur modestus, ne amiserit, dum sibi indebitum suspirat, inflatus. Saül holocausta, & pacifica offert: *Afferte mihi holocaustum, & pacifica, & obtulit holocaustum.* Quoanimo obtulerit, quærunt Interpretes: Rabbi Leui existimat suspirasse Sacerdotis dignitatem, & Prophetæ honorem. Ipsum audi: *Saül istis sacrificiis elicere voluit spiritum prophetiæ, vt ipse sibi esset Propheta, & sine Samuële intelligeret voluntatem Dei.* Quid tunc? Regnum amisit, & quem honorem quærebat, non accepit. *Quod si non feciſſes* (inquit Samuël) *iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum. Sed nequaquam regnum tuum vltra consurget.* Honorem regium conseruasset, ni Prophetæ honorem ambiisset; ast dum splendescerè cupit Propheta, regia mulctatur corona. Ecce ambitio, quod desiderabat non obtinuit, & quod obtinebat, perdidit.

§. XXXIV.

Nonnulli, dum Numen offendunt, ab eo beneficia impetrare discupiunt.

QVanta sit nobis, *clementissime Imperator* (aiebat Cassiodorus 10. *variarum* 22.) *gratiæ vestræ vetusta suauitas, hinc omnino datur intelligi: vt post grauissimas læsiones, & tanta effusione sanguinis perpetratas sic videamur pacem vestram quærere.* Pacem quærere factorum præteritorum deieratione est prudentia, sed quærere exasperando stultitia; nam quod exhibitis obsequiis obtineri discupitur, admixtis offensionibus prorsus frustratur; nec enim potest impendere beneficia, qui rogatus exasperatur offensa. Saul, vt faciem Domini placarit, & periculum auerterit, offert holocaustum, sed ipso in holocausto irritat perpetratum delictum: *Obtulit holocaustum.* Nec ritè, nec debito tempore sacrificium offerendo delinquit, & delinquendo placare Numen exambit: ergo dignè Samuël suggillat stultum, vt qui exasperando benevolentiam solicitet, & solicitando exasperet: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei, tui quæ præcepit tibi.* Vt impetret beneficia, committit peccata. Quæ ergo maior insania, quam delinquendo fauorem ambire, & fauorem exambiendo peccatis offendere. Et quidem quod semel Sauli accidit, plurimis frequenter cõtingit. Salutem, honorem, gloriam discupiunt, & dum discupiunt, largitorẽ offensis lædunt. Adest noster Sanctus: *Ipse statuit sacris placare Deum, atque consulere. Quod tandem fecit oblatis holocaustis, victimisque pacificis.* Vt placaret, obtulit holocaustum, & offerendo perpetrauit delictum. Sic namque homines insaniunt, vt adnitantur à Domino impetrare beneficia eo ipso tempore, quo exacerbauere offensa.

TEXTVS.

VERS. X. Cúmque complesset offerens holocaustum, ecce Samuël veniebat, & egressus est Saül obuiam ei, vt salutaret eum.

§. XXXV.

Honor à magnatibus acceptus insidiatur sæpè virtuti & ponit obicem correctioni.

PRouerbium est: *Honores mutant mores*, & quidem verum; sæpè namque; ne honor à magnatibus impensus amittatur, muneris obligatio contemnitur. Sæpè qui Reipublicæ præficiuntur, concionatore; fauore honoréque delinire conantur, vtque eorum occluda-

occludat linguam, erga eos ostendunt beneuolentiam. *Nam est aliquid* (aiebat Tertullianus de velandis virginibus, *cap.* 15.) *etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris euentum, hoc nos interdum diabolo interpretamur; ipsius est enim boni odium.* Diabolus boni odio ad laudis confugit fascinum, nam vt fascinum vires debilitat salutem labefactat, pulchritudinem defœdat; ita laus spiritum quodammodo fascinat, & elinguem reddit correctionem. Concionator tacet laudibus impeditus, & delicta non carpit quodammodo fascinatus. Huius veritatis non inscius Saul, Samuëli aduentanti sacrificij conscientia stimulatus, occurrit salutaturus: *Ecce Samuel veniebat; & egressus est Saul obuiam ei, vt salutaret eum.* Occurrens, salutans & honorans non tam obuiabat Prophetæ, quàm correctioni; timuit ob exspectandi impatientiam, ob oblati sacrificij culpam à Propheta redargui, vtque occluderet linguam, ostendit beneuolentiam, quasi Principis laus, & beneuolentia Prophetæ sit fascinum, & correctionis impedimentum. Ira Abulensis *quæst.* 10. *Fortè exiuit obuiam ad salutandum, vt eum sibi placaret nam cùm audiret Saül, quòd veniret Samuël, timuit, quia putabat eum non venturum, & ob hoc eo absente obtulerat; nunc autem videbat eum venire tempore debito; ideò timuit, quod increparet eum, & ob hoc exiuit obuiam ei, vt sic faltem per obsequium illum placaret sibi, quia obsequium amicos parit.* Obsequiis voluit deliniren, vt regia benevoletia, comitaté que oblectatus ora sigillaret mutus: nam sæpè Dei ministri, concionatoréque laudis fascino, euigorrantur, & coripere vitia non aggrediuntur.

TEXTVS.

VERS. XI. Loquutúsque est ad eum Samuël: Quid fecisti? Respondit Saül: Quia vidi, quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philisthiim congregati fuerant in Machmas.

§. XXXVI.

Peccatores sæpiùs confugiunt ad criminis excusationem, quàm ad veram pœnitudinem.

CVm prouoluit hominem (inquit Tertullianus *de Pœnitentia, cap.* 9.) *magis releuat: cùm squallidum facit, magis mundum reddit, cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede parcet.* Admissum crimen vera confessio & delet, & abradit, & dum homo nobili humilitate prouoluitur, eleuatur; sed adeò peccatores desipiunt, vt culpam releuare aggressi, aggrauarint inflati. *Plerósque tamen* (addit Tertullianus, *cap.* 10.) *hoc opus, vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis.* Magis pudoris, quàm salutis memores delicta variis excusationibus inaurare contendunt, aut à se perpetrata aliis imprudentes impingunt. Saül expectandi præceptum transgressus varias adducit causas, vt non tam deliquisse, quàm necessitate compulsum ostendat sacrificasse: *Quia vidi, quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philisthiim congregati fuerant in Machmas.* Ac si diceret Si tu iuxta placitos dies venisses, nec populus arriperet fugam, nec ego litarem hostiam; obtuli tamen sacrificium, vt te expectando defatigatum retinerem populum. Quod commisit crimen, Samuëli applicat, & se excusat. Adest noster Sanctius: *Peccatum suum non agnouit, neque ignoscì sibi postulauit à Domino, sed potiùs à se culpam omnem remouit, quasi necessarium videretur sumptum esse consilium.* Vt vitaret erubescentiam adamit culpam: in Samuelem reiecit peccatum, vt suum tueretur consilium: ergo iustè suggillatur stultus, dum excusationes adducit vanus.

§. XXXVII.

Nequeunt peccata tenebris sepeliri, quia constat prouidentiæ lumine detegi.

PEccatores ad ignorantiæ tenebras solent confugere, vt liberius possint peccare: sibi promittunt delicta tenebris occultanda, nec in aliorum notitiam vnquam deuentura; falluntur tamen egregiè, nam licet humana desudet in celandis culpis astutia, cœlestis publicat prouidentia, & sæpè quod ab omnium notitia existimabatur remotum, in foro inuenitur publicatum. *Quantumcumque tenebras* (inquit Tertullianus *de Pœnitentia, cap.* 6.) *factis superstruxeris, Deus lumen est.* Prædixerat: *Deus thesauro suo prouidet, nec furis obrepere indignos. Quid denique ait? Nihil occultum, quod non reuelabitur.* Linguam suam habent scelera, qua se prodant, & nescias, quomodo ad notitiam omnium perueniant. Post irreligiosè oblatum à Saule sacrificium, Samuël, qui distabat, aduentat, & ante quàm referatur ab aliquo accepisse notitiam, iam exprobrat impatientiam: *Loquutus est ad eum Samuël: Quid fecisti?* Dum inquirit, arguit, & dum arguit, agnouisse se, quod factum fuerat, ostendit. Quod si inquiras, vndè Samuël agnouerit, respondebit Abulensis Deo reuelante agnouisse. *In hoc præsupponitur* (inquit *quæst.* 10.) *quòd Samuël cognoscebat, quòd Saül iam obtulerat sacrificia, & hoc sciuerit Deo reuelante.* Deus prodit, quæ humana prudentia tegit, & cœlesti lumine propulsantur tenebræ, quas sagax malitia effuderat, & superstruxerat inoculata cautela. Ad prouidentiam pertinet occulta eruere, & quæ ab ignoratione suffragia peccatores quærunt, frustrare.

TEXTVS.

VERS. XII. Dixi: Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Necessitate compulsus obtuli holocaustum.

§. XXXVIII.

Dimidiata delictorum confessio crimen non absolui, sed auget.

GRande planè emolumentum (inquit Tertullianus *de Pœnitentia, cap.* 10.) *verecundiæ occultati delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proindè & Deum celabimus? Adeò ne existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palam absolui? Miserum est sic ad exomologesim peruenire.* Luctuosum, ac miserum est ad confessionem peruenire, & crimina subducendo aggravare; nam dum non adeò manifesta homini vis apparere, apud Deum deteriorem conflat euadere. Saül obtulisse se holocaustum Samuëli fatetur, & variis colorare excusationibus peccatum admittit: *Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Non solùm holocaustum videtur obtulisse, sed pacifica etiam; ipse namque supra aiebat: *Afferte mihi holocaustum, & pacifica.* Holocaustum protulit, sed pacifica reticuit. Quid tunc Samuël. *Stultè egisti*, non solùm litando, sed confitendo; nam cùm laborem confessionis subiecit quid subducendo frustrauit. Iam obtulisse pacificas hostias

hostias tradit Abulensis *quæst. 9. Saül obtulit hostias pacificas.* Vtraque obtulit, & pacifica, & holocausta, sed non vtraque obtulisse protulit Samuëli lingua, sicque diminuta confessio culpam exaggeranit, & pœnitentiam adulteratam ostendit. *Tantum releuat confessio delictorum* (verba sunt Tertulliani de Pœnitentia, cap. 8.) *quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.* Qui ad confessionis Sacramentum accedit, & integritatem corrumpit, pœnitens non absoluitur, sed contumax superadditis criminibus prægranatur.

§. XXXIX.

Stultus est, qui grandi futurorum dispendio præsenti occurrit periculo.

VIsorum maior semper affectus est (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 34.) hic tamen affectus solicita discussione debet examinari, ne dum visis imprudenter allicitur, futurorum oblitione depraue tur. *Vani filij hominum* (aiebat Psaltes) *mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in id ipsum. Psal. 61. vers. 10.* Per stateram iudicium Psaltes intelligit, iudicioque rerum merita iniquè expendere asserit. *Mendaces sunt* (inquit Euthymius ad hunc locum) *in eorum iudiciis; per stateras enim iudicia ipsa intelligit. Corrupta est in eis* (inquit) *iudicij sedes, instabilia enim eligunt pro stabilibus, & mala pro bonis: & adeò mendaces sunt, vt se ipsos in primis iniuria afficiant, dum virtutibus se priuant.* Sibi ipsi mentitur iniquitas, & dum satagit præsenti periculo, necessitatique occurrere, promittens sibi tranquillum æternare gaudium, solet adaugere lamentum. Mendax statera res ponderat, & dum futuris præsentes præfert, sibi ipsi miserè imponit. Saul hostilibus copiis cinctus sacrificium offert, felicem sibi promittens euentum; quod si non obtulisset, firmasset thronum: *Dixi: Nunc descendens Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Vt præsenti vrgentique necessitati subueniret, holocaustum obtulit, sed quanto futurorum dispendio solatium quæreret, non expendit. Audi quid Samuel adjiciat: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.* Si fidei statera penderet Saul futura, & præsentia, eligeret præsenti necessitate adurgeri, non æterno regno priuari: ast dum fallaci lance præsentia futuris præfert, ingentissimo pretio leue solatium acquirit. Adest Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur: Despuisti; arguitur enim interna imprudentia: deinde externa inobedientia.* Mandata obseruando præsenti necessitate vrgeretur vexatus, sed regali corona fulgeret posteà redimitus: cúmque prudentia consulat potiora præferre, desipuit adeò, vt amiserit regnum, quærens præsenti necessitati solatium. O quot discipulos Saul habet! Non solùm, vt vrgenti necessitati opitulentur, sed vt fastus vanitati blandiantur, violant diuina præcepta, nec attendunt æterna se priuari corona.

§. XL.

Stultus, immò barbarus est, qui non placato Numine init cum hoste certamina, & periculosa aggreditur bella.

EO militum insana processit dementia, vt pusillanimitati, ignauiæque vertant conscientiam expiare, antequàm aggrediantur manus cum hoste conserere. Laudabilis est in milite prudens audacia, audax reprehensibilis imprudentia. *Boni* (aiebat Homerus Iliad. 13.) *& fortis nequaquam mutatur color, nec admodum extimescit.* Consonat Democritus apud Stobæum lib. de Audacia, cap. 51. *Audacia principium actionis est, fortuna verò dominatur fini, sapientiæ iunctam habere audaciam plurimum conducit.* Ni sit barbarus, aut demens, non potest intrepidè adire periculum, qui admonente conscientia extimescit infernum. Saul, vt cum hoste manus conferat, faciem Domini sibi placare solicitat: *Dixi: Nunc descendent Philisthini ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Prudenter censuerat, si rectè egisset, est enim cuique necessarium placare Dominum, si decernit inire prælium, nec enim exulcerata conscientia potest audaciam non retardare, vt nequit etiam æternum adesse periculum non monere. Adest Abulensis *quæst. 10. Quasi dicat: Vidi, quòd iniustum erat, quod irem ad bellum antequàm placarem Dominum: placare autem eum erat per sacrificia, ideò voluit prius offerre, quàm ire ad bellum: in hoc autem habebat rectam doctrinam Saul.* Prudentiæ erat consonum Deum placare, antequàm aggrederetur bellum inire; nam bona conscientia vires ministrat, pollutæ eneruat.

TEXTVS.

VERS. XIII. Dixitque Samuël ad Saül: Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum.

§. XLI.

Qui aliquo in scelere delinquunt primi, inueniuntur grauiori pœna mulctati.

NI ipsis in cunabulis commissa scelera resecentur, crescit dilatione audacia, & alios facilè peruertunt exempla. Omnis error pœnæ subjicitur, sed sceleris auctor rationabiliter plus grauatur: oportet vnius districtione plurium refrænare præsumptuosam audaciam, nam feriatur in aliis ferrum, dum in primicerio durè punitur erratum. *Difficultatem nobis querelæ summouemus* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 15.) *dum in ipsis cunabulis scelera commissa resecantur.* Ius exigit recentia, nouaque amputare peccata, ne impunita corrumpant alios exempla. Saul sacrificium offert, necessitatè (vt ipse aiebat) compulsus, & copiosis hostium agminibus pressus, & licèt plura viderentur releuare peccatum, durum denuntiatur supplicium. *Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum?* Cùm aliquæ circunstantiæ hoc alleuarint peccatum, quærunt Interpretes, cur graue adeò fuerit decretum supplicium? Noster Sanctius censet, duram adeò pœnam, scilicet regni priuationem illatam, quia cùm Saul primus in Israël Rex Domini præceptum contempserit, & vt placet plurimis, sacrificandi sibi auctoritatem temerè arrogarit, oportebat reprimere in aliis præsumptionis audaciam, & graui vnius supplicio sequentium frænare culpam: *Primus fuit Saul Rex in Israel; primum præceptum, quod accepit à Domino fuit, vt expectaret septem dies, donec à Samuele immolarentur hostiæ: expediebat maximè, vt Reges quotquot futuri erant in Israel, intelligerent in administranda Republica à Dei ducis & auspicis præscripto discedendum non esse. Atque ideo peccatum illud primum inobedientiæ regni iactura mulctatum est.* Si Saul alio in genere peccasset, grauem adeò mulctam forsitan non tulisset; at dum primus Rex diuina edicta contemnere

edocuit, & Sacerdotis dignitatem arrogare sibi audacter præsumpsit, regalibus insulis priuari meruit. Quod in Ananiæ, & Sapphiræ supplicio notauit acutè Isidorus Peluſiota *epiſt.* 181. fuerunt primi, qui pretium fraudarunt: *Fraudarunt de pretio agri conſcia vxore ſua. Act. 5. verſ.* 2. Ergo Petrus vita mulctauit, ne exemplum serperet, & alios simili delicto inficeret: *Non crudelitatis, atque amentiæ fuit, quòd Sapientiſſimus Petrus eos, qui peccauerant, morte affecit, verùm præſcientis doctrinæ multa hominum peccata præſanantis. Nam cùm tunc Euangelij ſementē facere incepiſſent, ac ſtatim enata zizania conſpexiſſent, ſapienti conſilio ea ſapienter euulſerunt.* Timendum est quovis in genere auctorem esse delicti: nam primus grauiori supplicio ingemiscit mulctatus.

TEXTVS.

Vers. XIV. Sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suum, eò quòd non seruaueris, quæ præcepit Dominus.

§. XLII.

Perseuerantia virtutem coronat, quæ si deficiat, labefactat.

Ad finem debet perducere (scribit Cassiodorus 4. *variar.* 31.) *quæ prudentum intentio visa est suscepisse. Quia sicut perfectam laudem pariunt, ita & vituperationem generant, quæ in mediis conatibus ægra deferuntur. Defectus enim rerum aut consilium titubare, aut vires arguit defuisse.* Ni prudenter incepta ad perfectionem adducat perseuerantia, amittitur laboris meritum, & pro merito succedit probrum. Quisquis à virtute defecit, laudem, & laborem amisit. Saül laudabiliter regnare cœperat, sed dum inconsultè violat obedientiam, amittit etiam coronam: *Nequaquam regnum tuum vltrà consurget.* Ac si dicat: Si in expectando perseueraſſes, regnum tibi firmiter stabiliſſes, at dum post longa spatia lassus defeciſti, exantlatos labores labefactaſti; nam si desit perseuerantia, fordescit virtutis gloria. Ita Gregorius apud nostrum Sanctium: *Ecce quàm magna perdidit, qui vt putabat, nulla contempſit: Ecce ſeptem diebus Prophetam ſuſtinuit, ſed dum præſtolari eum in fine diei deſiit, gloriam tantæ dignitatis amiſit.* Dum exiguo tempore non prosequitur expectare, dies quibus patienter expectarat, amisit, & qui perseuerando laude esset dignus supplicio, dum non perseuerat, probatur obnoxius. Et quidem miserum est nec voluptate frui, nec virtutis laudem assequi. Vndè Ecclesiasticus aiebat: *Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam. Eccl. 2. verſ.* 16. Iure miseri, nam sustinentiæ amiserunt labores, dum perseuerantia non coronauere virtutes. Redeat iam datus Gregorius: *Suſtinentiam quidem perdunt, qui bona, quæ inchoant, non conſummant. Quibus nimirum væ eſſe dicitur, quia non ſolùm incepti laboris mercedem perdunt, ſed etiam apoſtatatus ſui pœna feriũtur.* Qui post longa virtuti impensa tempora deficit, toto eo tempore sustinuit laborem, & amisit etiam mercedem: vndè inconstantia præ aliis vitiis inuenitur miserrima. Quandoquidem & virtutis studium, & vitiorum vnit tormentum. Saül in expectando laborauit, & regnum post laborem amisit.

§. XLIII.

Qui Reipublicæ improbi anteceſſoris loco præficitur, virtutum luminibus reſplendere tenetur.

Assertio meritorum est potuisse eligi post improbitatem anteceſſoris variis criminibus sordidati; & quidem anteceſſoris pœna eloquens succeſſorem admonet lingua: de aduersitate nascitur prosperitas, si contrarias tenuerit vias. *Exceſſus præcedentium* (aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 20.) *non corrigitur, niſi cum ſucceſſor optimus inuenitur.* Optimus succeſſor debet inquiri, vt illata possint damna Reipublicæ reparari: & quidem deterior inueniretur, qui post amati prædeceſſoris supplicia, eius imitaretur exempla. *Non* (verba sunt dati Cassiodori) *deceſſorem tuum ſubmouimus amore generalitatis, vt tu ſaluberrimus aduenires: contraria prioribus imitare, & laudanda peregiſti. Rapax ille, tu continens. Bonorum omnium breuis eſt definitio: vitare quæ fecit.* Ecce Saül ad regnum promotus eis se infecit criminibus, vt Deum compulerit regno priuare & alium eius loco sufficere: vtque ipsa electio bonæ politicæ sit doctrina, diligenter quæsiuit, qui virtutibus omnibus resplenderet: *Nequaquam regnum tuum vltra conſurget. Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet dux ſuper populum ſuum eò quòd non ſeruaueris, quæ præcepit Dominus.* Iuxta cor Dei vir quæritur, quia indigni loco sufficitur: & quidem Dauidem admonebat decessor semotus, vt virtutibus resplenderet ornatus. Innuit Caietanus: *Dicit Quæſiuit, quia ad ſimilitudinem quærentis interrogationis elegit Dauidem tanquam virum ſecundum cor ſuum.* Quia Reipublicæ reparanda erant damna, eximia succedentis requisita sunt merita, & ad præclara cogebant merita anteceſſoris supplicia. Itaque electionis exhibita est norma, & Dauidem prædeceſſori admonuit pœna. Grauius Dauid delinqueret, si post tale exemplum peccaret, & qui ad reparandam Rempublicam virtutibus non deligit exornatum. Numinis non imitatur exemplum.

§. XLIV.

Sibi Princeps conſulit, dum Reipublicæ præficit, non fauore intruſum, ſed virtutibus exornatum.

Semper iudicio (aiebat Seneca de Tranquillitate animi, *cap.* 1.) *fauor officit.* Verum dixit; sed præpuè tunc officit, cùm de eligendis Reipublicæ administratoribus agitur: nam si quæsitis, aut emptis suffragiis culmen gubernationis adierit, electoris fama lædituꝛ & Reipublicæ salus negligitur. Proceres sæpè fauoribus interueniunt, quorum opinionem sequutus facilè errabit, sibique, & Reipublicæ in promouendo nocebit. *Non alligo me* (aiebat Seneca de vita beata, *cap.* 1. *ad vnum aliquem ex Stoicis proceribus; eſt & mihi cenſendi ius.* Iure suo vti debet, nec alienis opinionibus applicari, cui eligere datum est. Si meritis exornatus, æquitatéque perpolitus deligitur, eligentis fama floret, & Reipublicæ salus viget. *Finis ſapientis eſt* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 47.) *amare, quod expedit: ſic ut igitur votum reſpicit: qui prodeſſe contendit.* Non respicit qui prodesse contendit, quis aliis placeat, sed Reipublicæ quis proficit. Exemplum nobis præbet oraculum dum testatur elegisse, quem sciebat virtutibus resplendere: *Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum & præcepit ei Dominus, vt eſſet dux ſuper populum ſuum.* Et cur sibi quæsisse asserat, quem Reipublicæ præsciebat? Dicat quæsisse generalitati proficuum, non sibi commodum. O vtilem nobis eruditionem!

Sibi,

Sibi, Reipublicæque prouidisse testatur, dum vir iuxta cor Domini culmini eligitur; nam & eligentis commendabatur prudentia, & detrimenta non sentiebat Respublica. Prodest Caietanus: *Ad similitudinem quærentis inter tot Israëlitas elegit Dauidem tanquam virum secundùm cor suum.* En optimam eligendi formam, inquirere merita, non fauentium auscultare suffragia, nam quibus non interest, pietati ducunt fauere, & clientulos adiuvare. Prudenti, solicitaque inquisitione quærendus est ad munus virtutibus exornatus, & eligentis fauore dignus; sic enim munus administratur sine querela, electoris non innubilatur fama. Sibi Deus, ait, elegisse, quem (vt nostro modo loquamur) solicita inquisitione quæsiuit, & virtutibus expositum præfecit. *Ad similitudinem quærentis inter tot Israëlitas elegit Dauidem tanquam virum secundùm cor suum.*

§. XLV.

Eximiis virtutibus ornati ad culmina veniunt compulsi, non extorquent ambitiosi.

NOn est virtuti contrarium honestis mediis quærere dignitatem; verùm qui eximiis fulget virtutibus, plus curabit latere, quam dignitatum culminibus spectari: bono auspicio dignitatem adit quæsitus & superioris præcepto adactus. Sibi blandiebatur Vitigis, quòd fuerit ad dignitatem inuentus, nec eam extorserit ambitiosus. *Non enim* (ait apud Cassiodorum 10. *variarum 31.*) *in cubilibus angustis, sed in campis latè patentibus electum me esse noueritis, nec inter blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepantibus sum quæsitus: vt tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenita, Regem sibi Martium Geticus populus inueniret.* Sudsit Vigitis inter procinctuales gladios sic bella tractare, vt opinionem posset augere, & populum meritis, non blandienti fauore cogere; & quia venit ad imperium quæsitus, honoranit dignitatem, & coluit semper virtutem. Nec aliter Dauidi contingit. Ecce à Domino quæritur, & populum gubernare præcipitur: *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suum.* Quæres, cur opus fuerit præceptis, quando dignitas anxiis procuratur frequenter votis? Iam Textus dubitationi respondet, cùm Dauidem iuxta Dei cor esse manifestauit: *Iuxta cor suum.* Curabat Dauid pastoris munus implere, frænare leonis audaciam, vrsi castigare insolentiam, discupiebat latere mappalibus, non resplendere culminibus: ergo opus fuit quærere, & vt populum gubernaret, præcipere. *Demonstrat Dauidem* (inquit Caietanus) *qui hìc dicitur vir secundùm cor Dei, & dicitur, præcepit ei, & non dicitur, nuntiauit ei, quia præceptum quidem decreuit.* Si alius esset Dauid, latis esset denuntiare, nec opus esset præceptis cogere; verùm ea humilitate radiabat, ea modestia fulgebat, vt necessarium fuerit quærere, mandatóque adigere. Quàm benè dignitatem adminstrauit quæsitus, & ab omni ambitu prorsus alienus.

TEXTVS.

VERS. XV. Surrexit autem Samuël, & ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saül obuiam populo qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin, & recensuit Saül populum, qui inuenti fuerant cum eo quasi sexcentos viros.

Eman. de Naxera in Reg.

§. XLVI.

Deus prorsus non deserit, quos nec sanctorum deuotione, nec patrocinio priuauit.

ADeo peccatores recedunt; ea tamen est diuina misericordia, vt offensus etiam eorum saluti prouideat. Inspirat erga sanctos pietatem, accendit deuotionem, quo obsequiis obligati iustitiæ seueritatem emolliant, & iteratis precibus veniam obtineant: Miser ille, qui totus vanitati deditus nec sanctis religiosum exhibet obsequium, nec eorum promereri satagit patrocinium; huius namque salus prorsus videtur desperata, cùm pietatis nulla conspiciantur vestigia. Nabuchodonosor Danielis amicus, etsi diuinam fuerit indignationem expertus, resipuit tandem, & sibi, se reddidit: *Oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi.* Dan. 4. *vers.* 31. Tempus, vt aliquibus placet, exilij non implenit, quia Daniël suis precibus abbreuiauit. *Aliqui dicunt* (inquit Lira) *septem annos fuisse mutatos in septem menses oratione Danielis.* Danielis amicitiam coluisse illi profuit, & Deus oculis misericordiæ respexit. Ast Balthasarem, quem penitùs delere decreuit, Prophetæ amicitia priuauit: post infausta illa symbola superficie parietis exarata eius mater, vt sedaret anxium. Danielis ingessit notitiam, & introductus Scripturam enodauit, & infelicem exitum imminere prædixit. *Introductus est Daniel coram Rege.* Dan. 5. *vers.* 13. Hinc Theodoretus colligit Danielis consuetudine Regem caruisse, nec vt Nabuchodonosor obsequiis obligasse. Ipsum audi orat. 5. *Videtur istè præ multa impietate post patris obitum Danielis consuetudinem fugisse.* Penitus extirpatur, qui nullum pietatis conseruauit vestigium; sibi redditus est, qui pro se habuit Phophetæ meritum. Hinc noster Sanctius colligit, Saülem à Domino modò non fuisse penitus derelictum, quandoquidem Samuël terga non vertit sed in Gabaa ei adstitit: *Surrexit autem Samuel, & ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin, & reliqui populi ascenderunt post Saül obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa.* Itaque Saül à Samuële non fuit derelictus, immò Gabaa contendit ipso associatus: ergo licèt modò minis fuerit deterritus, non erat à Domino penitus reprobatus. Doctum Interpretem audi: *Hinc constat non fuisse Saülem reprobatum à Domino, quando illum Samuel non deseruit, sicut fecit postea in causa Amalec, sed cum illo de Galgalis profectus est in Gabaa.* Non est, quod fidas sanctorum patrociniis, vt vitiis inseruias, sed nec desperes, si pro te sanctos habeas religiosè cultos, & obsequiis obligatos; nam vt est vitia sectanti infaustum iustorum patrociniis destitui, sic spes affulget, si intercessores subueniant, & iudicis indignationem emolliant.

TEXTVS.

VERS. XVI. Et Saül, & Jonathas filius eius, populúsque, qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porrò Philisthiim confederant in Machmas.

§. XLVII.

Non est desperandum, sed contra vitia, quantumvis valida, & roborata, certamen fortiter ineundum.

NIhil desperatione deterius, nam vires prorsus enervat, & omne robur debilitat. Licet vitiis quantùvis obsesso, & tentationibus impetito in integrũ

restitui, & acceptis de hoste triumphis coronari. *Si perdiderit Phidias statuam* (aiebat Seneca *epist.* 9.) *protinus alteram faciet.* Pertinaciter curandum est amissa instaurare, nec quid deterius, quàm animum desponderе? nam si acriter pugnes Dei gratia vinces Exemplum tibi præbet Saül, qui cùm fere innumeris copiis cingeretur obsessus, & militari robore prorsus nudus, in Gabaa ascendit, vt hosti occurreret, & illata damna repararet, & quidem dum non despondet animum mirandam, vt sequenti capite refertur, consequutus est triumphum. *Reliqui populi ascenderunt post Saül obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa in colle Benjamin, & recensuit Saül populum, qui inuenti fuerant cum eo quasi sexcentos viros.* Non ago de re militari, nam si militiæ præcepta spectes, vltra temeritatem videtur Saül progressus, dum innumero hosti occurrit exigua manu vallatus: at pro re morali egregium præbuit exemplum dum factis edocuit posse si vires exeras, reportari de vitiis triumphum. *Cùm inermes esse scirent eos* (inquit noster Sanctus) *qui cum Saüle è Galgalis ascendebant in Gabaa, egressi è militari statione aut prædabantur, aut occidebant eos, qui è Galgalis in Gabaa trita atque frequenti via progrediebantur: statuit Saul illi tanto malo quam primum occurendum. Igitur sexcentos viros, qui reliqui fuerant è populo, contra stationem illam rapit.* Expende verbum illud, *Rapit*; ac si dicat: Vt tanto malo occurreret, spes non abiecit immò maiori conatu inimicorum phalangibus obuiauit & obuians triumphum obtinuit. Implicatus sceleribus ingemis, impetitus tentationibus doles, vires tibi infirmas inesse experiris, non augeas malum desperando, sed resume animos, & crede Dei gratia posse omnia vitia delere, & triumphum de dæmonibus reportare. Saul periret, si desperaret; ast dum animosè hostibus occurit, abegit.

TEXTVS.

VERS. XVII. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei: vnus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Saül.

§. XLVIII.

Diabolus priùs tentat debilitare, vt penitus possit postèà virtutes euertere.

ASruta malignitas non audet omnia virtutum tabernacula vno impetu euertere, sed per partes aggreditur deuastare. Aures adulatione corrumpit, oculos pulchritudine allicit, inflammat linguam, & iam debilitatis viribus rationem mittit sub iugo, & virtutem omnem ardenti adurit incendio. Notauit Tertullianus *de Pœnitentiâ, cap. 7. Obserua, oppugnat obsidet: si quæ possit aut oculos concupiscentia carnali ferire aut animum illecebris singularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine euertere, aut à via certa peruersis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit.* Paulatim à virtutis via abducit, iam oculos venustate feriens, jam linguam obtrectationibus inficiens, iam vigorem concupiscentiis emolliens: vndè Psalmista aiebat: *In securi, & ascia deiecerunt eam.* Psal. 73. *vers.* 6. Securis grandi impetu ferit, ascia paulatim leuigat, & aliquid semper detrahendo debilitat. Quid postèà addiderit audi: *Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Animus erat Dei sanctuarium anhelantibus flammis incendere, sed astuta ascia priùs cœpit debilitare. Notauit Augustinus hîc apud Glossam: *Securis cædit trabes, ascia minutius persequitur. Per hoc ergo & magnas res, & minimas dicit deiectas, vt ciuitas fuditus sit deuastata, prius incisa, post ignis omnia vorauit.* Itaque priùs concupiscentiæ scintillis cor leuiter tangit scintilla immissa paulatim flabellatur, & iam incendium in cineres redigit ædificium. Volucres illæ, vt carnes discerperent, priùs solùm aliquid rostris suffurari tentarunt. *Aues comedere ex eo.* Quid tunc Ioseph? *Lacerabunt volucres carnes tuas.* Genes. 40. *vers.* 18. In auibus adumbrari dæmones tradit Hugo Cardinalis *Aues comedere* (inquit) *id est, dæmones, qui superbia delectantur, & reficiuntur.* Itaque finis dæmonis erat lacerare, sed priùs contentus fuit aliquid rostris auellere. Hanc astutiam sequuti sunt Philisthæi, ardebant Israëlitas prorsus atterere, sed prius paulatim tentant vastare: *Egressi sunt ad prædandum.* Priùs, quæ ad cibum pertinent, auferunt, terrore percellunt, vt posteà iam debilitatos, ac perterritos prorsus atterant, ac infami iugo premant. Notauit Abulensis *quæst.* 18. *Intendebant Philisthini postea pugnare contra Israëlitas, interim tamen terram vastabant.* Eleganti penicillo delineauit Textus ingenium dæmonis, non aggreditur acerrimo arieti in virtutis muros audentè omnia subruere, sed paulatim tentat debilitare, quo faciliùs posteà possit virtutes euertere: priùs ingenerat confessionis, communionisq; fastidium frugalitatis tædium, vt posteà totius spiritualis ædificij consequatur excidium; nam cùm verum sit gutta lapidem excauari, culparum guttulis fortitudinem aggreditur emollire.

§. XLIX.

Dæmon, vt subiectos faciliùs possit culpis inficere, priùs aggreditur superiorem criminibus obscurare.

NI perfectam teneat æquitatis mensuram, qui alijs præesse noscitur, subiectus delinquere non grauatur. Ad superioris exemplum componitur populus, quem si videat culpis infici, non refugit criminibus studere. *Æstimate* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 13.) *cui debeat populorum inanis leuitas imputari, nisi vestro ordini, à quo decuerat cuncta componi. Per vestram siquidem sapientiam admoneri Prouincias oportuit vniuersas, vt talia probarentur assumere, quæ Principis primordia viderentur ornare. Verùm quæ ciuitas non fiat excusabilis, si Roma deliquerit.* Si caput, à quo cuncta debent componi, contingat nebulis obscurari, iam populus contemnet fordescere. Quandoquidem vt in radice fructus agnoscitur; sic in capite subiectorum virtus, aut defectus præ-uidetur. Quando Ioseph retulit circumstantes manipulos aristarum inclinatione suum adorare, fratres resiluerunt: *Nunquid Rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ. Gen.* 37. *vers.* 8. Verùm, cum solem, lunamque sibi adorationis cultum impendere, dixit ore silentio signarunt: *Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me.* Et cur modò fratres nō ausi sunt refragari, cùm priùs detrectauerint adorationem impendere? Quia ausi non sunt in stellis designati à solis, lunæque factis discrepare, & viam contrariam inire. Notauit Abulensis ad hunc locum: *Ista secundum somnium ad idem pertinet ad quod primum, vt patet ex interpretatione; sed duplicatur somnium ad significandam maiorem firmitudinem futuri euentus.* Vbi fili ipsi visi adorationis denegarunt obsequium: ast vbi pater, superiorque exhibuit officium, iam dubitari non poterat, inferiores imitaturos exemplum, quia velut pro lege est subiectis, quod effecere maiores. Ob id Philisthini dæmonum vmbræ, vt Israelitas deuastarent, cuneum primum contra Saulis terram direxerunt, vt qui non ignorabāt principali terra vastata cæteras subiugandas, aut minuendas: *Egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei: vnus cuneus pergebat contra*

contra viam Ephra ad terram Sual. Abulensis *q.* 18. legit: *Ad terram Sual.* Saul erat caput: ergo si eius devastauerint terram, facilè de aliis promittunt sibi victoriam: nam qui propriam terram permittebat devastari, aliorum non aggrederetur defendere. *Ibat iste cuneus ad terram Saul*, verba sunt Abulensis. Si terram capitis infestatione vastarint, aliorum terras non dubitauerunt subjicere: nec enim Saul auderet in aliis terris reprimere, quos aduersarios constabat in propria tellure pati.

§. L.

Auaritia omnia deuastat, & virtutum amœnitatem defœdat.

AVaritia virtutum pestis, earum nitorem corrumpit, venustatémque marcescere citò facit: cui placet lucrum, nullum displicebit peccatum. Fratres Ioseph um vendunt obliti naturam, vt detestabili nundinatione argenti acquirerent copiam: *Vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis. Gen.* 37. *vers.* 28. Quos argenti inflammauerat sitis, nihil natura suasit. Fratrem, cui debebant consulere, gestiunt Ismaelitæ venditare. Adest Philo *lib. de Ioseph*: *Veritatem dissimulant; est autem vera causa auaritia.* Venditionis causa extitit auaritia, & prænulut aduersus structum naturæ vinculum auri desiderium. Tres cuneos instruunt Philisthæi, vt Israelitas vastarint: primus contra viam Ephra ad terram Saul dirigitur: *Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Sual* In hoc cuneo Hugo Card. intelligit auaritiam, qua dæmones virtutes euertunt, legésque sanctas corrumpunt: *Vnus cuneus pergit contra viam Ephraim, quoniam scilicet diabolus tentat per auaritiam.* Ephraim fratri præpositus euasit in Principem: ergo primum dæmonum studium est Principes auaritia corrumpere, quod si assequantur, sanctitas omnis enectitur. Auro redimuntur scelera, debilitantur pecuniis iura; vbi regnat auaritia, impunè degit improbitas, & grassatur in modum pestis malignitas.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Porrò alius ingrediebatur per viam Beth-horon: tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum.

§. LI.

Superbia, & inanis gloria corrumpit mores, & deuastat semper virtutes.

SVperbia vetustum malum, calamitatis initium, lachrymarum exordium, nihil intactum relinquit, sed virtutes omnes veluti rapida alluuione conuellit. Superbus ab omnibus adorari se gestit, & intra domum suam aliquos admittere magni ducit. *Est proprium superbiæ* (aiebat Seneca 6. *de Beneficiis, cap.* 33.) *magno æstimare introitum, ac tactum sui liminis pro honore dare, vt ostio suo proprius assideas, vt gradum prior intra domum ponas.* Putat elatio beneficium dare, si quem sibi appropinquare permittat, si vel pauca, aut tumentia verba proferat. *Arrogantia* (aiebat Philo de Charitate) *sæpè nascitur etiam in contemptis, & obscuris hominibus, sicut cæteræ perturbationes, & ægritudines: sed non potest in his crescere, quia sicut ignis absque fomento deficit, & ad magnates demigrat, quibus, vt dixi, largè opes, honorésque suppetunt: atque ita dulci fortuna ebrij debacchantur in seruos, ac ingenuos, interdum & in ciuitates integras.* Satius sit cum serpentibus habitare, quàm cum elatis, & arrogantibus viuere. Babylonij ingentissimum draconem patiebantur: *Erat draco magnus in loco illo. Dan.* 14. *vers.* 22. Sed Nabuchodonosorem arroganter tumidum, & tumidè superbum eiecerunt: *Ejicient te ab hominibus. Dan.* 4. *vs.* 22. Magnum Dei beneficium fuit tumentem depellere, & omnium expulsione saluti prospicere. Hinc voco datum Philonem: *Liberauit eos ab arrogantia, superbiáque vitiis grauissimis, quæ tamen multi amplectuntur pro virtutibus, præsertim quotquot opibus extolluntur, atque honoribus.* Quis Nabuchodonosorem ferret Deum se cogitantem, & omnium ruinis adorationem ambientem? Facilius erat cum Dracone viuere, quàm Nabucho sustinere. Philisthæos aspice, qui vt omnia deuastarent, superbiæ armis muniti sunt: tres cuneos instituerunt, quorum secundus adoritur Beth-horon: *Alius ingrediebatur per viam Beth-horon.* In hoc cuneo agnoscit Hugo Cardinalis arrogantiam, & superbiam, quæ sapientes, altósque aggreditur, & virtutem omnem prædatur: *Alius ingreditur per viam Beth-horon, quæ interpretatur domus magistri, quoniam tentat de superbia, siue inani gloria.* Inani gloria plures dæmon, captiuat, arrogantiáque virtutes infestat. Primi hominis superbia mortem introduxit, quæ omnes depopulatur, & fouere lachrymas nititur: nam superbia, inanisque gloria, & vitam absumit, & virtutes omnes abradit.

§. LII.

Libido, luxuriaque omnia depascit, & deserta reddit.

LVxuria salutis depopulatrix, rationis eclipsis, vitæ gladius, diuitiarum incendium est. *Omnia vitia* (aiebat Seneca *epist.* 122.) *contra naturam pugnant, omnia debitum ordinem deserunt. Hoc est luxuriæ propositum, gaudere peruersis, nec tantum discedere à recto, sed quàm longissimè abire, deinde etiam è contrario stare.* Firmiter stat luxuria pro vitiis, hæc furta edocuit, hæc homicidia perpetrauit, hæc calamitates fouit, hæc homines in mulieres vertit, & fœmineas munditias consuluit. *Naturam concussit Larissæus* (aiebat Tertullianus *de Pallio, cap.* 4.) *heros in virginem mutando: ille ferarum medullis educatus, vnde & nominis consilium, quandoquidem labiis vacuerat ab vberum gustu: ille apud rupicem, & sylvicolam, & monstrorum eruditorem scrupea schola eruditus. Feras in puero matris solicitudinem, patiès certè iam vstriculas, certè virum alicuius clanculo functus, adhuc sustinet stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effœminatus.* Itaque libidinosus amor Achillem vertit in fœminam, vtque placeret, non refugit consulere speculum, demulcere collum. Non solùm luxuria transfudit homines in mulieres, non solùm contumeliam naturæ intulit, sed naturam ferè euertit: in luxuriæ namque officina creantur dolores, & membrorum pranitates. Pharao ab adulatoribus instigatus Abrahæ vxorem vsurpat, & iam magnis plagis se miserandum lamentatur. *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram. Gen.* 17. *vers.* 17. Acri dolore soluit oculorum oblectamentum, & qui accenderant flammam non absimilem tulere pœnam. Prodest Philo lib. de Abraham: *Deus propitius miseratus hospites, & protector factus iniuriam patientium graues pœnas, & cruciatus magnos inflixit Regi, ita vt animo, corporéque laboraret morbo non simplici, & amorum, voluptatúmque oblitus longè diuersas curas agitaret, quonam modo euadere posset è tormentis præsentibus, quibus continuis interdiu, noctúque molestabatur.* Euaporata voluptatis momenta afferunt magna discrimina, & qui laboriosas

patitur ærumnas, quàm carè volatica emerit agnoscit, oblectamenta. Ob id dæmones toti sunt in promouenda libidine, vt qui norunt omnia depascere, & labores intolerandos adferre. Vltimus, supremúsque cuneus Philisthinorum dæmones adumbrantium se direxit ad iter valli imminens, vt obuia essent præcipitia, & ad profundum ruina: *Tertius autem verterat se ad iter imminentis valli Seboim contra desertum.* In hac Philisthinorum manu agnoscit Hugo libidinem, quæ in captiuitatem redigit, & ad præcipitia ducit: *Tertius cuneus vertit se ad terram Sabaa, quæ interpretatur captiua, & significat carnem, hoc est, quando tentat de luxuria, & gula.* Luxuria gulæ comes rationem captiuat, & variis hominem vitiis alligat: ergo hoc vitium fuge salutis pestem, virtutis cladem.

TEXTVS.

Vers. XIX. Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël: cauerant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.

§. LIII.

Nihil adeò studiosè curat dæmon, quàm te armis denudare, ne valeas iugum excutere.

Spes aliqua est deuictis recuperandi libertatem, si suppetant arma, & ad pugnandum auxilia: marcet verò audacia, & fiducia, si subiugatus omni armorum præsidio inueniatur nudus. Seruis concesserat Theodericus arma, & armati leges calcarunt, & innoxios occiderunt. *Deplorat* (Respublica) *pro spectaculorum voluptate* (scribit Cassiodorus 1. *variarum* 30.) *ad discriminis se vltima peruenisse, vt legum ratione calcata desperatè persequeretur innoxios seruilis furor armatus, & quod illis humanitas nostra lætitiæ causa præstitit, in tristitiam audacia plectenda conuertit.* Non præsumeret seruilis audacia bellum, ni haberet gladium. Ob id dæmones omnia arma virtutum à captiuis adnituntur auferre, ne possint bellum contrà eorum tyrannidem instaurare. Ecce Philisthini, quos seruituti addixerant Israëlitas, armis priuarunt, & ne habere possent armorum fabros vetuerunt: *Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël; cauerant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* Oratio, eleemosyna, ieiunia arma sunt in dæmones: ergò vigilanti cautela curant homines ab oratione abducere, ab eleemosyna auertere, à ieiuniis coloratis rationibus separare. Et quia concionatores horum armorum sunt fabri, à Dei verbo audiendo retrahunt, & audiendi fastidium gignunt. *Cautè prouiderant* (inquit Hugo) *quia omnes fabros expulerant de Israël, & fortè duxerant eos in terram suam.* Vt dura semper seruitute Israëlitas premerent, & anxiam rebellionis suspicionem vitarent, omni armorum subsidio interdixerunt, & artifices amandarunt. Qui vitiis semel ceruicem subdidit, examinet, an inimicus omnia abstulerit arma, quia si omnibus armis nudus, ingemiscet diu subiectus.

§. LIV.

Solicita cura student dæmones concionatores impedire, vt vulgus possint seruitute durissima premere.

Evangelicus concionator est veluti spiritualium armorum faber, & dum veritatis luce fallaciarum depellit tenebras, rationem obarmat, & appetitus adsultus edomat. Hinc est, quòd Ioannes ab ore cœlestis concionatoris exacutum gladium vidit exire, & aquas splendidas promanare: *Vox illius tanquam vox aquarum multarum, & habebat in dextera sua stellas septem: & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* *Apoc.* 1. *vers.* 16. Aquarum voluminibus mersus est Pharao, & liberatus Hebræus: ergo timet vocem sibi naufragium, & captiuis effugium. Vox gladius est vtraque parte acutus, quia insanas appetitiones abscindit, & dæmonem referit: *Vox illius* (inquit Anselmus hic) *tanquam vox aquarum multarum, id est, admonitio illius.* Subiungit: *De ore eius, id est, sanctis Patribus, per quos Deus loquitur, exibat gladius, id est, verbum Dei, ex vtraque parte acutus, id est, vtrobique secans, in veteri testamento opera carnalia, in nouo etiam concupiscentias.* Itaque auditor à labiis concionatoris accipit gladium, quo & concupiscentias abscindat, & aduersarium feriat: ergo peruersè sagax Philisthinorum astutia fabros vetuit, & Israëlitas armis nudauit: *Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël: cauerant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* Fabris ablatis, aut impeditis non eudebantur arma, & crescebat captiuorum miseria. *Cautè prouiderant* (Hugonem audis) *quia omnes fabros expulerant de Israel, & fortè duxerant eos in terram suam.* Cùm videris spiritualibus concionatoribus obicem apponi, crede à dæmonibus peragi; verentur namque spirituales fabros, vt qui possint arma ministrare, & rebellionem suadere. Aliud etiam hinc nobis vtile promanat documentum; nam Philisthæi contenti non sunt fabros vetare, sed ad terram suam transferre: *Fortè duxerunt eos in terram suam.* O quàm luctuosa Reipublicæ clades est, si spiritualium armorum fabri ad regionem vitiorum, vanitatisque transeant captui, tunc enim arma fabricant calybe vacua, & solùm ad oculos splendentia. Si concionator calamistrato sermone, nitidoque eloquio, vernanti stilo audientium aures oblectet, in Philisthinorum ditione videtur commorari, & virtutis hostibus inseruire. Philisthæus fabros non dicitur iugulasse, sed ad Prouinciam suam transtulisse, nam si semel translati, plus inseruiunt hostibus, quàm occisi: *Fortè duxerat eos in terram suam.*

§. LV.

Satis non est vitium auferre, sed ne pullulare possit iterum, impedire.

Quod pertinaciter studes (aiebat Seneca *epist.* 5.) *omnibus omissis hoc vnum agas, vt te quotidiè meliorem facias, & probo, & gaudeo: nec tantum horter, ne perseueres, sed etiam rogo. Illud autem te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua.* Sunt, qui ad virtutum castra honestè transfugæ ad exomologesim peccatorum recurrant, qui à libidinis victimarum communicatione se abstrahant, qui impedimentis omnibus ablegatis virtuti inseruiant; alij conantur fallere, non proficere; catenam non rumpunt, sed exiguo tempore abscondunt: ramusculos ad speciem abscindunt, sed radicem non eruunt. *In primis* (monebat Cassiodorus 7. *variarum* 6.) *noxias arbores, qua*

quæ inferunt fabricarum ruinas, dum sunt quidam mœnium importabiles arietes, censemus radicitus amputari, quia nulla læsio removetur, cuius origo non tollitur. Parum iuvaret insidiantes mœnibus ramos præcidere, si radix perseveraret, nam licet læsio tantillum remoueretur, diserimen iterum emergeret, & novum radix periculum procrearet. Vbi Philisthæi Hebræos subiugarunt, non inueniebatur inter Israelitas faber ferrarius, qui cuderet arma, quia deficiebat materia: *Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel: cauerant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* Quomodo cauerant? Omnem materiam fabricandorum armorum auferendo, & in posterum vetando. Itaque fabris non erat fabricandi arma occasio præsens, nec sperabatur futura: ergo fabri non solùm cessarunt, sed abierunt. Ita Theodoretus: *Cùm eos vicissent alienigenæ, vniuersum ferrum acceperunt, & prohibuerunt, ne possiderent aliud.* Si ablato, quod tunc habebant, ferro, spes acquirendi aliud remaneret, faber forsitan perseueraret; verùm cauti Philisthæi contenti non sunt possessum auferre, sed ne aliud possiderent, solicito studio vetare. Quid faceret faber, dum nec materiam habebat, nec sperabat? Fugeret certè dæmon, si non solum vitia videret ablata, sed omnem materiam, & occasionem præcisam: at si occasio solùm ad tempus cessarit, sibi promittet arma iterum fabricari, vitiaque munire: Ergo disce à Philisthæis omnem materiam auferre si cupis victoria frui.

TEXTVS.

Vers. XX. Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum.

§. LVI.

Dæmones, quidquid opus est ad terrenis incumbendum, disponunt, & quàm citò fieri satagunt.

AMbitio, cupiditas, voluptas non pertinent ad veram libertatem, sed ad miseram seruitutem. Hilarem captiuitatem homines eligunt, & malunt inservire terrenis, quàm purissimis gaudere bonis: *Infelices quidam* (aiebat Seneca de vita beata, *cap.* 7.) *non sine voluptate, immò ob ipsam voluptatem sunt.* Mala pro bonis legunt homines, corpus in præsenti sagina iacet, nec ad futura cogitationem præmittit: quod ad faustum, gloriámque pertinet solicitè procuratur, & instigante dæmone ambitur. Curat malignus hostis, vt offutura pro salubribus appetamus, & dementes mala, vti bona suspiremus. Philisthæi, vt sæpè dixi, dæmonum vmbræ, serio vetuerunt, ne Hebræi arma fabricarent, sed vt terram vertetent, vt acquirendo diuitias incumberent, adiuverunt. Vomeres Israëlitarum exacuebant, ligones parabant, instrumenta, quibus terram colerent, fructúsque perciperent, adaptabant; immò, ne ob distantiam torperent, commodis locis ferrarias struxerunt officinas, quas facilè Israëlitæ adirent, instrumentáque renouarent: *Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum.* Itaque citò aderat Philisthæus, qui exacueret vomerem, qui præpararet securim. Iam si inquiras, cur eis non permiserint arma fabricari, & voluerint ipsi rustica instrumenta componere? Respondeo, vtrumque ad eundem finem spectasse: arma prohibuerunt, ne iugum excuterent; emendabant securim, aut ligonem, vt terrenis prouentibus inhiarent. *Non est credibile* (inquit noster Sanctius) *in regionem Philisthinorum quæ à multis partibus Israelividis regionis longè distabat, descendisse Hebræos, vt vomerem, aut ligonem acuerent, sed habuisse Philisthinos variis in locis Israelis stationes suas, & in his ferrarias officinas, ad quas, cùm retusi essent ligones, vomeres, & secures, recuderentur ad rurale negotium.* Vt terræ operibus insudarent, vt cupiditati inseruirent, ipsi Philisthæi instrumenta præparabant, & ad temporis compendium commodis in locis officinas struebant; quò noneris, quàm solicitè procurent dæmones, vt terrenis incumbas, & puluere terrenorum sordescas. Humani generis hostis appetitum excuit, cupiditatem accendit; vitiorum occasiones disponit, & ne in posterum, mittas, exambit. *Hæc non vetuerant Philisthini* (inquit Abulensis *quæst.* 20.) *quia inde eis nullum periculum, aut grauamen inferebatur, quin potiùs, si ista non permitterent, faciliùs ab eis rebellarent.* Terrenis suspirent, ne rebellent, nam terrenorum amor vitiorum confirmat iugum, & dæmonis prolatat imperium.

TEXTVS.

Vers. XXI. Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium vsque ad stimulum corrigendum.

§. LVII.

Sæpè tempus instrumenta peccatorum obtundit, & ipse homo dæmonis auxilio exacuit.

QVod nobis ipsa natura optimum sedandis appetitibus senectutem remedium dedit, & contemnimus, & eludimus. Etiam dum calet sanguis, & iuventus floret, ad meliora tendendum est. Bonarum artium vsu virtutum amore, cupiditatum despectu viuendi, atque moriendi scientia iuvenes ornari decet, verùm si immaturæ adolescentiæ ardore à virtutis via iuvenis deflexerit, & deliria voluptatum fuerit sectatus aliqualem excusationem habet: verùm prodigiosum est, si senectus morti proxima ad culmina ambitiosè adnitatur ascendere; si adolescentium vitia conetur superare, si viribus iam delassatis, & omnibus ad appetitum instrumentis infirmis suspiret insanis ardoribus æstuare, & indecoris appetitionibus insanire. *Turannius fuit* (inquit Seneca de Breuitate vitæ, *c.* 20.) *exactæ diligentiæ senex, qui post annum nonagesimum cùm vacationem procurationis à C. Cæsare vltrò accepisset, componi se in lecto, & velut examinem à circunstante familia plangi iussit. Lugebat domus otium domini senis, nec finiuit ante tristitiam, quam labor illi suus restitutus est.* Vrebat ambitio, quem vita deserebat. Idem aliis in materia differenti animus est: vivit, immò gliscit veneris cupiditas, cùm facultas non est. Speculum consulunt, alienam comam assumunt, capillos tingunt, & se totos studiosè componunt, vt repetat datus Seneca: *Cùm imbecillitate corporis pugnant, senectutem ipsam nullo alio nomine grauem iudicant, quàm quod illos seponit.* Ætas seponit, sed cupiditas vrit: *Dixit Cato* (scribit Plutarchus *lib.* An seni) *multis obnoxiæ peculiaribus malis senectuti non insligendam vltrò vitij maculam. Ex multis autem vitiis multò magis ignauia, languor & mollitia fugillant virum grandæuum; qui ex curia in conclaue abdit se mulierum.* Nec longa ætas, nec splendida dignitas suasit aliquibus diuortium cum appetitibus facere, immò vt poma, cum fugiunt, sapidiorem gustum promittunt; ita etiam cùm iam vita ad occasum vergit nescio quam dulcedinem vitiorum affert. Terrena curabant Israëlitæ, & temporum tractu acies instrumentorum deficiebant retusæ: *Retusæ itaque erant acies vomerum*

vomerum,& ligonum,& tridentum,& securium vsque ad stimulum corrigendum. Putares inhabilibus iam ad terrena tractanda instrumentis salubriter otiandum, & pulchræ morti studendum : verùm nullo excusato labore Philisthinorum ope instrumenta exacuebant, vt quirent cupiditatibus inseruire, & terram colere : *Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerè suum,& ligonem & securim,& sarculum.* Itaque vel cùm terram tractare nequibant, incumbere terrenis adlaborabant, & studebant aliena industria vti, quantumvis labore fracti. *Hebetes erant* (inquit Abulensis *quæst.* 20.) *vomeres, & ligones, & omnia rustica instrumenta. Quod dupliciter potest intelligi: vno modo, quòd ista instrumenta essent retusa ex diuturnitate temporis.* Tempore exæsa, & diuturnitate obtusa erant instrumenta, sed ne terram vertere desinerent, laborabant exacuere, & præparare. Audiui aliquos senes medicatis potionibus ad venerem vti ; audiui senecta consumptos acquirendis diuitiis inhiare, audiui semimortuos dignitates ambire. Pro hominum cæcitas, & fragilitas !

§. LVIII.

Nisi tempus virtuti debitum solicitè instaures, ad miserum statum deuenies.

INter homines degenti frequens periculum est, facilius per exempla vitia subrepunt, & nisi quis mores solicitè componat, paulatim enervatus, & quod fugauerat, redit. *Ego certè* (aiebat Seneca *epist.* 7.) *confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur. Aliquid ex his, quæ fugaui, redit.* Quos longa imbecillitas affecit, vel leui occasione offenduntur, & opus est se reficere, & vires recolligi. Facilè transitur ad plures, & vel qui maximè concinnant ingenium, nequeunt sine aliqua offensa ferre vitiorum impetum : subducendus est animus, & vitiorum puluis abstergendus, ne dum parui pendit periculosa ignauia, ipsa consuetudine difficultas virtutis accrescat. Si statim exiguo morbo occurratur, citò medicinis salus reficitur, si verò negligentia, ignauiáque permittat serpere, & indurari, medicamentis resistet, & peritiam medici fatigabit. Plures in magnam difficultatem recuperandæ virtutis deuenerunt, quia quod sensim humana conuersatione, & aliorum conuictu amittitur, instaurare non procurarunt. Israëlitæ telluris laboribus occupati, dum terram vertunt, ipso exercitio instrumentorum acies retundunt,& dum negligenter exacuere despiciũt inhabilia prorsus reddunt : *Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum,& securium vsque ad stimulum corrigendum.* Vndè hæc instrumentorum obtusio prouenerit, quærunt Interpretes. Abulensis *quæst.* 20. putat non solùm ex luctatione cum tellure accidisse, sed ab ignauia etiam promanasse. Si quod ex quotidiano cum terra luctamine deperdebatur, quotidiana ac frequenti lima corrigeretur, vomeris acies adeò non esset obtusa, vt nequiret sulcos proscindere, & terram vertere : verùm dum negligenter amissum non reparatur, ad quandam impotentiam deuenitur. *Potest intelligi, quòd ista instrumenta essent retusa ex diuturnitate temporis, quo non apparata erant.* Tempus difficultatem auxit, & ipsa difficultate animos deterruit. Si quotidiè, aut frequenter vomerem emendarent, ad hanc difficultatem non deuenirent. Qui per humanam fragilitatem virtutis vigorem enervat, & animi vires debilitat, si frequenter ad exomologesim recurrat, amissum reparabit si diù emendationis oblitus, grandi difficultate præpeditur illigatus. Vomeris acies non tam erat retusa ex frequenti telluris proscissione, quàm ex emendationis tarditate : *Ista instrumenta retusa ex diuturnitate temporis, quo non apparata erant.*

TEXTVS.

VERS. XXII. Cúmque venisset dies prælij, non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saüle, & Jonatha, excepto Saül, & Jonatha filio eius.

§. LIX.

Miraculo opus est, vt in die prælij exarmatus, triumphis gaudeat redimitus.

PRælia, nisi inueniant armatos, facilè subjicient nudos. Validum scutum aduersariorum ictus eludit exactus ensis aut hostes fugat, aut appropinquantes ferit : *Quid est dignius* (aiebat Cassiodorus 4. *var.* 6.) *quod die, noctúque assidua deliberatione volumus, nisi vt Rempublicam nostram, sicut arma protegunt, aquitas quoque inuiolata custodiat ?* Salutis remedium miles habet in armatura dispositum ; terror armatus inimicum frænat miles armis nudus hostis militabit trophæis. *Signa tua* (aiebat Cassiodorus 7. *variarum* 1.) *abactores timeant, fures paueſcant, latrones perhorreant. Innocentia tantum læta respiciat, dum sibi auxilia venisse credit, quæ legum disciplina transmisit.* Si in die certaminis, si in vltimo vitæ cum hoste congressu Christianum militem viderit dæmon inviolatæ fidei clypeo protectum, virtutum armis munitum, mandatorum obseruatione vallatum, licet aggrediatur pugnam, securam sibi non promittet victoriam : at si viderit spiritualibus armis nudatum, indubiè sibi promittet triumphum. Et quidem ni miraculum intercedat, inermis peribit, & aduersarius triumphabit. Ecce prælium adurget Israëlitas armis exutos, & omni præsidio militari nudatos : *Cúmque venisset dies prælij, non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi.* Israëlitæ reportauere triumphum, sed intercessit miraculum. *Factum est miraculum in castris per agros.* Infrà *cap.* 14. *vers.* 15. Miraculum factum est, vt constaret inermes in die certaminis, vt reportent triumphum, indigere miraculo. In quouis tempore, si peccator ad doloris, ac confessionis recurrat arma, de humani generis hoste poterit, Deo auxiliante, reportare trophæa : est tamen periculosissimum ad diem prælij arma non prouidere, & miraculum expectare. *Ponitur hic id* (scribit Abulensis *quæst.* 20.) *propter quod posita fuerant superiùs, scilicet, quòd cùm pugnauerunt Israëlitæ cum Philisthiis nullus de Israël habebat lanceam, aut ensem.* Quàm est improuidum in die prælij expectare miraculum !

§. LX.

Studiosè curant homines, quæ ad brevem vitam spectant amenter obliuiscuntur, quæ ad triumphum in mortis certamine iuuant.

PRosunt virtutes, vt æternam vitam nanciscatis, iuuabit studiosa circa corpus solicitudo, vt tantisper vitam protendas, cúmque æternum longè caducum euincat, ea homines tenentur amentia, vt euanidis prorsus dediti ; æternorum inueniantur obliti. *Est optima Reipublicæ species* (scribit Philo *lib.* de Abrahamo) *vt sublatis tyrannidibus, & dynastiis ex anima, ius, & fas vigeat pro iniquitate, ac iniustitia. Est autem, quod dicimus, non figmentum fabulosum, sed res verissima, quam in nobis ipsis experimur : nam sæpè sensus cum affectibus concordes ministrant ei sensibilia, sæpè interueniente dissidio nolunt debitũ reddere, aut non sunt soluendo rationi cohibenti, quæ si quando arma sua corripit, scilicet virtutes, &*

& horum placita, his subnixa vincit egregiè. Nefas enim est corruptibilia in eadem cum incorruptibilibus sede considere. Qui rationi vinit, corruptibilia æternis postponit, & cogit sensus virtutibus inseruire, nec permittit delicijs fallacibus inhiare: sunt tamen pauci, qui à ratione non dissideant, & voluptatibus faueant. Passim vagamur non rationem sequuti, sed appetitionum serui. Videbis plures, qui opes sequantur, qui intemperantiæ adulentur, qui fastigia possidere adnitantur: omnes isti sui ipsorum hostes crede, si obliuiscantur virtutibus inseruire. Dæmonum negotium agit, qui non curat ad prælium arma, & suspirat semper terrena. Israëlitæ hostes adoriuntur, & armis prorsus nudati turbantur: *Cùm venisset dies prælij, non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi:* non cogitarunt aliquando diem prælij adfuturum periculi obliti, & terrenis rebus intenti. Hos ipsos inuenies nulli labori pepercisse, vt vomerem exacuerent, & ligonem emendarent: *Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem: & securim, & sarculum.* Mira res: qui vomeres debuissent vertere in lanceas, lanceas vertebant in vomeres. Inquires, cur qui adeò solicitè ista instrumenta parabant, nulla sibi armorum subsidia prouidebant? Sed facilis est responsio: Omnia ista instrumenta colendæ tellurit, & metendis fructibus deseruiebant: ergo solùm curarunt, quo caducam alerent vitam, non quò de hostibus reportarent victoriam. *Intelligendum* (inquit Abulensis *quæst.* 20.) *quòd iste descensus erat ad paranda rustica instrumenta.* Totum studium erat culturæ, nullum victoriæ. O quot variis solicitudinibus immersi, & thesauros onerandi studiosi, spiritualium armorum inueniuntur obliti! Ad futurum certaminis diem non cogitarant, & ni adesset miraculum, vrgeret periculum.

§. LXI.

Angelis debemus non solùm ab inimicis defendi, sed ad triumphum armis muniri.

VT pueris prædagogus destinatus, qui mores instruat, & pericula auertat; sic Deus hominum prouidentissimus pater custodes Angelos designauit, vt solicito studio ab hostibus protegant, & armis ad triumphos reportandos communiant. Quàm perirent mortales, ni sacri spiritus solerter inuigilarent, & sua protectione defenderent. Angelis adapto, quod de parentibus aiebat Philo lib. de Temulentia: *Est officium omnem admonitionem, castigationémque adhibere sanabilibus: patris autem, matrísque vt communis appellatio, sic vires distinctæ sunt.* Angeli iam patrem agunt seueritate carpentes, & terrore frænantes, iam matrem tristem solando, & blandiendo. In lacu Angelus Danielem defendit, & in fornace salutiferum rorem, quo pueri flammas vincerent, ministranit. Hic etiam cùm Philisthini, qui dæmonum personas agebant, inermes Israëlitas grauissimo prælio vrgerent, arma quibus vincerent, vt capite sequenti apparet; opportunè ministrarunt: *Cúmque venissent dies prælij, non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi qui erat cum Saüle, & Ionatha, excepto Saül, & Ionatha filio eius.* Saüli, Ionathæque ab Angelis ministratata arma tradunt Hebræi, & licet Hebræorum sit somnium, ad mores est certissimum documentum. *Dicunt Hebræi* (inquit Lira) *quòd miraculosè dati sunt eis gladij.* Consonat Abulensis *quæst.* 20. *Dicunt Hebræi, quòd miraculosè per Angelos adducta sunt arma tunc Saüli, & Ionathæ.* Ministratis per Angelos armis reportatus est triumphus & ni Saülem, Ionathámque munirent, miserandus Israëlitas premeret casus. Sæpè inermes, virtutibúsque nudati proximo iam certamine perirent, ni Angeli alumnos suos tuerentur, ferociam hostium reprimentes & à Numine ad confessionem, contritionémque auxilia impetrantes. Indubium est nobis Angelos conferre plurima beneficia, vtinam debita rependamus obsequia.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Egressa est autem statio Philisthiim, vt transcenderet in Machmas.

§. LXII.

Suspectus tibi semper sit locus, vbi ruinam semel expertus.

PRudens vitauit scandalum, vbi aliquando corruit offensus, ne iterata ruina grauior sit casus. *Plerique naufragio liberati* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentiâ, cap. 7.*) *exindè repudium & naui, & mari dicunt.* Adnectit: *formidant videri inculcare, quod consequuti sunt: bona certè solicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere.* Peruicacissimus dæmon securitatem promittit, vt temeritatem obarmet. Non iterum adfuturum suadet periculum, & dum imprudens credit aduersario, vires addit detrimento. Sapienti ruina proficit ad solicitiorem cautelam, & quia semel est expertus naufragium, occasioni dicit repudium. Consumptis iam cibis, quos ex Ægypto fiiij Iacob attulerant, fame vrebantur, nec tamen Ægyptum repetere cogitabant, opus fuit à patre vrgeri, & ad profectionem animari: *Consumptis cibis, quos ex Ægypto detulerant, dixit Iacob ad filios suos: Reuertimini, & emite nobis pausillum escarum. Gen. 43. vers.* 2. Et quid opus erat admoneri à patre, quando fames adurgebat, & posse ab Ægypto alimenta adduci fratrum quisque non ignorabat? O vtile nobis documentum! Fuerant pro exploratoribus habiti, & periculum grande experti: ergo ad famis clamores obsurdescebant, & adire Ægyptum iterum detrectabant. Huc voco Caietanum ad *Gen.* 42. *Vidit itaque ipse Iacob frumentum ex Ægypto allatum & excitauit filios arguèdo cur viderent, & non prouiderent.* Opus fuit illos incitare, quia etsi famem experirentur præteriti periculi, & solicitæ anxietatis recordabantur. Philistæi in Gabaa munita statione perstiterant; verùm à Ionatha impetiti detriumphati sunt, modò in Machmas non longè ab antiqua stationem habebant eis militaribus præsidiis munitam, ea militum copia suffultam, vt Israëlitæ Ammonitarum etiam triumphis erecti se subduxerint, & latibula perquisierint. Et quamvis pro Philisthinis staret campus, nouas vires comparare sibi tentarunt. & stationem ad tutiora duxerunt: *Egressa est autem statio Philisthiim, vt transcenderet in Machmas.* Quærunt Interpretes, cur à loco priùs occupato discesserint tot copiis armati, tot militibus instructi? Noster Sanctius existimat extimuisse vel antiquæ stationis proximitatem; nam cùm ibi passi fuissent non exiguum damnum, cauerunt iterum subire periculum. Audi Sanctium: *Erat Machmas non procul à Gabaa Benjamin, vbi erat statio Philisthinorum, quam Ionathas paulo ante percusserat, qui cùm attriti iam essent, Ionathæ victoriæ, neque resistere se posse considerent vtriusque ducis viribus iam proximè coniunctis, stationem relictâ ad stationem castra se receperunt.* Intuebantur Ionathan Saüle associatum contra ipsos stare, cúmque in Gabaa statione cladem tulissent, proximitatem eius loci timuerunt, & recedédo maiores sibi vires comparare curarũt. O vtinam Philisthinorum cautela sit nobis doctrina, & eius loci proximitatem vitemus, vb id tulisse cladem aliquando non ignoramus!

CAPVT XIV.

1. ET accidit quadam die, vt diceret Ionathas filius Saül ad adolescentem armigerum suum: Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum: patri autem suo hoc ipsum non indicauit. 2. Porrò Saül morabatur in extrema parte Gabaa, sub malo granato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. 3. Et Achias filius Achitob fratris Ichabob filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli Sacerdote Domini in Silo, portabat Ephod. Sed & populus ignorabat quò isset Ionathas. 4. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc & indè prærupti, nomen, vni Boses, & nomen alteri Sene. 5. Vnus scopulus prominens ad aquilonem ex aduerso Machmas, & alter ad meridiem contra Gabaa. 6. Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum: Veni transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si fortè faciat Dominus pro nobis, quia non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis. 7. Dixitque ei armiger suus: Fac omnia, quæ placent animo tuo: perge quò cupis, & ero tecum vbicumque volueris. 8. Et ait Ionathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cúmque apparuerimus eis. 9. Si taliter locuti fuerint ad nos, manete, donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. 10. Si autem dixerint: Ascendite ad nos, ascendamus: quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum. 11. Apparuit igitur vterque statio Philisthinorum: dixerúntque Philisthiim: en Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus absconditi fuerant. 12. Et locuti sunt viri de statione ad Ionatham, & ad armigerum eius, dixerúntque: Ascendite, ad nos, & ostendemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me, tradidit enim Dominus eos in manus Israël. 13. Ascendit autem Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum. 14. Et facta est plaga prima qua percussit Ionathas, & armiger eius quasi viginti virorum in media parte jugeri, quam par boum in die arare consueuit. 15. Et factum est miraculum in castris per agros: sed & omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra, & accidit quasi miraculum à Deo. 16. Et respexerunt speculatores Saül, qui erant in Gabaa Benjamin, & ecce multitudo prostrata, & huc, illucque diffugiens. 17. Et ait Saül populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Cúmque requisissent, repertum est non adesse Ionatham, & armigerum eius. 18. Et ait Saül ad Achiam: Applica Arcam Dei. (Erat enim ibi Arca Dei in die illa cum filiis Israël.) 19. Cúmque loqueretur Saül ad Sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum: crescebatque paulatim, & clarius resonabat. Et ait Saül ad Sacerdotem: Contrahe manum tuam. 20. Conclamauit ergo Saül, & omnis populus, qui erat cum eo, & venerunt vsque ad locum certaminis, & ecce versus fuerat gladius vnius cuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis. 21. Sed & Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri, & nudius tertius, ascenderántque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israël, qui erant cùm Saül, & Ionatha. 22. Omnes quoque Israëlitæ, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes, quòd fugissent Philisthæi, sociauerunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saül quasi decem millia virorum. 23. Et saluauit Dominus in die illa Israël, pugna autem peruenit vsque ad Bethaven. 24. Et viri Israël sociati sunt sibi in die illa; adiuraúit autem Saül populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem. 25. Omnéque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. 26. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullúsque applicuit manum ad os suum; timebat enim populus iuramentum. 27. Porrò Ionathas non audierat, cùm adiuraret pater eius populum: extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis, & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius. 28. Respondénsque vnus de populo ait: Iurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie (defecerat autem populus.) 29. Dixitque Ionathas: Turbauit pater meus terram: vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustauerim paululum de melle isto. 30. Quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit; nonne major plaga facta fuisset in Philisthiim? 31. Percussérunt ergo in die illa Philisthæos à Machmis vsque ad Ajalon. Defatigatus est autem populus nimis. 32. Et versus ad prædam, tulit oves, & boves, & vitulos, & mactauerunt in terra: comeditque populus cum sanguine. 33. Nuntiauerunt autem Saüli, dicentes, quòd populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis, voluite ad me jam nunc saxum grande. 34. Et dixit Saül; dispergimini in vulgus, & dicite eis, vt adducat ad me vnusquisque bouem suum, & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis Domino comedentes

comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus vnusquisque bovem in manu sua vsque ad noctem: & occiderunt ibi. 35. *Ædificauit autem Saül altare Domino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino.* 36. *Et dixit Saül: Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos vsque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne, quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait Sacerdos: Ascendamus huc ad Deum.* 37. *Et consuluit Saül Dominum. Num persequar Philisthiim? si trades eos in manus Israël? Et non respondit ei in die illa.* 38. *Dixitque Saül: Applicate huc vniuersos angulos populi. Et scitote, & videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie.* 39. *Viuit Dominus Saluator Israël, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.* 40. *Et ait ad vniuersum Israël. Separamini vos in partem vnam, & ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera. Respondítque populus ad Saül: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.* 41. *Et dixit Saül ad Dominum Deum Israël: Domine Deus Israël, da indicium: quid est, quòd non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas, & Saül, populus autem exijt.* 42. *Et ait Saül: Mittite sortem inter me, & Ionatham, filium meum. Et captus est Ionathas.* 43. *Dixit autem Saül ad Ionatham: Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Ionathas, & ait: Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.* 44. *Et ait Saül: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* 45. *Dixitque populus ad Saül: Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël? hoc nefas est: vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.* 46. *Recessitque Saül, nec persecutus est Philisthiim: porrò Philisthiim abierunt in loca sua.* 47. *Et Saül, confirmato regno super Israël, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & Reges Soba, & Philisthæos, & quocumque se verterat, superabat.* 48. *Congregatóque exercitu, percussit Amalec, & eruit Israël de manu vastatorum eius.* 49. *Fuerunt autem filij Saul Ionathas, & Iessui, & Melchisua: & nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.* 50. *Et nomen vxoris Saul, Achinoam, filia Achimas: & nomen principis militiæ eius, Abner, filius Ner, patruëlis Saul.* 51. *Porrò Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abiel.* 52. *Erat autem bellum potens adversum Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.*

TEXTVS.

VERS. I. Et accidit quadam die, vt diceret Jonathas filius Saül ad adolescentem armigerum suum. Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit.

§. I.

Bonus Princeps vitam aliquando exponit discrimini vt subveniat suorum calamitati.

RONVS Princeps deseruit muneri non plausus ambitioni, non emit propriam quietem subiectorum dispendio, immò eorum salutem, incolumitatémque fulcire aliquando satagit, proprio periculo. *Opes nostras* (aiebat Theodericus 2. *variarum* 37.) *cupimus thesauro pietatis augere, execrantes commoda, quæ nobis vexatorum fuerint calamitatibus acquisita.* Adnectit: *Quia egentium leuamina nostras potius diuitias æstimamus.* Auerlabatur optimus Princeps diuitias de pauperatis subditis congregatas, quia nouerat dignitatem tunc præcipuè splendere, si adnitatur subiectorum commodis vigilare. Consonat Seneca *lib.* 1. *de Clementia, cap.* 14. *Magnos, & felices, & augustos diximus, & ambitiosæ majestati, quidquid potuimus titulorum congessimus, illis hoc tribuentes: patrem quidem patriæ appellauimus, vt sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Pater filiis laborat, filiis consulit, & vt ab eis auerterit periculum, ipse subit. Hinc est, quòd Ionathas vt Principis, vt Reipublicæ patris impleret nomen, rem satis arduam tentarit. Vno solo comite aggressus est aduersariorum vires reprimere, despexitque honestè periculum, vt posset calamitosissimis prouidere: *Accidit quadam die, vt diceret Jonathas filius Saül ad adolescentem armigerum suum suum: Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* Quærunt Interpretes, qua Ionathas causa fuerit impulsus, vt apertum adeò subiret periculum, & impetèret aduersarium? Iosephus putat doluisse suos ab hostibus premi, & regionem deuastari, ob idque tentasse vel proprio sanguine suorum calamitatem redimere, & commodis prouidere. Accipe Iosephum 6. Antiquit. *cap.* 6. & apud Glossam: *Palæsthini tribus agminibus exercitum diuidentes, & per totidem itinera discurrentes Hebræorum Provinciam deuastabant, videntibus Rege, & filio eius Ionatha, & terram defendere non valentibus. Dumque residerent super collem excelsum, terrámque populari respicerent, eis in maxima angustia constitutis, Ionathas cum armigero suo constituit, vt latenter ad hostium tabernacula properarent, turbámque eis, & quemdam modum commotionis inferrent.* Ionathas, qui interpretatur columbæ donum, nomen impleuit, & se à cœlesti columba populis præpositum declarauit, dum vt subiectis succurreret, generosè vitam contempsit, & periculum Dei auxilio fretus adiit. Non adeò nobilitaret sceptrum, si despiceret subiectorum excidium.

§. II.

Principi fida sunt ministrorum auxilia, si agnoscatur suspirare cunctorum commoda.

NOn potest habere Princeps bonæ, ac fidæ voluntatis ministros, si pestiferis feris truculentior, & contra suorum vtilitatem audacior. Non amant homines superiorem, præcisè vt pependerint censum, sed vt exhibito cultu prouidum à Principe nanciscantur auxilium. Habebit Princeps milites, qui gloriosè

Eman. de Naxera in Reg.

vitam contemnant, & vel in discrimina aperta ruant, si non tam sibi velit subiectos, quàm se illis. Opportunè Seneca lib. 1. de Clementia, cap. 12. *Placido, tranquilloque Regi fida sunt auxilia sua, quibus ad communem salutem vtatur : gloriosusque miles (publica enim securitati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, vt parentis custos.* Qui Principem experitur parentem, nullum pro Principe recusabit laborem. Ionathas armigerum aggredi adhortatur rem satis arduam, stationem Philisthinorum impetere. *Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* Quantis res difficultatibus, periculisque esset implexa, non tacuit Sacra Scriptura. Itinera scopulis refert impedita, inimicorum castra plurimo milite, armisque stipata, & tamen armiger alacri animo obsequitur, & hostem impetere non cunctatur : *Perge, quò cupis, & ero tecum, vbicumque volueris.* Inquires, cur armiger non grauetur obtemperare, vitamque exponere, quando in hostes irruptio, audaciæ ad speciem limites superabat, & temeritatis terminos attingebat? Quia Ionathas (inquit Iosephus) communi anhelabat prouidere saluti, & consulere vtilitati : ergo erubuit miles non parere, & latera Principis desertare : *Dum residerent super collem excelsum, terramque populari respicerent, eis in maxima angustia constitutis, Ionathas cum armigero suo constituit, vt latenter ad hostium tabernacula properarent.* Vidit miles Principem non suis cupiditatibus adulari, sed Rempublicam tueri : ergo vt præstaret obsequium, despexit animosè periculum. Dauid etiam cum immani hoste congreditur, ne populus miseræ seruitutis iugum incurrat : *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi. 1. Reg. 17. vers. 36.* Cúmque posteà siti adurgeretur, tres fortes, hostilia arma despicientes aquam attulerunt, sitimque sedare studio solicito procurarunt : *Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam. 2. Reg. 23. vers. 16.* Milites sibi fidos inuenit, qui pro communi omnium salute strenuè militarat, vitámque honestè despexerat. Iam pro omnium militasse salute tradit Basilius Seleucensis *orat. 15. Ne solius Regis sospitator esset Dauid, verùm etiam palam de vniuerso Israële benè mereretur, & subditis allata salute Rex stabiliretur, atque promulgaretur, suum rursus militem in bella mouebat gratia.* Compertum erat Dauidem communi saluti vigilantissimè prouidere : ergo milites habuit, qui vt eius sitim extinguerent, aperta discrimina non dubitarent adire; nam Princeps habet qui pro eo spernant pericula, si ipse omnium solicitarit augmenta.

§. III.

Cœlestis inspiratio vel parentibus occultanda, si prudenter timeantur impedimenta.

COelestia dona decenti sunt asseruanda silentio, ne aliquo impediantur obstaculo: dispoliari desiderat qui thesaurum publicè portat. Hinc est, quòd Zacharias eodem tempore & silentium accepit, & donum : *Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant.* Luc. 1. *vers. 20.* Quousque fructus maturè promatur, lingua vtili silentio frænetur, ne dum acceptum cœlitus beneficium proditur, ipsa promulgatione impediatur. *Denique* (aiebat Chrysologus *serm. 88.*) *Zacharias ipse, quod tacet, non est pœna, sed signum, non est terrena debilitas, sed cœleste secretum: Deus, qui loqui dat, tacere facit, & imperat silentium, qui inserit verbum.* Cœlestis vox pectori inseritur, & silentium custos apponitur, ne immatura loquacitas sit maturandi fructus vacuitas. Ionatham laudabiliter audacem cœlestis inspiratio ad deterendos hostes impellit, & egregium opus aggressurus ora silentio sigillat, & patrem etiam amantissimum celat : *Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicauit.* Cœlesti pulsa fuisse Ionatham motum tradit Abulensis *quæst. 2. A Deo motus est, vt hæc faceret.* Sed statim oritur, quæstio, cur armigero referatit, nec parenti dixerit, quando consulere videbatur prudentia, partis expectare placitum, & explorare iudicium? Verum facilis est quæstionis enodatio. Armiger aliquod præstabat auxilium, nec erat tentando facinori impedimentum : consultus pater esset impedimentum, non esset auxilium : ergo edocuit Ionathas diuinam inspirationem nec parentibus indicandam, si timeantur impedimenta, nec illum celanda, à quo sperari possint auxilia. Prodest datus iam Abulensis : *Armigero indicauit, quod vellet ire ad aciem Philisthinorum; patri tamen suo, qui charissimus erat sibi, non indicauit. Causa est, quia ipse conceperat animo suo hæc præclarum faciendum, ad quod Deus eum impellebat: pater autem putaret istam esse magnam temeritatem, vndè non permitteret eum illuc ire.* Si patri referat cœlestem pulsum, apponere pater niteretur impedimentum : ergo Ionathas erudiuit eos, qui ad altiorem vitam à Deo vocantur, parentibus non aperire consilia, si vereantur apponenda obstacula, & quærenda impedimenta.

TEXTVS.

VERS. II. Porrò Saül morabatur in extrema parte Gabaa sub malo granato, quæ erat in Magron, & erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum.

§. IV.

Vbi humana deficiunt media, confert sæpè Deus opportunissima auxilia.

QVisquis à se attinentia exercuit solicitus, nec partes suas deseruit ignauus; diuinum affuturum sibi non diffidat auxilium, sed affectionis opportunum sperauit leuamentum. *Releuate nunc animos* (alloquitur *3. variarum 44.* Theodericus nimis afflictos) *& de nostrâ prouisione recreati futuræ copiæ spem renentes diuino fauore habete fiduciam.* Tunc constatior florere debuit fiducia, cum calamitosior affligebat inopia, quia ad bonum spectat Principem desperatis manum porrigere, & auxilia opportunissima præparare. Christus Dominus celeri naui ad Gerasenos contendit, & iam dæmon majestatem agnoscit, & inuitus se ad eius pedes prosternit : *Videns autem Iesum à longè cucurrit, & adorauit eum.* Modò Marc. *5. vers. 6.* adorat prouolutus, qui desertis adorari expetiuerat ambitiosus. Iam si inquirat, cur modò Dei filium agnouerit, cùm ieiunia protelantem, & naturæ leges euincentem expertus, an Dei filius esset explorare tentarit? respondebit Chrysologus *serm. 16.* clarum agnouisse diuinitatis signum, prouidere scilicèt opportunum rebus desperatis remedium. Et enim veluti majestatis insigne miseros tueri, & rebus desperatis consulere. Accipe Chrysologum: *Desperatum videbat, quibus ibat diuina remedia largiturus: ibat curam curam, quibus humana iam defecerat cura.* Cùm nullum miseri illi à natura possent sperare subsidium, aut à medicina suffragium, inuolauit Christus opportunum contra immanes hostes allaturus remedium : ergo Dei filium dæmon agnouit; est enim Dei proprium miseris opitulari, & omni humana spe destitutos tueri. Et præsens noster confirmat Textus. Saül, eiusque milites ad Magron confugerant, quia se posse hostes abigere desperabant : *Porrò Saül morabatur in extrema parte Gabaa sub malogranato, quæ erat in Magron.* Quid tunc? Deus Ionathæ inuictos animos indit, vtque hostes

hostes felici successu aggrediatur, impellit : *Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* A Deo Ionatham fuisse motum vidimus, supra ex Abulensi : *A Deo motus est, vt hæc faceret.* Et quando motus ? Quando scilicèt, quantum in se erat, Saül effecerat, & tamen victoriam humanis assequi posse artibus desperarat. Audi Abulensem *quæst.* 2. iam citata: *Sedebat Saul in Gabaa videns terræ suæ desolationem, & impotentiam suam, expectans si quando Deus misereretur. Deus autem videns afflictionem populi, dedit in corde Ionathæ, vt faceret hæc.* Hostilia castra à Ionatha Dei pulsu moto facilè euertuntur impetita, & insperata obtinetur victoria. Vt noueris nunquam tibi defuturam Dei prouidentiam, si absque legis iniuria, aut solicitæ actuositatis querela omne humanum desit auxilium, nec sperari possit remedium.

§. V.

Quò plus inimicorum adurgèt arma, tutiora perquiri debent profugia.

PRudentiæ nihil minus est cauere (aiebat Cassiodorus 3. *variarum* 48.) *etiam quæ non putantur emergere.* Quod si quæ non putantur emergere, debent præcaueri, maiori studio, quæ videntur appetere, debent vitari. Adnectit Cassiodorus : *Mergi, quibus nomen est ex facto, cohabitatores piscium, aquatiles volucres, futuras tempestates naturaliter præuidentes, sicca petunt, magna derelinquunt. Delphini fluctus pelagi metuentes, tutissimis littoribus immorantur.* Pro periculi vrgentia debet cautela inuigilare solicita, & quidem perire vult, qui acri dæmonis tentatione impetitus ad tuta non confugit studiosus. Non otiosè refertur Saül ad Magron inuolare, cùm tot Philisthinorum agminibus constabat premi : *Morabatur in extrema parte Gabaa sub malogranato, quæ erat in Magron.* Hostis copioso armabatur exercitu, & curruum ingenti numero; Saül fœcentis tantum militibus stipatus : ergo elegit tutum castrum, quod hostium audaciam frangeret, aut adsultus impediret. Notauit noster Sanctius : *Locus ille munitissimus erat.* Prudenter ad munitissimum se contulit locum, quia nouerat graue imminere sibi periculum; & quidem sine excusatione periret, si cùm posset, munita adeò loca non teneret. Repetere posset datus Cassiodorus : *Castrum plenè in mundo singulare tenens claustra Prouinciæ; quod ideò probatur magis esse præcipuum, quia feris gentibus constat obiectum.* Ad Magron confugiens, dum solerti diligentia, & solicita cura saluti consulit, hostis audaciam eludit, & periret subactus, si sterteret negligens, & otiosus. Sponsus cautam Sponsæ commendauit vigilantiam, dum captis assimilauit non otiosè ignauis, sed de monte ad montem aligeris : *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Cant. 4. vers. 1.* In monte capræ pascebantur, sed quia nouerant voraces lupos insidiari, inuolarunt ad tutiora, vt frustrarentur pericula. Prodest Ambrosius in Collectis ad hunc locum: *Spectantur à pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt.* Dumosa petunt, & pericula effugiunt : ergo fidelis anima, quia nouit feros lupos, hoc est, dæmones insidias captiosas prætendere, solicitè procurauit ad tutissima munimina celeri gressu contendere. Qui tentationum agmine impetitur, ad austeritatis, ac ieiuniorum castra inuolare adnitatur, quia nulla erit superflua cautela, dum fera inimicorum satagit nocere malitia. Saül palmam obtinuit, quia ad loca tutissima properauit.

§. VI.

Qui cupit tentationes illudere, arma non deserat, & ad Christum simul accurrat.

DVm contra nos inimicorum spiritualium bella desudant, & competentibus tenemur armis muniri, & ad Christi Domini patrocinium anxiis conatibus inuolare. Salus periclitatur, si armis spiritualibus non munitur; nec satis est arma arripere, sed opus Dei auxilium continuis orationibus implorare. De Echinis sic Cassiodorus 3. *var.* 48. *Dum futuras tempestates agnouerint, loca mutare cupientes (quia illis pro leuitate corporis nandi nulla fiducia est) lapillos, quibus pares possint esse, complexi, quadam anchorarum ponderatione librati scopulos petunt, quos fluctibus vexandos esse non credant.* Echini propriam leuitatem lapillis suffulciunt, & suffulti ad scopulos inaccessos contendunt, quibus procellosos tempestatum fluctus euadunt : satis non esset ad scopulos contendere, si natando contingeret, ob leuitatem fluctibus vndosis perire. Satis non esset eis anchoris vti, si scopulis non satagerent immorari; aft dum coniungunt prouidè scopuli patrocinium, lapillorúmque fulcimentum, appetens frustrauere periculum. Quod & Saulem fecisse tradit Sacer Textus. Innumeris hostibus circundatus ad malogranati vmbram confugit, & milites secum habuit : *Porrò Saül morabatur in extrema parte Gabaa sub malogranato, quæ erat in Magron, & erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum.* Fortè satis non esset malogranati vmbra, si deponeret arma; fortè satis non essent arma, ni malogranato adhærens eius tegeretur vmbra; verùm dum armis munitus, & vmbra malogranati protectus periculum euasit, triumphúmque obtinuit. Adest Gregorius *lib. 5. in Reg. cap. 14. Sub malogranata Rex residet, quia in vmbra redemptoris requiem habet.* Christus vsus patrocinio, & armorum etiam suffragio hostes prostrauit, & triumphum tulit. Solent libidinis æstu impetiti ad Christum confugere, sed pœnitentiæ, & afflictationis corporis oblitiscuntur & quia non tractant arma, aliquando misera vincuntur ruina. Alij ad hæc arma solent recurrere, sed non crebrò cœlestia auxilia implorare; cùm oporteat vtrumque coniungere, sub vmbra scilicet malogranati immorari, & armis spiritualibus communiri, si obtinenda victoria, aut sunt propulsanda pericula.

TEXTVS.

VERS. III. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli Sacerdote Domini in Silo, portabat Ephod. Sed & populus ignorabat quò isset Jonathas.

§. VII.

Principibus Martiali in campo prodest Dei servus vt militum audacia frænetur, & rerum ambiguitas depellatur.

NIhil optabilius Principi, quàm morati, disertique hominis familiaritas, quâ & læta augentur, & tristia sæpè molliuntur. Plura sunt confusis ambagibus obscurata, quæ lucem requirant sapientiæ, & solatium desiderent disciplinæ. *O te beatum* (aiebat Plinius minor, *lib. 8. epist. 13.*) *cui contingit vnum, atque idem optimum, & coniunctissimum exemplar : qui denique eum potissimum imitandum habes, cui natura esse te*

simillimum voluit. Felicitas sit virtutum, & sapientiæ sortiri speculum, vbi quid fugiendum, & quid agnoscere possis sectandum. Adnectit *epist.* 14. *Cogimur quædam facere, antequàm nosse. Erat autem antiquitus institutum, vt à majoribus natu non auribus modò verùm etiam oculis discereremus, quæ facienda, mox ipsi, ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Indè adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, vt imperare parendo, duces agere, dum sequuntur, assuescerent. Indè honores petituri adsistebant curiæ foribus, & consilij publici spectatores, ante quàm consortes erant.* Qui honores petituri, & regendis populis adsignandi seniorum auidis auribus suscipiebant consilia, & obseruabant studiosè exempla. Quod licet vbique vtile, in Martiali campo invenitur necessarium, vt militum insolentia modestorum aspectu componi, & in dubiis, subitisque accidentibus consilium à sapiente possit requiri. Hinc est quod Saül, etsi nudus legatur armis, studuerit optimis non carere consiliis: *Erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. Et Achiæ filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli Sacerdote Domini in Silò, portabat ephod.* Non erat ephod portare ad certamina otiosum, nec Saüli erat exiguum lucrum; quandoquidem per Achiam in rebus implexis quærebatur consilium, & militibus morum exhibebatur exemplum. *Portabat Ephod* (inquit Abulensis *quæst.* 2.) *quia infrà dicitur, quòd consuluit Dominum. Sacerdotes autem magni non poterant consulere Dominum nisi in ephod, scilicet portando ephod, & rationale in pectore suo.* Habere curauit Saül secum virum, à quo & consilium petere, & oraculum posset inquirere, suisque factis ostendit Principibus, ducibúsque curandum inter exercituales strepitus eos viros habere, quos in dubiis consulere, & futuris possint periculis obuiare. Iam tres Reges de salute quodammodo desperarant, & ardenti siti adusti peribant: opus erat ab inceptis desistere, & terga indecorè vertere, ni Martiali in campo Elisæum habuissent, qui promisit aquam, & victoriam: *Alveus iste replebitur aquis, & bibetis, vos, & familiæ vestræ, & iumenta vestra. Parúmque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras. 4. Reg. 3. vers.* 17. Ni Martiali in campo fuisset Elisæus, nec facienda tunc scirent, nec futura prænoscerent; at aperuerunt eius consilio fossas, & de hostibus tulere prædas. Tantùm iuvat moratum, sapientémque secum ducere, & in exercitu habere. Prodest Lira: *Et ait Iosaphat: Estne hic Prapheta Domini, vt deprecemur Dominum per eum, tanquam per familiarem sibi, & amicum ad supplendum nostrum defectum?* In rebus adeò afflictis, perplexisque per Elisæum lux lux illis affuit, & victoria etiam arrisit.

TEXTVS.

VERS. IV. & V. Erant autem inter ascensus per quos nitebatur Jonathas transire ad statationem Philisthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc indè prærupti, nomen vni Boses, & nomen alteri Sene. Unus scopulus prominens ad aquilonem ex aduerso Machmas; & alter ad meridiem contra Gabaa.

§. VIII.

Nil adeò est tutum, quod hostili audaciæ non pateat, si ignavia, & inertia dormiat.

NOn semel locorum securitas, dum solicitum abegit timorem, attulit inopinam stragem. Cæso per Lybicas Syrtes duxit exercitum, & dum semilites existimauere securos Syrtibus cincti armis hostilibus ingemuerunt subiugati. Vincitur locorum arduitas aliquando audaci temeritate, & pertinaci labore. Iuvat locorum densis aggeribus communiri, sed ni solicita semper inuigilarit solertia, & solers otium discusserit vigilantia, hostili audaciæ patebit via *Si mentior* (aiebat Ennodius in Panegyrico) *vnquam dispositis tuis impedimentum exhibuit ardor, aut frigus, si timore gurgitum, si bibendi necessitate constrictus es, si Alpium juga conuexi poli sublimitate sociata cursibus tuis attulere tarditatem. Nescierunt resistere quos deuictis locorum munitionibus inueniſti. Quin, securos faciunt, interrupta, quos protegunt, & laxatis in otio animis vivunt, quæ tutiora possident. Aduersus te nec campestris habitatio pares protulit, nec quos amplexa sunt in via nisi exiturus supplices, à depradatione subduxit.* Securos, quos amplectebantur, reddiderant populo vicina, & nullis vestigiis pervia, & tamen Theodericus felici temeritate deuicit, & audaci felicitate subegit. Nec aliter Ionathæ accidit. Philisthæi nil sibi metuebant ab hoste vicino, quia præruptis scopulis muniti, & saxeis aggeribus tecti, & tamen quod prorsus inaccessum, & pollis videbatur vicinum, à Ionatha superatum est; nec solùm sibi aperuit viam, sed obtinuit contra securos victoriam: *Erant inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad statationem Philisthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc indè prærupti.* Per præruptos scopulos Ionathas ascendere adnititur, & assequitur dúmque hostes sibi persuaserunt opus non esse solicitis armis, quando arduis adeò defendebantur scopulis, inopinam passi ingemuerunt stragem, & extremam tulere perniciem. Adest noster Sanctius: *Præruptum, aut inclum salebris, id satis putant natura sua habere præsidij, neque opus esse siue ab hominibus, siue ab aggere, & vallo munimentum opponere: quæ res, vt ex antiquis, atque etiam recentibus constat annalibus, fraudi multis, & exitio fuit.* Adnectit: *Per acuta saxa, scopulosque praruptos eruperunt aliquando strenui, atque audaces homines, & incautos homines oppresserunt. Hoc igitur consilium inuenit Ionathas, qui cùm non posset tutò Philisthinorum agmen adoriri, locum elegit scopulosum, & arduum, qui existimabatur nulli pervius fore mortalium.* Per iter nulli ad speciem mortalium pervium Ionathas ascendit, & de incautis inimicis triumphauit. Vt nouetis, nihil adeò esse tutum, vt possit dormitare vigilantia, & remittere habenas solertia. Iam si historiam, ad mores transferas, inuenies, veternosum serpentem aditum sibi quæsisse ad subiugandos antris degentes, solitudinibus exerrantes, & omnis ad speciem periculi immunes; quia nonnulli locorum arduitate nimis confisi, ingemuerunt hostili astutitia prostrati. *Contingebat* (addit Abulensis *quæst.* 2.) *vt custodes minorem haberent solicitudinem castrorum, quia natura locus ille omnibus videbatur esse munitus.* Dum loci munimine plus justo fidunt, ignaui perunt.

§. IX.

Qui de vitiis exambit triumphos, nec allici micantibus rosis, nec horridis terreri debet spinis.

NOn potest animus sui iuris esse, ni, quoquo habitu venerit, fortunam rationi subjiciat. Qui voluptate allicitur, enervatur; qui paupertate nimis affligitur, deterretur: nec liber, nec tutus esse quibit, qui in alio, præter virtutem, veram felicitatem consistere existimat. Deum corde tuo infiges, si tibi suadeas ex virtute nunquam oriri veram infelicitatem, neque solidam fortunam ex vitiis. *Quomodo hic potest Deo parere* (scribit Seneca de vita beata, *cap.* 15.) *& quidquid euenit, bono animo excipere, nec de fato queri casuum suorum benignus interpres, si ad voluptatum, diuitiarumque punctiunculas concutitur? Sed nec patria quidem bonus tutor, aut vindex, est nec amicorum propugnator, si ad voluptates vergit.* Omnia despiciat honestè superbus, & laudabiliter obstinatus; qui exambit triumphos, eodem vultu adspiciat gratas voluptatum fallacias, & horridas calamitatum spinas. Ionathas triumphis coronatur, dum semitam, qua ad hostes ascendat, sibi facit, nec ad vllum ex præruptis scopulis propiùs accedit: *Scopuli hinc inde prærupti.* Scopulorum nomina Textus expressit, & viam ad de hostibus victoriam reportandam edocuit: *Nomen uni Boses, & nomen alteri Sene.* Noster Sanctius nomina interpretatus, ait scopulum alterum Boses appellatum, quia aspectu erat speciosus, & fragrantibus floribus redimitus; alterum Sene, quia cruentis sentibus horridus, & veluti spiculis cinctus: ergò dum Ionathas nec suaui rosarum fragrantia allicitur, nec horrida sentium asperitate deterretur, spoliis hostilibus coronatur. Accipe nostrum Sanctium: *Erat opinor, scopulorum alter speciosus propter flores, quos aut habebat, quo tempore hæc gesta sunt, aut habuit olim, quorum causa nomen illi inditum est. Boses enim Hebraicè idem valet, quod flos in eo. Alter fortasse cinctus erat rubis sicut mons Sinai, & ideò dicebatur Sene, Sene enim rubum significat.* Clivum illum tot difficultatibus impeditum, tot impedimentis septum Ionathas accerrima constantia fregit, & dum ad nullum scopulorum declinauit, mirandam de hoste sæculis victoriam tulit. Aoth strenuus contra hostes bellator, & suorum libertatis inuenitur assertor, dum vtraque manu pro dextera est vsus, Eglone occiso triumphis resplenduit celeberrimis coronatus: *Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aoth filium Gera filij Iemini, qui vtraque manu pro dextera vtebatur. Iudic.* 3. *vers.* 15. Cassianus in Allegor. Tilmani ait, eum vtraque manu pro dextera vti, qui nec prosperis tumidè effertur, nec aduersis ignauè frangitur. Ipsum audi: *Vtraque manu pro dextera vtitur, quia nec aduersis frangitur, nec prosperis elenatur.* Triumphum reportauit, & infame iugum excussit Aoth, dum aduersis non frangitur, nec prosperis superbè effertur, suis factis edocens, si in prosperis luceat modestia, & in aduersis constantia, obtineri de animæ aduersariis victoriam, & vigere semper famam.

§. X.

Non minus ad reportandum de vitiis triumphum solent impedire prospera, quàm aduersa.

DVra, asperáque, dum constantiam enervant, erroribus viam parant, dum inflant prospera, prudentiam etiam debilitant. Non minus virtutis studiosis cauendum est à fortuna trunci, quàm florenti. Annibal deliciis resolutus est, & qui immanium hostiũ domitor gloriam comparauit, felicitate emollitus amisit. Cato prudentiæ, & grauitatis exemplar aduersæ fortunæ cessit, & illata sibi morte expirauit. Quidquid nimiũ periculosum est, ni aliud æstimates nauem inflatis prospero vento velis in scopulos illidi, aliud procelloso turbine absorberi. Audi Senecam de vita Beata, *cap.* 14. *Inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deseruntur ab illa, miseriores, si obruuntur: sicut deprehensi in mari syrtico, modò in sicco relinquuntur, modò torrente vnda fluctuantur.* Qui syrticum nauigant, non minus periculum subeunt vnda rapida iactati, quàm arenæ siccitate detenti. Huius veritatis non ignari Philisthæi, vt Israelitarum triumphos impedirent, castra inter duos scopulos collocarunt, quorum alter rosis amœnus, & alter sentibus horridus: *Nomen vni Boses, & nomen alteri Sene.* Consultius videbatur locum eligere syrtibus, ac salebris impeditum, quàm purpureis rosis amœnum. Cur ergo Philisthæi dæmonum imagines non minus Boses, quàm Sene se tuentur, & Israelitarum conatus debilitare adnituntur? Quia scopulorum alter Boses fragranti venustate alliciebat, & alter Sene horrida spina avocabat; nec enim Philisthæis à rosis minus subsidium, quàm ab spinis. *Erat, opinor* (inquit noster Sanctius) *scopulorum alter speciosus propter flores ... alter fortasse cinctus erat rubis.* Opportunus ad impediendum gressum scopulus erat tribulis obarmatus, & sentibus acutissimis communitus; verùm ab scopuli nomine, & studio videtur distare Boses, quem constat grata amœnitate florere; nec enim arcebit gressum, sed odoriferis floribus suadebit volatum, & tamen Philisthæus non minus munitur vno, quàm altero. Ecqua huius causa est? Quia frequenter magis impediunt flores, quàm sentes Boses venustate detinebat, Sene dolore fugabat; nec minus erant pro hostibus fortunata, quàm infelicia: sunt namque pauci, qui aduersus iratam fortunam immobilli in statione perstent constantia; vt etiam rari, qui circumfusi prosperitatibus vtantur modestia. *Evenit hoc* (aiebat datus Seneca) *nimia intemperantia, & amore caco rei.* In florenti fortuna viuimus intemperanter, in adversa impatienter; inter prospera efferimur tumidi, inter aduersa dejicimur exanimati. Bis lego Nabuchodonosorem à ratione desciuisse, & cum brutis ingenium quodammodo cõmutasse. Victoriis insolens, & fortunæ torrente elatus aquilæ ingenium induit, & rapacitatem exercuit: *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis, & varietate venit ad Libanũ, & tulit medullam cedri.* Ezech. 17. *vers.* 3. Nabuchodonosorem describi ab Ezechiële sub aquilæ ænigmate tradit Theoderetus *sect.* 6. in Ezech. *Nabuchodonosor innuitur magnis aliis præditus, quia maximè regnum dilatauit longum extensione, & superbum, & arrogantem, & plenum vngium ipsum vocauit.* Vides nimia felicitate vtentem aquilæ adinstar intumuisse; verte oculos ad Dan. 4. videbisque calamitate pressum in rudem, & tardigradum bonem degenerasse: *Fœnum vt bos comedit.* Dan. 4. *vers.* 30. In vna, & altera fortuna vitiis plurimis inseruiuit, & à ratione discessit; nam ab hominibus defectus adinstar bouis desipuit; floridus, & diuitiis onustus aquilina superbia super sidera inuolare tentauit. Coreius (inquit Lira) *ab humano commutetur, quia perdidit vsum rationis per amentiam, & sic factus est quasi bestia, quia vita hominis non differt à vita bestiali nisi per vsum rationis.* Rationis vsus finis prosperitate inflatis subiuit naufragium, & Numinis ambiuit cultum calamitatis tempestate iactatus bouis adinstar comedit fœnum. Vt noueris virtutem, rationémque non minus periclitari, dum prosperitatis torrente obruitur, & dum calamitatum voluminibus naufragatur. Ergo Philisthæi dæmonum ænigmata adæque contra homines Boses muniuntur, & Sene; id est, purpureis, & fragrantibus rosis, & horridis, ac senticosis spinis.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. VI. Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni transeamus ad stationem incircuncisorum horum, si fortè faciat Dominus pro nobis, quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis.

§. XI.

Inter subiectos, & superiorem honesta concordia, est adversariorum ruina.

NOn est potiùs quòd felicitatem promoueat, & aduersarios deterreat, quàm inter subiectos, & superiorem votiua, & fixa concordia. Pax infaustum dæmoni bellum; nam dum concordiæ, charitatísque vinculo vel exiguus obarmatur, iam dæmon exitium imminere sibi veretur. *Ostenditis* (aiebat Cassiod. 10. *variar.* 23.) *vos diligere quidquid ad iustitiam cognoscitur pertinere: quando per diuinam prouidentiam omni suspicione detersa desiderabilis potest vnanimitas permanere.* Vnanimitas virtutes corroborat, arma contra hostes ministrat, & dum nulla perstrepunt inter subiectum, & superiorem dissidia, dura in dæmonem torquentur tela. Vndè Tertullianus Martyres ad dæmonum technas superandas, & reportandas victorias instruens, sic *lib.* ad Martyras, *cap.* 1. aiebat: *Inueniat munitos, & concordia armatos, quia pax vestra bellum est illi.* Concordia est enorme dæmonis fascinum, & virium eius excidium. Hinc est, quòd Ionathas copiosa hostium castra impeturus, concordiâ se studuit communiri, cuius armis non vanè præsumpsit feliciter detriumphare: *Veni, & transeamus.* Exiguum satis erat vnus armiger pro euertendis castris auxilium, si spectes robur corporis; erat tamen magnum suffragium, si vires spectaueris vnitatis. Innuit Abulensis *quæst.* 2. *Hic ponuntur verba Ionathæ ad armigerum suadentis ei secum ire.* Adnectit: *Ne solus esset.* Si solus iret, vnitatis, & concordiæ carebat armatura; si associatus, iam armabatur concordia: ergo suis factis edocuit, quàm sit dæmonibus exitialis vnanimitas, & quæ nisi inter duos, efflorere non potest charitas. Deus Moysem contra Ægyptios missurus virga fonte miraculorum perrenni obarmat: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. Exod.* 4. *vers.* 17. Moyses de signis non dubius, sed ad nostram eruditionem prouidè inoculatus linguæ opponit tarditatem, objicit Pharaonis duritiam, Israëlitarúmque diffidentiam; Deus reuerenter obluctantem sustinuit, & Aaronem ei Prophetam dedit: *Aaron frater tuus Leuites scio, quòd eloquens sit: ecce ipse egredietur in occursum tuum. Exod.* 4. *vers.* 14. Iam Moyses nihil opponit, sed triumphos adepturus contendit. Quòd si inquiras, cur virga elementis imperanti reluctetur armatus, & Aarone non reluctetur ad Pharaoni bellum inferendum coniunctus? Respondeo non minus fisum concordiæ, vnanimitatísque armis, quàm mirandis virgæ prodigiis vt qui nouerat contra dæmones in Ægyptiis adumbratos quàm sit exitialis concordia, & animorum vnanimitas inconcussa. Innuit Oleaster ad 4. ad mores. *Non acquieuit sanctus vir Deo, quousque ei socium in legatione daret.* Concordiæ, vnanimitatísque armis non dubitauit hostes quantumvis innumeros deterendos, qui miraculis non adeò citò sperabat subiugandos. Vt hinc conjicias concordiæ efficaciam, & vnanimitatis valentiam.

§. XII.

Aliqua sanctorum facta non tam proponuntur sequenda, quàm demiranda.

PLura virtutum heroes speciali Dei pulsu moti, aut cœlesti reuelatione illustrati tentarunt, & perfecerunt, quæ naturæ limites excedere, & humanæ prudentiæ videntur leges superare. Per huiusmodi eximios virtutibus adornatos suam Deus omnipotentiam ostendit, & admirationem prodigiosis actionibus excitauit. Iam si quis horum sequatur vestigia, errabit indiscretus, & incurret periculum v[illegible]us *Herculi æquabatur* (scribit de Alexandro Sene[illegible] *c.* 1. *de Benef. c.* 13.) *quid enim illi simile habebat vesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit, orbem terrarum transiuit non concupiscendo, sed vindicando.* Hercules apud antiquos miranda peregit, quia malorum hostis, bonorum vindex, terrarum, marisque pacator. Ergo dum Alexander eadem aggreditur, non eadem virtute præditus sibi inuidiam concitauit temerarius, & ambitiosus: *Pro virtute erat temeritas.* In via à leone Prophetes prostratus est: *Inuenit eum leo in via, & occidit.* 3. *Reg.* 13. *vers.* 24. In via Samson dilacerauit leonem: *Irruit autem spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem. Iudic.* 14. *vers.* 6. Inquires, cur vir Dei iacuerit occisus, cùm Samson resplenderit peregrino triumpho nobilitatus? Si vtrique occurrit leo, cur vterque leonem non dilacerat, aut cur leo de vtroque non triumphat? Iam discrimen assignauit Scriptura, dum Samsonem retulit speciali spiritus ardore pulsum, & agitatum. Notauit Lira: *Dicitur hic, quòd irruit in eum spiritus Domini, id est motus illius fortitudinis.* Si Samson in leonem irrueret speciali Spiritus sancti pulsu non armatus, absque dubio iaceret occisus, & esset damnanda temeritatis audacia, quæ decantanda sæculis fuit victoria. Non omnibus datum est limites prudentiæ supergredi, & periculis ingentibus obviare. Qui speciali Dei impulsu ardua aggrediuntur, specialibus etiam auxiliis iuuantur; qui verò cæco ausu prudentiæ limites sunt transgressi, iacuerunt miserè ab hoste prostrati. Ionathas rem tentauit vltra humanas vires, confertissimos scilicet hostium cuneos aggressi vnico armigero associatus, & tamen obtinuit triumphum, quia cœlestem sequutus est motum: *Veni, transeamus ad stationem incircuncisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis, quia non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis.* Facinus adeò arduum fuisse aggressum cœlesti reuelatione obarmatum, aut Dei pulsu speciali motum, tradit Caietanus, additque sacris litteris referri, vt lector Dei demiretur potentiam, non vt similem adeat pugnam: nam quod Ionathæ triumphus, absque impulsu alius miserrimus esset casus: *Magna fiducia, sed non imitanda: eventus siquidem testatur diuinitus fuisse inspiratam.* Diuinitus inspiratus triumphauit, sine speciali inspiratione periret.

TEXTVS.

TEXTVS.

Vers. VII. Dixitque ei armiger suus : Fac omnia, quæ placent animo tuo : perge quò cupis, & ero tecum vbicumque volueris.

§. XIII.

Superbire non debet, qui magna aggreditur amore divino impulsus, cùm aggrediatur similia humanis affectionibus prolectatus.

ACerrima virtus magna aggreditur, & cœlestibus suffulta auxiliis euentibus felicissimis coronatur; verum licèt perfecerit magna, sibi non plaudet; si annales evolverit, & quanta volaticæ gloriæ ardor, & & humanus amor tentauerint, diligenter inspexerit. Tres illi pueri fornacem horrendum resonantem intrare non verentur, vt religionem tueantur: *Ambulabant in medio flammæ.* Dan. 3. *vers.* 24. Grande profectò spectaculum, & sæculis decantandum trophæum! Verum quod illis virtus suasit, ab aliis obtinuit gloriæ ardor, aut temeritatis furor. Audi Tertullianum ad Martyras, *cap.* 4. *Asdrubalis vxor, quæ jam ardente Carthagine, ne maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium patriæ devolavit.* Sic amor humanus intus exarsit, vt flammas despiceret; sic insaniuit superba, vt antè quàm victori subjici, anhelantibus flammis maluerit tradi. Isaias etiam, vt culpam detergeret, cauterium sustinuit, sed & Mutius fluentem inter ignes manum oculis immotis adspexit. *Mutius* (Tertullianum audis) *manum suam dexteram in ara cremauit, vt hoc factum eius fama haberet.* Adnectit: *Tanti vitrum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare quantum alij pro falso?* Stupendum videtur facinus Ionatham à Deo motum in confertissimos hostium cuneos irrumpere, vitámque exponere, sed ne superbiret, non dissimile exemplum ad manum habuit: nam armiger, vt Ionathæ eluctaretur beneuolentiam, contempsit vitam: *Perge quò cupis, & ero tecum vbicumque volueris.* Quod Ionathas aggrediebatur cœlesti tenelatione inflammatus aggressus est etiam armiger affectione humana illectus. Audi Abulensem *quæst.* 2: *Animosus iuvenis erat iste, qui non formidabat totam aciem Philisthinorum, cum non immutatus fuisset ipse à Deo, sed solus Ionathas. Ex amore tamen nimio faciebat diligebat tamen Ionatham sicut animum suum.* Ionathas per scopulos præruptos reptando incessit, vt placeret Numini, sed idem fecit armiger, vt placeret magnati. Ionathas exposuit vitam, vt Deo præstaret obsequium, armiger etiam, vt hero exhiberet officium. Ionathas impetuit hostes à Deo motus, armiger Ionathæ amore inflammatus. Ergo sibi non debent adulari, qui ob honestatem & speciali Numinis fauore ardua vicerunt, quandoquidem non dissimilia ob humanam gloriam alij tentarunt.

§. XIV.

Verus amor difficultates emollit, & ipsam vitam contemnit.

DIdo, ne in Sponsi amore refriguisse videretur, vitam exposuit, maluitque amori consulere, quàm saluti. *Fœminæ quoque* (inquit Tertullianus ad Martyras, *cap.* 4.) *contempserint ignes; Dido cùm post virum dilectissimum nubere cogeretur.* Ne amor erga Æneam refriguisse videretur, secundas nuptias respuit, & ne cogeretur, ardentem rogum intrauit. Amor sui juris est cæteris affectionibus imperans, leuigat aspera, emollit dura, mellit amara. *Amicitia* (aiebat Cassiodorus in Prolog. ad lib. de Amicitia) *in se solida est, & in omnibus amici necessitatibus adest, compassionem, & tolerantiam secum quadrant.* Qui nouit diligere, didicit etiam patientiam, contempsit vitam. Ionathas vera erga Dauidem charitate flagrans sceptris renuntiat, mavult regia carere purpura, quàm dulci, & vera amicitia. Ionatham imitatus est eius armiger, dùm non recusat per inaccessos scopulos reptare, & vitam periculo exponere: *Ero tecum vbicumque volueris.* Nil expauet, nil recusat. Iam si inquiras, cur saluti, vitæque non prospexerit, sed expromptum se ad omnia incunctanter obtulerit: respondebit Abulensis *quæst.* 2. tenerè amasse Ionatham, ob idque mortem cum ipso subire dulcius illi fore, quàm ab illo separari. *Gratissimum erat sibi cum quocumque eum comitari, etiam in morte certissima est: enim dilectio fortior omni passione, ipsamque mortem contemnit.* Vitæ pretio laudem armiger emebat amantis, & elogium tenerè diligentis. Non amat, qui periculis deterretur, qui laboribus frangitur, qui propriæ vtilitati adulatur, aut ambitioni blanditur. Quædam anima ardentissimis amoris flammis exæstuans sponso aiebat: *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Cant.* 1. *vers.* 3. Non quæsiuit quò trahenda foret, sed deseri timuit: non elegit locum, non recusauit periculum, quia solùm anhelabat sponsum dilectissimũ comitari siue duceretur per fragrantes rosas, siue per cruentas spinas, quia plusquam viuere discupiebat dilectissimo sibi placere. *Vt significet* (inquit noster Delrius in littera) *paratam se non tantum per blanditias duci, sed etiam per aspera, & mascula probationum exempla raptari.* Etsi ducatur ad crucem, ibit ne dilectum deseruerit, quia amoris tormentum, & quidem durissimum est à dilecto disjungi, voluptas iucundissima vel in morte comitari: *Dilectio fortior omni passione ipsam mortem contemnit.* Gratissimum est amanti prolixos ob dilectum labores sustinere cruciatus duros subire, & tandem vitam exponere.

TEXTVS.

Vers. VIII. IX. & X. Ecce nos transimus ad viros istos. Cúmque aperuerimus eis, si taliter loquuti fuerint ad nos. Manete, donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint: Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eis Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum.

§. XV.

Ità superior cum subiectis agat, vt omnem erga se iniquæ suspicionis occasionem præcidat.

TV quidem ita viue (aiebat Seneca *epist.* 3.) *vt nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis.* Adeò cor hominis abstrusum est, vt quem putabas tibi fidelissimum, experiaris aliquando contrarium. Ita viuendum est, vt omnibus fidas, ita fidendum, vt caueas. Pro affectuum varietate demutantur iudicia, pro temporum diuersitate diuersa inueniuntur corda. Sic age, vt æmuli non timeas odium; sic caue, vt amici non desideres suffragium. Disertè Seneca *epist.* 3. *Tu quidem ita viue, vt nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis. Sed quia interueniunt quædam, quæ consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce.* Cum amico omnia sine timore communicanda; nam si fidelem putaueris,

facies ; si aliter suspectum, reddes : verùm ita tibi viuendum est, vt si amicus sibi non constet, nil prodere queat, nisi quod eius infidelitatem arguat, non quòd in tuum dedecus vergat. Et quod de amicis dico, potiori iure ad subiectos extende. Sic cum eis, & coram eis viue, vt nec fauore indigeas, nec malevolentiam expaueas. Ionathas armigero vtebatur sibi fidelissimo ; verùm hostes aggressurus signa posuit, pro quorum diuersitate aut demutarent sententiam, aut nutrirent ad decertandum audaciam : *Hoc erit nobis signum.* Inquires cur tacitus ea signa sibi non decreuerit, sed armigero declararit ? Si armiger firmo animo eius sequi vestigia decreuerat, comitari paratus siue hostes impetat, siue ab hostibus recedat, cur secum accessus recessúsve signum tacitus non statuat, sed armigero etiam promat ? quandoquidem, vt sequeretur, manifestare signum videbatur otiosum, immò, inquit Abulensis *q.* 3. fuit prudenti cautelæ consentaneum: nam si accedendi, recedendique manifesta armigero non essent signa, sed Ionathæ solùm nota, posset armiger recessum animi leuitati adscribere, aut timori ignauo applicare : ergo accessus, recessúsvè opportunum præmisit signum, vt omnis suspicionis frænaret ausum : voluit, ne armiger accessum tribueret temeritati, aut adscriberet recessum timori: ergo sibi prouidenter cauit, & iniquam suspicionis occasionem præcidit. Accipe Abulensem: *Exposuit Ionathas signum ad tollendum ruborem: nam, veniente eo ad Philisthinos, si dicerent: Manete, donec transeamus ad vos : Ionathas non erat ascensurus; putaret autem armiger, quòd hoc faciebat præ timore, desistens à claro facinore incepto, ideò eum despiceret.* Si Ionathas ob signum sibi à Deo inspiratum, sed armigero ignotum recederet, fors armiger, quamvis Ionathæ studiosissimus fugillaret animi leuitatem, & sibi persuaderet terga vertisse ob ignavum hostium timorem : ergo noluit Ionathas manere fauori, aut malignitati obnoxius, sed omnem suspicionis occasionem effugit cautus. Adnectit Abulensis : *Abstulit autem Ionathas istud opprobrium prænuntians ei signum, nam tunc dato quòd ueniret Ionatham non ascendere ad castra Philisthinorum, armiger non putaret hoc factum ex timore, sed propter signum datum.* Si Ionathas ob signum armigero ignotum sententiam demutaret, obnoxius manebat censuræ ; si anteà aperiret signum occasionem suspicandi auferebat audaciæ : ergo vsus est prudenti cautela, ne vel sui studiosi indigeret interpretatione benigna ; suis nos factis edocens, etiam cum amicis, ac subiectis ita viuendum, ac si demutandi fuerint in aduersarios, ac æmulos. Mihi crede : Nulla est superflua cautela, quia est hominum audacissima malitia, & suspicax semper audacia.

§. XVI.

Superior non solùm ad virtutem debet præcedere, sed sequentium subiectorum constantiam prouidenti cautela præmunire, & contra pericula armare.

PRinceps, superiórque optimis debet subiectos exemplis informare, & prælucentibus virtutibus anteire. *Post te* (aiebat quædam anima) *curremus. Cant. 1. vers. 3.* Post superiorem currit, qui lenta aliter ambularet. Verùm quia contra superioris exempla aliqua solent sequentibus obuiare pericula, opus est præcauere, ne timor exterreat, & periculum arceat. *Prudentia* (aiebat Cassiodorus 3. *variarum* 46.) *nihilominus est cauere, etiam quæ non putantur emergere.* Cautela tractanda est semper in otio, quia tunc malè quæritur, quando necessaria iudicatur. Ionathas, qui interpretatur donum columbæ, optima fuit superiorum idea. Dei hostes aggressurus præcessit armigerum, & licet viderit audacia constanti armatum, inspiratum sibi à Deo ante congressum prodidit signum : *Si dixerint : Ascendite ad nos : ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum.* Ille sequentis constantiam armarit intrepidè præcedens, manifestasse verò sibi à Deo inspiratum signum, videri potuit otiosum. Nam armiger signi etiam ignaro superioris, Principisque sibi dilectissimi vestigiis insistet, vt qui virili constantia armatus comitari promiserit, & periculum animosè despexerit : *Ero tecum vbicumque volueris.* Ergo Ionathas de signo taceat, & exemplo præcedat. O laùdandam, & imitandam prudentiam ! Humana corda frequenti instabilitate mutantur, & qui exambire videbantur bellum, fugiunt aduersarium : ergo, ne armiger visis aduersariorum agminibus terreretur, & debilitata constantia verteret hostibus terga, signum exposuit, vt præmuniret constantiam, & obarmaret valentiam. Prodest Abulensi *quæst. 3. Poterat accidere, quod armiger videns multitudinem Philisthinorum, quamquam ante hoc animosus extiterit, terrore concuteretur, & nolet consistere ... Ne ergo hoc eueniret, confortauit eum Ionathas prius.* Si armiget futuræ ignoraret victoriæ signum, posset demutare propositum : ergo Ionathas prudenter eum signi præmuniuit notitia, ne posteà vacillaret constantia. Contentus non est exemplum præbere, sed studuit aduersus obstacula notitia prouida armigerum obarmare, sicque munita exemplo, & admonitione constantia, facilè est obtenta victoria. Vt hinc superiores ediscant exemplis præcedere, & emergentibus periculis obuiare.

§. XVII.

Plus aliquando nocet pravum socij exemplum quàm aduersariorum munitissimum armis castrum.

PRouerbium est : *Longum iter est per præcepta, breue, & efficax per exempla.* Facilius persuadetur autem exemplis, quam monitis. Nihil est tam pernicioso bonis moribus, quàm sibi nimium consulentis, ac commoda sectantis exemplum. *Inimica est* (aiebat Seneca *epist. 7.*) *multorum conuersatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.* Adnectit post pauca : *Vnum exemplum aut luxuriæ, aut auaritiæ multum mali facit : euictor delicatus paulatim enervat, & emollit : otiosa dies cupiditatem irritat : malignus comes quantumuis candido, & simplici rubiginem suam affricuit.* Natura ea se ad vitia proclivis prauis exemplis, si non præcipitur, impellitur. Minus aliquando nocet aduersarius contra virtutem armatus, quàm vitiis comes infectus hîc namque enervat constantiam, ille persuadet cautelam. Plus timuit Ionathas armigeri pravum exemplum, quàm hostium munitissimum castrum. Decreverat in hostes audacter irruere, armiger promissus comitari ; nihilominus inspiratum sibi à Deo furtim signum victoriæ patefecit, vt præcedente signo hostes à Deo iam traditos non timeret : *Si dixerint: Ascendite ad nos : Ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris : Hoc erit nobis signum.* Ac si dicat : Scio mihi à Deo hoc signum victoriæ reuelatum, si non videlicet hostes ad ascendendum prouocarint. Abulensis *quæst. 3.* ait, Ionatham prudenti timore armigero signum declarasse, & notitia præmuniisse, veritus, ne si terga verteret, eius constantiam labefactaret, & inimicis audaciam inderet. Accipe Abulensem : *Poterat accidere, quòd armiger videns multitudinem Philisthinorum, quamquam ante hoc animosus extiterit, terrore concuteretur, & nollet consistere : vndè perturbaret Ionatham*

Ionatham ab incepto opere effœminans animum eius fuga sua, vel hostibus audaciam subministrans contra Ionatham: ne ergo hoc eueniret, confortauit eum Ionathas prius, dicens: Si dixerint: Ascendite ad nos: Ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Benè Sed expendere libet, cur Ionathas debilitandam veretur constantiam armigeri fuga, qui adeò magna, & præmunita hostium non deterrebatur caterua? Si nouerat Deo difficilè non esse vel in multis, vel in paucis saluare, si à Deo indubium victoriæ acceperat signum, quid noceat pravum armigeri exemplum? Cedat armiger timori, arripiat fugam, tunc enim Ionathas inconcussam clarius ostentabit constantiam, & de hostibus gloriosiorem reportabit victoriam. O vtile nobis documentum! Veritus est, ne prauo socij infirmaretur exemplo, qui copioso interritus inimico, prudenti cautela edocuit, quàm sit vera Stoici doctrina, scilicet efficacissimum esse malum socij, aut conuictoris exemplum ad virile robur emolliendum, & animum demutandum: socij timuit exemplum, qui audacter copiosum aggressus est inimicum, vt prauos caueas socios & vitijs depranatos amicos.

§. XVIII.

Qui ad certamen prouocat, iam habet infelicitatis auspicium, & non dubium casus præsagium.

INueniuntur homines per otium sæui, & rixarum studiosi; sine causa alios prouocant ad certamina, & sine occasione commouent bella; aliorum vires despiciunt, irrisoriis verbis contemnunt, suæque audaciæ imprudenter plaudunt. Et quidem ipsa sine causa prouocatio est omen infaustum, & calamitatis exordium. Euripides aiebat apud Stobæum cap. 54. *Cum Dijs mouere hastam sapientes duces oportet; non autem præter ipsorum voluntatem: nullus in bello iniustus rediit incolumis.* Quisquis iniustam mouit rixam, sibi luctus quæsiuit cautam. Dauid puerulus à gigante prouocatus victoria floruit redimitus, ipsamque prouocationem triumphi habuit pignus, & dum vidit gigantem ostentate imprudenter audaciam, credidit se reportaturum victoriam. Sibi inuidet, qui sine occasione ad rixam impellit. Ionathas, vt hostes impeteret, aut desisteret hoc à Deo vt Interpretibus placet, accepit signum, videlicet si Philisthini audacter eum prouocarent, aut prudenter tacerent: *Si taliter loquuti fuerint ad nos: Manete, donec veniamus ad vos; stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint: Ascendite ad nos: Ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: Hoc erit nobis signum.* Timuit Ionathas, si non prouocatus, immò à Philisthæo, vt à certamine abstineret, admonitus rixam moueret, sibi periculum; si prouocaretur, promisit sibi trophæum: *Hoc erit nobis signum.* Ac si dicat: Si nos prouocarint, infausto omine bellum aggredientur; si verò certamen recusarint, non erit nobis faustum auspicium: ergo contra recusantes bella, ne irruamus in arma, ne nobis maturemus infortunia; nam sæpè, qui prouocat, cadit, & qui prouocatus decertat, vincit. Notauit Glossa: *Ionathas non nisi prouocatus ad hostes transit.* Noluit non prouocatus hostes impetere, prouocatus non recusat adoriri, vt ostenderet audacem, dum compellit, sibi inuidere, & compulsum detriumphare.

§. XIX.

Deuoti est à Deo aliquando signa exorare, superstitiosi, suo sibi arbitrio statuere.

ALiquando pij homines cœlesti pulsu ad ardua incitantur, & commouentur; cúmque sibi non fidant, & an ardor ille sit cœlestis prudenter ambigant, humillimis, ac deuotis precibus à Deo externa precantur signa, quibus iam certiores aggrediantur magnalia. Qui pro libito, imprudenterque vti faustum, infaustúmve obseruant auium volatum, & hoc, aut illud augurium, delirant, & sibi inuidentes errant: non est adhibenda fides vanis superstitionibus, nec superstitiosis innitendum est vanitatibus. Et quidem veternosus serpens animalium exta docuit consulere, vt homines arctiùs quiuerit illigare: *Misit illum in villam, vt pasceret porcos.* Luc. 15. *vers.* 15. Prodigus vitijs infectus adhæsit dæmoni, qui vt cæcis vinculis irretiret, ab ipsis, quos saginabat, porcis auscultare suasit oracula, & perquirere stultè responsa. Audi Chrysologum *serm. 5. Vt pasceret dæmones thure, victimis, sanguine falsarum responsionum, mercedem pro tali labore relaturus. Occidebatur pecus, vt quod viuum nihil scierat, diuinaret occisum, & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore proloquutum.* Delirans amentia animalium exta curiosis oculis examinabat vti futurorum certissima signa, & existimabat se inventurum veritatem, si cæcam amplecteretur superstitionem. Aliter Dei seruis contingit: Futurorum aliquando à Deo quærunt præsagia, sed vt temeritatis effugiant periculum, & opus adimpleuerint inspiratum Ionathas signum quærit: *Hoc erit nobis signum*, sed vt quem experiebatur certaminis ardorem; certiùs nosceret, an iuvenili audacia procreatum, an cœlesti munere infusum. Ita Iosephus apud Liram: *Dicit Iosephus, quòd Ionathas rogauit Dominum devotè, vt posset Philisthæos debellare, & Dominus concessit dans ei signum, scilicet quòd si Philisthæi videntes eum dicerent: Ascendite ad nos, quod Dominus per Ionatham, & armigerum suum debellaret eos.* Itaque Ionathas non superstitiosus, sed cautus ambiuit signum, vt qui nouerat plura ad speciem videri à Deo inspirata, quæ reuerà sunt deliria. Consonat noster Sanctius: *Cùm ipse non omninò haberet exploratum, an motus ille strenuus, & alacer esset à Deo, vel à iuuenili spiritu, qui non semper ratione, sed plerumque temeritate, laudis studio impotens abripitur; signum statuit, quo & diuinum agnoscat impulsum, & benè de audaci consilio sperare possit.* Incertus, an impulsus ille hostes adoriendi esset cœlestis, an iuvenilis, signum quæsiuit cautus, & impetrauit deuotus. Nam in rebus arduis, & implexis à Deo exorare deuotè signum, est prudentia, sibi eligere, demens insania.

TEXTVS.

VERS. XI. & XII. Apparuit igitur vterque statioui Philisthinorum, dixeruntque Philisthiim: En Hebræi egrediuntur de cauernis in quibus absconditi fuerant. Et loquuti sunt viri de statione ad Jonatham, & ad armigerum eius, dixeruntque: Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me. Tradidit enim Dominus eos in manus Israël.

§. XX.

Peccatores appetens periculum contemnunt, & se tunc securiores confidunt.

CÆcitati duæ facilè concurrunt species : oculus, quæ sunt, pestilenti humore non intuetur corruptus, & videre se existimat, quæ non sunt, errore periculosissimo depravatus. Dæmon animis tyrannicè à se possessis eiusmodi offundit caliginem, qua sic exerrant, vt se tunc arbitrentur tenere portum, cùm patiuntur naufragium. *Socratis vox est* (scribit Tertull. in Apologetico *cap.* 46.) *si dæmonium permittat. Idem & cum aliquid de veritate sapiebat, deos negans. Æsculapio tamen gallinaceum profecari iam in fine jubebat.* Socrates conficta à dæmone figmenta existimabat oracula, & tunc credebat sectari veritatem, cùm amplecteretur errorem. Deos negabat, & fidem dæmonibus adhibebat; nec videbat se falli, sed putabat erudiri. Æsculapio gallinaceum litabat promittens sibi salutem, nec appetentem videbat mortem. Nec aliter Philisthæis contigit : dum Ionatham, armigerúmque per scopulos reptare intuentur, irridentes prouocant, nec periculum proximum vident, sed se scopulis munitissimos reputant : *Locuti sunt viri de statione ad Ionatham, & armigerum eius, dixerúntque : Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem.* Verba hæc irrisoriè prolata putat Abulensis *quæst.* 8. quasi Philisthim securitati suæ plauderent. & Ionathæ studium prorsus deriderent : *Hoc potest intelligi irrisoriè.* Adnectit : *Iosephus autem dicit : Venite, ascendite ad nos, vt vos digne pro vestris præsumptionibus puniamus.* Iam à Deo in manus Ionathæ traditi erant : *Tradidit enim Dominus eos in manus Israel*, & distans adeò existimabant periculum, vt promitterent sibi laurum. Exoculatæ temeritatis arbitrabantur delirium, si Ionathas inferre tentaret bellum, quæ non erat, videbant securitatem, & quæ iam aderat, non adspiciebant perniciem. Ionathæ, armigerique manu, iacuerunt obtruncati, qui sibi videbantur extra periculum positi : sic namque peccatores solent obcæcari, vt intrasse se crediderint portum, etiam cùm patiuntur naufragium. Vt Philisthæi viderunt Samsonem nervosis, & nouis funibus illigatum, de victoria sibi plaudentes accelarunt gressum, & triumphum existimauere periculum : *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etan. Qui cùm venisset ad locum maxillæ, & Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit spiritus Domini in eum : & sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta; inventamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens interfecit in ea mille viros. Iudic.* 15. *vers.* 13. Vociferantes occurrunt, sibi iam de victoria plaudunt, sed cæci, obtruncatíque pereunt. Accipe Abulensem *quæst.* 26. *in* 15. Iudicum : *Nunc putabant plenam victoriam se habituros de illo, & ob hoc vociferabant in signum lætitiæ.* Lætitia versa est in luctum, & dum gradum accelerant ad palmam, inopinam sibi maturauere ruinam; sic namque desipiebant, vt luctuosam ruinam florulentam putarent palmam.

TEXTVS.

VERS. XIII. Ascendit autem Jonathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itaque alij cadebant ante Jonatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum.

§. XXI.

Arctam viam opus est ingredi, qui de vitiis triumphum discupit reportare.

NOn est quòd existimes vllam esse sine labore virtutem, sine sudore palmam, sine fatigatione victoriam. *Nitatur, obluctetur patientia* (aiebat Seneca de vita beata, *cap.* 25.) *fortitudo, perseuerantia, & quæcumque alia duris opposita virtus est, & fortunam subigit.* Fortunam subigit, & arripit palmam, qui viam patientiæ ingressus, & perseuerantia munitus, *Ascendam* (aiebat quædam anima) *in palmam, & apprehendam fructus eius.* Difficilis, & angustus ascensus sed in sublimi copiosus, & dulcis fructus : nec ad palmæ peruenitur altiora, ni per palmæ ascendatur angusta. Huc voco datum Senecam *epistola* 14. *Ascendere illò sola virtus potest : illius gradu clivus iste frangendus est : illa fortiter stabit, & quidquid euenerit feret, non patiens tantùm, sed etiam volens.* Ni cliui arduitas constanti gressu frangatur, victoria de aduersariis non obtinetur. Hinc est, quòd Ionathas, & eius armiger per angusta, prærupráque reptare non detrectarunt, cùm hostes prosternere decreuerunt : *Ascendit Ionathas manibus, & pedibus reptans.* Quid tunc ? *Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat.* Quod moribus adaptans Glossa sic ait : *Non per plana, sed ardua iter arripiunt, quia Sacerdotes hostibus contraire nequeunt, si non per arctam viam gradientes.* Adnectit : *Ad alta contemplationis toto animi nixu conscendunt.* Austera vita hostes in fugam vertit, & oratio palmam rapit. Ni Ionathas, eiusque armiger arduam, angustamque viam ingrederentur, hostes non prosternerent, nec famam sibi æternarent *In petris manet* (aiebat Iobus de aquila) *& in præruptis silicibus commoratur, atque in accessis rupibus : indè contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt.* In arduis commorata potitur præda, ad inaccessas rupes euolat, vt periculum omne effugiat. Iam in aquila spirituales virtus designari tradit Hugo Cardinalis ad hunc locum : *Nunquid aquila illa nidum in arduis non posuerat, qui dicebat Philip.* 3. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Paulus viam difficultatibus plenam ingressus dæmonibus exitit exitialis, hominibus vtilis, & dum in arduis posuit nidum glorioſum de veritatis hostibus accepit trophæum.

§. XXII.

Christum sequuti incedunt per ardua sed, sæculi celebranda coronantur etiam victoria.

VIdebis bonos viros paupertate premi, vulneribus scatere, acerbis aduri, malos lasciuire voluptatibus circumfusos, & diuitiis oneratos. Attende tamen viarum exitus, non solùm an via sit plana, aut cliuosa videndum est, sed dispiciendum, quò ducant, qualiter exeant. Iter ingressus liget viam ducentem ad terminum, quantumvis difficultatibus plenum, non deuantem, & in contrarium desituram, quantumvis alliciat plana, & hinc indè aquis præterfluentibus, & viretibus, plantis amœna : *Non erit illi planum iter* (aiebat Seneca

Seneca lib. de prouidentia, cap. 5. de virtutis alumno) *sursum oportet, ac deorsum eat, fluctuetur, ac nauigium in turbido regat: contra fortunam illi tenendus est cursus multa accident dura, aspera, sed quæ molliat, & complanet ipse. Ignis aurum probat, miseria fortes viros.* Vt artifex aurum flammis purgat, vt nitidius posteà splendeat: sic Deus, quos sibi parauit, tribulatione examinat, & si quid terrenum, eliquat. Ionatham armiger per ardua sequitur, sed finito itinere victoria potitur: *Alios armiger eius interficiebat sequens eum.* Ni eius vestigiis insisteret, victoria nullatenus præluceret; per ardua verò reptans, & tellurem corpore verrens, de hostibus accepit triumphum, & immortale sibi procudit elogium. *Per hoc autem* (inquit Glossa Moralis) *quòd Ionathas ascendit per scopulos ad destruendam Philisthinorum stationem, significatus est ascensus Christi in cruce per clauos, & sic, destruxit stationem dæmonum.* Vt Ionathas per scopulos armigerum duxit ad triumphum sic Christus eius assecias ducit ad plausum. Et expende in itinere laborasse, sed nullo labore palmam arripuisse: *Alij cadebant ante Ionatham.* Non desudauit certamine quia desudarat itinere, & fortasse armiger, ni constanter ardua vicisset itineris, angustia laboraret certaminis. O quot in mortis agone cum hoste manus conferentes ingemunt afflicti, quia in via nullo labore vexati. Armiger lætus vincit, quia diuexatus per vestigia Ionathæ incedit: ergo Deus suos per ardua ducit, vt molestiis certaminis liberarit.

§. XXIII.

Franciscus Christo Domino pro copioso est milite ad dæmones conterendos, & effugandos.

PArum iuvat copiosus discipulorum numerus ad magistri plausum, si rudis, & ineruditus, si quomodo viuendum sit, audiat, nec sciat. Vnicus etiam discipulus satis est ad magistri gloriam, si in eo viguerit semper doctrina. Plurimus miles duci erit oneri, si ad armorum strepitum stupeat, & terga vertat. Animosus comes, & audax satis erit ad hostes euertendos, & glorioſos triumphos reportandos. *In castris* (aiebat Seneca lib. de Prouidentia, cap. 4. *periculosa fortissimis imperantur. Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco deiciant.* Fortis, & strenuus miles pro exercitu est, & numerosus exercitus, si imbellis, & pauidus, non est pro milite. Hinc est, quòd Ionathas, cùm adlectum anteà exercitum ad hostium conspectum terga vertisse videret, cogere iterum non curauit, sed vnico associatus armigero hostem decreuit impetere & profligare. *Ascendit autem Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum.* Si cur vnico associatus milite rem arduam tentarit, inquiras, respondebit Abulensis *quæst.* 2. armigerum fuisse animosum, & interritum: *Animosus iuvenis erat iste, qui non formidabat totam aciem Philisthinorum.* Plus iuvit ad triumphum miles animosus, quàm exercitus ignavus. In armigero Divum Franciscum adumbrari tradit Glossa Moralis, cuius verba sunt: *Per armigerum intelligitur Beatus Franciscus, qui arma Christi non solùm in mente per fidem, sed etiam in corpore per expressam similitudinem portauit, & per crucem pœnitentiæ post Christum incedens frequenter dæmones fugauit non solùm de corporibus obsessis, sed etiam de ciuitatibus, & locis.* Vnicus Franciscus egregius Christi imitator pro exercitu fuit ad dæmones euertendos, & effugandos. Qualis fuerit Phara puer Gedeonis, Scriptura non tacuit. Iam adlegerat Gedeon trecentos viros ad aquas examinatos, & cœlesti iudicio militiæ adscriptos, & tamen solicitudine adurgebatur. Quid tunc Dominus? *Descende in castra: quia tradidi eos in manu tua. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. Iudic. 7. vers. 9.* Phara associatus descendit, & sibi triumphum promisit; adeò namque erat egregius socius, vt Gedeoni fuerit solatio, & Madianitis excidio: *Cùm Gedeon timens consisteret* (inquit Iosephus *lib. 5.* Antiquit. *cap. 10.* & apud Glossam) *die, qua ei prædictum fuerat, vt nocte hostes inuaderet, volens eum Deus à formidine reuocare, præcepit vt sumens vnum militum, iuxta tabernacula Madianitarum accederet.* Vnico Phara accedit interritus, qui trecentis, eisque egregiis substiterat anteà solicitus: vt hinc Phara & laudabilem audaciam conieceris, & valentiam, quando vnicus fuit pro copioso numero.

§. XXIV.

Nonnulli erga salubria cæci, erga cætera oculatissimi.

QVid malum, homo liuidissimè, tam acutè cernis alienum, caligas ad proprium? Scribit Plutarchus de tranquillitate, &c. sunt, qui acutissimis oculis aliorum abstrusiora examinent, cum sua ante oculos posita prorsus ignorent. Eodem tempore inueniuntur cæci, & inoculati, vt verum, sit quod aiebat Christus: *Videntes non vident, & audientes non audiunt.* Matth. 13. *vers.* 13. Ad quæ Chrysostomus in Catena D. Thomæ: *Ipsi sibi abstulerunt videre, & audire, aures, & oculos sibi claudentes, & cor incrassantes.* Oppansis vtebantur oculis ad abstrusiora erruenda, ad difficillima perscrutanda, ad distantissima perspicienda cùm tamen sibi oculos non haberent, & ad præsentia offendicula cæcutirent. Hoc morbo laborarunt Philisthæi, qui ante Ionatham cadebant. *Alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum.* Mira res! Si Ionatham ante conspectum habent, cur fuga sibi non consulunt, & periculum redimunt? Satius est quàm periculum imprudenter subire, prouidenter declinare: ergo vertant terga ad effugienda discrimina. Miraberis! Ionatham non videbant, & alia spectabant. Opportunè Lira: *Videtur, quod hoc contigit, eo quòd Deus percussit Philisthæos aorasia: qua tollitur visio, seu cognitio illius, quòd esset alicui expediens, seu necessarium videri ab eo.* Itaque aorasiæ, seu anrisiæ morbo laborabant, quo ita apertis oculis cæcutiebant, vt ignorarent sibi salubria, cùm ad alia vterentur oculatissima perspicacia. Cadebat Philisthæus ante Ionatham, quia non videbat periculum cæcus, cùm cætera intueretur oculatissimus: itaque in eodem aspectu, quæ ab ingenio discrepant, concordabant, perspicacia vt oculus aspiceret, & videret. O quoties hæc ex parte cæcitas peccatori contingit: præsentaneum non vident periculum, obversantem ante oculos mortem non adspiciunt, & ad nullatenus profutura oculos perspicaces extendunt. Philisthinus præsentem Ionatham non adspicit, & cætera clarè videt.

§. XXV.

Qui peccatoribus videntur munimenta, inueniuntur præcipitia.

QVæ videntur excelsa, prærupta sunt. Sæpè vorago floribus dissimulata, & contecta offert pedibus viam tutissimam, qua dum incautus se explicat gressus, inopinus absorbet casus. *Quisquis nostrum* (aiebat Seneca *epist. 8.*) *tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest ista victata beneficia deuitet, in quibus hoc quoque miserrimi fallimur, habere nos putamus, habemur. In præcipitia cursus iste deducit: huius eminentis vitæ exitus cadere est.* Verùm dixit; nam animum ipsum, quo diues obarmatur, latronis audaciam exacuit, vt

clanculum suffuretur. Diferta mensa, quæ salutis videbatur auxilium, est infirmitati suffragium. Dignitatis culmen munitissimum contra insidias videtur castrum, sed æmulatio aliquando ministrat lethale venenum, aut molitur præcipitium. Philisthæi scopulis se acutissimis munierant, & præruptis montibus castra locarant his munimentis defensi se arbitrabantur tutissimos, sed quæ existimauere tutamina, experti sunt miserrima præcipitia. *Alij cadebant ante Ionatham*, scilicèt per illa saxa præcipites. Censeres, Ionathæ, hoc est Christi aduersarios fastigio felicissimos, altitudine prorsus defensos; verùm celsitudo illa in præcipitium desiuit, & erant insidiæ, quæ videbantur tutelæ. Ita Abulensis *quæst. 9. Per saxa præcipites conuolabant.* Quàm essent felices vallem incolentes, & à præcipitio distantes; non sine ingenti labore, & laboriosa anxietate cliui asperitatem fregerant, & scopulorum fastigium occuparant, verùm in præcipitia cursus ille deduxit, & splendoris exitus fuit cadere: *Alij cadebant ante Ionatham.* Ad profundum conuolarunt, qui lento, ac difficili gressu ad fastigium peruenerunt: *Per saxa præcipites conuolabant.* Cereas Icarus assumpsit alas ad volatum, sed ardore liquefactæ attulere præcipitium? *Icarus Icareas nomine fecit aquas.* Nil sine virtute inconcussum, nil est solidum; ipsa felicitas se exagitat, & quos mirabaris altos, videbis citò transversos.

TEXTVS.

Vers. XIV. Et facta est plaga prima, quâ percussit Ionathas, & armiger eius quasi viginti virorum in media parte iugeri, quam par boum in die arare consueuit.

§. XXVI.

Exiguam terram occupant pereuntes, qui mundi claustra disrumpere procurabant ambientes.

ALexander claustra mundi prorumpere satagebat. In occeano Onesicritus eius præfectus numerosis classibus exerrabat, & ignota regna quærebat. Cæca auiditas adhuc possesso mundo æstuabat, & anxius æstus possessis frui non sinebat. Hic in captiua Sarabara decessit: satis fuit Sarabara ad tegendum defunctum, quem totus mundus non satiarat anhelum. *Calor est omnis affectus* (aiebat Tertullianus de pallio, *cap. 4*) *verùm cùm in affectationem flauellatur, jam de incendio gloriæ ardor est. Habes igitur ex isto fomite æstuantem magnum Regem sola gloria minorem. Vicerat Medicam gentem, & victus est Medica veste. Triumphalem Cathaphractem amolitus, in captiua Sarabara decessit.* In aliena veste decessit defunctus, qui orbem totum possederat ambitiosus: ignorabat illum gloriæ ardorem pernicioſissimam esse febrem, & cùm procurare debuisset medicamina, infirmitatis discupiebat augmenta. *Non benè agi putat secum* (inquit Plutarchus de Tranquillitate) *si aliquo munere nomen, aut opes inter ciues suos consequutus est: sed plorat, quòd non Senator indutus prætextam gerat, quam si gerat, quòd nondum Prætor Romanus sit: qui si sit, quòd non Consul: si Consul, quòd non prior, sed renuntiatus sit posterior.* Nil ambitioni satis, quia quidquid adieceris, non est cupiditatis finis, sed gradus. Non mente revolvimus, quàm exiguum telluris spatium satis sit tegendo cadaueri quia nos totos tradimus ambitioni. Philisthæi bella mouent Hebræis, vt noua sibi regna conquirant, & spatia dominationis protendant, verùm cùm insano agitarentur ardore, in dimidia parte iugeri ceciderunt occisi. Satis non erat regnum amplissimum superstitibus, sed dimidium iugerum fuit satis plurimis cadaueribus. *In media parte iugeri, quam par boum in die arare consueuit.* Parvo in spatio iacuerunt, qui cæco ardore regni limites extendere procurarunt. *Non sat fuit* (inquit Caietanus) *narrare numerum occisorum, sed etiam describitur quantitas terræ, in qua isti pecussi sunt.* Terræ, quam occuparunt defuncti, describitur exigua quantitas, vt ambitiosa illorum sugilletur auiditas. Terra culturæ apta sanguine imbuitur, & rigatur, quo prudentia salubres demetat fructus, agnoscátque delirare exiguam terram occupaturum, si nullis terminis concinsam exambiat, & ambitioni adulatus mundi limina prorumpat.

§. XXVII.

Peccatores scelerum catenis illigantur, ne dignam pœnam euasisse conentur.

ABscondita est (aiebat Iob de peccatore) *in terra pedica eius, & decipula illius super semitam: vndique terrebunt eum formidines, & involuent pedes eius. Iob, 18. vers. 10.* Qui pedica implicatur, gressum nequit explicare, & qui tenetur decipula, imminentem gladium nequit eludere. Sceleſtis pro vinculis sunt delicta, & dum prudentia consulit fugere terroribus nesciunt implicati discedere. Prodest Gregorius *lib. 14. Moral. cap. 7. Pedes quippè si involuti fuerint, gressus liberos habere non possunt, & nullum capere iter valent, quia sua eos involumenta retinent. Praua itaque desideria ad pessimam actionem trahunt, sed pessima actio restringit in formidine videlicet formido involuit pedes.* Pes nequit explicare gressum, quia veluti vinculum arctat delictum. Iobo assentitur Achan; nam cum Iosue minatus flammas ei, qui de anathemate aliquid subripuisset, in sequentem diem differret explorationem: *Accedetis mane singuli per tribus vestras, & quacumque tribuum sors invenerit, accedet per cognationes suas, & cognatio per domos, domúsque per viros.* Iosue 7. *vers.* 14. Achan, qui non poterat dubitare cœlesti sorte facinus inueniendum, & furem ignibus concremandum, cùm nactus ad fugam opportunitatem nactus esset perstitit, & sorte non fallaci inuentus, digna est castigatione mulctatus. Quærunt Interpretes, cur Achan occasionem non arripuerit, & conscientia stimulante periculum non vitarit? Prudentia consulebat sortibus non exponi, & prouidæ fugæ auxilio voracem flammam frustrare; & tamen Achan nec sibi prouidit, nec fugit. Iam si inquitas rationem, respondebit Abulensis *quæst. 42.* ipsum supplicij terrorem abstuliſſe consilium, & pro compedibus, ne fugeret, perpetratum fuisse peccatum. Audi Abulensem: *Quanquam Achan timeret futuram sibi mortem; tamen Deus peruertit cor eius, ita vt maneret ei consilium, neque vires.* Præmiserat: *Vnde fugere non curauit.* Prudentia fugam consulebat, sed delictum illigabat, sors inuenit, ipse verò sui conscius delictum non credidit inueniendum, aut acriter adeò mulctandum, nam criminis tenebris obcæcatus, & sui reatus compedibus impeditus nec perstrepentem iam vitæ flammam nec pronidam arripere potuit fugam. Nec aliter Philisthæis contigisse videtur. Inuaserat Ionathas eiusq; armiger eorum castra, alacri adeò animo, & virili fortitudine, vt facilè vereri possent graue sibi imminere periculum, opporteréque ferrum strictum opponere, aut fugæ præsidium arripere, & tamen nec audies pugnasse, nec effugisse: *Et facta est plaga prima, quæ percussit Ionathas, & armiger eius quasi viginti virorum.* Non facta est pugna, sed plaga: vt noueris Philisthæos nec pugnasse, nec fugisse. Quòd si inquiras, cur se Ionathæ audaciæ non opposuerint, aut saltem fugerint? Respondebit Caietanus, vehementi adeò timore fuisse perculsos, sicque inopina irruptione deterritos

deterritos, vt vinculis viderentur illigati, & stupiditate detenti: *Narratur, quòd ceciderunt in facie Ionathæ: contextui autem quadrat, vt diuinitus redditi attoniti ceciderint ante faciem Ionathæ; nam subiungitur, quòd Deus immisit terrorem in castra Philisthinorum.* Terror eos reddit attonitos, & veluti ad lanienam illigatos: vt noueris, peccatores sic culparum viculis aliquando illigari, vt nesciant sibi matura fuga consulere, nec dignas pœnas euadere.

§. XXVII.

Si multorum prauitas initâ confœderatione obarmetur, miraculo opus erit, vt digna castigatione puniatur.

PRauitas semper pauida timet, & interiùs territa pavet; nullo sibi loco fidit, sed vbique obturbatur, & interna anxietate concutitur. *Non expectant* (aiebat Seneca *lib. 1. de Beneficiis, cap. 10.*) *vno loco vitia, sed mobilia, & inter se dissentientia tumultuantur.* Cùm dissentientia nequeant vno loco stare, & opus sit instabilia semper pauere, vt sibi consulant, ad detestabilis confugiunt confœderationis castrum, & ad vnitatis auxilium. *Corpus illius* (aiebat Iobus de behemoth) *quasi scuta fusilia compactum, squammis se prementibus, vna vni coniungitur. Iob. 41. v. 6.* Arduum est Behemoth hamo capi, arduum est illigari fune, quia de improba vnionis fortitudine & funem rumpit, & hami ferrum spernit. Notauit Gregorius *lib. 33. in* Iob, *cap. 24. Draconis corpus squamis tegitur, ne citiùs iaculatione vllius penetretur, ita corpus omne diaboli, id est, multitudo reproborum.* Dum reprobus reprobo adiungitur, detestabili adeò confœderatione obarmantur; vt mirùm sit, si æquitatis arma præualeant, & iustitiæ iacula feriant. In media iugeri parte viginti Philisthæi à Ionatha, eiusque armigero prosternuntur, & iam interuenisse miraculum declaratur: *Facta est plaga prima, qua percussit Ionathas, & armiger eius quasi viginti virorum in media parte iugeri, quam par boum in die arare consueuit* Adjicit Textus: *Et factum est miraculum in castris.* Ecquod miraculum? Fuisse viginti occisos, cùm essent confœderatione armati, & vnione detestabili præmuniti. In media parte iugeri cecidisse adnotatur, vtibi omnes associatos fuisse declaretur; ergo miraculum fuit puniri, dum constabat improbos adunari. Notauit Caietanus: *Non sat fuit narrare numerum occisorum, sed etiam describitur quantitas terræ, in qua illi percussi sunt.* Adnectit: *Vt hinc appareat magnitudo facti, quod non vagè, longéque sparsos istos viginti occiderint, sed in tam parvo spatio terræ, vt essent quasi simul.* Ionathæ, armigerique alacri audaciæ, & inuictæ fortitudini adscribi posset iniquorum punitio, si vagi, & à se ipsis fuissent diuisi: at miraculo opus fuit, quia vniti, confœderatique resistebant, & æquitatis arma frustrabant: nam si iniquorum creverit numerus detestabili vnione associatus, concordiáque vnitus, nec solers iudicum proderit vigilantia, nec quiescere quibit Respublica miraculo opus erit: *Factum est miraculum*, vt arma præualeant, & iura vigeant.

§. XXIX.

Dum maior improborum numerus, illis imminet proximior casus.

VNius, aut alterius improbitas faciliùs dissimulatur, & tegitur; verùm si de sociorum numero excrescat, iam in se iudicum, ministrorúmque solicitudinem armat, & inde emergere solet periculum, vndè speratur suffragium. Serui improbi Dominum occidere unt, sceleris impunitatem sibi promittentes, quia detestanda vnione concurrerant plures: verùm dum de numero creuit audacia, iudicum etiam ad puniendum inuigilauit solertia, ne si malum serperet, Reipublicæ pax periret. *Nostram* (aiebat Cassiodorus *2. variar. 19.*) *contra se incitauere censuram. Quis enim ferat in domesticis præsidiis locum fuisse periculis, & ibi inuentum dulcis vitæ exitum, vbi nasci debuerat defensionis auxilium. Et ideò præsenti iussione mandamus, vt in famulos, qui Stephanum dominum suum plectibili scelere trucidantes inhumatam quoque reuerentiam eius funeris abiecerunt, legum districtione resecetis. Quatenus qui exemplis prouocantur pessimis, pœnis arceantur asperis.* Non potuerunt latere, quos constabat numerus prodere, eos accuratiùs vigilantia iudicum studuit resecare, quia ob numerum grande Reipublicæ detrimentum verebantur afferre. Ob id etiam Ionathas, qui interpretatur donum columbæ, quique Christi gerebat imaginem, in eos primùm desæviit, quos detestabili vnione vnitos agnouit. *Facta est plaga prima, quapercussit Ionathas, & armiger eius quasi viginti virorum in media parte iugeri.* Telluris angustia exprimitur, vt fuisse simul noscatur: ergo dum numero fidunt, & ad vnionis confugiunt propugnaculum, granius contra se concitauere periculum, nam vnus aut alter posset contemni, sed tantus improborum numerus solicito seueritatis ferro debuit resecari. Innuit Caietanus: *Describitur quantitas terræ* Adnectit: *Vt hinc appareat magnitudo facti, quod non vagè, longéque sparsos istos viginti occiderint, sed in tam paruo spatio terræ, vt essent quasi simul.* Si quis eorum sparsus, ab alioque seiunctus, vltoris forsitan euaderet ferrum; at numerus dum excreuit, maturauit sibi periculum, & opus fuit accelerare trucidationis remedium quia detestabili confœderatione crescebat damnum. Dum quisque pessimis alios prouocabant exemplis, dum omnes offendebant scandalis, diuina inflammata est vltrice indignatione iustitia, & celerior decreta est pœna, vt qui pessimis alliciebãtur exemplis, durissimis deterrerentur suppliciis, constarétque pessimorum societatem sibi aduersari, & seuerum contra se rigorem acuere.

§. XXX.

Deus à peccatoribus mutuatur arma, queis inferat dura supplicia.

DIuina seueritas iustam exercet in peccatores vindictam, vt etiam effundit misericordiam: id tamen discrimen est. A se habet quo nobis beneficiat; accipit à nobis quo puniat. Saül possessus à dæmone obturbatur, & iam Dauid adest voce, & lyra opem contra obsidionem dæmonis allaturus: *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat cytharam & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saül. 1. Reg. 16. vers. 23.* Non auditur cythara ab alio accepta, immò videtur à mappalibus allata; nam Dauid, vt oues cantu demulceret, & solicitum pastoritiæ artis laborem melodia leuaret, cythara vtebatur. Transi modo ad conflictum cum gigante, videbisque lapides à torrente accepisse, & Goliath ipsius gladio trucidasse: *Cùm gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum, præciditque caput eius. 1. Reg. 17. vers. 51.* Hinc oritur difficultas, cur scilicet exprimatur gladio alieno gigantem occidisse, nec prodatur aliena cythara dæmonem effugasse? Quia gladius (inquit Basilius Seleucensis *orat. 15.*) inferebat supplicium, cythara afferebat remedium; cúmque Dauid Christi Domini gerat imaginem, voluit Textus exprimere ex se beneficium, ex nobis durum. Audi Basilium: *Neque gladium infert in pugnam inermis pugnator, sublato Goliath gladio, gladij dominum diuidit.*

Ni

Ni Goliath contra se ipsum arma fabricasset, Dauid, quibus caput abscinderet, non haberet: secum tulit cytharam, qua abigeret dæmonem, & instauraret salutem: nam Deus à se habet, quo benefaciat, accipit à nobis, quo puniat. Idem Ionathæ videtur accidisse. Manibus, & pedibus reptans ad veritatis, religionisque hostes pervenit, fortè morosus erat incessus, quia Philisthinos miserandus manebat casus. Manibus, pedibúsque reptans per arduos scopulos describitur, vt secum arma non tulisse noscatur; cúmque tam ipse, quàm armiger hostes trucidarint: *Alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat*, quærunt Interpretes, quibus armis occiderint? Ad quæ respondet Hugo Cardinalis, ipsorum Philisthinorum armis eos trucidasse, & punijsse: *Alij cadebant ante Ionatham, &c. Sed cum quo, cùm non haberet gladium vt dictum est suprà?* Quæsito respondet: *Gladiis ipsorum, hostium quos relinquebant, vt dicit Iosephus.* Vides Ionatham donum columbæ ab ipsis hostibus arma accepisse, quibus inferret supplicium, vide modò arma à se habuisse vt exhiberet Dauidi præmium: *Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum.* 1. *Reg.* 18. *vers.* 4. Arcum, quo Dauidem exornet habuit; ensis quo Philisthæos trucidet, ab eis accepit. Vt constet homines Deo contra se præstitisse arma, & Deum à se ipso profundere beneficia.

TEXTVS.

VERS. XV. Et factum est miraculum in castris per agros, sed & omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra, & accidit quasi miraculum à Deo.

§. XXXI.

Ipsa tellus à se peccatores excutere adnititur, quia sustinere gravatur.

NOn solùm peccatoris tremor à carnifice conscientia exoritur, sed ab externis etiam causis sæpissimè nascitur: Audi Psalmistam: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Psal. 81. *vers.* 5. Internis oppressi tenebris tremunt lucem, sed & externum aliquando pariunt terrorem. Ipsa terra veluti grauissimo pondere oppressa peccatorem satagit ab humeris excutere, & grani adeò onere liberari. Accipe ad hunc locum Euthymium: *Iubet Dominus terram commoueri, & fluctuare, vt iniustis Principibus, atque iniquis iudicibus terrorem incutiat, vel commoueantur fundamenta terræ, & illorum iniquitates non sustineant.* Insolitis terra motibus quatitur, & peccatorum tenebris obcæcatos à se quàm longè projicere adnititur. Itaque peccatores & internis stimulis adurgentur, & à tellure ipsa aliquando mirandis concussionibus repelluntur. Ita Philisthinorum prædonibus accidisse tradit noster Textus. Reuertebantur iniquis prædis, & rapinis detestandis onusti, sed suorum stragem intuiti hæserunt stupefacti: & ad hæc; creuit etiam angor, quia tellus insolitis motibus fluctuabat, vt nullibi haberent solatium, nec inuenirent profugium: *Omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra: & accidit quasi miraculum à Deo.* Deus miraculosè terram fecit concussionibus agitari, vt prædonum augeretur calamitas, & anxietas, dum cor internis doloribus æstuat impetitum, & terra insolitis motibus minitatur per momenta naufragium. Audi Caietanum: *Quoniam distinctè hominum species narrauerat tremuisse, adiungendo tremorem terræ, significare videtur corporalem tremorem ipsius terræ, vt intelligamus fuisse tremorem & internum in animis hominum, & externum in ipsa terra, in qua erant.* Nequibant fugere, & nequibant stare: internus angor vrebat stupefactos, externus tremor telluris diuexabat deterritos, quò nullum illis superesset effugium; quandoquidem nec sustinebat terra, nec erat facilis fuga. Parum eis iniustè acquisitæ diuitiæ profuerunt, & contra prædones magna tempestatum volumina concitarunt: sibi plaudunt aliquando, qui vi, aut industria alios dispoliant, sibique iucundissimum ditiarum vsum promittunt; verùm contra eos armatur conscientia, & dum solicita perquirit iustitia, coguntur internum sustinere tormentum, & mutato in perturbationem gaudio, expauescunt appetens semper supplicium. Promittebant sibi Philistæi prædones acquisitis iniustè diuitiis pompam, & experti sunt internam externámque terroris angustiam.

§. XXXII.

Aliquando quo tempore quis aliis insidias præparare adnititur, & ipse patitur.

DVm latro captiosas molitur insidias, pati solet contra se solertissimas indicum vigilantias, totus est latro in domibus labefactandis, munimentisque subruendis, & totus est iudex in furibus indagandis, & comprehendendis; eodem tempore insidias instituit & disponit: *Furta magis in furibus facis* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 7.) *dum illos circumvenire niteris, quos omnes illudere posse cognoscis. Præstigij genus est, quod agitis, vt latronum versutias irretire possitis.* Raptor fugaci semper præsentia pauidus totus oculus ventura præcavet, tectas insidias disponit; verùm licet more venti nullo situ certus contineatur, & trepida mobilitate semper divagetur, honestis præstigiis capitur, & prætensis sagacibus insidiis tenetur. Accipiter etiam dum aligeris, ac rudibus auibus insidiatur, vulturis adsultibus premitur, & quo tempore studet rapinæ, eodem subjicitur pœnæ. *Accipit rem* (inquit Cassiodorus 2. *variarum* 19.) *vitam plumigerum auium persequentem alis cædit, ore dilaniat, totoque suo pondere periclitantibus nititur subuenire.* Dum accipiter in insidiis perstat, vt capiat auiculas, vultur insidiatur accipitri, vt repetat furti pœnas. Nam scelera aut patiuntur à iudicibus pœnam, aut consimilem sustinent prauorum audaciam. Philisthæi armatis cuneis Israëlitarum terram deprædabantur; verùm dum ipsi alienis ditantur facultatibus, Ionathas, & eius armiger eorum deuastant castra, & campos fructibus viduatos replent pro fructibus, cadaueribus: *Omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit.* Obstupuit prædator anxiis timoribus irretitus, & vindice manu iacuit truncatus. Eodem tempore, quo ipse insidiabatur alienæ, eius Ionathas insidiatus est vitæ, & tulit vastator insidias ipso tempore, quo disponebat argutè tectas. *Neque illud incredibile* (inquit noster Sanctus) *hoc etiam, cùm redierunt ex præda, eandem passos esse aorasiam, aut eandem insaniam, & eodem modo atque alij in suos commilitones fuisse bacchatos.* Dum miseros prædator dispoliat, irruptionem Ionathas parat, & iam latro à Ionatha obstupefactus punitur, & bonis omnibus spoliatur. Nam cùm iustitiæ oculus suæ æquitatis præuaricator non sit, disponit, vt quo tempore captiosas disponebat insidias, meritas insidiator soluerit pœnas. Esaü pharetra, arcuque armatus in campum venatum egreditur, & eodem tempore Iacob venari eius primogenituram adnititur: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. Genes.* 27. *vers.* 35. Tunc germanus fraudulenter benedictionem accepit, cùm Esaü venari solicitè studuit. Vt historiæ penicillo

penicillo nobis depinxerit sacra Scriptura, nonnullos eodem tempore, quo aliorum vitæ prætendunt insidias pati etiam contra honorem, & vitam audacias. *Quæ fictio* (aiebat Augustinus *lib. 16. de Ciuitate, cap. 37.*) *non mentientis, ni profundum mysterium veritatis.* Quod in Iacob, & Esaü latuit arcanum, fuit pro concinnandis moribus documentum: vt nouerimus aliquando amittere propria, quo tempore quis venari cupit aliena.

§. XXXIII.

Aliquando, qui ad deprædandum inuolauere concordes, post prædam in se ipsos insurgunt litibus dissidentes.

INsipientes (aiebat Plutarchus lib. Qua ratione, &c.) *peruertunt & amicitias.* Amicitia, quæ ob lucrum contrahitur, ob lucrum etiam dissoluitur. Socius, qui vtilitatis causa amicitiam, familiaritatémque profitetur, si maior vtilitas appareat, ab amicitia, & societate disjungitur: *Qui amicus esse cœpit* (aiebat Seneca *epist. 9.*) *quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam.* Plures aliquando conueniunt non solidæ, ac veræ amicitiæ vinculis vniti, sed ad quæ suspirant scelera; vmbratili societate aggregati: hi facilè à se ipsi dissident, & qui putabantur amici, digladiantur aduersarij. Fures iunguntur, vt prædas agant, & ob prædarum partitionem ab amicitia solitant resilire, immò, vt totum sibi aurum vendicent, alij aliis mortem detestabili ausu, & iniqua violentia inferre. Inter improbos nunquam est vera amicitia, sed fallax amicitiæ larva. Tres Philisthinorum cunei ad prædandum exeunt, & post prædam se ipsos occidunt: *Omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra.* Licet hoc inter prædones iurgium ortum non referatur ob prædam, dum in se ipsos irruerunt, nos edocet sacra Scriptura simul extitisse & alieni auri prædones, & sui carnifices. *Neque illud incredibile* (inquit noster Sanctius) *hos etiam, cùm redierunt ex præda eandem passos esse aerasiam aut eandem insaniam, & eodem atque alij in suos commilitones fuisse bacchatos.* Alter alterum prædonem occidebat, & qui ad prædam conuenerant, iam contra se decertabant; vt qui detestabile inierant consortium, ipsa consortis manu inflictum paterentur tormentum. Serpens, & mulier ad subripiendum à vetita arbore pomum conueniunt. Putares post rapinam amicitiam strictiùs inter eos colendam, & obseruandam, verùm Deus mulieris pede iam inimico serpentem asserit obterendum, & proculcandum: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem . . . Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Gen. 3. vers. 15.* Deus prænuntiat mulieri à serpente moliendas technas, & serpenti à muliere infligendas plagas, vt eiusmodi confœderationis finem noueris esse discordiam, & acrem inter olim amicos pugnam. *Vides* (inquit Oleaster hic ad mores) *Deum discordiæ auctorem: vt discas non esse minoris virtutis malos amicos, seu illorum amicitiam dissoluere, quàm bonam fouere.* Deus amicitiam vertit in pugnam: à muliere serpens accepit supplicium, cum qua amicitiam inierat ad rapinæ peccatum; & mulier à serpente sustinet insidiarum periculum, cum quo conuenerat ad rapiendum ab arbore pomum.

TEXTVS.

VERS. XVI. Et respexerunt speculatores Saiil, qui erant in Gabaa Benjamin, & ecce multitudo prostrata, & huc, illucque diffugiens.

§. XXXIV.

Ea est peccatorum cæcitas, vt dum tentant effugere leuius, ad periculum inuolarint & certius & grauius.

QVis ferat (aiebat Cassiodorus 2. *variarum* 19.) *in domesticis præsidiis locum fuisse periculi, & ibi inuentum dulcis vitæ exitum, vndè nasci debuerat defensionis auxilium.* Peccatori in domesticis præsidiis emergit periculum, & quod putabat defensionis propugnaculum, vertitur in stragis fomentum: nec hic stat peccatoris cæcitas, aut calamitas, immò cùm imminenti discupit infortunio prouidere, solitat ipsa stulta prouidentia stragem duriorem præmaturare. Philisthini munitissima disposuerant castra, sed in ipso defensionis munimento iacuerunt postrati digno supplicio: *Et ecce multitudo prostrata.* Ipsis in castris iacuerunt armis in vsus debitos versis occisi, qui in castris se videbantur tutari; & qui superstites huc, illucque diffugiendo procurarent imminentis calamitatis remedium malè prouidi, præcipitium passi sunt per acutissimos scopulos lapsi, & collisi. Ibi inuenerunt celeriorem vitæ exitum, vbi quærebant defensionis auxilium. Notauit Abulensis quæst. 9. *Intelligendum est, quòd aliqui conterriti locum fugæ quærerent, & dum huc atque illuc diffugiebant, per saxa præcipites conuolabant, vt ait Iosephus, & hoc verisimile est, quia cùm locus ille esset acutissimus, & prominentes vndique petræ, quærentes repentè locum fugæ, & à vulneribus euadere cupientes, per saxa prolaberentur.* Vt vitarent vulnera, patiebantur præcipitia, celerius moriebantur, ne morerentur, & suo exemplo edocebant tutum repentè profugium sæpè non inuenire, cùm ad mortem, & calamitatem constat peccatorem vrgeri. O quoties homines vt fugerent famis, aut paupertatis tormentum, culpis infecti peruenerunt ad barathrum! O quoties, qui tenebant alta, prolapsi sunt ad profunda! Non est, dum morte iam ante oculos obversante animus percellitur, & obturbatur, repentè quærendum refugium, sed maturitate elaborandum est munimentum. Dum Pharao insequitur Israelitas, è nube Deus in ipsum contorquet horrisona tonitrua, & vibrat splendentia fulgurum tela. Ille timore perterritus receptui canit, & versus ripam fugam disponit; verum dum fugit tonitrua, maturabit sibi naufragia. *Fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Exod. 14. vers. 27.* Confusis vndarum vorticibus perierunt involuti, dum quærunt portum perterriti: sic namque obturbati despuerunt, vt detrimentum existimarint profugium, & portum ipsum naufragium. *Ex timore* (inquit Lira) *erant ita turbati, & stupefacti, quòd non cucurrerunt ad litus, sed magis contra aquas super se venientes.* Si involarent ad litus, fortè naufragia eluderent; verùm dum nimia, vrgentique perturbatione obstupefacti contrariam ingrediuntur viam, mortis invenerunt acerbam pœnam.

TEXTVS.

VERS. XVII. Et ait Saül populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Cúmque requisissent, repertum est non adesse Jonatham, & armigerum eius.

§. XXXV.

Licet sancti sua facinora latere exambiant, ipsa se produnt, & auctorem omnibus manifestant.

INdiscreti hominum mores, confusique vagarentur, si culpa enormis posset latere, aut laudabile facinus ignorari. Diuerso studio iusti, & peccatores conueniunt: isti tenebris delicta obvolvere cupiunt, vt dignam effugerint pœnam: illi abscondunt facta præclara, vt debitam plausus vitarint gloriam: neutri tamen assequuntur intentum, quia se se produnt & meritum, & delictum. *Benè noti sunt, qui meritis asseruntur* (inquit Cassiodorus 9. *variarum* 22.) *& abundè cognoscitur, quisquis, fama teste, laudatur. Quapropter te longissimè constitutum mentis nostræ oculus serenus inspexit, & vidit meritum; quod non habebatur occultum. Propositum siquidem tuum celebrata dilatavit opinio, faciens fidem generis morum pondere, non ætate.* Celare nequibat distantia, quem præclara promulgavere facinora, & quamvis virtus cuperet delitescere, non poterat ignorari. Ionathas à Deo inspiratus aggreditur castra Philisthinorum euertere, & facinus cunctos, præter armigerum, vult celare: *Patri autem suo hoc ipsum non indicauit.* Quid tunc? Illata Philisthæis clades auctorem fecit requiri, & iam cuncti cognouerunt, Ionatham hostibus intulisse necem, & suis attulisse salutem: *Repertum est non adesse Ionatham, & armigerum eius.* Notauit Abulensis *quæst. 9. Ionathas cum armigero repertus est defecisse, quia vt suprà dictum est, Ionathas loquutus fuerat soli armigero suo: nam etiam patri suo hoc non indicauerat.* Licèt Ionathas modestè sibi à Deo inspiratam irruptionem nulli indicarit, glorioſum adeò erat facinus, vt auctorem solicitè fecerit perquiri, & ab omnibus dignosci. Et quomodo quiret latere per prærruptos scopulos reptando ascendisse, & omnia castra inimicorum turbasse? dum opus celat, humili claret modestia; dum hostes deuincit, celebranda resplendet gloria. Nec enim poterat tegi modesta industria, quod vulgabat sæculis laudanda audacia. Aquæ Siloë silenter fluunt, teste Isaia: *Vadunt cum silentio* Isai. 8. *vers.* 6. Sed quid interest silentium, quando cæci sanati earum virtutem stupendum prodit miraculum: *Vade, & laua in natatoria Siloë, quod interpretatur Missus. Abiit ergo & lauit, & venit videns.* Ioan. 9. *vers.* 7. Aperti oculi erant pro linguis ad virtutis Siloë promulgandum elogium, quantumvis aquæ colerent modestè silentium. *In Siloë erat virtus Christi* (scribit Chrysostomus in Catena D. Thomæ) *quæ omnia operabatur.* Silentiosis aquis vim Christus indidit, & licet coleret modestia silentium, promebat tamen inditam virtutem miraculum: aquarum lingua tacebat, sed cæcitas depulsa clamabat: ergo quantumvis Ionathas texerit laudabiliter studium, eloquens fuit ad prodendum auctorem factum.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Et ait Saül ad Achiam: Applica Arcam Dei: erat enim ibi Arca Dei in die illa cum filiis Israël.

§. XXXVI.

Virgo sanctissima est optima consiliaria in rebus arduis, & negotiis vndequaque perplexis.

PLura sunt implexis difficultatibus implicata, & ambagibus variis obscura, quæ ni fulgenti eximiæ prudentiæ splendore lustrentur, & animum lacerabunt anxium, & iudicium pungent ambiguum. Gudelina ea prudentiæ luce fulgebat, vt opportuna exhiberet consilia, & depelleret dubietatis obstacula. *Quia vt* (aiebat Cassiodorus 10. *variarum* 21) *abunde fulgeat nobis libenter de proprio splendore impertiamur: cum damnum non est lumini, alteri de sua claritate largiri. Fouete desideria nostra, quæ cognoscitis sinceritate præcipua. Gratia vestra per omnia nos regna commendet. Debetis enim nos claros reddere, qui de vestra volumus luce fulgere.* Quod de Gudelina à Cassiodoro retulit scriptum, potiori iure Mariæ sanctissimæ est applicandum. Ipsa est luminis mater, matutina, ac splendida stella, quæ tenebrarum depellit obstacula, & dirigit dubia vestigia. Ob id Saul, cùm hostilia castra agnoscere ret intestinis dissensionibus obturbata, nec sciret, an oporteret inferre tunc bella. Arcam Mariæ sacratissimæ vmbram adiit, vt quid eo in rerum statu facto opus esset, agnosceret, & impleret. *Applica Arcam Dei*, id est, eam consule, vt de eius lumine nobis lux effulgeat, & quid expediat, & doceat. Ita noster Sanctius: *Dicitur applicari Arca quomodo dicitur adhiberi consiliarius, aut testis, cùm illorum consilium, aut testimonium adhibetur, seu applicatur.* Ab Arca quæsiit oraculum, vt inimicos impeteret, & triumpharet. Repetere posset Saul, quod ad Gudelinam Cassiodorus: *Serenitati vestræ reuerentiam salutationis impertiens, affectuosa me animis vestris præsumptione commendo: sperans, vt sic omnia mirabilis prudentia vestra componat, quatenus fiducia, quæ nobis de animo vestro data est, vberius augeatur.* Fiducia, quæ à Maria opem, lucémque implorat, feliciter adaugetur, dum spebus nunquam fraudatur. Ipsa est veluti Spiritus Sancti vox, quâ & veritatem edocet, & rebus in dubiis flortulentam lucem spargit. Christus Dominus in montis vertice nitens spectaculum edidit. Vidit Sol fulgentiorem sua luce. Aderant Moyses, & Elias, quibus cum Christus Dominus negotia redemptionis tractabat. Tunc Petrus extra se præ gaudio quodammodò actus, aut tanto luminum splendore percussus, se trium tabernaculorum promisit artificem, & quid diceret, ignorauit. Quid tunc? Vox de nube eum edocuit, & in tanto lumine caligantem erudiuit: *Ecce vox de nube.* Matth. 17. *vers.* 5. Superflua potuit vox videri, quando Apostoli a Moyse, & Elia, aut ab ipso Domino poterant erudiri. Si Prophetarum optimates adsunt Christo testimonia reddant, & Apostolos erudiant: immò adsint Prophetarum summates (inquit Rupertus) vt in eorum conspectu vox resonet clara, & inter nubem, & Prophetas agnoscatur differentia. Nubem fuisse Mariæ vmbram testatur Rupertus *lib. 1. in Cant. Horum discernendorum vtique magistram te esse oportebat, ô B. Maria, & magistra magistrorum, id est, Apostolorum, iuxta illud: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. An quia Spiritus sanctus illis docuit, idcircò tuæ vocis magisterio non illis opus fuit? Immo*

Immò vox tua vox illis fuit Spiritus Sancti: quidquid supplementi opus erat eisdem mortalibus, vel testimonij ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant ab eodem spiritu diuidente singulis prout vult, ex religioso ore suo perceperunt. Celestis Mariæ vox Apostolos edocet clariùs & instruit apertiùs. Ob id existimat Rupertus etiam Spiritu Sancto plenos ad Mariam Apostolos occurrisse in rebus dubiis, & implexis tanquam ad Spiritus Sancti vocem & optimam consiliatricem. Ergo Saul Arcam adeat, & quid faciendum, requirat.

§. XXXVII.

Ardua negotia cum Deo tractanda, & eius luce exordienda.

AD examen veniant (aiebat Cassiodorus 9. *variarum* 23.) *quæ putantur incerta.* Examinis soliciti indagationem requirunt, quæ occurrunt dubia, & variis difficultatibus implicata, nec satis est humana prudentia ad prudentiam humanam exuperantia: ob id opus est recurrere ad Sapientiæ fontem, & indè lucem haurire, qua possis dubietatem depellere. In Philisthinorum castris confusaneus clamor, & casus inopinus Sauli opportunam præbebant occasionem, vt eos impeteret, & triumpharet; ille verò ne aliquo strategemate illusus, & industria militari prouocatus, dum imprudenter inuolat ad trophæa, misera sibi maturarit excidia, Deum consuluit, nec anteà rem adeò ardnam aggredi voluit: *Ait Saül ad Achiam: Applica Arcam Dei.* Non putauit tempus teri consultationi impensum, & luci quærendæ applicitum. Notauit noster Sanctius: *Cùm ex speculatoribus didicisset Saül, quid rerum fieret in Philisthinorum castris, & in re tanta, tamque inusitata opus esset non solùm maturo, sed etiam diuino consilio, aduocat Achiam Sacerdotem summum, quem suprà Achimelec etiam appellari diximus, & iubet quòd Arcam applicet, quæ tunc temporis Hebræorum aciem sequebatur, & à Deo scisciteur oraculum.* Quantumvis inuadendi hostes occasio vrgeret, & opportunitas incitaret, prudenter censuit Saul, priùs oraculum consulendum, ne si humano solùm consilio ductus, dispereat captiosis hostium artibus implicatus. Res humanum superabat consilium, vtpotè peregrina, & rara: ergo noluit inconsulto Numine hostes aggredi, ne, dum inconsulto triumphorum desiderio fertur, insidiis hostilibus irretiatur: *Cùm in re tanta, tamque inusitata opus esset non solùm maturo, sed etiam diuino consilio iubet, vt Arcam applicet.* Turba hostilis Christum, & Apostolos inuadit: discipuli inopinis adsultibus obturbati Deum consulunt: *Domine, si percutimus in gladio.* Luc. 22. *vers.* 49. Petrus, vt erat feruidus, & animosus, non expectauit responsum, sed aggressus est inimicum: *Et percussit vnus ex illis seruum Principis Sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram.* Christus gladium recondi vagina jussit, & discipuli audaciam repressit. Petrus non errasset, si patienter quid faciendum didicisset. *Ne vnius quidem discentis* (inquit Tertullianus *de Patientia, cap.* 3.) *gladium in vltorem probauit. Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque & gladij opera maledixit in posterum.* Petrus non deliquisset, si expectasset; verùm dum sine Dei nutu stringit ensem prudentiam læsit, & patientiam magistri conuulnerauit. Gladij opera Christus in posterum maledixit, & ardua non tentanda sine luce cœlesti edocuit. Dum Petrus non expectat responsum; committit erratum.

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. XIX. Cúmque loqueretur Saül ad Sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum; crescebátque paulatim, & clarius resonabat. Et ait Saül ad Sacerdotem. Contrahe manum tuam.

§. XXXVIII.

Nec ante prudentem consultationem audendum, nec posteà immorandum.

VT ante consultationem audere est exoculata imprudentia; sic post consultationem negotium differre reprehensibilis est ignauia. Sidonius *lib.* 1. *epistolar. epist.* 2. sic de Theoderico: *Si quid tractabitur, differt; si quid expedietur, accelerat.* Distertus Princeps nec tempus denegabat consultationi, nec terebat tarditate. Matura tractancta sunt consultatione negotia ne in mediis conatibus obortæ inopinè difficultates prolixiora consumant tempora. Verùm vt temeritas infortunium adducit; sic non semel tarditas felicitatem depellit. *Vita* (aiebat Socrates apud Stobæum, *cap.* 3.) *instar organi musici, dum intentione, & remissione sibi concinna, redditur suauior fit.* Quod de vita Socrates, de actione etiam intellige. Oportet consilio frænare audaciam, post consilium conuenit non admisisse desidiam. Ita egisse videtur Saul: nam cùm in Philisthinorum castris commilitones in se ipsos insano furore agnosceret debacchari, Deum consuluit, & iam oraculo accepto celeriter irruit: *Contrahe manum tuam.* Noluit post consilium moras nectere, nec ante consilium rem aggredi. Ita Caietanus: *Saül percipiens Deum jam facto respondisse, dixit Sacerdoti, vt desisteret à consulendo Deum volens tunc progredi ad persequendos Philisthinos.* Accelerauit opportunitatē victoriæ rapere, noluit ante rapere, quàm consulere, vt gubernantiū esset idea, nec hostes aggredi distulit otiosa lentitudine, nec ante cōsultationem invasit exoculata celeritate. Iuppiter apud antiquos fulmine armabatur, & cōsiliorum præses habebatur, vt sic denotarent maturè consulta celeriter exequenda, & exequenda prudenti consultatione tractanda. Ita Plutarchus in præceptis politicis: *Est suggestus templum Iouis consiliorum, & vrbium præsidis.* Instar fulminis agit, per otium consulit. In Moysem Deus irascitur, non cùm tarditatem linguæ opponit, non cùm Israëlitarum allegat diffidentiam, sed cùm iam dubiis omnibus resolutis tardat: *Perge igitur, & ego ero in ore tuo doceboque te quid loquaris. At ille: Obsecro, inquit, Domine, mitte, quem missurus es. Iratus Dominus in Moysem Exod.* 4. *vers.* 12. Si Deus non irascitur, dum linguæ Moyses proponit impedimentum, dum Israëlitarum allegat iniquæ suspicionis obstaculum, cur modò indignatione inardescit & Moysem carpit? Quia cùm anteà (inquit Caietanus) res esset adeò ardua, erat per otium difficultates examinare prudentia ast post examen non pergere damnabilis erat desidia: ergo in desidem, iuxta Hebræum Textum, ardet prudentem sustinet. *Iuxta Hebræum Textum* (inquit Caietanus) *habetur: & iratus est furor Iehova in Moysem.* Adnectit: *Verè culpa fuit post omnes excusationes suppletas adhuc instare, vt non mitteretur.* Debuisset Moyses dubiis omnibus maturè resolutis alacri celeritate iter arripere, non tardare, quia vt anteà inexploratis rebus non pergere videbatur prudentia; ita post explorationem erat morari gressum ignauia: ergo ignauum carpit rationabiliter, consulentem erudivit.

TEXTVS.

VERS. XX. Conclamavit ergo Saül, & omnis populus, qui erat cum eo, & venerunt vsque ad locum certaminis: & ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.

§. XXXIX.

Non minus periculum affert improbus socius, quàm armatus inimicus.

NVllo alio magis tuti sumus, quàm quod mutuis iuvamur, obsequiis, & officiis: societate, amicitiáque vita redditur dulcior, & contra incursiones munitior. *Fac nos singulos* (aiebat Seneca *lib* 4. *de Beneficiis, cap.* 18.) *quid sumus? Præda animalium, & victima, ac vilissimus, & facillimus, sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quæcumque vaga nascuntur, & aëtura vitam segregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non vnguium vis, non dentium terribilem cæteris fecit, nudum, & infirmum societas munit.* Societas, amicitiáque doloribus solatium affert, periculis scutum objicit: verùm eo omnia vitium depravat, vt aliquando amicitiam, societatémque in contrarios vsus transferat. Homo homini leo est: nihil adeò periculosum, vt dolosus amicus, vt improbus socius, nam tunc amicitiæ larva inimicus tegitur, & facilius vitæ, aut honori insidiatur. Vbi Iacob benedictus refertur, ab Esaü fratre liuido vitiisque infecto diuisus proditur: *Vix Isaac sermonem impleuerat, & egresso Iacob foras, venit Esaü. Gen.* 27. *vers.* 30. Cùm Esaü foras egreditur, Iacob tabernalis immoratur. Cùm Esaü domum repetit, Iacob foras prodit: ad benedictionem namque pertinuit ab improbo socio disiungi, & à fratre pessimo separari. Notauit Philo *lib. de Temulentia*: *Iacob exitum, introitum Esaü legimus, dicente Scriptura: Et factum est, quando exiuit Iacob, venit Esaü frater eius.* Subdit rationem Philo: *Quantisper enim inambulat in anima prudentia, exterminatur amicus insipientia, sed quàm primum illa migrat, alter reuertitur, gaudens ob discessum inimicæ infensissimæ, propter quam exulauerat.* Iacob, Esaüque naturæ copulauerat vinculum, sed contrarium disiungebat ingenium: nam Esaü ambitioni, ventrique indulgens, Iacob studiosè virtutes colens: ergo dum erat diuersa indoles, in societate periculum, in dissione erat felicitatis augmentum. Ecce Esaü se fratrem dissimulatione ostentat, sed vt fratrem occidat: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Prudens Rebecca disiunxit consortia, quia societatis præuidebat pericula. Socius, amicúsque, dum cautelam exarmat, dum periculi suspicionem exterminat, faciliùs lucratur occasionem, & adimplet prauitatẽ. Philisthæus à socio, Philisthæóque occiditur: *Ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum.* Ante quàm à Saüle impeteretur Philisthæus, cadebat à socio impetitus, & trucidatus, vt historiæ coloribus adumbraret nobis Scriptura, quàm sit periculosus socius vitiis infectus, Deique inimicus. Amicitiæ colore solet amicus honori amici insidiari, & beneuolentiæ larva diuitias fugere, insidias moliri. Non sic timendus erat Philisthæo Saul hostis armatus, quàm Philisthæus vitiorum vernula proximus, & amicus. Prodest Hugo Cardinalis: *Non cognoscebant se Philisthæi, sed mutuo se interficiebant.* Iam illis nulla antiquæ amicitiæ memoria nullam sanguinis vinculum, nullum societatis emolumentum, quia prauitas obtenebrabat prudentiam, & exacuebat audaciam.

§. XL.

Semper Dei auxilio fidendum, sed pro viribus etiam adlaborandum.

NVllus sic præsumere de cœlestibus debet auxiliis, vt suspirans triumphum inertissimus sectetur otium. Laboriosa fiducia, & humilis confidentia felicitatis sunt vena. Optimè Rupertus *lib.* 1. in Iosue, *cap.* 10. *Non ergo quispiam vllo in negotio tantum de cœlestibus præsumat auxiliis, vt non etiam ipse sibi prius adsit vigilando pro facultate ingenij, laborãdo pro portione virili.* Totum Deo committere eius est beneficentiam tardare; se Deo adiutori, & auspici adiungere est lucrari beneficium, & de hostibus reportare tropheum. Factum est in Philisthinorum castris miraculum pro Hebræorum salute: *Factum est miraculum in castris.* Ecquod miraculum? Philisthæos scilicet ardenti in se ipsos furore struere, & stupiditate simul ill gari: *Ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.* Philisthinorum arma in ipsos desæviebant, cæcóque agitati furore se trucidabant: nihilominus Saul buccinæ clangore celeriter exercitum cogit, & in hostes itruit: *Conclamauit ergo Saül, & omnis populus, qui erat cum eo, & venerunt vsque ad locum certaminis.* Otiosum profectò videbatur ad triumphum cogere exercitum, quando ipsi inter se hostes cæco ardore digladiantur, & occiduntur. Cur ergo Saul non expectat hostili manu paratam sibi victoriam, sed accelerat novam pugna? Quia, vt prudens, timuit inuidere sibi, si otio resolutus totum à miraculo expectaret, nec vires ad pugnandum exereret. Sine cœlesti ope Saul nõ assequeretur victoriam, sed ni certamen iniret, non reportaret de hostibus palmam. Vtrumque triumphum consummauit, cœleste videlicet miraculum, & Saulis etiam ferrum. Dissio *interpretata, conclamauit* (scribit Caietanus) *significat congregationem cum clamore, seu sonitu buccinæ ad congregandum populum.* Consonat Abulensis *quæst.* 14. *Omnes clamauerunt, vt irent ad bellum.* Non abiecerunt arma, de solo cœlesti auxilio sperantes spolia, sed cùm pro eis decertarent cœlestia prodigia, ipsi etiam alacriter præsarunt arma. Redeat supra datus Rupertus: *Sicut minimæ fidei est de diuinis dubitare promissis; sic nimiæ temeritatis, vel præsumptionis est, cœlestem per miracula præstolari opem otiosè sedendo.* Victoria pereunte cœlesti ope, subsequuto certamine parta est. Vt discas cœlestem opem implorare, sed cùm hoste etiam manus cõserere, si triũphis discupis coronari. Sine cœlesti auxilio nil prodest humana audacia, sed cœleste auxilium rem non absoluit, si otiosa impediatur inertia. Piscis ille immanis, qui iuvenẽ Tobiã aggreditur, ops Angelica, & intrepida, obedientíque audacia extrahitur. Dixit ei Angelus: *Apprehende brãchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius.* Tob. 6. *vers.* 4. Fera capta est Angelo præmonente, & iuvene etiam obtemperante. Ni Deus vires inderet, Tobias non prævaleret; ni manus Tobias extenderet, non triumpharet. Prodest Beda apud Glossam: *Apprehendit ergo branchiam, vt caput nequissimum à corpore potentia sua separaret.* Caput separatum est cœlesti monitu, & obtemperanti ausu, nil prodesset audacia, ni cœlesti vi fulta, nil vis cœlestis, nisi humana operatione adiuciata. Nam ad virtutis triumphos opus est gratia, & solertia.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXI. Sed & Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri, & nudius tertius, ascenderantque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israel, qui erant cum Saul, & Ionatha.

§. XLI.

Diabolus à nobis mutuatur arma, vt conflet contra nos bella.

DIabolus tentationum artifex, & malitiæ præses est; arma tamen non habet, quibus nos vincat, nisi nos ipsi præstiterimus auxilia, & exhibuerimus arma. Vafer ille impudentissimus, qui Christum in deserto rum latibulis tentare præsumpsit, ab ipso panes postulauit: *Die, vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. vers. 6. Armabatur in ieiunium, sed non habebat panem, quo vinceret, nisi ab ipso mutuatum acciperet *Non cibum parare vult* (aiebat Chrysologus ser. 12.) *sed vult amputare ieiunium.* Amputare cupit ieiunio, sed ab ipso tentato quærit suffragium Panem in ieiunium armat, sed ab ipso tentato exorat. Vt Amalecita etiam vires à remissis manibus mutuatur, dum cum Iosue audacter congreditur: *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Exod. 17. vers. 11. Itaque manus, id est, operum remissio Amalecitis erant pro armis, quibus coronarentur victoriis: dumque Aaron, & Vr manus suffulciunt, & Amalecitarum vires deficiunt. Notauit Philo lib. 2. legis Allegor. &c. *Ideò fulciuntur ab Aarone ratione, & ab Vr lumine, quod nulla lux in rebus sit clarior, quàm veritas. Vult igitur Scriptura figuratè docere te.* Dum animus cælesti lumine, honestisque actionibus suffulcitur, iam Amalecita, hoc est, dæmon, armis, quibus oppugnauerat, denundatur: ast si versus terram inclinentur opera, iam prævalida ei exhibemus arma, quia vincere, aut vinci pendet à nobis. Propriis Dauidis oculis, quibus pro armis vsus est, eum vicit dæmon: *Vidit mulierem se lauantem ex aduerso.* 2. Reg. 12. vers. 2. Ad quæ Basilius Seleucensis orat. 17. *Optimatem furtim cecidit, ipsis iusti oculis vsus pro telo.* Ipsi Dauidis oculi contra Dauidem excitarunt tela, & dæmonis fuerunt arma. Nec aliter accidit Philisthæis. Secum aliquos transfugas habebant Hebræos: *Hebræi, qui fuerant cum Philisthim heri, & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reuersi sunt.* Vt Hebræos oppugnarent, secum ferebant Hebræos, armorum videlicet artifices; nam cùm vetuissent Hebræis arma, omnem procudendi illa præciderunt nequissima prouidentia occasionem, & ad suam omnes armorum fabros transtulerunt tellurem: *Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël, cauerant enim Philisthiim ne fortè facerēt Hebræi gladiū, aut lanceam.* Audi Abulensem *quæst.* 16. ad hoc caput: *Philisthini duxerunt eos secū ad terrā, vt suā declaratum fuit præcedenti capite. Isti autem nunc ascenderunt cum Philisthinis in castra, scilicet ad pugnandum contra Israëlitas, vel ad parandum arma, quia vsus maximus necessarius est in bello.* Sup. *cap.* 13. *vers.* 19. audis ab Hebræis arma Philisthinorum fuisse contra Hebræos exacuta, aut fabricata, vt noueris dæmones in Philisthæis adumbratos ab ipsis hominibus contra homines arma accipere, & mutuari. Ipsi Hebræi post ignis æstum, post incudis laborem fabricabant Philisthinis arma, quibus Hebræorum adaugeretur miseria, & à Philisthinis obtineretur victoria. Nos ipsi inimicis præstamus arma, quibus contra nos ipsos conflarint bella.

§. XLII.

Quæ ob virtutem periculo solent exponi, securius solitant possideri.

ABrahamus alacri animo Deo obsequutus patriam, & cognationem desertat: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua.* Gen. 12. vers. 1. Obtemperans Ægyptum ingredi prævalente fame cogitur, & graue honori ob Saræ pulchritudinem imminere periculum intuetur: maluit tamen vitam, & honorem periculo exponere, quàm à præceptis Numinis resilire: *Interficient me & te reseruabunt.* Quid tunc? Facultas adaugetur, & intactus honor seruatur: *Abraham benè vsi sunt propter illam; fuerunt que ei oues, & boues, & asini, & serui, & famuli, & asinæ, & Cameli. Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis magnis.* Plaga honori Abrahami consuluit, aurum, & facultas creuit, & amplexus periculum, inuenit honoris, & diuitiarum augmentum. Adest Philo lib. de Abrahamo: *In hunc modum pudicitiæ mulieris consultum est: mariti verò pietatem, & probitatem Deus illustriorem facere dignatus est, exhibens ei maximum virtutis præmium illæsam, intactamque vxorem.* Ecce ob Deum adiens discrimina, est consequutus honoris, & diuitiarum augmenta, vt omnibus constet, periculum virtutis causa susceptum grande parturire commodum. Nec aliter Hebræis accidisse videtur. Hac, aut illa causa ad Philisthinos transierant, apud quos diu commorati possessiones acquisierant, filios procrearant; verùm respicientes ad Hebræos iterum reuertuntur: *Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri, & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israel.* Hinc quæstio exoritur, quomodò scilicèt non timuerint filios relinquere possessiones periculo exponere, quando ob transitum videbantur omnibus mulctandi, & vt hostes, proscribendi? Ad quod respondet Abulensis quæst. 17. credidisse nec filios, nec possessiones se amissuros, sed ob virtutem periculum vertendum fore in securitatis suffragium. Ipsum audi: *Habebant in terra Philisthinorum facultates suas, habebant etiam vxores, & filios. sciebant etiam, quòd si conuerterentur ad hostes, perderent omnia, quæ habebant in terra Philisthinorum: quare ergo volebant conuerti ad Israelitas?* Iam respondet: *Crediderunt ergo, quòd cùm tanta multitudo Philisthinorum, quanta nunquam congregata fuerat, nunc quasi sine hoste vinceretur, quod tota terra Philisthinorum funditus delenda erat: vndè ipsi nihil perderent de his, quæ habebant in terra Philisthiim.* Ad Israelitas se recipientes amplectebantur virtutem: ergo crediderunt nullum fore detrimentum, sed potiùs ad maiorem securitatem auxilium. Vt discas virtutis cultores à virtute ipsa asseruari, immò & augeri.

§. XLIII.

Qui contumaciæ agglutinatur grauissimo periculo exponitur.

ADmissa culpa obnoxium hominem periculo reddit; verùm ad manum habet respiscentiam, quæ eludat periculum, & lachrymarum diluvio mergat peccatum: sibi peccator inuidet si vt sectetur contumaciam, recusauerit pœnitentiam: *Gratus in Deum extiteris* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentia, cap.* 7.) *si quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes.* Malè in se ipsum auguratur qui à Deo oblatam misericordiam contemnit, aut malè de benignitate præsumit. *Quod supra omnes pietates indulgentissimum est* (scribit Cassiodorus *de diuin. lection. cap.* 16.) *acceptam sibi pœnitentiam index ipse testatur, quando etiam verba, quibus rogetur, clementissimus redemptor indulget. Terret, vt corrigat:*

iudicium minatur, vt parcat. Ecce vti gratum acceptat obsequium, si oblatum resipiscendi non contempseris beneficium. Non sæuo adeò supercilio respicit culpam, ac contumaciam, quando dementiæ portio est contempsisse salutem. Ecclesiæ Ephesi Angelo sic scribit: *Age pœnitentiam & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Apoc. 2. *vers.* 5. Non mouetur candelabrum ob culpam, removendum ob contumaciam; & quidem iure, nam videtur velle perire, qui maluit resipiscentiam contemnere. *Veniam tibi* (scribit Anselmus ad hunc locum) *ad tuum damnum.* Veniet contumaci durus, qui peccatorem allicit blandus. Hinc est, quòd Hebræorum aliqui, qui ab Israële defecerant, & ad Philisthinos transierant, plus extimuerint contumaciam, quàm culpam, vt qui nouerant peccatores benignè excipiendos, & contumaces seueriſſimè castigandos: *Reuersi sunt, vt essent cum Israël.* Se criminibus agnoscebant denigratos, sperabant tamen, si resipiscerent, clementer à Saüle suspiciendos, verebantúrque, si contumaces perseuerarent, grauioribus pœnis mulctandos. Prodest Abulensis *quæst. 7. Si nunc non redirent ad Hebræos, credebant, cùm posteà Israëlitæ dominarentur Philisthinorum, acriùs punirent Israëlitas repertos in terra Philisthiim, quàm Philisthinos, quia semper restitissent tanquam hostes contumaces.* Defecisse erat culpa, non redire contumacia: ergo redierunt benè de misericordia sperantes, & contumaciam verentes; nam lapsa fragilitas prouocat ad misericordiam, sed cõtumax semper protermitas viuidissimè inflammat iram.

§. XLIV.

Faciliùs ab aliquibus negotiatur pœnitentiam vitæ periculum, quàm animæ detrimentum.

VLtra omnes dementias est (aiebat Cassiodorus *de diuin. lection. cap.* 16.) *redemptoris sui iussa negligere & crudelissimi hostis vota complere.* Dementiam excedit ambire pestem, & auersari salutem, hosti se tradere, & patrem aufugere: hoc tamen delirio laborant plures: animæ prorsus contemnunt commoda, & temporalia solummodò verentur damna. Ob id Deus, vt ad pœnitentiam trahat, periculum vitæ obiectat, tunc vt peccatores nouerint vera pœnitudine vitæ pericula sæpè frustrari, tunc vt à vitæ discrimine se permiserint persuaderi. Israëlitarum plures se Philisthinis coniunxerant, & contra Israëlitas arma tractabant. Hi modò ad Israëlitas se conferunt, & à Philisthinis deficiunt: *Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri & nudius tertius, ascenderántque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israële.* Diù perseueraſſent, ni ad aciem Philisthinorum veniſſent; nam cùm frequens ibi mors & confusaneus clamor Philisthinos omnes turbaret, Israëlitæ reliquerunt castra, vt imminentia frustrarentur pericula: non eos Israëlitis restituit virtutis honestas, sed mortis proximitas: vt vitam redimerent, ad Israëlis transierunt partem, & quidem ni periculum premeret; Israëlita non fugeret. Notauit Abulensis *quæst.* 17. *Hoc fecerunt, quia putabant sibi de præsenti imminere periculum vitæ, nisi hoc facerent.* Corporis vrsit incommodum, nil diu animæ persuaserat detrimentum. Duo suis factis edocuerunt: primum resipiscentia periculum vitæ frustrari: secundùm, nisi vrgente vitæ periculo pœnitentiam non aditi. Ob id fortassis aiebat Dominus: *Nolo mortem impij, nisi vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Ezech. 33. *vers.* 11. Ad conuersionem vocauit vitæ illicio, non solum virtutis honestamento, vt qui benè nouerat virtutis honestatem apud homines parui æstimari, & caducam corporis vitam plurimi haberi. Hinc voco Tertullianum *de Pœnitentia, c.* 4. *Viue, inquit Dominus, & pœnitentiam malo, quàm mortem. Ergo pœnitentia vita est cùm præponitur morti.* Vt ad pœnitentiam alliceret, promisit vitam, quia frequenter homines potiùs ducuntur vitæ studio, quàm virtutis desiderio.

§. XLV.

Pro fortunæ varietate inueniuntur homines amici, vel aduersarij.

PLures colere videntur personam, sequuntur autem fortunam. Circa euersos ingens solitudo est, eis, a quibus auiditas quid sperat, & accipere suspirat, impenditur cultus, & plausus. *Si perpendere te velis,* (aiebat Seneca epist. 80. *sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipsum considera. Nunc qualis sis, alijs credis.* Qui dignitate fulgent, aliis credunt mendacissima de se elogia, & gratis auribus excipiunt mendacia. *Rebus secundis* (aiebat Eurypides apud Plutarchum de Adulatore, &c.) *quorsum amicis est opus.* Non est opus amicos quærere, quia se omnes mentiuntur amicos, vsque ad fastidium comitantur, adulantur, obsequuntur: si fortuna in contrarium vergat, iam deponunt personas, & apertas gerunt inimicitias. Ecce Hebræi Philisthæis florentibus famulorum adinstar obsequebantur comitabantur in castris, & se felices iactabant, quod eorum aspectu, & dignatione gaudebant: versa est in contrarium fortuna, & iam Hebræi in contrariam partem transeunt, & infelices relinquunt: *Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri & nudius tertius, ascenderántque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israël.* In castra ascenderunt, dum sperabant insigni Philisthæos potituros victoria; ast visa strage ad castra involarent contrarij a. *Hebræi venerant cum Philisthinis* (scribit Caietanus) *seruituri, vehendo opportuna ad vsum exercitus. Et propterea dicitur, quòd erat in circuitu castrorum tanquam ad commoditatem omnium.* Ethnici afferebant, omnium commoda se procurare affectabant nulli labori, solicitudinique, vt Philisthinorum [illegible] rentur gratiam, parcebant; ast prospecta [illegible] trariis se castris adiunxerunt, & contra ipsos, [illegible] famulabantur, pugnarunt. Arbor floribus vidua, foliis nuda, securi deiecta Nabuchodonosor minatur, & cum bestiis campis exerrare cogitur: *Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejicient te.* Dan. 4. v. 28. Post inediam, post solitudinem, post abiectionem regnum recuperauit, & ad maiorem magnificentiam pervenit. Quid tunc? *Optimates mei, & magistratus mei requisierunt me.* Ecce requisierunt fulgentem; ipsi, qui despexerant, exulantem, qui requirunt, abiecerant, & qui abiecerant requirunt. Eadem erat in vtroque statu persona, sed diuersa erat fortuna. Prodest Theodoretus *quæst.* 4. *Illi abiecto odio benevolo animo erga me affecti sunt, mihique reconciliati.* Felicitati iam fruenti officioso obsequuntur animo, qui calamitosum ardentissimo prosequebantur odio, nam humanos obsequia, obsequiosáque officia non homini pendentur, sed dignitati.

§. XLVI.

Deus, quantumvis deliquerint, benignè suscipit peccatores, si redeant vera pœnitentiâ resipiscentes.

NIhil aliud tibi cogitandum esset, quam vt meliorem te ipsum quotidiè facias, vt aliquid erroribus ponas, vt intelligas tua vitia esse, quæ fortunæ aut tempori adscribis, verum contrarium nobis accidit. Studemus, quo peiores fiamus; crescit quotidiè luxus, insolentia, ornatus pompa, ambitionis audacia: quo tempore

tempore erat surgendum, prolabimur, & nonis maligitatis incrementis morbus noster nõ solùm augetur, sed induratur. Nihil tamen est, quod non expugnet diligens opera, & actuosa cura: flexa robora in rectum industria revocat; curvæ trabes arte explicantur, & contra naturæ vitium eas, vt vsus noster exigit, aptat artificis industrij ingenium. *Laborandum est* (aiebat Seneca *epist.* 50.) *& vt verum dicam, ne labor quidem magnus est, si modo, vt dixi, ante animum nostrum formare incipimus, & recorrigere, quàm indurescat pravitas eius. Sed nec indurata, despero.* Desperandum non est, quamuis pravitas diù induruerit, & callum conscientiæ obduxerit. Maior est Numinis pietas, quàm hominis prauitas, & ne sæua præsumens peccator vereretur accedere, ipse Deus errantem ouem non sine magno labore refertur inquitere, & humeris leniter adductam gregi gaudet annumerare: *Imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. *vers.* 5. Erronea inuenta ostendit gaudium, ne prodigus rediens torvum vereretur supercilium. Quid ni redeunti filio opiparam pararet mensam, qui inuenta ove ostentarat lætitiam. Notauit Nyssenus *lib. de Pœnitentia*: *Ad eam requirendam profectus multas valles, saltúsque superauit, magnos atque arduos montes transcendit in solitudinibus peragrando multo cum labore tandiù perueſtigauit, donec errantem inuenit. Inuentam autem non verberauit, nec vrgendo vehementius ad gregem compulit, sed humeris suis impositam, & leniter tractans ad gregem gestauit.* Expansis brachiis suscipiendum se prodigus speranit, dum quæsitam ouem agnouit. Huius benignitatis formam Saul videtur imitatus: nam cùm Hebræi, qui dù Philisthinis inseruierant, ad eius rediissent castra, humanè excepit, & lateri suo adiunxit: *Hebræi, qui fuerant cum Philisthijm heri, & nudiustertius, ascenderuntque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israel. Qui erant cum Saul, & Ionatha.* Non repulit diù cum Philisthæis commoratos, non percussit supercilij torvitate reuersos, immò benignè excepit, & inter seruos fidelissimos numerauit: *Erant cum Saul & Ionatha.* Modò iam Saulis lateri adhærent, qui olim se Philistinorum ostendebant servos, & eorum obsequiis se gloriabantur addictos. *Describuntur Hebræi Philistinorum sicut heri, & nudiustertiu* (inquit Caietanus) *hoc est, soliti seruire Philisthinis.* Philisthinis diù inseruierunt, arma fortassis contra Hebræos excudentes, & in castris operam strennam nauantes, & tamen statim ac retractauere sententiam, & ad Israëlitarum redierunt castra, humanissimè sunt excepti, & hostilibus spoliis, ac si fideles semper, potiti. Et quidem Dei benignitas peccatoribus contamaciam condemnat, quandoquidem non debet tardare reditum, qui humanum adeò experitur Numinis animum.

§. XLVII.

Qui singulari Dei misericordia vrgentissima euasit pericula, sine mora ad virtutis involet castra.

PLerique (aiebat Tertullianus de Pœnitentia, cap. 7.) *naufragio liberati exindè repudium & naui, & mari dicunt, & Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant.* Periculi memoria calcar est ad debitam Deo exhibendam gratitudinem, & tuendam solerti diligentia sanitatem. Beneficij esset iniuria mari repudium naufragio liberatos non dicere, nec ad portus tuta involare. Imprudens est, qui sequitur pœnitenda, imprudentissimus, qui vrgentia pericula evadens non sectaretur secura. Philisthæi bellum contra Israelitas adornant, eorum signa ex Hebræis sequuntur nonnulli, cúmque triumphum sibi indubiè promittrent, stupore, mentisque turbatione adeò commoventur, vt in se ipsos arma verterint, seque in vsus debitos versis gladiis transfoderint: *Ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.* Quid tunc? *Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri, & nudiu stertius, ascenderantque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israel.* Inquires, cur ad Philistinorum terram non involarint, sed ad Israelitarum castra transierint, qui diù apud Philisthæos immorati, & Israelitis aduersi? Iam Textus respondit? *Factum est miraculum in castris.* Ecquod miraculum? Non solùm Philisthæos arma contra se vertisse, sed suis tunc castris Hebræos degentes in tanta rerum perturbatione non occidisse, aut saltem vulnerasse: ergo noluerunt aliud expectare miraculum, sed ad securum involavere profugium. Profectò inter tot audentes gladios, & furores cæcos, inter tantam cædium illuviem non cecidisse Israelitas transfugas ingens erat Dei beneficium, & prodigiosum miraculum: ergo Philisthæis repudium dixerunt, & Dei beneficium periculi memoria honorarunt: *Ascenderant cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israel.* Prudenter respuerunt Philisthinorum consortium, graue adeò passi periculum. *Ascenderant cum eis in castra* (inquit Caietanus) *insinuatur enim per hoc, quòd Hebræi venerant cum Philisthinis.* Huc apto, quod aiebat Tertullianus iam datus. *Cæterum finem vtique evadendi habebit: cùm offendendi non habebit. Euasimus semel, hactenus periculis nosmet inferamus, etsi iterum evasuri videmur?* Ac si dicat Tertullianus: si periculum semel evasisti, ne iterum periculis te exponas, sed pedem siste, & temeritatem cohibe; nam licet certam haberes de secundo, vt de primo periculo victoriam, non vitares te discrimini exponens exoculatam audaciam, & temeritatis cæcissimam imprudentiam: ergo cùm non habeas pro libito secundùm miraculum, vitate stude exinceps periculum: nam Hebræi cædem non sine miraculo euadentes sibi consuluerunt, & quæ sequuti fuerant, castris renuntiarunt.

TEXTVS.

VERS. XXII. Omnes quoque Israelitæ, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quòd fugissent Philisthæi, sociauerunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul quasi decem millia virorum.

§. XLVIII.

Quos timor ab statione dejecit, ad castra debent redire, & acriùs pugnando admissam notam delere.

VIr bonus, & perfectus citò fieri non potest: multa obstant, quæ attolli debent, aut deprimi; multa quæ expungi, aut frænari. *Scis* (aiebat Seneca epist. 42.) *quem nunc virum bonum dicam: huius secundæ notæ. Nam ille alter fortasse tanquam phœnix semel anno quinquagesimo nascitur.* Vt phœnix de singularitate pretiosus; sic de raritate est phœnix, quem macula non inficit, quem timor de statione non deturbauit, quem ambitio in præcipitium non impulit. Ad secundam virtutis notam existimauit Seneca pertinere leuibus vitiis aspersos; nam ad illam excellentiorem, & primam perueniunt rarissimi, quia non solùm exiguntur mores exculti, sed ab omni macula repurgati. Vir bonus habendus est, qui secundæ notæ, nam primam Phœnix solùm attigit. Ferè omnes perpetrauere, quod lugeant, commisere, quod erubescant. Non tamen animo cadendum est, immo resumptis vitibus ad virtutis castra redeundum, & acriùs, ac validiùs contra hostes pugnandum, vt, quàm ignavus timor persuaserat, fugam honestet virili,

virilis constantia, & inauret triumphi gloria. Hebræorum nonnulli conspecto munitissimo aduersariorum exercitu acri adeò timore concussi sunt, vt deseruerint castra, & quæsierint anxiè latibula; verùm posteà cùm non adeò magnas hostium vires experientia agnouissent, abjecerunt laudabiliter verecundiæ impedimenta, & audaciores redierunt ad castra: *Qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quòd fugissent Philisthæi sociaverunt se cum suis in prælio.* Se ipsos incusantes, quòd ignavi vertissent terga, ardenter exambierunt certamina, & castris redditi, victoria sunt coronati, vt suo edocerent exemplo, si quos de statione timor, aut inertia deiecit, pertinaci rubore non illigari, nec detrectare castra repetere, immò tunc acriùs, & validius tractare arma, & contra hostes inire bella. Opportunè noster Sanctius: *Ad castra, quæ transfugæ reliquerant, reuertuntur. Idem quoque fecerunt, qui in latebras se abdiderant, & quo suam tuerentur salutem, publicam prodiderant.* Adnectit: *Ea verò die respirare cœpit Israelis fortuna, & à metu, quo contracta fuerat, recreari. Sic autem confirmatus est hostili cæde, ac fuga Hebræorum animus, vt ad Bethaven vsque persequuti fuerint Philistinos.* Constanti adeò audacia, obfirmato adeo animo, qui anteà fugerant territi, Philisthinos sunt persequuti, vt ob fugam contractam abolerent infamiam, & hostili sanguine lauarent notam. Petrus cùm cæteris fugit, sed postea se præ cæteris cinxit, & ad Christum velocius rediit: *Tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare.* Ioann. 21. vers. 7. Quæ exponens Chrysologus serm. 98. sic ait: *Nunc Petrus post culpam suam gestit tegere nuditatem ... Tunica se præcinxit, & misit se in mare, vt mare diluret, quod negatio sordidauerat. Misit se in mare, vt esset primus in reditu.* Honestè maris vortices calcat intrepidus, qui milites expaverat timidus, vt iam trepida fuga inauretur honesta audacia, & sit primus in virtutis castris, qui deseruit castra appetentibus obturbatus periculis.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Et saluauit Dominus in die illa Israel: pugna autem peruenit vsque ad Bethaven.

§. XLIX.

Miraculi adinstar erit, si quis diuitiarum, filiorúmve amore non prosequatur errorem, sed inuolaverit ad virtutem.

OPtimus medicus membrum aliquod graui ægrotantis dolore abscindit, vt reliqua illæsa membra servarit: vnius partis detrimento corpus redimitur, & salus redintegratur: grauiori discrimini fas est celerius occurrere, ne contingat ob lentitudinem periculum adaugeri. *More medicorum* (aiebat Cassiodorus 5. variar. 39.) *sanioribus morbis accelerata remedia tribuamus, inde curationis nostræ fiat initium, vbi magis noscitur esse periculum.* Postponendum est aurum, subigendum amoris erga filios studium, vt grauius vitaueris detrimentum. Belluina vita est, quæ prudentia non regitur, sed sub casu semper diuagatur. Ab homine discedit, qui cæco ambitu gestit conseruare possessa, cùm grauissima relinquere persuadent pericula: verùm sic de mentis arce deturbatur prudentia, vt malint nonnulli disperire, quàm filiis non prouidere, & possessa discrimini exponere. Bis in nostro Textu refertur accidisse miraculum: *Factum est miraculum in castris.* Et iterum: *Accidit quasi miraculum à Deo.* Cúmque non fuerit repetitio superflua, existimo miraculo adscribi non solùm Philisthinorum casum, sed Israelitarum, qui ad Philisthinos se contulerant, ad virtutis castra reditum Deo præcipuè horum adscribenda fuit salus, quandoquidem eos nec filiorum amor detinuit, nec possessionum cupiditas illigauit: *Sed & Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri, & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt, vt essent cum Israel.* Diu inter Philisthinos commorati vxores habebant, filios procrearant & diuitias acquisiuerant: ergo cùm ad Deum reuertuntur, quasi miracula à Deo patrantur, & horum salus omnipotenti manui præcipuè debuit adscribi, quia constabat plurimis impedimentis tardari: *Saluauit Dominus in die illa Israel.* Huc voco Abulensem quæst. 17. *Habebant in terra Philisthinorum facultates suas, habebant etiam vxores, & filios, scilicet etiam, quòd si conuerterentur ad hostes, perderent omnia, quæ habebant in terra Philisthinorum, insuper tota eorum cognatio acriter periret.* Nonne tibi videtur miraculum, & opus omnipotentia diuina dignum spreuisse Israelitas acquisitas possessiones, reliquisse vxores, & filios, quando de more est hominibus animæ salutem periculo potiùs exponere, quàm filios, & facultates amittere?

§. L.

Dei auxilio citissimè recuperantur, quæ longo spatio amittuntur.

PRodigus quidquid honoris, & libertatis amisit, porcorum seruituti addictus, & lurulentis macris defœdatus; & tamen eo ipso die, quo paternis oculis redditur, iam pretiosa veste, & annulis adornatur: *Proferte illum, & date annulum in manum eius.* Luc. 15. vers. 22. Miraberis citò adeò resplendere eximiè omnitum, qui per tot tempora constabat sordisse nudum. Et cur non deterat paulatim deformitatem, & longa consumat spatia in acquirendo virtutem? Iam Textus retulit: Quia pater celeri gressu inuolauit. *Accurrens cecidit super collum eius*: & quia pinguis vitulus sanguinem fudit: *Adducite vitulum saginatum.* De vituli sanguine, de speciali patris fauore citò splenduit eximiè ornatus, qui diù & fœdus, & nudus, & profugus, Co. *cidit super collum eius* (scribit Chrysologus serm. 5.) *cecidit, cùm per Christum diuinitas tota nostra decumbit, & incumbit in carne.* Patris cursus, & viruli casus tempus breuiarunt, & ad virtutis citissimè apicem euexerunt. Nec aliter Hebræis accidisse videtur. Diù sub Philisthinorum ingo ingemuerant qui ne ingemiscerent, ad eos deditiij transierant, & tamen vnica die omnium est disrupta catena, & obtenta mira victoria: *Et saluauit Dominus in die illa Israel.* Quàm exiguo tempore inspirante Numine est acquisitum, quod longo tempore fuerat deperditum. *Explicatur causa tanta salutis* (inquit Caietanus) *summus Deus.* Deus aliquando speciali adeò fauore homines dignatur, vt breuissimo tempore finiatur cum vitiis pugna & resplendeant prodigiosa victoria. Adest Abulensis quæst. 18. *Non solùm liberauit, sed etiam concessit victoriam magnam, quæ magis opere Dei, quàm viribus hominum facta est; nam dicitur suprà, quòd accidit quasi miraculum à Deo.* Per compendium peruenerunt aliqui ad virtutum apicem, & exiguo labore specialis Numinis fauor ad miranda virtutum extulit celsitudinem.

§. LI.

Dei beneficia plus valent, quàm sonant, hominum plus sonant, quàm valent.

HOmines aliquando quid dilarginntur, sed potiùs videntur, quàm necessitati alterius, succurrere, fastui, & suæ vanitati adulari. *Quidquid das* (aiebat Seneca lib. 2. de Beneficiis, cap. 13.) *corrumpis. Adnectit: Vno modo istis persuadebimus, ne beneficia sua insolenter perdant,*

perdant, si ostenderimus non ideò videri maiora, quò tumultuosius data sunt: ne ipsos quidem ob id cuiquam posse maiores videri: vanam esse superbiæ magnitudinem & quæ in odium etiam amanda perducit. Ió odium beneficia perducunt, qui in benefaciendo sibi ostentationem, & gloriam quærunt. *Redde me Cæsari* (aiebat quidam apud datum Senecam, *cap.* 1.) *quousque dices: Ego te seruaui, ego te eripui morti? Istud, si meo arbitrio memini, vita est, si tuo, mors est. Nihil tibi debeo, si me seruasti, vt haberes, quem ostenderes.* Dilargita nonnulli exaggerant beneficia vbique impendi ob beneficia volunt elogia, vbique humillima obsequia. Itaque benefaciunt, non tam vt alienam alleuarint miseriam, quàm vt superbam sibi coëmerint gloriam. Quàm aliter in benefaciendo procedit Numen, incrementat beneficia, & beneficiorum decurtat nomina: minus nomen refert, & beneficium plus valet. Israëlitas à Philisthinis dura seruitute pressos & armorum vi subiugatos non solùm libertati restituit, sed miraculosa victoria coronauit, & tamen liberasse solùm à seruitute generosus expressit, cætera tacuit: *Saluauit Dominus in die illa Israël*, id est, fregit seruitutis catenam, & abstulit ignominiam. Inquires, cur non adiunxerit mirandæ etiam relationem victoriæ, quando certum est illos nobilitasse triumphis, diuitasse trophæis. Quia hic est diuinæ beneficientiæ modus (inquit Abulensis) dilargiri scilicet plurima, & munificentiæ breuiare nomina. Si rem examinaueris, plus nomine inuenies. E contrà in obsequiis ab homine dilargitis nomen est grandius, & beneficium est minus. *Saluauit Dominus in die illa Israël* (inquit Abulensis *quæst.* 18.) *id est, liberauit ab hostibus.* Adnectit: *Non solùm liberauit, sed etiam concessit victoriam magnam.* Si rem dispicias, non solùm inuenies disruptam catenam, sed concessam etiam victoriam: si nomen solùm attendas, inuenies minus expressum, quàm dilargitum: nam vt hominis est proprium minus largiri, plus ostentare; sic Dei est proprium, minus ostentare, plus dilargiri.

TEXTVS.

VERS. XXIV. Et viri Israël sociati sunt sibi in die illa: adiurauit autem Saül populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem.

§. LII.

Prudentia est, vt assequaris magna, contemnere exigua, imprudentia, vt assequaris exigua, amittere magna.

HOc in his, quæ affectamus, dispicere debuissemus, an plus in illis commodi, aut incommodi sit: quædam supervacua sunt, quædam non tanti habenda: sic tamen aliquando cæcutimus, vt pretium cum re emenda non conferamus, nec valorem vtriusque taxemus. Pretiosior cuique esse solet libertate appetitus & qui pro re aliqua grande pretium non solueret, se ipsum tradit. *Quæ emere nollemus* (aiebat Seneca *epist.* 42.) *si domus nobis nostra pro illis esset danda, si amœnū aliquod fructuosúmve prædium: ad ea parati simi sumus pervenire cum solicitudine, cum periculo, cum iactura pudoris, & libertatis, & temporis, adeò nihil est cuique se vilius.* Nihil nobis est aliquando, quàm nos ipsi vilius; vt assequamur contemnenda, pretiosa despicimus, vtque appetitui blandiamur, libertate exuimur. Fugiebant Philisthini Hebræos, qui cœlesti fauore armati libertatem sibi hostes persequendo parabant, & seruitutis dedecus redimebant. Tunc Saül, ne hostibus tempus evadendi suppeteret, si palato Israëlitæ attenderent, sub capitis pœna, ne quis ad epulas diuerteret, iussit: *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem.* Duo examine digna occurrunt. Quid opus fuerit capitis pœnam statuere comedenti, quando omnibus tempus in prandendo insumere prohibebat arripiendæ victoriæ occasio, & adversatiorum inter se ipsos exoculata contentio? Et quid necessum fuerit notasse populum pane abstinuisse, quando Regis vetabat præceptum, & capitis adurgebat periculum? Quia ea est hominum cæcitas, vt malint aliquando indulgere appetitui, quàm consulere libertati. Si ad solandam famem diuerterint, hostes aufugient; si hostes insectentur, vrgebit fames: ergo prudenter Princeps edictum protulit, & post edictum non otiosè Textus populum paruisse retulit: tanta nāque est appetitus insania vt malint homines libertatis, ac salutis amplecti periculum, quàm fœnare appetitus desiderium. *More Imperatorum* (inquit Caietanus) *exercitus pœnam maledictionis valdè grauem apud Hebræos apponit comedenti vsque ad vesperam, non vt prohibeat refectionem, sed ne impediatur persecutio hostium tunc exequenda.* Adnectit: *Recti ordinis ratio exigit, vt præsentanea persecutio hostium tam necessaria præponeretur cibo illius diei.* Recta exigebat ratio, vt famis vnius diei pretio & libertatem emerent, & immortale sibi trophæum adquirerent: sed quia homines potiùs parent appetitui, quàm rationi, Imperator sub capitis pœna promulgauit edictum & Textus retulit adimpletum fuisse præceptum.

§. LIII.

Superiori curandum est, ne subiectos crimini exponat, si præceptis generalibus, & nimis rigidis vrgeat.

PRouidè decrevit antiquitas (aiebat Athalaricus 9. *variarum* 18.) *vniuersitatem edictis generalibus admoneri, per quæ & delictum omne corrigitur, & excedentis verecundia non grauatur. Cuncti enim sibi æstimant dici, vbi nullum constat exponi, & similis sit innocenti, quem contigerit sub communione purgari.* Superiorum edicta velut luminosæ sunt faces, quibus ignorantiæ auertuntur pericula, & erroris vitantur etiam scandala: est tamen superioribus opus diù præmeditari, ne ipso laboretur remedio; nam si subiecti nimia arbitrentur rigiditate comprimi audebunt forsitan resilire. Lenienda est duritia, attendenda temporis circunstantia, præcepti materia: nam si in aliquo horum delinquitur, politices tota enertitur. Saül generale cunctis sub capitis pœna promulgauit mandatum, ne quis vsque ad vesperum sumeret cibum: *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam.* Chrysostomus apud Glossam existimat edictum minus prudenter decretum; & promulgatum; nam cùm milites impransi essent, & longo certamine defatigati satius erat sic famelicis prouidere, vt alij reficerentur aliis pugnantibus, & sic alternando vices, nec fugerent hostes, nec fame, ac siti vterentur milites. Chrysostomum accipe: *Quid hoc iuramento stultius fieri posset? Fatigatos enim & multo labore pressos milites cùm refocillare debuisset, & recentiores hostibus immittere, per iuramenti necessitatem fami grauissimæ eos tradidit.* Edictum contemptui exposuit, dum defatigatis, & famelicis non prouidit, sed nimia rigiditate tractauit. Adnectit Chrysostomus: *Tantum diabolo aditum aperuit, vt non tantum duo, & tria, & quatuor, sed & multo plura hoc ex iuramento periuria texeret.*

Consonat Lira: *Saül in dicto iuramento peccauit dupliciter. Primò quia malè iurauit; Secundò, quia pœnas implere voluit.* Consonat etiam Theodoretus apud Glossam: *Stultè autem, & insipienter subiecit anathemati eum, qui sibi, & potus ante vesperam esset particeps.* Expendere debuerat vires labore defatigatas, famem diuturnitate accensam manum feriendo lassã: ergo dum rigidum prodit mandatum, & famelicos cogit prosequi bellum, imprudentiæ committit delictum: nam imprudentia est ad bellum vrgere, & cibum, ad leuandam famem non ministrare.

§. LIV.

Imprudentia est eadem lege metiri laboribus plurimis fatigatos, & otio deditos.

IAm aliàs adduxi Iunioris Plinij celebre illud dictum *lib. 9. epistolar. epist. 5. Temperare mihi non possum, quominus laudem similis monenti, quod eum modum tenes, vt discrimina ordinum, dignitatumque custodias; quæ si confusa, turbata permixta sint, nihil est æqualitate ipsa inæqualius.* Inueniuntur nonnulli, qui putant se virtutis causam agere, si omnes sibi subiectos eadem lege, æqualitateque & rexerint, & tractarint. Apud hos nec exantlati laboris meritum, nec longa, aut devexa ætas priuilegium aliquod habet; & quamuis prudentia, & honesta regiminis forma suadeat labores remunerari, ætatem vereri, obsurdescunt, & errori suo plaudentes, tunc se putant obseruantiæ plus accedere, cùm à ratione longiùs constat distare. Saül, vt agnouit inimicorum castra turbari, quam citò impetiuit nonnullis militibus stipatus; laborarunt illi adeò strenuè, vt alij, qui latuerant, animos resumerent seque decertantibus associarent: *Omnes quoque Israëlitæ, qui se absconderant in monte Ephraïm, audientes, quòd fugissent Philisthæi, sociauerunt se cum suis in prælio.* Isti otio indulgebant ignaui, & se pugnæ subduxerant timore deterriti; cùm alij stationem nunquam deseruerint, & arma non sine periculo grandi tractarint: ergo cùm tam hi, quàm alij, qui latuerant, hostem persequerentur, Saül edictum generale protulit, & sub capitis pœna quemlibet ante vesperam prandere, & famem solari vetuit: *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam.* Interpretum plures hoc edictum imprudentissimum fugillarunt, vt vidisti antecedenti §. Verum Chrysostomus inter alios imprudentiæ causam animaduertit, nam licèt à pugna non esset cessandum, nec euadendi inimicis tempus concedendum, eo vti debuit discrimine, vt nimium defatigatis fame, laboréque fessis tempus ad solandam famem concederet, & eos, qui minus laborauerant, tuncque recenti ex otio aduenerant; inimicis opponeret, & ad persequendum fugientes acriter adurgeret. At omnes æquali lege, eodémque rigore premere à prudentia apparebat alienum, & perturbationi expositum. Accipe Chrysostomum iam datum: *Quid hoc iuramento stultius fieri posset? Fatigatos enim & multo labore pressos milites cùm refocillare debuisset, & recentiores hostibus immittere, per iuramenti necessitatem fami grauissimæ ipsos tradidit.* Fas erat recentiores milites qui de vmbra ad castra venerant, hosti opponere, veteranosque, & longo labore pressos recreare; ergo dum nullo discimine omnibus legem ponit bonæ politiæ notam inurit.

TEXTVS.

VERS. XXV. & XXVI. Omnéque terræ vulgus venit in saltum in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullúsque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum.

§. LV.

Qui Dei timore armatur, humanis deliciis nullatenus irretitur.

VAferrimum omnium (aiebat Philo *lib. 3 legis. &c.*) *est voluptas. Quid ita? Quia omnia voluptati seruiunt, atque malorum vita est sub dominio voluptatis.* Voluptas sensum allicit, animi vigorem emollit, & periculum aut abscondit, aut mellit. Contra has volaticas voluptatis delicias, & delicioſas fallacias munitus est animus religioso Dei timore, & inuicta fortitudine. Timor Dei, dum frangit audaciam, nutrit prudentiam. Vtque equus fræno regitur, & subjicitur, sic animus Dei timore vitat periculosa scandala, & occurrentia pericula. *Parvulis quidem* (aiebat Origenes *in cap. 8. epist. ad Roman.*) *pædagogus est timor.* Vt pædagogus rudes pueri mores instruit, & seuera disciplina humanitatem informat, & expolit; sic cordatus timor mentem reluminat, & voluntatis erumpentem, ac cæcum affectum frænat. Ecce populus ad saltum perueniés saporatis fauis allicitur, & extemporaria mensa famelicus prouocatur, & tamen dulcedinem contemnit, & vim Deo gratam manibus infert. *Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullúsque applicuit manum ad os suum.* Ecur è tot militibus fame pressis, & dulcedine titillatis nullus manum extendat, sed inuitantem, opportunámque adeò occasionem elabi sinat? Iam Textus rationem reddit: *Timebat enim populus iuramentum.* Religioso timore armati famis vicerunt cruciatum, dulcedinisque paruipenderunt illicium; nam Dei timor fortitudinem armat, vigorem inspirat, famémque edomat; quandoquidem Dei seruus antea eliget fame perire, quàm execrationibus subiacere. Notauit Chrysostomus apud Glossam: *Mensa extemporanea vt & accedendi facilitas, & nutrimenti suauitas & latendi spes in iuramentorum præuaricationem ipsos alliceret; nam fames, & labor, & tempus (omnes enim inquit, terra prandebat) tunc ad præuaricationem impellebant. Verumtamen illi cupiditatem continuerunt.* Timor docuit cupiditatem frænare, dulcedinem præterire, prandentium exempla contemnere, & triumphis honestissimis inhiare. Vt noueris, quot è timore Dei pullularint virtutes, & quot præceptorum obseruantia & voluptatum despicientia sæuos protriuerit hostes.

§. LVI.

Non est perfecta obedientia, ni subiecerit etiam iudicium, exterius adimplere præceptum.

SÆpè præceptorum molestia exacerbati obmurmurationis solatium quærunt, & solent audaci lingua referire, etsi exterius mandata sibi aggrediantur implere. Antigonus quibusdam militibus præcepta dedit illi arripuerunt iter; verùm eius difficultatibus diuexati superiorem abrodebant, & quam exequebantur, obedientiam abrodentes fœdabant. Hos Antigonus, & adiuvit, & correxit. *Cùm quosdam ex militibus suis audisset* (inquit Seneca *lib. 3. de Ira, cap. 22.*) *omnia mala imprecantes,*

imprecantes regi, qui ipsos in illud iter, & inextricabile luium deduxissent accessit ad eos, qui maximè laborabant, & cùm ignorantes à quo adiuvarentur explicuisset. Nunc inquit maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis. Ei autem benè optate, qui vos ex hac voragine eduxit. Non poterant inſſis obſiſtere, ſed linguaces obſequium inueniebantur corrumpere, & deturpare. Humanè illos correxit Antigonus, & ni eſſet talis, plus exacerbaretur linguis, quàm externis oblectaretur obſequiis. Alij linguam continent, ſed à præceptis interius diſſident; iuſſa culpant, ſuperioris imprudentiam exaggerant, iudicium condemnant. Hi obedientes videntur, ſed ab obedientiæ perfectione longè diſtare inueniuntur, quandoquidem perfecta obedientia, vt de hoſtibus agat triumphos, non ſolùm debet exteriùs applicare manum, ſed interius in obedientiæ obſequium, ſi deformitas non appareat, captiuare iudicium. Præcepto ſatis ad ſpeciem duro vetuit Saül laſſo longo certamine, & vrgenti fame fatigatos cibum vſque ad veſperam non aſſumere. Illi hoſtes inſequuti paruerunt, triumphúmque reportarunt: *Saluauit Dominus in die illa Iſraël.* Qua die? Quando ſcilicet adiutatus populus ſeruauit præceptum, & ſubiecit etiam indicium: *Nullus applicuit manum ad os ſuum. Timebat enim populus iuramentum.* Chryſoſtomus apud Gloſſam notauit celebrem adeò triumphum de hoſtibus reportatum, non quia milites exterius paruerunt, ſed quia interius nullatenus murmurarunt. Accipe Chryſoſtomum: *Illi cupiditatem continuerunt, nec intra ſe dixerunt: Quid nobis iuramentum Saülis cura eſt? Quis noſtrum hoc iuranit? Nihil huiuſmodi cogitauerunt, ſed tam multa tranſibant reuerentia, & diſciplinam ſeruabat.* Dum interna reuerentia, & externa diſciplina obſeruauerunt præceptum, de hoſtibus reportarunt mirandum triumphum, & forteſſis ſi interius Saülis præceptum, vt minus prudens, temporique accomodatum ſuggillaſſent, opima adeò ſpolia de aduerſariis non accepiſſent, eſt namque opus ad conſequendam perfectæ obedientiæ laudem exterius iuſſa abſoluere, & interius iudicium ſacrificare.

§. LVII.

Quidquid ſaporatum, & dulce, ferè ſemper volaticum, & periculis, aut difficultatibus intertextum.

QVidquid oblectat ſenſus oblectando fugit, fugiendo fallit. Et ad hæc ipſa dulcedo grandi labore emitur, aut periculo grandi adquiritur. *Meminiſti* (aiebat Seneca *epiſt.* 42.) *cùm quendam affirmares eſſe in tua poteſtate, dixiſſe me volaticum eſſe, ac leuem, & te nonpedem eius tenere, ſed pennam mentitus ſum pluma tenebatur, quam remiſit, & fugit.* Quod Seneca de fallaci amico, fallaci adaptatur gaudio. Laboras Tantali adinſtar, vt iam iam proximum capias, ſed ſit ibunda labra & fugit, & fallit. Populus venit in ſaltum, vbi familiares telluri illi apes petrarum ſciſſuris, & arborum cauitatibus tot fauos finxerant, vt mella fluerent, & fameliços inuitarent: *Apparuit fluens mel, nulliſque applicuit manum ad os ſuum.* Inquires, cur neque ſtimulante fame, nec ſuadente labore vllus manum ad fauos extenderit, quando opportunitas inuitabat, & dulcedo ſi fas eſt dicere, compellebat? Quia vt prudentes (inquit Abulenſis) eo ipſo, quo videbantur allici, cognouerunt arceri. Videbant flaua mella, ſed in ſaltu, vbi crebra offendicula, & itinera implicata: videbant gratam appetitui dulcedinem, ſed præterfluentem, & auolantem: *Apparuit fluens mel.* Non erat dulcedo illa conſiſtens, fixaque, ſed fluens, & volatica: ergo noluerunt ob dulcedinem præterfluentem immorari, quando cum melle & ſaltus coniunctum periculum, & morti addicens Regis præceptum. *In ſaltu illo* (inquit *quæſt.* 19.) *erat mel ſuper agrum.* Adnectit: *Omnes viderunt mel fluere ſuper faciem agri.* Non ſolum viderunt mel manum prouocans guſtu, ſed & manum fugiens lapſu. Prolectabat ſapor, ſed fluxus edocebat quam caducis, & volaticis commodis inhiarent: ergo prudenter abſtinuerunt, dum non ſolùm mel ſaporatum, ſed & fluens etiam conſiderarunt: *Omne viderunt mel fluere*, non permanere: ergo maluerunt, quàm breui dulcedine frui, obtemperare præceptis, & coronari æternandis triumphis. O nos miſeros! qui mel non attendimus dulce fluere, & ſolùm attendimus prolectare. Ille cæcus à vico eductus, & ab hominum commercio ſeparatus myſtica Dei cura aperuit oculos, & vidit homines velut arbores ambulantes: *Apprehenſa manu cæci eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius impoſitis manibus ſuis interrogauit eum, ſi quid videret. Et aſpiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes.* Marc. 8. *verſ.* 23 Omnia in hac cæci curatione teſtatur Chryſologus fuiſſe arcana. Foras eduxit, qui eodem loco & viſum refundere, & oculos poterat reparare. Non indigebat Chriſtus loci beneficio, ſed eduxit foras, vt oſtenderet, quàm à cæteris diſtaret videndi modo. Cœleſti luce illuſtratus omnia videbat non permanere, ſed fugere, cùm alij non viderent fugere, ſed arbitrarentur manere. Audi Chryſologum *ſerm.* 176. *Interrogat, vt præſentes ſcirent, futuri cognoſcerent cæcitatis huius non eſſe ſimplicem, ſed myſticam curam.* Adnectit: *Et quare tamen ſicut arbores, non vt columnæ, aut aliud quid, neque ſtantes, ſed ambulantes? Quia poſt curam Chriſti viderat, quòd homines velut arbores tranſirent in hoc ſæculo, non manerent.* Arbor illa paradiſea Evæ oculos traxit, quia citò marceſcere poſſe, non vidit: at qui retrò cæcus, dum nil adſpicit permanere, cœleſti gaudet luce donatus & à cæterorum cæcitate longè ſeiunctus. Cæcus eſt, etſi oculorum valeat perſpicacia, qui ſe arborem exiſtimat contra temporis adſultus, contra morborum caſus radicatam. Poſt curam Chriſti videt hic nil in ſæculo permanere, ſed rarum fuit miraculum ſic aſpicere: *Poſt curam Chriſti viderat, quòd homines velut arbores tranſirent in hoc ſæculo non manerent.* O vtinam Eva ſic vidiſſet, profectò manum contineret, & labores anxios vitaret.

§. LVIII.

Nullum eſt regimen, quod placeat omnibus, laudandum illud, quod pluribus.

SVbiectorum ſæpè ingenium inuenitur ad obmurmurandum expromptum, ſuperioris iuſſa ſuſpicionibus deprauant, & linguis infamant, ſed tunc præcipuè prudentiæ atteſtantur contraria, cùm eorum votis probantur aduerſa. *Imperij noſtri deuotus exordio* (aiebat Theodericus 1. *variarum* 3.) *cùm adhuc fluctuantibus rebus prouinciarum corda vagarentur, & negligi nouum Dominum nouitas ipſa pateretur, Siculorum ſuſpicantium mentes ab obſtinatione præcipiti deuiaſti culpam remouens illis, nobis neceſſitatem ſubtrahens vltionis.* Theoderici, etſi optimi Principis, regimen Siculi detrectabant, & iniquis ſuſpicionibus eius famam abrodebant. Miraculi adinſtar fuit Caſſiodori induſtria imperium gratum omnibus fuiſſe, vt nec ſuſpicio inflammaret linguam, nec audax abroderet lingua famam. Adnectit de ipſo Caſſiodoro laudem eximiam: *Egiſti te per cuncta iudicem totius erroris expertem, nec inuidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente ſublimans. Quod cùm vbique ſit arduum, tamen ſit in patria glorioſum, vbi neceſſe eſt, aut gratiam parentela prouocet, aut odium longa contentiones exaſperent.* Arduum erat iudicem per omnia inculpatè ſe gerere, ſed difficilius vel

inculpatum linguaces non pati,nec plurimis displicere. Quandoquidem subiecti non tam attendunt iura,quam sibi commoda,Saul,ne hostes aufugerent populo edixit sub capitali, vt videtur, pœna vsque ad vesperam cibo abstinere : *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam.* Paruit populus: *Omnesque terræ vulgus venit in saltum,in quo erat mel super faciem agri.* Chrysostomus apud nostrum Sanctium legit,*Et ingressus est populus ad favum,& transibat loquens.* Quid loquebatur?Fortassis præceptum nec tempori opportunum, nec prouidum. Adnectit Chrysostomus : *Quid est, transibat loquens ? Dolorem verbis consolantes inter se se loquebantur.* Alii fortasse vtilissimum testabantur præceptum ; alij abrodebant rigidum, & seuerum:nec enim facile est superiorem linguas non pati, aut iniquis suspicionibus non aduri. Opportunè Abulensis quæst. 19 *In deliberatiuis, & moralibus rarò reperitur aliquod bonum, vel nunquam,quod ex aliqua parte non patiatur inconueniens; ideò ad hoc, quod aliquis benè iudicet in his, non oportet quòd ille iudicet, quod nullum patitur inconueniens sed illud, quod pauciora.* Subiungit ad thesim nostram satis aptè: *Ita autẽ erat hic,quia quòd populus non comederet,erat alterum; maius tamen erat, quòd comederet.* Cùm sint hominum diuersa ingenia,& diuersæ temporum circunstantiæ, nullum omnibus potest placere mandatum ; ille tamen prudens superior habendus est, qui maiora vitarit detrimenta, etsi aliquorum feriatur lingua. Plures de populo, quem inductum ieiunium dolorem excitabat, obmurmurando leuabant, & superiorem abrodendo aliquod solatium quærebant: *Dolorem verbis consolantes inter se loquebantur.* Non tam attendebant vtilitatem præcepti, quàm cruciatum famis, & quia fauis interdicti, contra superiorem armabant linguas exasperat. Miraculi erit adinstar,si superior,aut Princeps omnium sibi conciliarit gratiam, & nullius patiatur linguam.

§. LIX.

Ecclesiasticum anathema quoquo modo inflictum, semper est animitus extimescendum.

Grauis est (aiebat Cassiodorus 9.variar.11.) *eius rei illatio,cuius adhuc iustitia non probatur.* Quidquid præcipitur, debet sub æquitate disponi,nam licèt ingerat laboris sensum, querelarum reprimit ausum : quod iustè non constat præcipi, linguacitate solet fugillari : verùm etsi omnia grauia antequàm imponantur, debeant æquitatis legibus communiri, & prudenti deliberatione decerni, præcipuè anathema magna debet maturitate fulminari, quando per anathema omnibus bonis constat hominem interdici. Vt hanc anathematis vim ab exordio hominibus Deus ostenderet, vaferrimum serpentem execratione mulctauit : *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ : super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Gen.3.vers.14. Anathemate, & diuina execratione mulctatus redditus est cunctis animantibus serpens odiosus, & saporatis fructibus interdictus ; miserandus semper prouolvitur, se ipsum per terram turpiter trahit : quia anathematis vinculis illigatus nec caput potest leuare, nec aliorum consortio vti.*Execratus tu* (inquit Philo lib.2.legis Allegor.) *inter omnes pecudes, & omnes bestias terræ. Sicut lætitia iucundè nos afficiens fausta ominatione digna est ; ita execratione voluptas malus affectus,quæ turbat terminos animæ.* Serpens dolores attulit, hominis felicitatem abegit, sed anathemate percussus tantorum malorum pœnas iam solvit. In arborem illam, quæ superbiæ vndis, & arrogantiæ irrigata torrentibus nubes excesserat, diuina desæuit indignatio, ramos præcidit, foliis denudauit, fructus dispersit : ast dum radix remansit, iterum crevit, viguit,& florvit : *Germen radicum eius in terra dimitte.* Dan.4.vers. 20 Verre oculos modò ad ficum illam Marc. 11. à radicibus exsiccatam, & omni virore exutam.*Viderunt ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus, dixit ei : Ecce ficus, cui maledixisti,aruit.* Marc.11.vers.20.Vtraque planta innenitur supplicio digna, & quæ fructu carens ostentabat floridam pompam,& quæ fructibus exundans enanidam nutriebat superbiam. Verum si altera ferro præcisa refloruit, cur altera percussa maledictionibus aruit?Vt noueris anathematis,maledictionisque Ecclesiasticæ vim ; quandoquidem planta humidissima emarcuit penitus exsiccata. Notauit Beda in Catena D. Thomæ : *Arefacta est à radicibus, vt ostendatur non solùm humano extrinsecus, sed diuino intus fauore funditus destituenda ; nam & vitam predidit in cœlis, & patriam in terris.* Ecce ficus anathemate, maledictioneque percussa flammis destinatur arida,cùm arbor alia quantumuis graui supplicio mulctata comam iterum nutrierit florida.Non solùm iusta causa inflicta, sed minus prudenti maturitate fulminata excommunicatio timenda est, Saul anathemati : execrationique subiecit ante vesperam infringentes ieiunum *Maledictus vir,qui comederit panem vsque ad vesperam.* Maledictionem, execrationemque hanc non prudenter indictam tradit, vt vidimus, Chrysostomus apud Glossam. Quid hoc iuramento stultus fieri posset; & tamen populus, qui carnes cum sanguine reclamante lege comedere non renuit,sic maledictionem extimuit, vt ad fragrantes fauos, nec opportunitate illectus nec fame diuexatus manum extenderit : *Timebat populus iuramentum.* Et cur sic timeat?Quia iuramentum, vt Theodoreto quæst. 32. placet, erat anathema: ergo etsi imprudenter anathemate Saul mulctarit comedentem, populus prudenter extimuit, vt doceamur,quàm sit timendum anathema iustè inflictum, quando sic timebatur inconsideratè prolatum. Adest noster Sanctius: *Vt hinc discerent homines,quanta sit vis anathematis, aut maledictionis,quæ est à superiore potestate quamlibet sit iniusta,timenda tamen est.* Adiicit : *Excommunicatio, quæ anathema quoddam est, & execratio hic etiam rebus, quæ culpæ sunt expertes & incapaces, grauia inferunt vulnus. Notum est propter eiusmodi Ecclesiasticas minas, & execrationes consenuisse arbores,aruisse segetes.* In arboribus culpæ incapacibus ostensa est excommunicationis efficacia, vt discant homines, quam tremenda fuerit, si interuenerit culpa. Ergo milites Saulis cùm non ignorarent anathema inflictum, prudenter timuerunt, nec inuitante dulcedine ieunium violarunt.

TEXTVS.

VERS. XXVII. Porrò Ionathas non audierat, cùm adiuraret pater eius populum extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis, & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.

§. LX.

Grauissimum Reipublicæ damnum est, si potestatis virga legem abrumpat, & cupiditati inseruiat.

Modestiam sequere (aiebat Cassiodorus 7. variar. 8.) *qui damnas audaciam : continentiam dilige, qui furta condemnas.* Si iudex, Princepsque reuerenter leges colat,vtilitatis publicæ causam agit,& nomen venerabile sibi acquirit: verù si, qua pollet potestate ad

ad violanda iura detorqueat, & quia supra se nullum habet audacter delinquat, iam vnius delictum in totius vergit Reipublicæ detrimentum. Ionathas contra paternum edictum, quam manu gerebat, virga favum prehendit, & ori, vt dulcedine frueretur, applicuit: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis.* Violata lege, iam nec bello finis imponitur, nec Regi propheticum responsum redditur. Hinc oritur difficultas. Si cum populus comedit cum sanguine hoc ipso in capite diuina non adeò est exacerbata majestas: *Comedit populus cum sanguine*, cur ob favum cœlestis ardet ira, & Ionathas dura mortis damnatur sententia? Ionathas edicti insçius populus legis non erat ignarus: ergo sententia contra populum videbatur promenda, non contra Ionatham promulganda. Cur ergo populi dissimilatur reatus & punitur Principis appetitus quando de more Principis delictum laudatur, & priuati grauiter vel leuis culpa punitur? Quia licet Ionathas præcepti ignarus virga potestatis insigni favum prehendit, & legem comedendo violauit: ergo voluit Deus ostendere facto inculpabili, quam sit populo pernicioſum, & æquitati contrarium, si potestas deflectatur ad violanda edicta, & appetitus explenda vota. Notauit Ambrosius *serm.* 25 qui est de Quadragesima: *Cùm Saül abstinentiam diei suis omnibus indixisset & Iona. Nas eius filius præcepti nescius inter medias hostium acies victor incedens favum mellis intincta sceptri summitate gustasset; tanta indignatio repentè commota est, vt ei differretur victoria, & diuinitus laderetur.* Fortè si manu favum caperet, non adeò magna indignatio suboriretur, at dum sceptrum aduersatur legi, & inseruit appetitui, non consummatur victoria, & diuina desæuit ira. O quam est Reipublicæ pernicioſum, & Numini ingratum potestatem contra legem armari, & appetitui blandiri. Inculpabili actione sic Ionathas contra se diuinam indignationem accendit, quia sceptro legem violauit, quid speret, qui abutitur potestate, vt appetitui aduletur, & cupiditati blandiatur? Dum Ionathæ sceptrum adulatur palato, finis non imponitur triumpho, & dum legem temerat, contra se diuinam indignationem irritat.

§. LXI.

Qui magnis difficultatibus victis virtutem aggressus, tardari solet exiguis reculis impeditus.

ALiquando qui vt assequerentur perfectionem, grauissima pertulerunt, exiguis aut vincuntur, aut denigrantur. Vndè Tertullianus Martyras alloquens carceribus detentos, postquam retulit pedes duro compede constringi, corpus totum catenis illigari, siti aduri, fame vexari, eos admonet, ne leui aliquo tot labores reatu obscurarint, & serpenti aditum aperuerint. *Non ergo dicat* (scribit *lib. ad Martyras, cap.* 1.) *in meo sunt, tentabo illos vilibus odiis, defectionibus, aut imer se dissensionibus.* Adnectit, *cap.* 2. *Habet tenebras, sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Triste illic expirat, sed vos odor estis suauitatis... Contristetur illic, qui fructum sæculi suspirat,* fas est contristetur, quando post tot ob virtutem labores aut reculæ desiderio quis irretitur, aut leui dissensione obscuratur. Quàm miserum est magna ob exigua amittere, aut saltem innubilare! Ecce vbi Ionathas virgam extendit, vt faui melle intingeret, & comederet: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis.* Nec responsum propheticum datur, nec triumpho finis imponitur: *Non respondit ei in die illa.* Oraculi nos cogit silentium ad indagandum arcanum. Si Ionathas per asperos septauit scopulos, si inuicta virtute contriuit inimicos, dignus videtur venia etsi gustato melle violarit ieiunia. Cur ergo sic diuina ardet indignatio, vt denegarit oraculum, & morti sorte destinauerit deprehensum? Ob id ipsum (inquit Ambrosius præcedenti §. datus.) Miranda egerat, dura exantlauerat, vt detritis hostibus arriperet palmam, & modò ob exiguam faui dulcedinem non consummauit victoriam: ergo dignus fuit Numinis indignatione, quando tot passus, inuenitur reculis victus. *Cum Saül abstinentiam diei suis omnibus indixisset, & Ionathas eius filius præcepti nescius inter medias hostium acies victor incedens favum mellis intincta sceptri summitate gustasset, tanta indignatio repentè commota est, vt & differretur victoria, & diuinitus laderetur. Denique, nec belli finis imponitur, nec Regi responsum propheticum datur.* Deus responsum denegat non ob culpã, sed ob doctrinam; vt nos etiam irascimur, cùm videmus aliquem merita plurima imprudenter ob reculas obscurantem, & dignitatem sibi impedientem; est enim, cui irascamur, dignus, qui pulcherrima nævis exiguis deſœdat, & tetris vaporibus splendentium actionum lucem obscurat. Hostibus euadendi, vt deguſtet favum exhibet occasionem ipse qui vt triumpharet, ferè insuperabilem vicerat difficultatem.

§. LXII.

Ad reportandos triumphos non sufficiunt robusta tela, ni obseruata lex præstiterit etiam auxilia.

DIsciplina legum seruata non solùm tranquillat conscientiam, sed de hostibus promittit victoriam, nec potest inimicus non timere, si leges viderit obseruari. Iustitiæ cultus aduersariis semper est metus, quia inde vtilitas nascitur, vndè virtus & colitur. *Hoc est enim* (aiebat Atalaricus 8. *variarum* 26.) *quod nostrum comit imperium, quod opinionem nostram inter gentes amplificat. Si talia geratis, quæ & nobis accepta, & diuinitati possunt esse gratissima. Robustius enim inimici nostri vincuntur moribus bonis.* Adnectit Cassiodorus rationem. *Quia quos superna protegunt, felices aduersarios habere non possunt. Pugnatis enim efficaciter foris, dum in sedibus vestris iustitiam fouere contenditis. Ista enim duo mutua se amplexione consociant. Qui æquitatem coluerit, fructum victoriæ possidebit.* Non habet manus contra aduersarium vigorem, si exercuit iniquitatem, nam duo debent consociari ad palmam, interna scilicet iustitia, & externa armorum valentia. Impius ille Ieroboamus manu, qua impio inseruiebat altari; vim inferre tentauit hosti; exaruit tamen: *Exaruit manus eius, quam extenderat contra eum. 3. Reg. 13. vers.* 4. Exarnit manus neruis resoluta, quia æquitate prorsus exarmata. Et quomodò valeret in hostem, quæ bellum conflabat contra æquitatem? Repetere poterat Cassiodorus dato *lib. epist.* 25. *Hunc voluntatis suæ meretur inuenire fructum, qui aliquid contra nostrum videtur quæsisse iudicium.* Frustrata suis ausibus manus exaruit, quæ idolis colendis extensa seruiuit, nam ipsa, vt idolis seruiret, extensio, fuit ne quid contra hostem valeret contractio. Ionathas resplendenti mucrone hostium terga feliciter ferit; ast dum legem violat, hastam contra se vertit: *Conuertit manum suam ad os suum.* Iam manus hastam in se conuertebat, quæ anteà inimicos hasta fugabat. *Virga* (inquit noster Sanctius) *quam gerebat manu; erat hasta, quam portabat, vt bellator, & miles.* Mucro ipse, qui hostes deterrebat, iam melle illitus nullatenus fulgurabat, & qui aduersariorum feriebat terga, iam militabat in labra. Prodest datus Ambrosius *serm.* 25. *Deficit virtus in exercitu, vt deficit in obseruatione ieiunium.* Mucronis defecit vis, & iam aduersarius habebat, quo defenderetur, Ionathæ telum, quia contra ipsum Ionatham conuertebatur mellitum.

§. LXIII.

Admissa à superiore culpa est cæterorum ignauia.

VT Aaron vitulum fabricauit, Moyses populum inermem consepxit: *Videns Moyses populum, quod esset nudatus (spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat.)* Deposuisse arma putant Interpretes, inter quos sic Caietanus: *Insinuat populum fuisse nudatum armis.* Arma populus antea contra inimicos prensabat; verùm dum superior culpis inficitur, & armis populus denudatur, ob Aaronis culpam cunctis confertur ignavia, & iam manus contra hostes nudatur ferro, dum Aaron altaria dedicat vitulo. Ionathas etiam mellis dulcedine illectus violat regale edictum: *Intinxit in favum mellis*, & iam populus non adeò acriter insequitur aduersarium: *Defatigatus est autem populus nimis.* Post Ionathæ culpam nescias, quam populus contraxit inertiam, quasi idem fuerit manus pugnantium lassari, & Ionatham appetitui blandiri. Notauit Ambrosius supra datus: *Vnius culpa cunctis confertur ignauia, & vnius delicto cunctis generatur infirmitas: deficit enim virtus in exercitu, vt deficit in obseruatione ieiunium.* Ingressè milites tractarunt arma, vt viderunt Ionatham conuerti ad oblectamenta; & superior studens dulcedini sine voce suadebat inertiam militi: quisque detrectabat defatigari certamine, vt superior noxia illa frueretur dulcedine. Tantum nocet, aut valet superioris exemplum! Quousque Ionathas refertur melle oblectatus, non auditur populus viribus resolutus, at nimis defatigatus refertur: *Defatigatus autem populus nimis*, vbi oblectamentis studuisse cognoscitur: *Intinxit in favum mellis.* Vt viderunt milites Principem frui saporatissimis fauis, insistere noluerunt acriter bellis, & cunctorum fuit infirmitas favorum suauitas: *Vnius delicto cunctis generatur infirmitas.* Stephanus contra hostes pro religione decertans Christum adspicit non sedentem, sed stantem: *Vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei.* Actor. 7. *vers.* 55. Eodem modo stans, & sedens decertantis militis poterat armare constantiam; tamen stans visus est; vt vtilem nobis exhiberet doctrinam; sedere est habitus sectantis otium; stare ineuntis prælium: ergo vt miles strenuè decertet, ducem aspiciat stantem; ne minus strenuè tractaret miles bellum, superior decertantis assumpsit habitum. Stet Princeps, vt miles vincat, & decertabit miles, vt Princeps sedeat. Adest Glossa Interlinearis: *Stare pugnantis, vel adiuuantis est.* Videat Stephanum adiuvantem, pugnantem videat, vt strenuè contra veritatis hostes conflixerit, quia militis armatur constantia in prælio, si superior nullatenus inerti studuerit otio.

§. LXIV.

Ieiunium obseruatum est dæmonum excidium, violatum, suffragium.

IEiunium spiritus est adipatio, virtutis vigor, reluminatio mentis, scutum cordis. *Dic* (aiebat dæmon Christum adoriens) *vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. *vers.* 3. Vt auferret ieiunium, poscebat miraculum, quasi non tantum extimuerit miraculum, quàm ieiunium. *Signum panis petit* (aiebat Chrysologus *serm.* 13.) *qui signum ieiunij pertimescit. Signum panis petit, vt ieiunij tremendum sibi refugiat signum.* Omnia nequitiæ videt corruisse arma, vbi agnoscit obseruari ieiunia: nam cibus, & nimius potus est rationis sopor, prudentiæ nubilum, luxuriæ fomentum, erroris illicium. Iterum Chrysologus *serm.* 12. *Capit ille satietatem, voluptatem percipit, expletur epulis, quando nos luxus soluit, libido stimulat, pompa rapit, impellit ambitio.* Diabolus crapulis lætatur, differtis mensis contra hominem communitur; vndè caro nostra insolescit indè aduersarius hominum vincit; ast etsi acerrimum tentationum armet arietem, ieiunij arce protectos non facilè subruet, quia inuictus abstinentiæ murus hostiles frustratur impetus, eludit conatus. *Ieiunium, fratres* (verba sunt Chrysologi) *scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis tropheum.* Hinc est, quòd Saül, vt innumeros inimicorum euertat castra, suis edicit aciebus ieiunia, quæ dum licèt inscius Ionathas temerauit, è manibus victoria fugit: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis.* Bello non imponitur finis, nec consummatur victoria, vbi violantur ieiunia; quasi idem fuerit ieiunium infringi & inimicum elabi. Notauit Ambrosius *serm.* 25. *Intelligimus, quòd Saül hostes non tam virtute militum, quàm militum abstinentia superabat. Denique vnius culpa cunctis confertur ignauia, & vnius delicto cunctis generatur infirmitas. Deficit enim virtus in exercitu, vt deficit in obseruatione ieiunium.* Qui ieiunio protecti vincebant iam infirmantur sine ieiunio, & hostis, qui in conspectu ieiunantis cadebat, iam Ionathæ pransо resistit, & occasio consummatæ victoriæ fugit. Adnectit Ambrosius: *Nec belli finis imponitur, nec Regi restat sua propheticum datur.* Moyses è cacumine descendens ieiunus, quem in Deum ebrij extulerant, contrit vitulum: populus deposuit arma, vbi violauit ieiunia: *Videns Moyses populum, quod esset nudatus. Exod.* 32. *vers.* 25. Ad quæ Caietanus: *Insinuat populum fuisse nudatum armis.* Caruit contra hostes armis, dum replebatur conuiuiis. *Hoc* (iterum audis Chrysologum *serm.* 12.) *Mosem diuini seruoris fecit lumine perlucere, quando comessatio, & ebrietas Israëliticum populum simulacrorum tenebrauit erroribus.* Moyses fulget luminoso splendore, quia ieiunus; populus sordet, quia pransus. Moyses ieiunio armatus contra vitulum parauluit, & in cineres redegit, populus & conflauit, & coluit, quia ebrietas attulit paupertatem ornatui, ieiunium splendorem peperit cultus: nam sobrietas decentem conseruat pompam, ingluvies deducit ad ignominiosam miseriam.

§. LXV.

Ieiunium, cælestia nobis negotiatur oracula, impedit comessatio diuina colloquia.

IEiunium, dum corpus extenuat, quodammodo in spiritum demutat, aures ad diuina colloquia percipienda adaptat, cibus obturat. Ieiunium oculorum perspicaciam excusit, cibus retundit. Videe Eliæ apud torrentem Carith semel & iterum pastum: *Corui deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente. 3. Reg.* 17. n. Post tempus aliquod iam torrens siccatur, corvus abigitur, incipit ieiunare solitus opipara mensa frui. Quid tunc? Dei alloquio fruitur, & cœlesti illustratur: *Post dies autem siccatus est torrens, non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini eum, dicens: Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum.* Expende, Dei sermonem ad eum non factum, dum & cibis affluebat, & lymphis, & factum, dum corvus abest, & vnda fugit; nam etsi semper Elias vitæ cenli fuerit temperatiæ, voluit Deus hoc facto hac nerudire doctrina, scilicet ad ieiunium, & ciborum abnentiam nos aptiores reddere ad percipienda diuina eloquia, & cœlestia agnoscenda mysteria. Id ipsum expendebat Tertullianus, dum Eliam ieiunum Deo alloquitur,

alloquitur, & si fas est dicere, etiam blanditur: *Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Oreb. Cùmque venisset illuc, mansit in spelunca, & ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia,* 3. Reg. 19. vers. 8. Iam Elias veluti Dei contubernalis fruitur diuino alloquio, & cœlesti commercio. Notauit Tertullianus aduersus Psychicos, cap. 6. *Ipse quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb, vbi cùm in spelunca diuertisset, quàm familiari congressu Dei exceptus est. Quid tu, Elia, hic? Multò amicitior ista vox, quam: Adam vbi es? Illa enim pasto homini minabatur, ista ieiuno blandiebatur.* Adam, dum prandet, sordet nudus, & minis abactus: Elias, dum ieiunat, pallio honestè tegitur, & cum Domino alloquitur: *Ieiuno blandiebatur.* Hinc est, quòd dum à Sacerdote Deus consulitur, responsum non redditur: *Non respondit ei in die illa.* Et cur rogatus Deus signanter hac in die non reddat responsum? Quia hac in die (inquit datus supra Ambrosius) violatum à Ionatha fuerat ieiunium. Ipsum audi: *Nec belli finis imponitur, nec Regi responsum propheticum datur.* Si coleretur ieiunium, propheticum audiretur oraculum; at cœleste denegatur responsum, vbi venerandi ieiunij violatur præceptum. Vt noueris, quàm expediat à cibis abstinere, vt cœlesti possis consuetudine vti. Nec solùm comessatio impedit cœleste colloquium, sed & Spiritui sancto infert bellum. *Botuli Psychicorum* (inquit Tertullianus aduersos Psychicos, *cap.* 1.) *hi Paracleto controuersiam faciunt.* Paracleti impediunt linguas differtæ mensæ, dum afferunt botulos, & cupedias.

§. LXVI.

Qui voluptatem sequitur cæcus, solet oculos aperire confusus.

VOluptas annexam habet confusionem, sed celatam celat dum proritat, & dum inflixit plagam, manifestat. Opportunè Philo lib. 2. legis Allegor. *Cæcum sensum voluptas fallit, quo minus res percipiat, si quidem cæcat, ne se ad mentem, à qua regi poterat, recipiat regaturque ab ea, seducens illum ad sensibilia, illicienseque suis operibus.* Cæcus illicitur, sed à voluptate iam captus oculos aperit, vt confusionem sentiat, ignominiámque videat. Statim ac Ionathas mellis dulcedine illectus ieiunium violauit, oculos etiam aperuit. *Conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Non antea oculi sunt illuminati, quam faui comesti. Et quæ fuit hæc oculorum illuminatio à degustato cibo promanans: Quæ voluptatem sequitur reatus confusio: nam qui cæcis oculis sequutus est voluptatem, iam reluminatis vidit Ionathas, quam incurrerat, confusionem. *Illuminati sunt* (inquit Rhabanus apud Glossam) *non ad videndum, sed ad discernendum, quia vetitum tetigerat, vndè confundatur.* Non vidit factum suum vulgandum, non vidit mel in mortis amaritudinem conuertendum: ast deglutita iam dulcedine aperuit oculos vt videret, quanta breuis illa dulcedo mala parturiret, & quam mortem maturaret: ergo iam ingemiscit confusus, quod auide expetierat cæcus: dum allicbat voluptas, confusio latebat tecta, sed iam apparuit voluptate transacta. Et expende lanceæ mucronem melle tegi, & tectum ipso cum melle labris applicari: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os suum.* Sub melle latebat spiculum, & eodem tempore mel delectabat, & spiculum feriebat. Ipsa namque voluptas sensum, quem allici lædit. Notauit itaque supra Philo: *Certè vnusquisque sensus voluptatem tanquam vt inimicissimam, & infensissimam. Est enim vera hostis sensui; id inde colligitur, quod saturati voluptate immodica nec videre, nec audire, nec olfacere, nec gustare, nec tangere sincerè possumus.* Oculi venereis voluptatibus debilitantur, vino depranantur nervi, cruditatibus deficit & olfatus, & auditus: exundans humor instrumenta sensuum peruertit, & indè nascitur dolor vndè prouenit sapor. Sub melle, & cum melle labris applicabatur spiculum, & vnde gustum, indè accipiebat etiam vulnus palatum. *Inter ipsum vsum voluptatis* (addit Philo) *omninò priuamur vi sensuum.* Vim suam amittunt sensus volnptatibus euersi, depranatique. Nec oculus videt, nec auris audit, quia quo voluptas vberior, vis sensuum infirmior.

TEXTVS.

VERS. XXVIII. Respondénsque vnus de populo ait: Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie: defecerat autem populus.

§. LXVII.

Sunt, qui cùm possint à culpa auertere, vt exegerint pœnam, aut exprobarint sinant delinquere.

ACcipite P.C. (aiebat Athalaricus 8. *variar.* 14.) *Iudicium, quod iudicia nostra protulerunt, quando plus cogitantur omninò, quæ cauta sunt.* Iudicia prouida, & laudabiliter cauta culpas anteuertunt; nec alios labi permittunt; verum inueniuntur, qui depranata affectione, aut detestanda cupidine nolint ab imminenti delicti occasione auertere, immò committere sinunt culpam, vt exigere possint pœnam. *Boni iudicis inter eos assumebat officium* (Opilionem iudicem commendat Athalaricus 8. *variar.* 16.) *vt futurorum quodam vrgente præsagio, quod à nobis accipere poteras, meritorum assumptione peragebas... Nam cùm post transitum diuæ memoriæ domini aui nostri anxia populorum vota trepidarent, & de tanti regni adhuc incerto hærede subiectorum se corda profunderent, auspicia nostra Liguribus felix portitor nuntiasti, & sapientiæ tuæ alloquutione firmasti.* Sapiens iudex, vt auerteret, præsagiebat pericula, & sat agebat vitare damnanda, & ne in aliqua prolaberentur delicta, prouidenter firmabat corda, non aliorum more, qui detestandi lucri cupiditate, aut fœdæ æmulationis liuore ab aliis (licèt possint) non auertunt periculum, vt vel de aliena confusione perceperint detestandum gaudium, aut commodum. Ecce miles Ionatham manum extendere, vt fauum capiat, intuetur, & iam violato ieiunio legem à Principe statutam contra comedentem prodit: *Respondensque vnus de populo, ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum.* Inquires, cur non admonnerit, cùm manum vidit extendere, sed cùm fauum ori conspexerat applicare, cùm satiùs fuerit prouida admonitione à culpa liberare, quàm iam admissa confundere? Proh hominum peruersitatem! Pro labentem non detinuit, quia fortè de perpetrato scelere confundere posteà voluit. Innuit aliquo modo Hugo Cardinalis: *Illuminati* (oculi) *non ad videndum, quia prius videbat, sed ad discernendum, quia vetitum tetigerat, quia quidam dixit ei edictum patris.* Si antè quàm tangeret, denuntiaret edictum, Ionathas non delicto confusus oculos aperiret, sed cautus vitaret; permisit tamen in lapsum ruere, vt posset de admisso piaculo fugillare. Admonitione aperuit oculos: *Illuminati sunt*, non vt manum contraheret, sed vt confusionem subiret. *Non ad videndum* (inquit Rhabanus apud Glossam) *quia antè videbat, sed ad discernendum, quia vetitum tetigerat, vnde confundatur:*

Itaque

Itaque edictum post lapsum miles denuntiavit, non tam vt moneret, quàm vt confunderet. Inferiores institiæ administri sæpè adspiciunt vendêtes mensuram corrumpere, non tamen monent, vt evitetur peccatum, sed iam commissum exaggerant, & decretis à iure pœnis præuaricantes mensuram mulctant; nec enim pro æquitate adstant, sed mulctam suspirant. Aliter se gessit Saül, vt boni munus Principis adimpleret, nam cùm populus oves mactaret in plano, vbi sanguis omnis nequibat effluere, vndè contigit carnes cum sanguine manducando peccare, iussit lapidem erigere, vt mactando oves in arduo sanguis effluueret, & populus carnes sine sanguine manducaret: *Volvite ad me iam nunc saxum grande . . . & dicite, eis vt adducat ad me vnusquisque bovem suum, & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis Domino comedentes cum sanguine.* Prouidenter ruentes detinuit, labi non desideranit. Notauit Lira: *Volvite ad me iam nunc saxum grande, vt ibi interficerentur animalia secundùm morem paternum, & sanguis bene exprimeretur.* Bonus iudex anteuertit occasionem delicti, quia extorquere nolebat ob crimen mulctam, sed vitare legis offensam. Sunt tamen, qui vt extorqueant aurum, occasiones concinnauerint ad delictum.

§. LXVIII.

Delinquentis defectu, debet corrigi, sed apud insçios non infamari.

QVi culpam, quam asseruata delinquentis fama potuit corrigere, maluit strepitu publicare, honesto zelo non mouetur, sed odio, aut æmulatione inflammatur. Æsculapius auarus nocenter exercebat medicinam, Iuppiter fulminis, tonitruique strepitu vindicavit offensam, & adussit vindicta famam. Ergo dum nocentem punnit (inquit Tertullianus *in Apologetico, cap.* 4.) deterior apparuit. Ipsum audi: *Est & ille de lyricis (Pindarum dico) qui Æsculapium canit avaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum. Malus Iuppiter, si fulmen illius est, impius in nepotem, inuidus in artificem.* Fas erat corripere auaritiam, sed & fas illæsam seruare famam: ergo dum Iuppiter tonitruo, fulmineque vtitur, detestando aduri liuore proditur: *Inuidus in artificem.* Silenter corripere fuisset charitas, læsisse famam malignitas. Deliquit Ionathas favum comedendo, quidam illum admonuit, sed aliis delictum non propalauit: *Respondénsque vnus de populo ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodiè.* Hoc Ionathæ piaculum cœlesti sorte posteà divulgatum est: *Captus est Ionathas.* Et quidem sorte otiosum videbatur inquirere, quando poterat, qui viderat, evulgare. Si Ionathæ denuntiauit edictum, referat etiam admissum aliis piaculum. O bonam correctionis formam! Admonuit Ionatham, ne iteraret lapsum, apud alios tenuit silentium; corrigere optauit culpam, infamare timuit personam, vt constaret correctionem illam à pietate exortam, non ab odio, aut æmulatione prognatam. Adest Abulensis quæst. 19. *Hoc autem dixit ille vir Ionathæ, vt sciret quod peccabat, & non comederet amplius sic autem fecit, vt ait Iosephus, scilicet quòd immediatè reiecit favum ab ore.* Correxit, ne iteraret peccatum, & vt correctum vidit, tenuit silentium, cùm eo alij infamandi pruritu vrgeantur, vt tectam etiam pœnitudine culpam in publicum afferant, vt famam lædant.

TEXTVS.

Vers. XXIX. & XXX. Dixitque Jonathas: Turbauit pater meus terram: vidistis ipse quia illuminati sunt oculi mei, eò quòd gustaverim paululum de melle isto: quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum quam reperit? Nónne major plaga facta fuisset in Philisthiim?

§. LXIX.

De alienis erratis delicto quæritur patrocinium, non pœnitentiæ remedium.

EO errore peccatores tenentur, vt non quærant medicinam, sed suspiratint tutelam: in sui defensionem afferunt grandia aliorum delicta, & cùm accurrere teneantur, ad pœnitudinem, quia non adeò grauiter, vt alij, deliquerint; quærunt laudem. *Viqui illam magis excusari capit* (inquit Tertullianus *de Monogamia, cap.* 15.) *quæ in prælio cecidit, quam qua in cubiculo, quæ in equuleo succubuit, quàm quæ in lectulo, quæ crudelitati cessit, quàm quæ libidini, quæ gemens victa est, quàm quæ subans.* Quæ cessit famis, culpam alleuat, quia aliæ cesserunt solum libidini: nam grauior aliarum reatus adducitur in erroris patrocinium, quasi minus deliquisse fuerit laudandum. Est enim vitium stilus ad aliorum confugere delicta, vti ad secura tumina. Eva, vt se excusarit, allegauit serpentis vafritiem; Adam Evæ attulit instigationem, quasi alieno maiora perpetrasse minoris delicti fuerit tutela, & de grauiori scelere videatur laudabilis quodammodo culpa *Serpens* (aiebat Eva) *decepit me, & comedi. Genes. 3. vers.* 13. Ac si dicat: Quid mirum est me comedisse ingenti adeò præmio oblato, quando serpens deliquit nullis spebus suffultus, sed in Deum odio detestabili sufflammatus. Adest Rupertus *lib.* 2. *in Genes. cap.* 13. *Quasi firmitatis, aut rationis haberet aliquid hæc defensio.* Graviorem serpentis vafritiem attulit Eva veluti criminis à se admissi defensionem, quasi esset præmio digna, quia leuiori culpa fordidata. Hinc est, quod Ionathas veluti hæreditaria consuetudine patris exaggerarit reatum, vt à se admissum inaurarit delictum. *Turbavit pater meus terram.* Ipse violato exercitus turbauit ieiunio, nec esse mirandum ait, cùm Saül imprudenti totam terram turbauit præcepto. *Abeffectu experto in se ipso* (inquit Caietanus) *& effectu, quem videbat in populo, censet Ionathas præceptum patris nimis basse populum.* Adstipulatur Hugo: *Turbavit, id est populum terræ deficere fecit fame.* Ac si dicat: Ego imprudens violarim edictum, pater meus grauissimum commisit erratum, cùm fame oppresserit totum populum. Ecce recurrit ad grauius Saülis peccatum, vt peccati sui quæsuerit patrocinium, quia de more est peccatoribus in sui defensionem afferre grauiora ab aliis perpetrata, & commissa.

§. LXX.

Ea est peccatoris cæcitas, vt dum nititur peccatum minuere, inveniatur aggravare.

CVlpa confessione releuatur, pœnitudine tegitur. *Tantum releuat* (aiebat Tertullianus *lib. de Pœnitentia, cap.* 8.) *confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat: confessio enim satisfactionis confitium est, dissimulatio contumacia.* Adnectit: *Cum accusat, excusat:*

excusat: cùm condemnat, absoluit. Ad pœnitentiam debuissent peccatores accurrere, vt detergerent offensam, & inuolant ad reatus excusationem, quo imprudenter ingrauant culpam. Quod Tertullianus de Veneficis scribebat, huic thesi congruit. *Eadem industria* (inquit de animâ, *cap.* 46.) *etiam per veneficia fallentes medicinarum, & admonitionum, & prænuntiationum, quæ magis lædant iuvando.* Venefici videntur recurrere ad aliqua medicamina vti ad salutis auxilium, cùm morborum sint incrementum. Adam aiebat: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Gen. 3. vers.* 12. Mulier fabricata in Adami solatium ingens erat Dei beneficium: ergo, dum à muliere quærit excusationem, exaggerat prauitatem, quia non debuit detorquere beneficium ad benefactoris probrum. Vnde benè Rupertus *lib. 2. in Gen. cap.* 15. *Quasi firmitatis, aut rationis haberet aliquid hæc defensio, & non potiùs accusatio esset quàm excusatio.* Adam adnitebatur excusare reatum, & incrementauit delictum. Obiciebat Evam sibi datam à Deo, & incrementabat ingratitudinis culpam, vt alleuaret offensam, & Ionathas hæreditario etiam deliquit excusationis errore, vt sui reatus attulerit causam, patris abrodit vti rigidum præceptum: *Turbauit pater meus terram*, qui violati ieiunij quærebat excusationem, patrem incusans novam addidit grauitatem: quandoquidem filius potiore iure tenebatur obseruare, quod extraneus nec fauis illectus, nec fame luridus tentauerat præterire. Estò pater tertam turbasset, filij erat aut tacere, aut honestis coloribus excusare. *Ab effectu experto in se ipso* (inquit Caietanus) *& effectu, quem videbat in populo censet Ionathas præceptum patris turbasse populum.* Itaque affert fame luridum populum, vt proprium excuset factum, sed hoc ipsum erat transgressionis augmentum; quandoquidem ipse solus patris edictum noluit obseruare, quando tot populos adspiciebat implere.

§. LXXI.

Peccatores commoditatis venenum non semel arbitrantur auxilium.

EVa fructum decerpit, quo effecta diuina nesciat venenatem, & ignoret prorsus dolorem: *Eritis sicut dij.* Paradiseis diuitijs aliquid addere voluit, & paradisum totum amisit, asserere, pomum decerpens, æternitatem ambiuit, & in se mortem præmaturam armauit. Itaque suspirans antidotum hiauit cæcis oculis ad venenum. Notauit Philo de Mundi opificio: *Continuò mercedem voluptatis habuerunt, qui primi se se in seruitutem dederunt molesto huic morbo, & insanabili; mulier quidem vehementes dolores parturitionis, & in reliqua vita continuas tristitias, præsertim in gignendis, educandisque liberis agrotis, saniisque.* Adnectit: *Vir item pro parte sua labores exantlandi sunt propositi, sudoresque continui, vt acquireret necessaria victui: præterea multatur vbertate terræ spontanea, quæ prius absque agricolæ opera, arteque fertilitatem didicerat.* Ad vetitum involarunt pomum, vti ad prodigiosum vtilitatis augmentum, & profundum felicitatis inuenerunt naufragium. Nec aliter Ionathæ contigisse videtur. Existimabat; si populus de præda comedisset, maiorem hostibus plagam inflicturum: *Nonne maior plaga facta fuisset in Philisthiim?* Adeò tamen est falsus, vt mel gustatum inimicorum fuerit auxilium. Notauit Ambrosius sæpè datus: *Intelligimus, quòd Saül hostes non tam virtute militum, quàm militum abstinentia superabat.* Opus erat abstinentia, vt posset populus hostes vincere, & existimabat Ionathas ob abstinentiam aduersarios non superare. Adstipulatur Beda *lib. 1. Reg. cap. 6. Non potest contra allophylos spirituales, id est, aduersus Principes tenebrarum harum viribus, armisque pugnare, qui adhuc huius mundi negligit dulcedinem declinare.* Degustato melle defecerunt ad pugnandum vires, & putabat Ionathas, cùm mel esset virium excidium, roboris futurum augmentum. Sapiens de morte loquens sic aiebat: *Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam amicam defluxerunt.* Sap. 1. *vers.* 16. Impij non iam cæcutientes, sed oculis prorsus captis, dum suspirauere vitæ commoda & carnis oblectamenta, mortem sibi maturarunt, & dolores addiderunt. Adest Lira: *Æstimantes illam amicam, id est, sibi conuenientem propter habitum vitiorum inclinantem ad malum.* Vitium, quod reuera est salutis, corporis, & animi certissimum detrimentum; deliri peccatores arbitrantur vitæ fulcrum, salutis auxilium. Ionathas existimat mel vires contra inimicos augere, & effectus ipse ostendit minuere.

§. LXXII.

Quò sensus corporis floret vegetior, eò contra hostes vigor animæ inuenitur infirmior.

SEnsus ferè semper rationi inimici, & quò vegetiores, viuidioresque, validiùs in rationem irruunt, & æquitatis hostibus opem ferunt. *Crapula* (aiebat Eusebius apud Stobæum, *cap. 6. corpus pingue facit, stuporem inducit, animi verò, quod optimum est, rationem sopit.* Vndè aiebat Psalmista: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psal. 48. *vers.* 13. Repetamus historiam. Mulier serpentinis fraudibus impetita oculos expandit, & floridam arboris plantam non sine iucunditate conspexit: *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Vtinam non adeò viguisset aspectus, vtinam cæcutiret tunc visus, vt in brutorum censum homo non lugeret relatus, & furentis adinstar equi meliori parte præcipitaretur cæcus. Audi Chrysologum *serm.* 74. *O si nebulæ fumus illius mulieris tenebrasset aspectum! O si terra nubes lethalis pomi speciem caligasset! O si manus tangens inconcessa tremuisset! O si peccati diem tenebrasset nox iniusta, & lamenta mundi, & incrementa mortis, & creatoris iniuriam tunc tulisset.* Sensuum vigor fuit prudentiæ, ac rationis defectio, & mulier, dum accutiùs intuetur, serpenti imprudentiùs auxiliatur. Vtile fuisset tactum obstupuisse tremore, visum obtenebrari caligine; nam si oculi tunc cæci, lamentis nunc non inuenirentur obnoxij. Ecce Ionathas inimicos Dei, hostésque persequitur, quousque degustato melle oculorum vigor reparatur: *Illuminati sunt oculi mei, eò quòd gustauerim paululum de melle isto.* Ante gustatum mel languebant oculi, sed cadebant aduersarij, iam saporato melle degustato oculus viguit, sed animæ robur elanguit. *Præ labore multo debiles effecti* (inquit Caietanus) *spiritus refociliati sunt, ita vt sensibiliter immutatio appareret in oculis, tanquam restauratus fuerit visus.* Visus viguit, sed quid restaurato visu acciderit audi ex Ambrosio *serm.* 25. *Deficit virtus in exercitu, vt deficit in obseruatione ieiunium.* Ieiunio aspectus elanguit, sed acerrima virtus in hostes viguit, emarcuit virtus, vbi vegetior floruit aspectus; quasi sensuum robur victoriæ fuerit fascinum, & Dei inimicorum auxilium. Ionathas aspectu debilis obtinebat victoriam, visu prævalens incurrit mortis sententiam quasi de sensuum salute animi generetur infirmitas, & de infirmitate animi oriatur exitialis hostibus animositas.

TEXTVS.

VERS. XXXI. Percusserunt ergo in die illa Philisthæos à Machmis vsque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis.

§. LXXIII.

Labor ob virtutem brevi spatio finitur, & laboris præmium limite nullo taxatur.

PHilo *lib. de sacrific.* Abelis perbellè aiebat: *Virtutes carent tempore non solùm quia tempus omne potest virtuti famulari, sed quia virtutum præmia nescium terminis circunscribi.* Abel post mortem viuit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Genes. 4. vers. 10.* Pascendi oves labor finitus est, sed Abelis vita post mortem durat, quia præmium tempore non clauditur, nec numero annorum finitur. Notauit Seleucienſis Basilius, *orat. 4. Vitam sustulisti, sed non & vocem abstulisti. Sanguinem contra te accusatorem armasti, cæde adversarium conciuisti tibi immortalem.* Temporanea fuit gregis cura, sacrificij hostia, sed vox Abeli resonabit æterna. Vsque ad tertiam noctis vigiliam stant discipuli præcincti, & contra nocturnos inimicorum impetus obarmati: *Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.* Luc. 13. *vers.* 38. Vides cinguli laborem, & excubiarum molestias vsque ad secundam vel tertiam noctis vigiliam extendi; non tamen inuenies tranquillitatis, conuiuijque tempus taxari. *Faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Et cur quanto tempore conuiuium duret, non praescribitur, si cinguli tempus præscribitur? Iam respondet Chrysologus *serm. 24. Expectatio tota nouissimo venientis finitur aduentu, vt sicut ille resurrexit nobis, ita nos illi iam perpetuam resurgamus ad vitam.* Ad vitam resurgimus immortalem; verùm cùm virtus secum laborem, & vitium voluptatem offerat detrectamus alterius molestiam, & sequimur alterius fallaciam: verùm debuimus attendere breuem molestiam grandi præmio compensari, & fallaciam breuem ingenti labore solui: *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam & alteram odiosam &c. non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum dabitque ei de bis, quæ habuerit; cuncta duplicia.* Deuter. 21. *vers.* 15. Si odiosa pepererit primogenitum, gaudet primogenitus naturæ nobilitate, & honore, diuitiarumque parte duplici: dilectæ filius eo in casu nec naturæ honore fruitur, nec diuitiarum incremento honoratur. Quod allegoricè interpretatus Philo lib. de sacrificiis Abelis, voluptati accommodat, & virtuti. Voluptas vxoris sortitur nomen, quia homo nisi interueniente morte refugit ab ea disjungi; dilecta habetur, quia cum blandimentis, illecebrisque affectum sibi conciliarit, virtuti præponitur, & præ virtute diligitur. Virtus laborem affert, quo exasperatus animus odit, & refugit verùm huius fructus primogenitus antefertur, & labor duplicatis diuitiis fruitur Audi Philonem: *Alteram diligimus, quam putamus mansuetam, mitem, amicissimam: hæc vocatur voluptas. Alteram verò odimus, rati efferam, immitem, immansuetámque, & nobis infensissimam: hæc virtus nominatur.* Virtus parit laborem, sed primogenitum, sed multis diuitiis fruiturum: voluptas filiam parit, scilicèt fallaciam naturæ honore priuandam, & diuitiis exuendam; vt liqueat interueniente morte magnum virtutis præmium futurum, vt laborem fructibus duplicatis solandum, & voluptatis filiam postponendam, censúque mudandam. Hebræi cibo vsque ad vesperam interdicuntur; & famis molestia diuexantur: verùm reportata vno die victoria, iam vesci licet plurima præda: *Percusserunt ergo in die illa Philisthæos à Machmis vsque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis.* Vidisti famis laborem vide defatigationis mercedem: *Et conversus ad prædam tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra.* Ad quæ Caietanus: *Terminus dies describitur, in quo comedere concessum est.* Teneriores vituli, pingues oues, arietes crassi per dies plurimos conuiuiis epulas ministrarunt; fames, & defatigatio vnica tantum die laborem attulerunt. Vt noueris virtutem afferre breuem laborem, & innoxam plurimam vtilitatem.

§. LXXIV.

Vbi animæ inimicus euertitur, & vitæ tempus producitur.

NOn sine arcano vbi ab Israëlitis inimicus euertitur explicatur. *Vsque in Aialon*, ibi namque dies productior, & lux micantior. Nam cum Iosue hoc in loco hostes etiam insequeretur, Sol, & luna steterunt, diémque mirabiliter protelarunt: *Sol contra Gabaon ne moueatis, & luna contra vallem Aialon.* Iosue 10. *v.* 12. In Aialon longiores sunt dies: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies.* Ergo Israëlita in Aialon Philisthinos deuastando dicitur peruenisse fortasse vt noueris ibi dies produci, vbi Dei hostes constat vastari. Innuit aliquomodo Abulensis *quæst. 21. De isto loco dicitur Iosue cap. 10. Sol contra Gabaon ne moueatis, & luna contra vallem Aialon.* Itaque ibi longiores sunt dies, vbi atteruntur & hostes. Ezechias de inimico triumphos accepit fletibus, & orationibus partos. *Quia deprecatus es me super Sennacherib Rege Assyriorum, audiui.* 4. Reg. 19. *vers.* 20. Angelus orationis Ezechiæ armis Assyrios occidit. Quid tunc? Iam Ezechiæ vita additur, & salus producitur: *Addam diebus tuis quindecim annos. Cap. 20. vers. 6.* Qui orando inimicos devicit, vincendo vitam sibi protelauit, & auditor tempus productum, vbi inimici robur legitur etiam euersum. Vt noueris virtutibus inseruiêtes, & de animæ aduersariis triumphantes longiori frui vita, & triumphali palma. O quot dum indulgent vitiis, dum iniuriam sequuntur cupiditatem, acerbam ascíuerunt sibi mortem! Diù produxissent etiam, si tulissent de voluptate victoriam. Adi Tertullianum lib. 3. aduersus Marcionem, & apud Glossam. *Æmulus Ezechias populi corrector inertis, ablatis legem qui restaurauit iniquitas olim mandata Dei prior omnia iussit, qui precibus bellum non ferri cuspide soluit. Hic moriens lachrymis annos, et tempora vitæ accepit meritò talem tulit actus honorem.* Lachrymis quidquid culpa defœdarat abradens, Deique mandata religiosè custodiens, hostes orationis cuspide euincens mortem abegit, & spatia vitæ produxit, vt si longæ vitæ teneris voto, huius eruditus exemplo.

TEXTVS.

VERS. XXXII. Et versus ad prædam tulit oves, & boves, & vitulos, & mactauerunt in terra comeditque populus cum sanguine.

§. LXXV.

Principum difficilia etiam præcepta inviolate observantur, facilia mandata Numinis contemnuntur.

PRincipum non solum obseruantur mandata, sed desideria. *Quia interueniente mortali conditione* (inquit Cassiodorus 8. *variar.* 26. de Principe loquens) *nequeunt*

nequiuit cogitata complere, necesse nobis est eius vota perficere, ne tantus vir de aliquo inaniter iudicetur bona potuisse sentire. Ecce Athalaricus, vt aui sui desideria compleret Quidilanem dignitatibus exornauit, & qui aui paruit votis, in omnibus suis obediri voluit mandatis. *Atque ideò præsenti auctoritate præcipimus, vt eum priorem feliciter habere debeatis, & quæ ordinauerit pro disciplina seruanda, vbi nostra maximè vtilitas continetur, in omnibus obedire debeatis.* In omnibus obeditur Regis mandatis, immò, vt iam vidimus, votis, cùm Dei præcepta sæpissimè contemnantur, & imprudenti audacia violentur. Saül durum edictum promulgauit, ne quis scilicet quantumuis fame diuexatus, aut labore attritus vsque ad vesperam quid comederet. Quid tunc? Populus nec fame stimulatus, nec pugnæ labore attritus manum ad fauos extendit, quantumvis opportuna occasio alliceret, immò, si fas est dicere, cogeret: *Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullúsque applicuit manum ad os suum.* Non multò post transacto iam edicti tempore, & præda ab aduersariis erepta populus vitulos comedit cum sanguine: *Tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra, comeditque populus cum sanguine.* Hinc quæstio exoritur. Si Leuitici 17. cautum est sub grauissimis pœnis, ne quis sanguinem comedat: *Si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.* Leuit. 17. vers. 20. Si adeò facile erat à mactatis vitulis omnem sanguinem eliquare, cur tantisper non expectet populus, vt Numinis adimpleat mandatum, quando longo tempore fami, laborique vim intulerat, ne violaret Regis præceptum? Saulis edictum asperum erat, à carne sanguinem expungere facile, & commodum. Si ergo obseruarunt ardua, cur non obseruarint facillima, aut si, vt sanguis efflueret, expectare tantillum noluit impatientia, cur tam longo tempore ieiunium protraxerit tolerantia? Facilis solutio. Quia aliud erat Saulis præceptum, & Numinis aliud: ergo facilis obseruantia à Numine iussa contempta est, & obseruantia difficillima, quia à Rege imposita non est violata. Notauit Chrysostomus apud nostrum Sanctium: *Cùm tot essent ipsos allicientia, disciplinam seruabant.* Ante oculos erat mensa saporata, interiùs vrgebat fames durissima, & tamen reuerenter Regi obtemperarunt, qui, ne tantisper expectarent, cum sanguine vitulos comederunt. Adde Regis præceptum sub mortis temporalis pœna adurgere, Dei præceptum æternam pœnam minari: *Obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo meo.* Animæ auditur periculum, & ne per horæ quadrantem fames sustineatur, despicitur: vitæ discrimen appetit, & ne incurratur, vrgentissimæ famis tormentum vsque ad vesperam sustinetur. Adeò paruipendunt homines animæ salutem, dura adeò tolerant ob vitæ conseruationem!

§. LXXVI.

Felix fames, quam saturitas remunerat, infelix saturitas, quam dura fames diuexat.

PVrpuratus ille, qui indigeriem suam ructabat ad cœlum, qui differta, saporataque vtebatur mensa, ardenti siti torquetur: *Crucior in hac flamma.* Luc. 16. vers. 24. Lazarus siti, fameque adustus cum Abrahamo recumbit ad mensam, & aquarum limpidissimum fontem potitur. Opiparæ mensæ, & fœcundis calicibus succesit sitis nunquam satianda, vrgenti Lazarum siti, crystallina, indeficiensque recreauit vnda; vt noueris fuisse infelicem alterius ingluuiem, & alterius felicissimam famem. *Sitit* (aiebat Chrysologus serm. 66.) *aquæ guttam, qui vitæ lacus, ne guttam daret, incluſit.* Addit de Lazari siti: *Recipit pro doloribus requiem... pro siti refrigerij fontem; pro fame cælestis mensæ delicias sempiternas.* O stupendas vices, ô pauendas rerum mutationes! Malo cum Lazaro sitire, quàm cum diuite voluptatibus exundare. Dei populus vsque ad vesperam fameſcit, & sitit, nec tamen ad saporatos fauos manum extendit, sed præda posteà copiosa fruitur, nec mensis tempus taxatur: *Tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra.* Fauum contempsit, sed inuenit pro fauo vitulum, & optimum, & tenerrimum. *Coxerunt* (inquit Hugo) *& comederunt.* Vna die tulere ieiunium, sed copiosissima præda per dies multos opiparum instruxerunt conuiuium. Paulus vbi retulit se fame, sitique diuexatum: *In fame, & siti, in ieiuniis multis.* 2. Cor. 11. vers. 27. retulit etiam se in paradisum adductum: *Et scio huiusce modi hominem, quoniam raptus est in paradisum.* Cap. 12. vers. 3. In paradiso crystallinus, & perennis fons dulces vndas offerebat, fœcundæ arbores copiosum, & saporatum fructum subministrabant, & iam qui exiguo tempore fame, sitique diuexatus, differta mensa, & amœnissimis torrentibus gaudet circumfusus. Felix Pauli sitis, quam sequuta est dulcis aquarum vbertas; non adeò felix vbertas, quam ardens sequitur sitis. *Bis raptus est homo ille* (inquit Anselmus ad hunc locum) *id est, in tertium cœlum, & rursus in paradisum, de quo Dominus latroni promisit: Hodiè mecum eris in paradiso.* Per famem, & sitim adeptus est, quod latro per crucem, quia non modica crux est fame tabescere, siti aduri; sed optanda sitis, quæ crystallinis vndis satiatur, & exambienda fames, quæ pomis saporatis expletur.

§. LXXVII.

Qui aliena deglutit, cum suis aliquando euomit.

ACham, dum aliena cupit, quæ possidebat, deperdit: *Cuncta, quæ illius erant igne consumpta sunt.* Iosuë 7. vers. 25. Furatus est aurum, vt adaugeret diuitias, sed possessa tulere flammas. *Omnia, quæ sunt eis* (inquit Augustinus) *Deus igne cremanda prædixerit.* Iniqua diuitiarum auctio diuitiarum fuit imminutio, & qui voluit ditescere malè adquisitis, mulctatus est benè partis. Nabucho aquila grandis ad Libanum innolauit, & frondium summitates non sine violentia auulsit: *Tulit medullam cedri, summitatem frondium eius auulsit.* Ezech. 17. vers. 4. In aquila Nabuchodonosor denotari tradit Interlinearis: *Nabuchodonosor, de quo Oseæ quasi aquila super domum Dei.* Consonat Theodoretus sect. 3. in Ezechielem: *Hic Nabuchodonosor innuitur.* Audis raptis frondibus exornatum, vide prorsus frondibus, & fructibus nudum: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius.* Dan. 4. vers. 11. Cum raptis, quæ germinauerat, folia amisit, & dura perpessus vincula ingemuit. Huc voco Saluian. lib. 1. ad Eccles. *Lucro pecuniæ damna sua ementes, vt acquirant, quæ non sunt sua, prodigunt, quæ sunt sua.* Quàm vernaret Nabuchodon. viridibus foliis, micantibus fructibus, ni summitates frondium diripuisset! verùm dum insatiabili hydrope, dum nunquam satura fame alienas frondes deglutiuit, cùm propriis fructibus, & foliis euomuit. Tribus cuneis instructis Philisthæi Israëlitarum bona prædati sunt: *Ierant ad prædandum;* & modò non solùm amiserunt rapta, sed propria; nam Israëlitæ deprædati sunt prædatores: *Versus ad prædam tulit oues, & boues, & vitulos.* Philisthæi amiserunt & quæ modò allata, & quæ sua. Ita Abulensis quæst. 21. *Manifestum est, quòd tantus exercitus non esset sine multis alimentis; erat enim turba innumerabilis, vt patet præcedenti capite, & quia subitò, & præter spem coacti sunt recedere de castris, necesse est, vt maneret ibi magna copia ciborum, quam Israëlitæ poterant rapere.* Sol-

Eman. de Naxera in Reg.

uerunt Israëlitis ablata grandi fœnore, & quibus putabant augere substantiam, incrementauerunt sibi miseriam. Nam quidquid alienum, est diuitiarum tinea, facultatum ærugo, & commoditatum rubigo.

§. LXXVIII.

Nihil ex tuis apud hostem remaneat, vt consummata victoria floreat.

ETsi hostis fugiat deuictus, si quid victoris secum tuletit, non plenus resplendet triumphus; solabitur namque calamitatis lamentum, si deferat adquisitum spolium, & erit calamitatis solatium. Christus Dominus triumphantium exemplar, vt suum adornaret cumulatius triumphum, illigatam asinam, & pullum solui, & ad se imperauit adduci: *Inuenietis asinam illigatam, & pullum cum ea, soluite, & adducite mihi.* Matth. 21. *vers.* 2. Ad equitandum satis videbatur asina, aut pullus, cur ergo iubeat vtrumque afferri? Quia etsi satis esset alter ad carpendam viam, erat vtroque opus ad consummandam victoriam. Nam cùm serpens Adamum, Euamque in brutorum quodammodo censum retulisset, & peccatorum vinculis illigasset, vtrumque oportuit dissolui, vt augusta resplenderet victoria, nec hosti remaneret aliqua solaminis vmbra. *Implet* (aiebat Theophylactus hic) *prophetiam & iuxta historiam, & iuxta anagogen.* Ioannes notauit floridis palmæ ramis Christi Domini triumphum nobilitatum: *Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei.* Ioan. 12. *vers.* 13. Augustinus accepisse palmas ait, vt perfectum celebrarent crucis triumphum, & dæmonem prorsus attritum, & subiugatum: *Rami palmarum laudes sunt* (inquit in Catena Ioan. 12.) *significantes victoriam, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus.* Vetita planta veluti inescato hamo Adamum, Euamque diabolus rapuit: ergo Christus crucis planta asinam, & pullum eripuit, & triumphum nihil apud hostem relinquendo nobilitauit. Hinc est, quòd populus detritis hostibus ad prædam conuersus est: *Versus ad prædam tulit oues, & boues, & vitulos.* Satis non erat ad triumphum hostem fugare, si, quæ rapta, Hebræi non recuperarent, sed hostes secum deferrent: ergo erepta est ab hostibus præda, vt integra resplenderet victoria. Notauit Abulensis *quæst.* 21. *Abstulerunt prædam hostium, sed non de illis rebus, quæ semper fuerant hostium, sed de rebus, quæ fuerant Israëlitarum.* Ne obscuraretur triumphi gloria, curarunt studiosè amissa recuperare, & de manibus inimicorum eripere. Amalecitæ Siceleg oppugnantes omnia, quæ ad Dauidem pertinebant, secum duxerunt: *Non interfecerunt quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo.* 1. *Reg.* 30. *vers.* 2. Hoc in statu, cùm quidam seruus morbo impeditus remansisset, in Dauidis potestatem deuenit: *Dereliquit me dominus meus, quia egrotare cœpi nudius tertius.* Hic Dauidem duxit ad aduersarios de victoria sibi plaudentes, & incauta securitate otiantes, qui subita irruptione turbati inopinam stragem subierunt, & victoriam cum morte commutarunt: *Qui cùm duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ comedentes, & bibentes, & quasi festum celebrantes diem.* Celebritas luctus fuit exordium: *Eruit ergo Dauid omnia quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores suas eruit. Nec defuit quidquam à paruo vsque ad magnum tam de filiis, quàm de filiabus, & de spoliis, & quæcumque rapuerant, omnia reduxit Dauid.* Ecce quia Dauid nihil apud hostes remanere est passus, integer resplenduit triumphus, & quia Amalecita quid reliquit, quod in hostis veniret potestatem, versa est in tragœdiam palma, in calamitatem victoria. Prodest Iosephus apud Glossam: *Hunc Dauid habens ducem super Amalecitas, apprehendit eos in terra iacentes.* Ni quid Amalecitarum apud Dauidem maneret, attriti non deplorarent. Quo docemur, si plena de vitiis cupimus resplendere victoria, nil apud hostem relinquere; quia si quid derelictum, certum est nobis insidias moliri, laqueosque præstruere.

§. LXXIX.

Impensa à Deo hominibus beneficia non semel ad obsequium dæmonis inueniuntur deflexa.

EA est hominum ingrata cæcitas, & cæca fatuitas, vt contra Deum ex acceptis beneficiis conflauerint arma, & adornauerint bella. *Vitia omnia* (aiebat Seneca *lib.* 1. *de Beneficiis*, *cap.* 10.) *ab ingrato animo sunt, sine quo vix vllum magnum facinus accreuit: hoc tu caue tanquam maximum crimen.* Crimen est beneficia oblitioni tradere: crimen est digna compensatione non reddere, sed execrandum facinus ex ipsis beneficiis arma construere, & bellum contra largitorem mouere. Deus non sine grandi miraculo pauci, & exarmatis Hebræis contra innumeras, armisque instructissimas Philisthinorum acies victoriam concessit. Cúmque expectares reddendas Numini gratias, inuenies ex præda libatas dæmonibus hostias: *Mactauerunt in terra, comeditque populus cum sanguine.* Vetus, *Mactauerunt*, innuere videtur obtulisse sacrificia de præda. Cui obtulerint, dubium: sed nonnihil apud Abulensem *quæst.* 24. in honorem dæmonis existimant oblata libamina, celebrataque sacrificia: *Secundum quosdam populus peccauit hic comedendo cum sanguine, id est, faciens sacrificia idolis, & comedens sanguinem in sacrificio illorum.* Quis crederet de ipsa præda à Deo concessa præparanda idolis, ac dæmonibus sacrificia? Quis crederet triumphum à Deo mirabiliter concessum ad idolorum vertendum cultum? & tamen vix ditati sunt copiosa præda, cùm oblatis hostiis simulacrorum ornauerunt altaria. Et quidem errorem hunc, si adaptes moribus, satis reperies frequentem; nam plures, etsi fide, religioneque non deficiant, quæ à Deo acceperunt beneficia, expendunt ad pulchellarum ineundam gratiam, ad superbum vanitatis pompam, ad odiosam superbiæ insaniam. Nobilitas tumet, venustas libidini inseruit, facultas arrogantiam adauget. In præuaricationis materiam conuertitur, quidquid nobis à Deo generosè profunditur. *Vitis frondosa Israël* (aiebat Oseas) *fructus adaquatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria: iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulacra.* Oseæ 10. *vers.* 1. Fructus copiam, frondium venustatem in simulacrorum aris Israël profusè expendit, & quæ à Deo vberrimos accepit fructus, in detestandos conuertit ritus. Prodest Lira: *Multiplicauit altaria ad idololatriam exercendam.* Consonat Interlinearis: *Multitudinem, vel abundantiam fructuum vertit in multitudinem idololatriæ.* Satis non erat vni inseruire idolo, sed quia exundans fructus, ingratitudinis multiplicabatur reatus. Multiplex erat Venus, Bacchus multiplex, & quæcumque alia idola adorabat gentium delirium, hic etiam coluit Israëlitarum erratum. De præda præparata est dæmonibus hostia, & erecta contra benefactorem altaria.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXXIII. Nuntiauerunt autem Saüli, dicentes, quòd populus peccasset Domino comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis: volvite ad me jam nunc saxum grande.

§. LXXX.

Aliorum peccata correctori solum dicenda, & cæteros sunt celanda.

IVstus Abel voce vel occisus vtitur, non vt parentibus fratris homicidæ facinus denuntiarit, sed vt Deo, qui corrigere posset peccantem, retulerit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Gen. 4. v. 10.* Clamor silentiosus erat, non dirigebatur ad Adamum, vel Evam, qui nequibant delere peccatum, sed ad Deum, qui poterat abolere delictum. Notauit Ambrosius apud Glossam: *Hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat.* Non vulgauit aliis fratris delictum, ne obscuraret innocentiam, ei soli retulit, qui delinquentem poterat corrigere, vt inuiolatam germanitatis gratiam comprobetur seruare. Quàm raros Abel imitatores reliquit! Si quid nouerint, immò præsumpserint, palam effundunt dehonestandi libidine, non correctionis amore. Delinquentis parenti, qui corrigere quiret, filiorum, filiarúmque defectus studiosè absconduntur, cæteris non sine pruritu referunt, quia non emendæ satagunt, sed infamiæ. Peccauit populus carnes cum sanguine deuorando; eius peccatum solùm ad Principem refertur delatum, non apud alios effusum: *Nuntiauerunt autem Saüli, dicentes, quòd populus peccasset Domino.* Et cur obmurmurando legis transgressores non feriant, & exaggerando cæteris delictum prodant? Quia non agebantur ardenti in famandi desiderio, sed honesto corrigendi delictum voto. Audi Abulensem *quæst. 25. Hoc nuntiauerunt Scribæ, vt ait Iosephus, scilicet Doctores legis.* Adnectit: *Qui potissimè habebant zelum legis corrigentes omnia, quæ iniquè videbant fieri.* Zelo monebantur, qui Saüli, vt corrigeret, denuntiarunt; ducerentur liuore, si Saulem celarent peccatum, & exertis vocibus cæteris denuntiarent obmurmurando delictum; quando quidem religiosus zelus fugit denigrare infamia, & solùm cupit delinquentem avertere à præceptorum iniuria. Nonnulli mentito zelo tacenda evulgant, quia & sibi exambiunt zeli plausum, & delinquenti discupiunt dehonestamentum. Frater ille prodigi, cum non ignoraret fratris errores, patri non retulit, sed foris remanens omnibus denuntiauit. Non poterat adesse conuitio, qui publicè armabat linguam in fratrem; quando delicta corrigi poterant, tacuit, cùm correcta iam, effutiuit vt constare non duci zelo, sed odio: *Postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit occidisti illi vitulum saginatum.* Luc. 15. *vers.* 30. Invidiæ flammis probabatur adustus qui fratris publicè evulgabat defectus. Pius pater texit nudum, linguax frater infamabat vestitum. Notauit Chrysologus *serm. 4. Hic rediisse fratrem dolet, non dolet periisse substantiam, nec damni causa queritur, sed liuoris.* Attentiùs, audi quæ subjicit: *Qui fratrem reuestitum de suo decorare debuit, non debuit deperdito sic fœdare.* Frater tenebatur fratris delicta tegere, non vulgare; si pio inardesceret zelo, debuisset denuntiasse patri, non plebi: verum aduri se tetris liuoris flammis ostendit, dum cohibuit linguam quando poterant vitari delicta, & publicauit cum iam digna pœnitudine tecta peccata.

§. LXXXI.

Superior admissa debet corrigere, & impendentia scelera prouida celeritate vitare.

EA est mortalium fragilitas, vt frequenti lapsu corruat, & legum sancita infringat. Vt equus fræno eget, ne ardore cursus impingat, impingendoque corruat, sic populus eget rectore medico, qui vexantem alleuet morbum, & appetens eludat periculum. Vndè ille sapienter aiebat: *Non sum medicus in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me Principem populi.* Isai. 3. *vers.* 7. Ad superiorem spectat famelicos alere, nudos vestire, contractos morbos abigere, & imminentes prouidenter auertere. *Periclitantia confirmat* (aiebat Cassiodorus 6. *variarum* 19.) *quassata corroborat, & futurorum præscia valetudini non cedit, cùm se ager præsenti debilitate turbauerit, amplius intelligens, quàm videtur, plus credens actioni quam oculis. Vt ab ignorantibus penè præsagium putetur, quod ratione colligitur.* Vt medicina peritus periculo obuiat; cum infirmitatéque pugnat; sic bonus superior debet sanare vulnera, & ante vertisse pericula, Quod Saul videtur impleuisse, cum populi delictum carpsit, & ne iterum peccaret, remedium prouidit: *Prævaricati estis volvite ad me iam nunc saxum grande.* Peccauerant cum sanguine comedendo: ergo culpam reprehendit, & lapidem grandem statim erigi iussit, vt mactatis ibi arietibus sanguis efflueret, & peccati causa cessaret. Notauit noster Sanctius: *Nonnulli de populo, qui legis magis erant studiosi, & amantes, ad Regem deferunt conculcari patrias leges, & non expresso ex animali sanguine parari cibos. Tunc Rex prægrandè lapidem iubet excitari ad quem omnes deferrent quæ sumpserunt è præda, vt legitimè iugulent & legitimè comedant.* Celeriter prouidit remedium: *Volvite ad me iam nunc saxum grande,* & admissum carpsit peccatum: *Prævaricati estis,* dum prouidit, ne morbus serpat, & culpam perpetratam castigat; optimi Principis laude fulget, & exemplum cæteris præbet. Deus Adamum delinquentem carpit: *Vbi es? Gen. vers.* 10. è paradiso eiicit; & Cherubin gladio obarmatum ante paradisum statuit: *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium. Gen. 3. vers.* 10. Non solùm carpsit delictum, sed ne exinceps via ad peccandum, pateret, præclusit aditum. Notauit Tertullianus *lib. 2. contra Marcionem, cap. 25. Oportebat conscientia peccati delitescentem, euocatum prodire in conspectum Domini non sola nominis inclamatione, sed cum aliqua iam tunc admissi sugillatione. Nec enim simplici modo, interrogatorio sono legendum est: Vbi es Adam: Sed impresso, & incusso, & imputatiuo: Adam vbi es?* Vt formam superioribus præscriberet, invectus est in offensam, & iterandæ præclusit offensæ viam.

§. LXXXII.

Superioris aspectus subiectos continet in officium & obviat feriata districtione piaculo.

CVstodia legum aiebat Cassiodorus 4. *variarum* 33.) *ciuilitatis Iudicium, & reuerentia priorum Principum nostræ quoque testatur deuotionis exemplum. Quid enim melius, quam plebem sub præcepto degere velle justitiæ.* Ne arbitrio casuali vagarentur populi, regi disposuit Numen non solùm legum edictis, sed Principis etiam oculis. Sæpè absente Principe lex contemnitur, eius verò aspectu vel audacia procax frænatur. *Præmium est vitæ domino videnti seruire, cui nec culpæ celari* (verba sunt Cassiodori 12. *variarum* 18.) *nec*

bonum possit abscondi. Adnectit: *Cogitate etiam, quòd præsens facta vestra diiudico, aut gratias vobis Domini gaudens reddo, aut commonitionem Principis iratus attribuo.* Principis aspectus militis armat constantiam, obsequentibus ingerit energiam, legum sine voce persuadet custodiam. Ob id Saül, quia mactatis in terra vitulis deliquerat populus non solùm voluit in edito grandi lapide animalia iugulari, sed etiam eo præsente iussit id fieri: *Dicite eis, vt adducat ad me vnusquisque bouem suum, & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis Domino comedentes cum sanguine.* Rex non minus, quàm reliqui, labore, & ieiunio fatigatus erat; verùm immotus perstabat, vt iugulantes videret, culpasque vitaret. Quilibet ritè super lapidem iugulato ariete vescebatur, sed Rex non declinabat ad epulum, vt vitaret præsens piaculum, & boni Principis adimpleret officium; malebat muneris adimplere obligationem, quàm vrgentem solari famem. Notauit Caietanus: *Cerne zelum boni Regis, auctoritatem præsentiæ suæ interponit, ad hoc vt efficax sit monitio, ne iugulent animalia in terra, sed veniant iugulaturi super lapidem grandem, vnde possint animalium iugula pendere, & sic tutus sanguis effluere.* Nec prælij labor, nec famis cruciatus Regi persuaserunt oculos amouere, sed famelicus, & defatigatus animalium iugulationi adfuit, vt eius præsentia vitaretur populi culpa, vt qui nouerat quantum Principis valeat præsentia, vt legum illæsa vigeat obseruantia. Leonis ferociam vidit Ioannes in agni mansuetudinem commutatam: *Ecce vicit leo de tribu Iuda, & vidi: & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Apocal. 5. *vers.* 5. Profectò ad regimen prodest affabilitas, & congruit etiam seueritas: ergo Ioannes Leonem audiuit in promissione, & agnum vidit in exhibitione, vt doceat Principem, solùm rugitu incussurum timorem, & fuso sanguine allaturum salutem. Verum hic aliud resplendet arcanum, scilicet Principem inoculatum non egere asperitate ad puniendam culpam, quia prouidenti aspectu antevertit offensam. Iam Leonis rugitus conuersi sunt in agniculi balatus: & licèt Habacuc cum vidit cornua manibus gerentem: *Cornua in manibus eius*, cornibus iam gentes non ventilat, sed pacatè omnia componit, quia dum multiplicibus oculis instructus proditur, districtio dura feriatur. Oculi vocantur spiritus: *Qui sunt septem spiritus Dei*, quia aspectus subiectis refundebat spiritus. Sine districtione, sine plagis inflictis obtinuit oculus, quod fortassis non obtineret rugitus. Notauit Anselmus hic: *Dat illuminationem, quod per oculos notatur.* Oculus Principis throno stantis subiectos illuminat, & sine voce ad benè operandum excitat, nec iam indiget leonis seueritate, vt peccantes carpat, nam innoxios subditos vel agni intuitus conseruat. Tantum iuuat suis Principem adesse, eorumque actiones inspicere!

§. LXXXIII.

Bonus Princeps acriùs suorum obiurgat delicta, leniùs aliorum peccata.

THeodoricus, vt sumptuosius Cassiodorum laudaret, integerrimum adeo asseruit iudicem, vt nec in parentelæ gratiam culpas tegeret, nec nimia in alios districtione sæuiret. Ipsum audi 1. variar. 3. *Egisti te per cuncta iudicem totius erroris expertem, nec inuidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente sublimans: quod cum vbique sit arduum, tamen fuit in patria gloriosum.* Addere potuisset, *& rarum:* Nam frequenter si delinquens ad iudicem spectarit, leges interpretatur benignè, si non spectat, seuerè. Optimus iudex personam debet ignorare, & reatum solùm attendere, immo, vt omnem iniquam suspicionem depellat, asperiùs suorum delicta, aliorum leniùs corrigere debet peccata. Quod & Saül effecisse videtur: nam cùm populus deliquisset, blandè correxit: *Preuaricati estis*; & cùm Ionathas fanum gustasset, morti seuerus addixit: *Morte morieris Ionatha.* Graniùs populus, leniùs Ionathas comedendo deliquit. Et cur ardentiùs in filium excandescat, quam in extraneum? Quia si blandè cum filio se gereret, affectum reliqui suggillarent; si nimis asperè cum alijs, crudelem dicerent. Prodest Abulensis quæst. 26. *Saül voluit punire Ionatham pro peccato, quod fecit hic ignoranter; populo autem, quamquam ignoranter peccauerit, nihil comminatus est.* Simili reatu videbatur teneri extraneus, & proprius, & tamen Saül simili non puniuit, sententia, sed seuerius se gessit cum filio, quàm cum extraneo, communem affectionis scopulum vitans, & integerrimi iudicis famam conseruans. Antequam à se repelleret, & Sathanæ nomine dehonestaret, ter diabolum Christus sustinuit: *Vade Sathana.* Matth. 4. *vers.* 10. Petrus semel mori dissuadere conatus est, & acriùs obiurgat: *Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Matth. 16. *vers.* 23. Mira res! Si dæmon deliquit subdola vafritie, si Petrus humana, & beneuola peccat affectione, cur Petrus eodem rigore, immo duriùs ad speciem carpatur, & eodem nomine stigilletur? Fortassis dubitationis ratio est dubitationis solutio. Diabolus erat contrarius: Petrus amicus: ergo; vt superiores Dominus informaret, blandiùs se gessit cum æmulo, & asperiùs cum discipulo, ne quid vindicasse sibi videretur affectio, & ne abroderetur aspera extranei criminis obiurgatio. Audi Chrysostomum in Catena D. Thomæ: *Vade retro me Sathana, non fuit Dominus hac solum increpatione contentus, sed ex superabundantia voluit ostendere inconuenientiam dictorum à Petro.* In Petrum inuehitur, ne putarent discipuli priuilegij immunitate gaudere, aut leniter carpi. Saül etiam filij erratum mulctat duriùs, & erratum populi lenius: *Preuaricati estis.*

TEXTVS.

VERS. XXXV. Ædificauit autem Saül altare Domino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino.

§. LXXXIV.

Deo grata consecrauit obsequia, qui impedimenta proximorum delicta.

ALios à vitijs arcere, virtutibusque expolire, & Numini gratum, & virtutem zelanti inuentu gloriosum. Vndè Iacob, cum ad Dan benedicendum deuenitet, aiebat: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.* Gen. 49. *vers.* 17. Laudandus coluber, qui non rapti, sed equo morsum infigit, vt ascensor cadat, non dum oculos ad terram deprimat, sed vt felicis casus occasio ne liberiori aspectu cœlum aspiciat. Notauit Philo Agricultura: *Valdè doctè dictum est illud memoriæ dignum: Gaudet eques: vt si quis excidat à malis, non innixus assurgat, sed eò quòd sequitur, magis etiam detrimur, non prorsus, sed retrorsum esse cadendum, quàm delinqui à vitijs, affectionibúsque semper fuit vile. Debilibus enim rebus properatione, in turpibus tarditate opus est: rursum ad illas quidem accedere, ab his abesse quam longissimè, quando quò quis remotior est à prauis affectionibus, eò manet sanior.* Coluber ille, & cerastes equum momordit, non inuidentia, aut malignitate infectus, sed

sed virtutis studio, & religionis zelo laudabiliter inflammatus: tardare studuit brutalem affectum, vt ad virtutes eques arriperet cursum. Felix fuit illa ruina, qua elatione, vana gloriaque manumissa succedit virtus honesta: *Vt si quis excidat à malis, bonis innixus assurgat.* Veternosus ille coluber in paradiso armatus est in virtutem; hic verò solum solicitauit prauitatis ruinam, vt eques inuolaret ad gratiam: ergo sumptuosa Dan fruitur benedictione, quandoquidem morsu & gratum Numini fecit obsequium, & sibi æternandum acquisiuit elogium. Hinc est, quod Saüli laudi vertitur altare Domino consecrasse: *Ædificauit autem Saül altare Domino.* Quod altare? Lapidem scilicet illum magnum, qui erectus est, vt mactatis ibi pecudibus sanguis effluueret, & sic populus comedens non peccaret. Notauit Abulensis quæst. 26. *De isto autem aliqui dicunt, quòd non fuit aliud, quam lapis ille magnus, quem iussit volui Saül super quem totus populus pecora sua cecidit.* Ante quam erigeretur lapis mactatis in terra pecudibus populus delinquebat, quia carnes cum sanguine manducabat: ergo lapis, qui impediuit culpam, gratam Numini assurgit in aram, & Saül altare constituit, dum occasionem delinquendi præcidit: quæ erecto lapide impediebantur peccata, erant grata Numini sacrificia; nam acceptabile Numini obtulit sacrificium, qui proximorum prouidenter vitauit peccatum.

§. LXXXV.

Quidquid Deo grata deuotione impenditur, impendentis commodis applicatur.

LVerantur homines gratitudini debita obsequia, dum largitorem promeriti ad vlteriora prouocant beneficia. Nobilis gratitudo dignum sibi acquirit elogium, dum palam confiteri non erubescit acceptum. Cum sole relucere debent gratiæ Numini redditæ, & dum eulgant à tanta magnificentia promanantia, ornant accipientis merita; quandoquidem semper præsumitur benè collocatum, quod à summa sapientia agnoscitur dilargitum. *Lucrantur Principes dona sua* (aiebat Cassiod. 8. var. 23.) *& hoc verè thesauris reponimus, quod famæ commodis applicamus.* Cuius famæ commodis? Dilargientis profectò, sed etiam dixerim accipientis, quia aliis prælatus, iure creditur & meritis excedere eximius. Altare erigit Saül pro miranda à Deo accepta victoria, & ipso altari erigentis augescit fama: *Ædificauit autem Saül altare Domino.* Victoriæ testem altare constituit, & dum Deo debitas grates rependit, se etiam debellasse inimicos statuit. *Saül acceperat victoriam in sperata à Deo* (inquit Abul. q. 28.) *ideo pro tanto beneficio volens ei, quantum poterat, gratias agere, ædificauit altare, vbi offerret sacrificia.* Addit: *Sic quoque fieri potuit ad laudem ipsius Saül, vt maneret recordatio, quòd ibi vicisset Philisthinos.* Altare candida intentione constructum erat eloquens Saülis elogium, & in ipsa gratitudine reportatum à Saüle de hostibus legebatur trophæum. Huic veritati posset aptari, quod aiebat Tertullianus de Pœnitentia, cap. 2. *Hac opera negotium diuinæ misericordiæ curans, quod homini proficit, Deo seruit,* & quod Deo seruit, Saüli proficit. Nam eius memoria æternatur, dum altare ad Dei obsequium erigitur. Dauid gladium, quo Philisthæum trucidauit, Deo in triumphi memoria obtulit. Cumque posteà Sacerdos eodem Dauid gladio obarmaret, sic ait: *Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle terebynthi, est involutus pallio post ephod ipsum vis tollere, tolle.* 1. Reg. 21. *vers.* 9. Gladius Deo consecratus ad accepti beneficij memoriam, non sine hac oblitione interite Dauidis famam; idem gladius erat pro lingua ad publicanda Numinis beneficia, & Danidis etiam merita. Quod Deo seruiebat, proficiebat etiam Dauidi, & eius famæ commodis inueniebatur applicitum, quod Numini constabat sacratum. *Dicunt hic aliqui* (scribit Lira) *quod propter victoriam illam ille gladius, quo fuerat amputatum caput Goliæ, fuerat Domino consecratus.* Dum gratus Deo gladium consecrat, sine ambitionis crimine nomen æternat, & honestè suam adauget gloriam, eo ipso, quo depellit ingratitudinis ignominiam.

§. LXXXVI.

Quam populare Numinis iram inflammat delictum, placat oblatum altaribus holocaustum.

CHristus (aiebat Tertullianus de Pœnitentia, c. 10.) *patitur, Christus patrem deprecatur. Facilè impetratur semper, quod filius postulat.* Hominum frequentes lapsus Numinis iram inflammant, ne patiatur inultum, quod exoculata procacia exulcerat perpetratum; sed cùm agnus mundissimus altaribus oblatus vocalem pro peccatoribus patri mortem ostendat, facilè veniam exorat, quia postulanti, intercedentique pro hominibus filio à Patre summè dilecto, & meritorum censu ditissimo nequit denegari, quod efficacirer constat exposci. Præuaricatus fuerat populus cum sanguine comedendo, eo ipso tempore, quo insolita à Deo victoria Philisthæus ingemuit attritus, & profligatus: ergo Saül, vt quam populus iram famis concitauerat impatientia, prouidenter arceret, altare constituit, & sacrificium Eucharistiæ vmbram libauit. *Ædificauit autem Saül altare Domino.* Huius constructionis finem fuisse, quam merebatur populus, pœnam auertere, tradit ex Glossa Hugo Cardinalis, cuius verba sunt: *Ædificauit, vt pro peccato populi interueniret.* Prudenter Saül recurrit ad Eucharistiæ patrocinium, quando populi exasperabat peccatum, vt qui nouerat filio non posse denegari, quam paternis oculis reuerenter oblatus precabatur misericordiam impendi. Vt in vmbra perspicias quanta sit Eucharistiæ ad hominibus impetrandam veniam efficacia: *Ædificauit, vt pro peccato populi interueniret.* Iob, cùm inter conuiuia non deesse culpas sciret, filiósque suos alternatis conuiuiis, & differtis mensis se oblectare dignosceret, ad Sacramenti vmbram refugiebat, vt altaris holocaustum filiorum euaderet patrocinium: *Consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis.* Iob. 1. *vers.* 5. Quàm prouide diluculo sacrificium offerebat, vt præteriti diei deleret commissa, & præsentis auerteret præmaturè peccata. Ad Eucharistici sacrificij vmbram confugiebat, vti olim reus ad statuam Principis inuolabat. Principum statuæ contra iustam indicum iram salutarem accedentibus exhibebant tutelam, & ibi arcebat maiestas, quam merebatur pœnam iniquitas. Audi Chrysostomum homil. 3. ad Neophytos: *Sicut regnantium statuæ, quæ sine anima sunt, atque sermone, nonnunquam ad se confugientibus hominibus anima, atque ratione decoratis subuenire consueuerunt, non quia sunt ære confictæ, sed quia retinent imaginem principalem. Ita & sanguis ille, qui irrationabilis fuit, animos habentes homines liberauit, non quia sanguis fuit, sed quia huius sanguinis ostendebat aduentum.* Prophetali spiritu prænoscebat Iob agnum tunc altari oblatum esse agni Eucharistici typum: ergo offerebat agnum, quo filiis prouideret, & iram cælestis indignationis sopiret. Erat tunc agnus veluti regia vmbra, & statua, & Iob prudenter recurrens ad Eucharistiæ vmbræ auxilium, nobis præmonstrauit, quàm prosit peccatoribus veri agni altaribus oblati suffragium.

§. LXXXVII.

§. LXXXVII.

Insolita Dei beneficia immortali sunt celebranda memoriâ.

SAcrificia sale condiri præceptum erat : *In omni oblatione tua offeres sal.* Leuit. 2. *vers.* 13. Iubet legislator sal sacrificiis adhiberi, non solùm quia sal est prudentiæ symbolum, sed quia est immortalitatis argumentum. Voluit beneficia, pro quibus grata reddebatur hostia, citò è memoria non avolare, sed perenniter permanere. Notauit Philo lib. de Victimis: *Omni oblationi salem adhibebitis, quo significatur, vt anteà dixi, æterna durabilitas; sal enim conseruator est corporum.* Memoriâ debet beneficium retineri, vel postquam gratiarum actione redditum, & solutum. *Quis tam ingratus est* (aiebat Seneca lib. 3. de Beneficijs, cap. 1.) *quàm qui quod in prima parte animi positum esse debuit & semper occurrere, ita sepposuit, & abiecit, vt in ignorantiam verteretur.* Adnectit cap. 2. *Qui meminit, sine impedimento gratus est.* Sine sumptu gratus est, qui non permisit beneficium labi è memoria. Verùm etsi cuivis beneficio recordatio debeatur, illi præcipuè, quod vt fieret, largitor communem benefaciendi modum supergressus est: huius namque beneficij non est æqua conpensatio, si fatearis acceptum, sed satagendum est, vt in posterorum etiam memoria immortale viuat, & largitoris famam contra adsultus temporum inconcussam semper defendat. Acceperat à Deo Saul insperatam victoriam, & insolito modo concessam: ergo vt se exhiberet plenè gratũ, non solùm, vt alias, sacrificium obtulit, sed altare, quo memoriam æternaret, constituxit: *Ædificauit autem Saul altare Domino.* Notauit Abulensis q. 28. *Saul fecit altare ad memoriam victoriæ, & quamquam tunc obtulerit ibi sacrificia, magis tamen faciebat ad memoriam posterorum, vt scirent quoniam vsque ad locum illum Deus dederat magnificam victoriam Israelitis contra Philisthinos.* Nolùit altari alibi iam constructo vti, sed novum erigi, vt altare ipsum esset prolingua ad promulganda posteris accepta insoliro modo, specialique Dei fauore de Philisthinis trophæa: nec enim satis erat præsentaneis hostiis rem adeò insolitam compensare, sed oportebat ad futura sæcula mittere.

§. LXXXVIII.

Illud solùm inter obsequia est computandum, quod ritè, laudabilitérque perfectum.

OMne honestum (aiebat Seneca lib. 2. de Beneficiis, cap. 18.) *in arduo est, etiam quod vicinum honesto est. Non enim tantum fieri debet, sed ratione fieri.* Quidquid à ratione exorbitat, peccatum est; & quidquid manu impura oblatum, non sibi allicit accipientis affectum. Satis non est exhibere obsequium, ni circunstantiis debitis reluxerit decoratum. Saül hic dicitur primum constituisse altare : *Tunc primum cœpit ædificare altare Domino.* Hinc oritur quæstio : si modò primam erigit aram, quomodò suprà refertur litasse plurimam victimam ? Aut si suprà holocausta refertur obtulisse, quomodò dicitur hic primam aram ædificasse ? Iam respondent Lira, & Glossa, scilicet sacrificium aliud non fuisse ritè peractum, & ob id à numero fuisse exclusum. Suprà Saulem obtulisse sacrificia constat. *Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum, & pacifica, & obtulit holocaustum.* Sup. *cap.* 13. *vers.* 19. Innuit Lira: *Illud sacrificium Deo non placuit.* Consonat Glossa : *Tunc primum cœpit ædificare altare Domino, quia obedienter, & rectè. Superiùs verò, cùm increpatus est à Samuële, non dicitur ædificasse Domino, quia inobedienter ædificauit.* Nec sacrificium, nec altare aliud in numero computantur, quia carnisse circunstantiis debitis inueniuntur. Quid interest templo assistas, si venaticis oculis dimageris ? Quid interest exercitus pareas, si interiùs resistas ? Saul holocaustum antea obtulit, sed pro libito, sed aduersatus Samuelis præcepto : ergo illud altare à numero excluditur, & hoc solùm computatur, quia ritè, & laudabiliter constructum dignoscitur. *Non gaudet Deus* (aiebat Philo de Victimis) *centenis boum victimis, cùm sit cunctarum rerum Dominus, mavult pias mentes, & viros sanctitatis mediatores, à quibus popana, pultesque vilissimas, & gratissima munera libenter accipit, immo etiamsi nihil offerant, ipsos complectitur absolutos in omni virtutum genere pro victimis optimis?* Attentè contemplatur Deus offerentem, & solùm puritate exornatum à Numine probatur obsequium. Notauit Philo lib. de Victimis altare aureum pro adolendis odoribus constructum fuisse Arcæ proximius, & quodammodo sacratius, aliud verò pro mactandis victimis non ita proximum, nec si fas est dicere, adeò sacrum: *Pones altare contra velum, quod ante Arcam pendet testimonij coram propitiatorio, quo tegitur testimonium, vbi loquar tibi. Et adolebit incensum super eo Aaron suaue fragrans, mane.* Exod. 30. *vers.* 3. Deus non delectabatur pretiosiori altaris materia, nos tamen edocere voluit, gratius sibi esse, quod maiori puritate, & elegantia morum exhibetur obsequium, quàm quod non adeò virtutibus exornatum, & expolitum : ergo cum altari aureo micans puritas, claritatéque excelleret, fuit non solùm proximius, sed gratius. Redeat Philo : *Dei altare intelligitur grata sapientis viri anima.* Præmiserat : *Testatur lex tabernaculo poni duo altaria, materia loco, vsuque differentia. Alterum enim è saxis collectitiis inpolitis extruitur in atrio intra templi vestibulum ad immolandas victimas. Alterum verò aureum situm post primum velum in penetralibus nemini conspicuum, nisi Sacerdotibus functionis suæ tempore castitatem seruantibus, quod factum est adolendis odoribus : vndè liquet micam thuris oblatam ab homine pio Deo gratiorem esse multis hostiis, si offerenti non aliæ probitas.* Ex altari aureo thuris fragrabat mica, non expolitum altare plurima onerabat hostia, & tamen Deo gratissimus suffitus, quia ab altari, & expolito, & pretioso exortus. Si probitas desideretur, non adeò acceptum erit officium, si efflorcat, virtus, placens obsequium. Satis est thuris mica in aureo oblata ad affectum promerendum, & satis non erit munerum copia, si impoliti mores ad elucrandum.

§. LXXXIX.

Gratiarum actio gratum Deo obsequium, & felicitatis auspicium.

NObilis gratitudo, dum à Deo acceptum beneficium solvit, vlterioris felicitatis auspicium fit, & fausstum quo sinit. *Inter deos* (aiebat in Panegyrico Ennodius) *proximè agnouisse, qui præstitit, redditi est beneficium, quod descendit à superis, sola animorum licet mercede taxari. Fabricator mundi ad potiora munera modulatis inuitatur eloquiis : discite, si non pium loco opifici linguæ blandiatur.* Qui accepta beneficia tumulauit silentio, sibi ipsi inuidit, & munificentiam tardauit; qui palam, & grata lingua confessus est, potiora meruit, & largitoris animum sibi deuinxit. *Ad potiora munera modulatis inuitatur eloquiis.* Vbi Saul accepit à Deo eximium triumphum altare erexit, quo se accepisse publicaret, & publicatione solueret. *Ædificauit Saul altare Domino*, vt gratias ageret de accepto triumpho, & alios sibi promitteret hoc auspicio. *Ædificauit Saul altare Domino* (inquit Lira) *ad agendum gratias de victoria concessa.* Gratias egit de concessa victoria, & maiora de hostibus sperare reportat.

reportare trophæa; nam beneficium acceptum digna gratiarum compensatione soluere, est ad vlteriora excitare: *Et dixit Saül. Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos, vsque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum.* Et cur in construendo altari tempus inumat, qui aduersarios penitus atterere exoptat? Irruat in hostes, & posteà Deo referet grates, immò Deo voluit pro acceptis beneficiis soluere grates vt penitus delere quiuerit hostes, quod fuisset peractis gratis assequitus, ni Ionathæ delicto tardatus. Abraham filium offerre jubetur, sed mortem ipse, qui postulauerat contradicit. Gratus ob exemptum à morte filium offert arietem: *Obtulit holocaustum pro filio. Gen. 22. vers. 13.* Ariete oblato iam posteritas numerosa, iam de hostibus, illi promittuntur trophæa. Et cur modo iam Isaacus exultet cultris non obnoxius, & cultrum imminentem subeat à Deo concessus? Forte quia post Isaac natiuitatem non leges aliquod Abraham obtulisse largitori holocaustum, cum instructum in die ablactationis parauit conuiuium: ergo beneficium, dum ad speciem debita gratitudine non solutum, morti inuenitur obnoxium, ait cùm iam offert pro filio sacrificium, audit posteritatis longissimæ oraculum: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Semen multiplicatur, & quia vnigenito non pepercit, & quia rem Deo gratam fecit: *Quia fecisti hanc rem.* Quam rem? Obtulisse (inquit Zeno Veronensis *serm.* 1. de Abraham) agnum pro filio, tunc enim beneficium & securè possedit, & mirè auxit: *Inuenit victimam, quam innocens immolaret.* Magna fuit indulgentia sub casibus Isaacum viuere, sed & magna tunc holocaustum offerre; nam grato exhibito iam obsequio periculi exulauit & Abrahamus multiplicandi filium audiuit. *Ecce* (verba sunt Zenonis) *& meritum principale diuinam indulgentiam meruisse sub casibus.* Cùm agnum obtulit, se gratum exhibuit: ergo iam in tuto beneficium collocauit. Constructo altari iam Saul sibi hostes penitus delendos promittit, quasi altare ipsum fuerit felix auspicium, & faustum maioris triumphi præsagium. Notauit Philo lib. de Victimis ante alia sacrificia gratiarum actionis Deo sacrificium offerri, vtpotè Numini gratissimum, offerentique commodum. *Pones altare* (aiebat oraculum) *contra velum, quod ante Arcam pendet testimonij coram Propitiatorio, quo tegitur testimonium, vbi loquar tibi, & adolebit incensum super eo Aaron suaue fragrans, mane.* Exod. 30. *vers.* 6. Voluit Deus, vt qui diuina incipiebat vti luce, grates penderet vitæ, lucisque auctori quo auspicato inciperet homo diem. *Ideòne solum materiæ pretio, artificum opere, sanctitateque loci ara hæc augusta facta est, sed & hoc, quod apud eam quotidiè sacra exordium sumunt a gratiarum actionibus. Non est enim fas immolare foris, priùs quàm intus summo mane suffitus factus fuit.* Suffitus, hoc est gratiarum actio pro acceptis beneficiis felix erat offerenti auspicium, & Deo gratissimum holocaustum: ergo Saul altare construit in gratiarum actionem & dum offert holocaustum: fortunatum habet auspicium.

TEXTVS.

VERS. XXXVI. Et dixit Saül: Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos, vsque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne, quod bonum videtur in oculis tuis fac. Et ait Sacerdos: Accedamus huc ad Deum.

§. XC.

Iusti somno debita spatia impendunt in hostibus animæ deterendis vanituli in cupiditatibus, & otiositatibus concinnandis.

PLures sunt, qui alto sole iacenti semisomnes, horum vigilia medio die incipit, & adhuc illis hoc anteluciamum est, Lucem fugiunt, & in hoc aliquomodo sapiunt, dum videri nolunt. *Sunt* (aiebat Seneca *epist.* 122.) *qui officia lucis, noctisque peruertunt, nec ante diducunt oculos hesterna graues crapula, quam appetere nox cœpit.* Tenebras amant, vt voluptati, ac deliciis indulgeant; oculos videntur tenebrarum causa habuisse. *Hoc tamen* (prosequitur Seneca) *minimum in illis malorum dixerim. Quanto plus tenebrarum in animo est?* Omnia vitia naturæ ordinem deserunt, omnia videri refugiunt. Delicati somno spatia debita vitiis impendunt, diem honestis laboribus destinatum dormiendo insumunt. Hinc est, quod iusti honestè æmulentur peruersos, diem virtutibus consecrant, & nocte etiam, vt virtutes prosequantur inuigilant. *Actus tuus* (aiebat Cassiodorus 7. *variarum* 7. vigilum Præfectum alloquens) *venatio nocturna est, quæ miro modo, si non cernitur, tunc tenetur. Furta magis in furibus facis, dum illos circumvenire niteris, quos omnibus illudere posse cognoscis.* Latro noctis obseruat caliginem vt furetur: ergo vigilet nocte Præfectus, vt fur capiatur, oppressaque somno palpebras detineat; neque enim fas est Præfectum dormire, quando constat furem somnum oculis non videre. Hinc est, quòd Saül, quamvis diem in Dei hostibus euertendis laudabili defatigatione insumpserit, noctis etiam spatia in eis persequendis consumere procurauerit: *Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos.* Ecce noctem fatigationi, somnóque debitam honestis vigiliis consecrat, & labores laboribus recreat. Innuit Abulensis *q.* 29. *Intelligebat Saul, quòd magis poterant per noctem percutere eos, quàm die apparente. Et hoc quia per noctem essent Philisthini tranquilli, non existimantes, quòd persequuturi essent eos Hebræi.* Philisthini existimabant noctem suppetias sibi aliaturam, vt quæ Israëlitas somno grauaret, & detineret; verùm Saül maluit parcere somno, quam aduersario. O quàm dura bella dæmonibus inferunt Dei serui, dum media nocte surgũt ad diuinas laudes celebrandas, dum prolongandis orationibus perstant vigiles, dum detrahunt quieti horas, quas impendant cœlestium contemplationi. Psaltes de peccatoribus aiebat: *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ.* Psal. 130. *vers.* 20. Bestiæ sylvæ vtuntur nocte ad capiendam sibi prædam: ergo noctis etiam Dauid vtebatur suffragio ad inferendam vindictam. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Psal. 10. *vers.* 8. Fas erat, vt Dauid noctem in persequendis bestiis insumeret, quando sylvæ bestia nocte inuigilabat, vt raperet. Adest Euthymius hic: *Interficiebam omnes affectuum meorum cogitationes, quæ ex terreno corpore, atque ex materialibus aliis rebus nascuntur. Per Domini verò ciuitatem animam intellige tanquam Sancti spiritus domum.* Dauid noctem in depellendis vitiis, & acquirendis virtutibus insumebat, quam vanituli, & voluptatibus dediti deterunt in vitiis promouendis, & virtutibus debellandis.

§. XCI.

Rarus est, qui Principi audeat resistere, quia omnes adnituntur adulari.

BOnus Princeps ægrè non fert sibi obniti ratione innixum, & intentione candida armatũ. *Renouamus* (aiebat Athalaricus 8. *variarum* 13.) *dictum illud celeberrimum Traiani: Sume dictationem, si bonus fuero, pro Republica, & me; si malus, pro Republica in me. Sed vide quid à te quæramus, quando nec nobis aliquid iniustũ licere permittimus.* Bonus Princeps malebat prudentiæ sequi ductum, quàm exoculati ardoris affectum: sunt tamen pauci, qui velint aduersus sibi placitum quid audire, sed malunt blandis adulationibus falli. Hinc est, quòd cùm Saul ardore gloriæ per offusas noctium tenebras in hostes decreuisset irruere, omnes præter Sacerdotem, in pericula irruentem non fuerint ausi detinere: *Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos, vsque dum illucescat mane.* Nocte caliginosa manus cum hoste conserere erat sibi periculum procreare; quandoquidem eo in conflictu distingui nequibat miles proprius, & aduersarius. Quid tunc? Nullus de populo fuit, qui aduersaretur decretis, & manifesta pericula ausibus opponeret temerariis: *Dixitque populus Omne, quod bonum videtur in oculis tuis, fac.* Non obiiciunt noctis impedimentum, confusionis periculum, sed temerariis ausibus adulantur, & gloriæ æstu furenti blandiuntur. Vnicus fuit Sacerdos, qui assereret rem maturius considerandam, & cum Numine consulendam: *Et ait Sacerdos: Accedamus huc ad Deum.* Notauit Caietanus: *Regem inuitat ad appropinquandum ad altare ad consulendum Deum.* Nullus præter Sacerdotem, fuit qui labentem detineret, immò qui non instigaret. Huc voco, quod aiebat Seneca *lib. 6. de Beneficiis, cap. 31. Cùm bellum Græcia indiceret Xerxes, animum tumentum, oblitúmque quàm caducis confideret, nemo non impulit.* Nemo non impulit Saülem, cùm nemo non sciret, quàm periculosa tentaret, & quàm esset facilè tenebris impeditos arma in suos vertere, existimantes in inimicos irruere. Profectò ni Sacerdos imprudenter audacem detineret, exercitus omnis propriis vastatus mucronibus disperiret.

§. XCII.

Non facilè ingredietur tutam, viarum inscius, si aduersariis vrgentibus perturbatus.

TVtam viam subitè non arripiunt, qui viarum pericula non noverunt. Catuli in novellis venationibus ludunt, & prædam insequi nesciunt. Opportunè Cassiodorus 1. *variarum* 40. *Primordia cuncta pauida sunt, & aliter timiditas non tollitur, nisi cum rebus necessariis nouitas abrogatur.* Opportunitas fugiendi, & periculum declinandi tollitur, si fugiat quis periculo instante obturbatus, & omninò viarum nescius. Non dubitarunt Satrapæ fuisse miraculum vaccas jugi inexpertas in trivio positas, viarum prorsus ignaras tutam delegisse, eamque, quæ ad solis tendebant domum, peragrasse. Hinc est, quòd Saul nullum ex inimicis credidit fuga posse sibi consulere, quia tutas vias suspicatus est ignorare: *Irruamus super Philisthæos nocte & vastemus eos.* Et vndè omnes deuastandi fiducia, quando nox ad latendum opportuna illis præbebat auxilia? Quia ex alia parte (inquit Abulensis *quæst.* 29.) persequente hoste nequibant non obturbari, & constabat ex alia tutas, & compendiarias vias à Philisthinis prorsus nesciri: ergo prudenter sibi suasit, nullum ex hostibus evasurum, quia viarum inscij, & aduersariis vrgentibus perturbati. Accipe Abulensem: *Intelligebat Saül, quòd magis poterant per noctem percutere eos, quam die apparente.* Subdit rationem: *Quia per noctem Philisthini, quia erant viarum terræ inscij, euadere non possent.* Philisthæus subitò terrore obturbatus, vt attineret fugam, intraret viam quamcumque, etsi scopulis plenam, & cluositate impeditam: ergo viæ impedimentum fugientis tardabat gressum, & hostibus præbebat auxilium. O quot peccatores virtutis viam inscij subito mortis periculo, & persequente dæmone obturbati, dum cupiunt fugere, tutam non arripiunt viam, sed impedimentis plenam: Quisquis inimici insidias cupit eludere, adlaboret priùs virtutibus exerceri, aliter namque, si inexpertus, & anxietatibus perturbatus, subibit periculum, & inveniet, ne salutem animæ assequatur, obstaculum. Magi Deum quærunt, & ab idololatriæ erroribus fugiunt. Felix inquisitio, quæ itineris labores vicit, & Christum inuenit; verùm dum eos Herodes fallere conatur versutus, dum Magus viarum prorsus ignarus non assequeretur votum, nisi interfuisset miraculum: *Cùm audissent Regem, abierunt & ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos vsque dum veniens staret suprà, vbi erat puer.* Matth. 2. *vers.* 9. Iam de loco, vbi Christus natus, à Sacerdotibus fuerant instructi: *In Bethlehem Iudæ*, sed qua tendendum ignari: ergo, ni splendidum sidus recta via diueret, fortasse Magus erraret. Adest Chrysologus *serm.* 156. *Quando Regem cœli nisi reuelante Deo astrologus inuenisset, quando vnum Deum sine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo diis totidem, quot sideribus seruiebat? Plus cœleste de Magis, quàm de stella signum est.* Miraculum erat stellam præire, verùm grandius putat miraculum Chrysologus viarum prorsus ignarum Magum, duce etiam stella, à secuto itinere non deuiasse, Christúmque inuenisse: *Plus de Magis, quàm de stella signum est.* Adeò magnum periculum affert viarum, quæ ad Christum ducunt, inexperientia, & inscitia

§. XCIII.

Quod Deo inconsulto decernitur, implexum difficultatibus inuenitur.

COnsilium est virtutum castrum, contra hostes telum, & prosperitatis auxilium. Quisquis fortunæ fauore elatus, & successu prosperitatis superbus, ni à prudentibus requirat consilium, discrimínibus inuenitur obnoxius, & variis difficultatum nexibus illigatus. *Concedebant omnes* (inquit Plutarchus lib. An seni, &c.) *plurimum momenti adferre, non domitamen verumetiam belli senectutem; nam consilium sapiens multo vnum manus superat, atque vna sententia, quæ facundus sit, & lepore distincta, præclarissimas, & summas res conficit in Republica.* Iuvat plurimum senes consulere, expertósque adire; hi namque experientia præditi, & senectute maturi salubria consulunt, & pericula aeuitant. Quod si maturum, senémque prodest consulere, quantum iuvabit cœleste Numen obsecrationibus implorare: quæ inconsulto Numine humana solet prudentia decreta, incommodis inueniuntur expleta. Saul prospera victoria vsus, & nimium fortunæ fidens hostes decernit persequi, & devastare; verùm sacerdos admonuit, si pericula vellet vitare, oraculum prius consulere: *Ait Sacerdos: Accedamus huc ad Deum.* Profectò ni Saul consuluisset oraculum maturasset, sibi non modicum detrimentum, & dum offusis tenebris imprudens hostes insequi arbitratur audacia, in suos milites audax arma verteret imprudentis, commilito commilitonis manu caderet obtruncatus, dum putatur inimicus: aſt dum Deus consulitur, tacente etiam oraculo, periculum

Adest

Adest Abulensis *quæst. 29. Sacerdos videns, quòd populus consensisset Sauli de eundo ad bellum, & non consuleret Dominum super hoc credens super hoc fore periculum, dixit, quod consulerent Dominum prius.* Sacerdos, vt vidit, inconsulto Domino, decerni caligniosa certamina, magna prudenter est suspicatus pericula: ergo vt vitarentur pericula, admonuit consulere priùs oracula. Decreuerat Dauid domum amplam Arcæ construere; Nathan reseruit secretum; ille pietatem dilaudauit, & ad opus Regem impulit: *Omne quod est in corde tuo, vade fac: quia Dominus tecum est. 2. Reg. 7. vers. 3.* Quid tunc? Deus opus prohibuit, & in tempus aliud differendum ostendit: *Ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: Vade, & loquere ad seruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Votum resplendebat pietate plenum, tempus tamen non aderat opportunum. Quæ humanæ prudentiæ oculis inspecta statim censebantur executioni mandanda, Dei consilio inueniuntur differenda; & nos Deus, dum vetat fabricam, edocet salubrem doctrinam, videlicet, quæ inconsulto Domino decreta, sæpè difficultatibus impedita. Adest Lira: *Dixit Nathan ad Regem non spiritu prophetico, sed humano, quod patet ex hoc, quia postea retractauit verbum suum.* Sententiam non retractasset, si antea Dominum consuluisset; verùm dum inconsulto Numine sumptuosum decernitur ædificium, grande inuenitur obstaculum.

§. XCIV.

Totius populi est salus sacerdos virtutibus expolitus, & prudentiæ luminibus exornatus.

SAcerdos virtutibus excultus, & prudentiæ luminibus exornatus magnum est Republicæ commodum, quia per ipsum & pericula propulsantur, & cœlestia dona cumulatiùs augentur. *Quando magis conferenda cum fratribus pax est* (inquit Tertullianus *de Oratione, cap. 14.*) *nisi cum oratione commendabilior ascendit, vt ipsi de nostra operatione participent.* A Sacerdote Deum exorante prouenit pax tranquillior, & salus cumulatior; quod aliter adurgeret periculum, eius impeditur prudentia, aut propulsatur orationis efficacia. Saül decernit hostes inuadere, eumque statuit totus populus sequi. Grande ab hoc bello oriebatur periculum, quandoquidem noctis impediente caligine, dum Israëlita arbitraretur hostem trucidare, imprudenter contingeret commilitonem ferire: ergo sacerdos monet oraculum scisitari, & quid oporteat, inquirere: *Dixit populus: Omne, quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait Sacerdos: Accedamus huc ad Deum.* Oraculum consulitur, & tempus impendendum certamini, inquirendo impenditur admisso à populo crimini. Oraculum tacuit, & ipso silentio docuit. Prodest Abulensis *quæst. 29. Sacerdos videns, quòd populus consensisset Sauli de eundo ad bellum, & non consuleret Dominum super hoc, credens super hoc fore periculum, dixit, quòd consulerent Dominum priùs.* Prudens præsagiuit nocte decertantibus imminere periculum, & eius salutis studiosus traxit populum ad consulendum oraculum; & quidem Saul acceptam obscurasset nimis audax victoriam, ni prudens, sanctúsque Sacerdos prudèter antevertisset consilio audaciam. Herodes Iudaïcæ gentis sic regnum tyrannicè inuaserat, sic mores corruperat, vt nec sacerdotalis sanctitas, nec senum auctoritas, nec originis præluceret nobilitas, nil ambitus temeritas, nil rapacitas reliquerat integrum, sed omne corruptis moribus depranatum: vt Christum perderet, Sacerdotes auferre, aut vitiis corrumpere procurauit: *Congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.* Matth. 2. *vers. 4.* Ipsos veritatis vindices timore obturbatos, aut ambitione corruptos sibi asciuerat auxiliares. Notauit Chrysologus *serm. 86. Herodes veniens, ex gente aliena inuasit regnum, violauit Sacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores.* Herodes diaboli personam gerens prouidenti nequitia studuit corrumpere Sacerdotium, quia de mundo auferre cupiebat Christum, quasi florente Sacerdotij sanctitate, & prudentia nec Christo necem, nec Reipublicæ quiret afferre perniciem. Verum cœlestis prouidentia vicit astutiæ detestandum consilium, dum in Zacharia omni exulcum virtute conservauit Sacerdotium. *Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidem nomine Zacharias.* Luc. 1. *vers. 5.* Sacerdos refertur, quo redemptionem iam iam adesse credatur; nec enim vbi Sacerdos prudentia micabat, sanctitatéque resplendebat, solatium populo potuit deficere, & salus non propinquare. Notauit datus Chrysologus: *Dum dicitur, sub quo Rege, quis Sacerdos sit temperantur mala, adest semper in mœrore solatium, nec consolator deest, cui imminet persequutor.* Herodes morum persecutor affligebat, sed Zacharias morum propugnator recreabat: tyrannus Christi abstulit vocem, Sacerdos genuit. Tantum iuvat Sacerdos etiam vnicus, vt virtutum conseruet ornatum, & Reipublicæ vniuersale attulerit commodum: Ergo Sacerdos anteuertit periculum, dum hic requiri admonuit oraculum.

TEXTVS.

VERS. XXXVII. Et consuluit Saül Dominum: Num persequar Philisthiim? Si trades eos in manu Israël? Et non respondit ei in die illa.

§. XCV.

Meritò responsum non redditur, cùm iam decretum consulitur.

SVnt, qui à se iam decreta aliorum velint adornare sententiis, & stabilire suffragiis; interrogant, non, vt nouerint facienda, sed vt quæsiisse reputentur consilia; itaque non consulunt, sed illudunt. Romulus Sabinarum virginum decrevit rapinam, & mentitus est à Deo Conso eam accepisse sententiam, vt religiosè crederetur effectum, quod iniquè iam anteà fuit statutum. *Consualia* (aiebat Tertullianus de Spectaculis, *cap. 5.*) *Romulo defendunt, quod ea Conso dicauerit Deo, vt volunt, consilij eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapina militibus suis in matrimonia excogitauit.* Quam Romulus excogitauit, & statuit rapinam, cum Conso contulit, non vt sententiam demutaret, sed vt rapinam Consi auctoritate fulciret: *Probum planè consilium, & nunc quoque apud ipsos Romanos iustum, & licitum, ne dixerim penes Deum. Facit enim ad originis maculam, ne bonum existimes, quod initium à malo accepit, ab imprudentia violentiæ, ab odio à fratricida institutore, à filio Martis.* Itaque ad decretum iam virginum furtum quæsivit à Conso suffragium, vt crederetur licitum, quod à tali divulgabatur consultatione profectum. Ita Cyprianus de idolo: *Quem Consum Deum fraudis velut consiliorum deum coli Romulus voluit, postquam in raptum Sabinarum perfidia prouenit.* Consilium, à se inventum, excogitatúmque, Conso adscripsit, vt videretur à tanto Numine dictatum, quod fixe iam antea fuerat decretum. *Summa explicationis meæ est*, inquit noster Cerda locum Tertulliani explicans, *non datum à Conso ipsi Romulo consilium, sed fuisse inuentum à Romulo, & ita in gratiam*

felicis consilij creatum ab illo numen nouo hoc titulo consultoris. Itaque Romulus consultorem voluit habere Consum, non vt Consus præberet consilium, sed vt à se confirmaret anteà decretum. Consus erat vacuo Numine consultor, & Romulus verè irrisor. Saul Deum consulit, sciscitatúrque, an Philisthinos persequatur. *Et consuluit Saül Dominum : Num persequar Philisthiim.* Oraculum tacuit : *Et non respondit ei in die illa.* Et quare tacuit ? Quia Saul consuluit decernenda sed iam apud se statuta : *Et dixit Saül : Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos, vsque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum.* Vides irruptionem iam decretam, vide suffragiis populi comprobatam. *Dixitque populus : Omne, quod bonum videtur in oculis tuis fac.* Quid tunc ? Ne Sacerdoti videretur refragari aggressus est Deum consulere : *Et consuluit Saul Dominum : Num persequar Philisthiim ?* Nunc irruptio consulta, sed ante consultationem decreta : *Irruamus super Philisthæos nocte.* Ergo merito oraculum tacuit, quia Saul potiùs illusor videbatur, quàm consultator. Innuit Abulensis *quæst. 29. Sacerdos videns, quòd populus consensisset Sauli de eundo ad bellum, & non consuleret Dominum super hoc dixit, quòd consulerent Dominum priùs.* Quod iam publico assensu stabilitum, ad speciem consulebatur : ergo oraculum noluit præbere responsum vt edoceret, debere consuli decernenda, & esse irrisoriam quodammodò consultationem, si consulantur stabilita.

TEXTVS.

VERS. XXXVIII. Dixitque Saül : Applicate huc vniuersos angulos populi : & scitote, & videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie.

§. XCVI.

Deus ad dilargienda nobis beneficia semper inventur expromptus, ni nostris fuerit sceleribus retardatus.

DEus gloriæ suæ applicat quotquot hominibus beneficia largè impertitur, & dum impertitur, suæ generositati adulatur. Porrò tantus diuinæ bonitatis, beneficentiæque imber hominibus defertur, vt posterioribus donis quodammodò priora obscurarit, & beneficiis continuè promanantibus gratitudinem laudabiliter vicerit. Signum illud magnum ea sibi adaptauit ornamenta, quæ hominibus erant commoda : *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Apoc. 12. *vers.* 1. Stellæ in solatium noctis splendent, sol hominibus exoritur, luna modulatis variationibus graditur : nihil signo magno deseruit ad ornatum, quod hominibus non seruiat ad commodum. Luna calceatur, vt quemcumque explicuerit gressum, sit hominum beneficium; & adhuc cruciatur, vt pariat : *Cruciabatur, vt pareret.* Ni novum parturiuerit beneficium; sustinet acerbum cruciatum. Huc voco, quod aiebat Basilius Seleucienſis *orat. 2. Velut parturiens magnificentiæ suæ munera, & habere clausum penes se thesaurum impotens non est contentus prioribus, neque rebus ante dilargitis dona sua circumscribit, neque donatoris desiderium vniuersa terra, & concessum mare sauiauit.* Itaque ardenti benefaciendi hydrope nunquam satiatur, imò, si penes se thesaurum munificentiæ retineat, quodammodo distorquetur. Quod si aliquando munificentiæ torrentes contineat prouenit ab externo obstaculo, non ab innato, & insito ingenio. Hinc est, quod Saul vbi oraculum reticuisse cognouit, populum peccato infici non dubitauit : *Videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie.* Et vnde colligit adesse peccatum ? Nónne pro libito oraculum exhibet semper responsum ? Ergo ab alia causa potest promanare silentium. Profectò Deus liberè profert oracula : verùm, ni obstitisset peccatum, non denegasset responsum. Ergo Saul, vt vt vidit denegatum responsum, coniecit aliquem perpetratum fuisse peccatum & sors, dum publicauit reum, Saulis approbauit iudicium. Adest Lira : *Æstimabat Saul, quòd Deus non denegaret responsum absque peccato alicuius de populo.* Bona vsus est coniectura, quandoquidem èx se Deus semper munificus, & solum à nostris excessibus retardatus. Ira pietatis aduttrice laudabiliter percitus clastra Propheta nubibus iniecit; verùm iam ad commiserationem festinans Achabo apparet. Achabus siccitatem Eliæ attribuit : *Tu ne es ille, qui conturbas Israël ?* Quid tunc Elias ? *Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & sequuti estis Baalim.* 3. Reg. 18. *vers.* 17. Non passus est Elias ea nota sugillari, sed voluit eius siccitatem Achabum artificem prodi. Nubes ostendit grauari & pondere, & ad denegandam pluviam Achabi compellit crimine : nubibus erat imbrem retinere molestia, effundere esset lætitia : ergo statuit Elias siccitatem promanasse ab externo obstaculo, & non ab ignavo ingenio. Redeat datus Basilius *orat. 11. Videns Iudæum populum Propheta bonis tam è cœlo, quàm è solo paris immodicè luxuriantem, alimenti auctorem ignorantem, & Dei erga se charitatem in impietatis materiam convertentem, cultúmque Deo debitum in dæmonia transferentem, ira pietatis auxiliatrice adsumpta vocem emisit, qua cœlo legem siccitatis imposuit.* Ad siccitatis legem compulerunt scelera, in præuaticationis officina nubium elaborata sunt vincula, & ne imbrem impertirentur, obstacula.

§. XCVII.

Superiores, Principésque esse debent populi fulcra, probitatisque sustentacula.

DEcoras (aiebat Cassiodorus *6. variarum 24.*) *vobis reddimus dignitates, vt vos ab incursantium prauitate defendant, qui nostris iussionibus obsecundant. Erit enim gaudium vestra quies, suaue lucrum, si nescius incommodum.* Superiores optimi pro lucro habent, si populus efflloreat meribus compositis, & legibus vinctus feriatis, si eos potiùs componat ratio, quam rationem frænet districtio. Subiectus à lege veretur discedere, cum intuetur bonis Principibus gubernari; vt est etiam gubernatoris elogium feriatum gestare gladium, & inculpatè possidere fastigium. Hinc est quòd Saul ad occulti criminis inquisitionem conuocans Principes, ac superiores, populi angulos appellauit : *Applicate huc vniuersos angulos populi.* Hoc appellauit nomine non detrahens dignitati gloriam, sed ipso nomine adangens famam. Si diceret : Applicate Principes, proderet officia, non tamen explicaret elogia; & dum populi vocat angulos, & elogia publicat, & officia; nam sicut angulus parietes continet, & ne dilabantur, vnit; ita illi Principes angulorum instar sustulciebant populum, ne exitiali obiceraretur culpa, aut miseranda dilaberetur ruina. *Angulos populi* (inquit Hugo) *id est, Principes, quibus hinc inde populi tanquam angulis parietes adhærebant; vel etiam ideò dicuntur anguli, quia sicut meliores, & fortiores lapides ponuntur in angulis ad parietes continuendos; ita Principes debent esse meliores, qui ad regendum alios eliguntur.* Sibi ipsi Saul plausit, dum elegit angulos, & electos etiam nobilitauit, dum angulorum adiustat continere vnitos asseruit populos. Verùm nescio, an omnes superiores, & populi iudices hoc possint

possint nomine recenseri, cùm non semel vnde debuit populus petere auxilium, perpessus ingemat detrimentum. Rex seruum reliquis præfecit, vt solicitam curam gereret, & conseruos sedula solicitudine gubernaret. Ille dignitate abusus palato indulsit, & subiectos sibi oppressit. Non erat illis, absente Domino, recursus, crescebat gemitus: *Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis, veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat.* Matth. 24. *vers.* 48. Constitutus, vt bonis moribus præberet regulam, vt gereret solicitam curam, lautiùs vixit exercendo rapinas, & infligendo miseris plagas. Quàm luctuosus erat obtemperantium status quando dignitas exacuebat exoculatum furorem & augebat fœdissimam ebrietatem. Notauit Chrysologus *serm.* 26. *Propriè dixit: edere, & bibere, & inebriari, & percutere. Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantia deformiter est magistra; hanc qui habet, se non habet; hanc qui habet, homo non est; hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum.* Quàm muneri erat contrarius effectus! Qui iustitiã custodire, qui æquitatẽ seruare, qui sic moderari debuit potestatem, vt in neutrã partẽ incorrupta trutina declinaret, solius palati gessit curam, litium fouet causam, gemituum auxit materiam. Ecce qui prouidere tenebatur vitæ necessaria, auferebat laboribus acquisita, & grauiora sustinebat grex parvulus à gubernante quàm à lupo pateretur sæviente. Qui designatus est, vt alios contineret, angulus, vorax dispergebat lupus. Fortunatus erat Israëlita, dum gubernatores habuit angulos, & communis tranquillitatis solicitos.

§. XCVIII.

Criminis resecanda est infantia, ne si creuerit pertinaciter dura, eludat omnia remedia.

Licèt solicite adlaboret superior, vt populus bonis moribus semper resplendeat, & iustitiam tranquillitatis matrem custodiat, emergere solent delicta, & perturbationum pullulare nociua semina: quæ si ipsis in primordiis non resecentur, discrimine grandi indurantur. *Difficultatem vobis querelæ* (aiebat Theodericus 5. *variarum* 15.) *Submouemus, dum in ipsis cunabilis scelera commissa resecantur.* Facilè ad sanitatem perueniunt, qui morbo incipienti opportuna applicuere remedia, nec grassari pestem periculosa permiserunt ignauia. Hinc est, quod Saül cùm aliquod non dubitaret perpetratum piaculum, ipsa die, qua oraculum non reddebat responsum, sine mora fecit inquiri, & statim remedium voluit adhiberi: *Applicate huc vniuersos angulos populi, & scitote, & videte per quem acciderit peccatum hoc hodie.* Et cur statim admissam culpam voluit inquiri, quando poterat eius inquisitio in opportunius tempus differri? Cibo, & somno vires resumant quas longa, laboriosáque certaminis defatigatio lassarat aut hostes insequantur, vt quam occasio offert, consummarint victoriam, & posteà inuestigati poterit culpa, ne si in inquirendo populus immoretur, triumphus è manibus elabatur. O vtilissimam nobis eruditionem! Nouerat prudens Princeps nil adeò interesse Reipublicæ, vt culpam ipsa in infantia resecare, nec augmentis tempus concedere: ergo à persequendis hostibus destitit, & famis cruciatus maluit pati, quàm culpæ examen differre, & inuentam citissimè resecare. *Didicerat Saül ex casu Achan* (inquit noster Sanctius) *de quo Iosue 7. vnius hominis peccatum totius exercitus communem esse labem, nec sperari posse aliquid, quod futurum speraretur ex voto, nisi peccati reus foret sublatus è medio.* Consonat Abulensis *quæstione* 32. *Iuxta voluit, quòd omnes de populo conuenirent, vt videretur quis peccauerat.* Expende illud, *Nunc*, id est, non permisit moram vllam interponi, sed statim fecit inquiri. Nam boni Principis est in ipsis cunabulis resecare delicta, ne perniciem populo afferant, si tempore incrementata. Archisynagogi filiæ recens demortuæ Dominus largitur vitam & quodammodò miraculo adimit famam: *Puella non est mortua, sed dormit.* Marc. 5. vers. 40. Mulier sanguinis fluxum duodecim annis passa fimbriæ attactu silenter subripit sanitatem, & Christus miraculum vult sciri, & milierem coram frequentia grandi fateri: *Circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. Mulier verò timens, & tremens, sciens quod factum esset in se, & venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.* Inquires, cur Dominus taceri iusserit puellæ resurrectionem, & mulieris voluerit publicari sanitatem? Nonne augustius miraculum, quàm fluxum sanguinis retinere, de mortuæ puellæ erat vitam refundere; Ergo sit cupit medici agnosci virtutẽ, latere finat pium mulieris furtum, & cadaver ostenderit redivivum. O sapientiam immortalem! Puellam adhuc calentem revocavit ad vitam, mulieri longo, ac diuturno morbo laboranti adhibuit etiam medelam: vtque noveris quàm ægrè indurata iam vulnera medicinam recipiant, quàmque facilius ipsis in cunabulis sopiantur mala, non passus est mulieris curationẽ latere qui præcepit alteri refusũ spiritũ nõ vulgari. *Præsumpsit* (inquit Chrysologus serm. 33.) *furari se non posse curam fide sola.* Adnectit: *Curavit fides intra ictum temporis, quod duodecim annis ars humana curare non potuit.* Hæmorrhoissæ morbus quodammodò transierat iamin naturam: ergo sola fidei præsumptio potuit sperarit medelam. Mihi crede: quæ initio vitia, successu temporis mores sunt, nec facilè patiuntur medicum, si pertinaciter obduxerint callum: ergo Saul prudenter ipsa die delictum fecit inquiri, & curauit citissimè resecari.

TEXTVS.

Vers. XXXIX. Vivit Dominos Saluator Israel, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.

§. XCIX.

Bonus index, antè quàm examinaverit culpam, reo non indicet seueram pœnam.

In Reipublicæ cedit lucrum, quod decernitur merenti supplicum: vtque de ipsa largitate magis acquiritur, cùm præmia dignis præstantur; sic de inflictis pœnis augrescit salus, cùm delinquentibus infliguntur; est tamen opus solerti examine, ne lex præcipitatione violetur, dum reus sine solicita consideratione damnatur; nam malorum omnium probatur extremum, si ius indè detrimenta inveniatur suscipere, vnde sperabatur auxilia legibus promanare. *De plaga, quam eductogladio temerarius præsumptor inflixit*) aiebat Theodericus 4. variar. 27.) *ad iudicium Comitis Dusa sapè dictus Saio, te compellante veniat audiendus: vt secundum edictorum seriem, quæ malè commissa clarauerint, sine aliqua dilatione componat. Tuitionem verò postulanti contra ciuiles impetus ex nostra iussione salua ciuilitate præstabis.* Quæ perpetrata cõstarent, iussit optimus Princeps puniri, & accusatum ab impetu ante probationem defendi: nam, vt delinquit, qui violenter infligit plagam, sic etiam delinquit, qui inaudita parte, & reclamante lege decernit pœnam. Ob id Saul præceps in iurando habetur, quia inaudito reo acerbam mortis decrevit pœnam, ante quàm ritè examinaverit

culpam : *Absque retractatione morietur.* S præcessisset examen, si inventus, & auditus reus, si dignus morte reatus, fuisset laudabile iuramentum : at dum ante examen mortis statuit pœnam, præcipitationis admittit notam. Adest Caietanus : *Præceps fuit hoc iuramentum fundatum, super falsum : nam neque peccatum oportuit esse occasionem negatæ responsionis diuinæ : & esto quod fuisset peccatum non oportuit fuisse peccatum morte dignum, vt rei probavit eventus.* Ob varias causas. Deus potuit denegare responsum, Saul præsumpsit aliquod perpetratum fuisse peccatum, & sola præsumptione, inaudito Ionatha, mortis supplicium decrevit, & iuramento firmauit : ergo præceps fuit, quando rei probavit euentus Ionatham præcepti insciũ comedisse, nec ob paululum mellis degustatum capitali pœna plectendum Principem, regnique hæredem. Hinc ergo erudiendi sunt iudices, ne suspicionibus credat, & ne ante criminis comprobationem duram, legibusque contrariam sententiam indicant.

TEXTVS.

Vers. XXXX. Et ait ad vniuersum Israel: separamini vos in partem vnam; & ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera. Respondítque populus ad Saul : Quod bonum videtur in oculis tuis fac.

§. C.

Qui fastigij dignitatem occupat, consanguinitatis affectionem exuere satagat.

NVllius est, qui dignitatis est, nec resplendere plenè poterit dignitatis lumine, qui expedita prorsus non fruitur libertate. Facile aliquo sordescit reatu, qui ducitur cognationis affectu. *Non decet* (aiebat Cassiodorus 8. variar. 18.) *iudicem ministrum esse voluntatis alterius. Vt magis alteri pareat, cui tot milites obsecundant.* Priuatus cognati post obsequi voluntati; superior solùm habet cognationem cum iure : ipsa ad regimen electio esse debet cognationis prudens denudatio. Melchisedech Rex pacis interpretatur, erat namque pax Reipublicæ, quia omni genealogia nudatus, & à consanguinitate quodammodo expunctus. *Melchisedech Rex Salem.* Gen. 14. vers. 18. Audi Paulum : *Interpretatur Rex iustitiæ, deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre sine matre, sine genealogia.* Ad Hebr. 7. vers. 2. Qui ignorabat genealogiam, administrabat ritè iustitiam, & tranquilla populus fruebatur pace, quia Princeps prorsus alienus à cognatione; nam vbi plurima parentela, ingemiscere solet iustitia, & emergere solent lites, quia præsumit populus ad cognatos solùm spectare fauores. Hanc politicem Saul videtur imitatus; nam cùm in familia Benjamin fuerit recensitus, antè quàm ad regni culmen fuerit electus, vt patet cap. 10. hic cùm sortes etiam mittendæ fuerint, noluit cum familia recenseri, sed ab omnibus separari : *Et ait ad vniuersum Israel: separamini vos in partem vnam, & ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera.* Nulli speciali tribui voluit adscribi, vt constaret iam regem ad omnes æqualiter pertinere. Opportunè Abulensis quæst. 26. *Quæritur, Cùm Saul, & Ionathas essent de tribu Beniamin, quare non fuerunt positi ex tribu Beniamin?* Iam respondet: *Fuit factũ propter dignitatem regalem. Si enim Saul, & Ionathas fuissent viri populares, sic fieret, scilicèt quòd in tribubus suis computarentur.* Regalis dignitas cum omni tribu iam habebat cognationem non sanguinis, sed regiminis, & quia omnibus electus, omnibus habebatur cognatus. Oliva, ne innatam denudaret pinguedinem regiminis respuit dignitatem : *Dixerunt olivæ : Impera nobis. Quæ respondit : Nunquid possum deserere pinguedinem meam. Iudic. 9. vers.* 8. Duo inquirenda occurrunt : quid scilicet opus fuerit orbari pinguedine, vt fulgeret dignitate? Et cur electores non instituerunt, sed aliam arborem eligere properarunt? Eadem ratio vtrique satisfacit dubio. Visa est sibi oliva olivæ ingenio denudanda, & nullo speciali cum arboribus nomine insignienda : ergo noluit nobilem cognationem deferere, sed pinguedinem conseruare, & tunc non instituerunt in olivæ electione ligna, vt quæ nollent opus esse cognatione denudari, & veluti in naturam naturæ expertem transire.

TEXTVS.

Vers. XLI. Et dixit Saül ad Dominum Deum Israël : Domine Deus Israël, da indicium : quid est quòd non responderis seruo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem : aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas, & Saül, populus autem exiuit.

§. CI.

Virtutis studiosus culpæ sibi indulgentiam non solicitat, nec pœnam aliis anhelat.

OMnes humana fragilitate vestiti lapsibus inniuntur obnoxij; sed quamuis magnos, parvósque similis infecerit culpa, frequenter dissimilis decernitur pœna. Procerum, ac magnatum morbi lenissimis medicamentis curantur, dura cauteria popularium, vel leui infirmitati adhibentur. Qui dignitatum luminibus exornati, à legum decretis videntur exempti : licet grauiter delinquant, statutas culpis pœnas ignorant. Alti impunitatis sortiuntur priuilegia, populares decernuntur supplicia : *Vestimini* (togatos alloquitur Theodericus 3. *variarum* 17.) *moribus togatis, exuite barbariem, abjicite mentium crudelitatem, quæ sub æquitate nostri temporis non vos licet viuere meritis alienis.* O felix tempus, quo togatis non licebat alienis moribus viuere, cùm de alienis aliquando moribus viuant, dum aggrauant pœnam, vt acquirant sibi pecuniam. Bonus minister rigidior sui censor est, aliis indulget sibi non parcit. Saül, vbi cœlestis oraculi silentiũ aliquod indicauit admissũ fuisse delictũ precatur Deum, vt si ab ipso, aut filio suo Ionatha crimen fuerit perpetratum, ad dignam infligendam mulctam prodat, si verò errarit populus parcat : *Domine Deus Israël, da indicium. Si in me, aut in Ionatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem : aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem.* Nomine sanctitatis significari indulgentiam; ostensionis vocabulo mulctam, existimat noster Sanctius. Sed hinc oritur quæstio : Cur scilicet omnibus non precetur aut sanctitatem, aut ostensionem; & quidem ita apparebat honestum idem cum populo Principes subire iudicium, cùm de more sit Principum errata diffiteri, & popularium puniri? O Magnatibus imitandi politicam! Saül erga Ionatham delinquentem rigidior, erga populum fuit clementior. Sanctium audi : *Non honesta videtur petitio, quasi sibi, ac filio nihil opus sit. Rex clemens, ac mitis : populo verò nihil precetur durum, sed tantum vt sanctitatem det populo, id est, vt ignoscat.* Si ipse, aut Ionathas deliquerint, non recusat pœnam subire; si populus peccarit, precatur ignosci.

ignoſci. In ſe legem adimpleri non detrectat, & populo benignam criminis expiationem ſtudioſè ſatis procurat. Idem Dauid exoptaſſe videtur, dum ferienti populum Angelo ſe obiecit puniendum, vt ſic ſubiectorum eſſet ſcutum: *Iſti qui oues ſunt, quid fecerunt. Vertatur, obſecro, manus tua contra me* 2. *Reg.* 24. *v.* 17. Quàm ardenti charitate vrebatur, qui, vt ab aliis auerteret criminis mulctam, currebat ad pœnam. Notauit Theodoretus apud Gloſſam: *Digna ſunt admiratione ipſa verba Regis; ignorans cauſam ſuum peccatum vocauit, quod fuerat factum, & vt in ſuum genus iuſta ferretur ſententia, ſupplicauit.* Charitatis, iuſtitiæque eo ardore æſtuabat, vt mortem non recuſaret ſubire, ſi populum quiuerit liberare. Quàm aliter ſæpè contingit. Quiſque ſibi parcit, vtque propriam texerit culpam, aliis cupit infligi pœnam. Saül deprecatur oſtenſionem contra ſe ſeuerus, & obnixè poſtulat populo ſanctitatem benignus.

§. CXII.

Virtutis eximiæ ſtudioſus legi non ſolùm obſequitur, ſed non obſequendi facultatem adimere ſibi adnititur.

QVi vitiis indulgent, ea illis adhærent tenacitate, vt deteſtanda cautela omnia anteuertant recidendi pericula. Servus ille peſſimus non eſt contentus lautè viuere, ſed multiplicatis etiam poculis inebriari: *Cœperit percutere ſeruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.* Luc. 12. *ver.* 45. Non ſolùm voluit rationi aduerſari, ſed per aliquod tempus vtendi ratione facultatem ſibi præcidere. Se voluit non habere, ne poſſet à criminibus ſeparari. *Hanc qui habet* (de ebrietate loquitur Chryſologus ſerm. 26.) *ſe non habet.* Se gaudet non habere, ne poſſit à criminibus reſilire. Hanc ergo in criminibus contumaciam honeſtè imitantur eximia virtute præditi, & colendæ iuſtitiæ ſummè ſtudioſi. Contenti non ſunt exhibere virtuti obſequium, ſed omne remouere geſtiunt non obſequendi periculum. Saül Deum exorat, vt ſi aliqua culpa reſederit, adaperiat, eoque honeſtæ vindictæ ardore incaleſcit, vt reſiliendi ſibi adacto Sacramento facultatem abſtulerit: *Si in me, aut in Ionatha filio meo eſt iniquitas hac da oſtenſionem.* Oſtenſionem ſitit, qua accepta infligendam iuſtam delinquenti pœnam emiſſo iuramento decernit: *Viuit Dominus Saluator Iſraël, quia ſi per Ionatham filium meum factum eſt, abſque retractatione morietur.* Exiſtimabat potuiſſe Ionathã deliquiſſe ergo ne naturæ, ſi fuiſſet deprehenſus, gemitibus retractaret ſententiam, Sacramento ſtabiliuit decretam mulctam. Notauit noſter Sanctius: *Quid de ſe, atque filio ſuo ſtatuat, præceturque. ſatis oſtenait, dum dicit: Si ſors Ionatham ſceleris coarguat, & damnet, illi abſque vlla retractatione fore moriendum, quibus ſibi ipſi eripit temperandi ſupplicij facultatem.* Dum facultatem ſibi retractationis ademit, zeli ardorem, & virtutis laudem adauxit: quandoquidem & virtutem exercuit, & non poſſe non exercere laudabili prouidentia curauit. Moyſes Ægyptum fugiens ad Madiam tellurem migrauit, ibique puellas à paſtorum iniuria defendit? Iethro gratus apponit menſam: *Vocate eum, vt comedat panem.* Exod. 2. *verſ.* 20. Moyſes ibi decernit permanere, ſeque Sacramentis obſtringit, ne ad Ægyptum iterum valeat redire: *Iurauit ergo Moyſes, vt habitaret cum eo.* Contentus non eſt fugiſſe deliciarum blandimenta, aulæ regalis lenocinia, ſed ſibi eripuit etiam facultatem, vt vitaret redeundi pericula. Accipe Liram: *Fecit pactum cum Iethro de remanendo cum eo, & illud pactum iuramento firmauit.* Ea firmitate ſtuduit auerſari delicias, ea conſtantia deliciarum fallacias, fallaciarumque tricas, vt deſerta inhabitare decreuerit, & ſe nouis vinculis illigarit. Nam virtutis alumni recedendi ſibi adimunt facultatem, vt etiam vitiorum aſſeclæ reſipiſcendi præcidunt ſibi occaſionem.

TEXTVS.

VERS. XLII. Et ait Saül: Mittite ſortem inter me, & Ionatham filium meum, & captus eſt Ionathas.

§. CXIII.

Superiori ſatis non eſt crimine carere, ſed criminis etiam ſuſpicionem vitare.

QViſquis dignitatum culmina inſcendit, debet integritatis, æquitatiſque claris adeò luminibus præiucere, vt nullis poſſit iniquæ ſuſpicionis caliginibus denigrari. *Eſto innocentiæ templum* (monebat Caſſiodorus 1. variar. 12. officiorum magiſtrum) *temperantiæ ſacrarium, ara iuſtitiæ. Abſit à iudiciariis mentibus aliquid profanum.* Sic inuidiæ, malignitatique lingua occludẽda eſt; ſic ſuſpicionis etiam iniquæ occaſio præcidenda, vt iudicem vti innocentiæ aram iuſtitiæ altare æquitatis templum nequeat non ſuſpicere, nec poſſit probabili ſuſpicione obſcurare. *Tollenda* (aiebat Seneca lib. de Ira, cap. 24.) *ex animo ſuſpicio, & coniectura facillima irritamenta.* Si leuis etiam ſuſpicionis occaſio aderit cito ei accedimus, & quod peius eſt, conſentimus: ob id alta occupanti omnis cautela neceſſaria, immò non grauat ſuperflua: Facillimè in peius ruimus, & innocentes etiam linguis, aut ſuſpicionibus denigramus. Prouidendum eſt huic malo remedium, & omne depellendum prouidenter periculum. Sors populum abſolvit, & ad Saulem, aut Ionatham ſpectare, quod quærebatur, oſtendit. Quid tunc? Saul ſortes quærere populo commiſit, & quamuis nullo ſe pollutum crimine agnoſceret, ſe ſortibus etiam ſubiecit: *Et ait Saül: Mittite ſortem inter me, & inter Ionatham filium meum.* Si antea ipſe ſortes ſolicitauit: *Domine Deus Iſrael, da indicium*, cur modò totum negotium populo committit? *Mittite ſortem inter me, & inter Ionatham filium meum?* Ad hæc: Si ipſe nullius criminis ſibi conſcius, otioſum erit ſortes conſulere, & tutum, ſententiam, in Ionatham pronuntiare. Cur ergo iterum ſortem conſulit, & ab inquiſitione non abſtinet! Ne, ſi ipſe ea in ſorte interueniret, aliquam populo ſuſpicionem ingereret, aut ſi pronuntiaret ſine repetitis ſortibus in Ionatham ſententiam, aliquam malignitati obmurmurandi relinqueret viam: ergo populo ſortes commiſit, ſeque ſubiecit, quo clarius eius reluceret probitas, & agnoſceretur integritas. Innuit Abulenſis q. 40. *Voluit accipere ſortem, vt ſic pateat, quis peccauerat.* Adnectit: *Sic autem ipſe ceſſaret à ſuſpicione.* Dum ſors reum publicat, ipſe à ſuſpicione ceſſat, quia nulla illum ſuſpicio denigrat: ergo factis oſtendit faſtigium poſſidenti ſatis non eſſe inculpate viuere, ſed omnem ſuſpicionis occaſionem arcere. Chriſtus Dominus oculos ad patrem leuat, cùm in deſerto turbis miraculoſum panẽ miniſtrat: *Cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus*, Ioan. 6. *verſ.* 11. Patri factum retulit, vt malignitati linguam occluderet, ne ipſi qui miraculo fruebantur, aliquam calumniandi occaſionem quærerent, & ſuſpicionibus denigrarent. Prodeſt Baſilius Seleucienſis orat. 33. *Ne ex miraculi magnitudine calumniandi caperent occaſionem, quòd ſe per ambitionem patre ſuperiorem oſtenderet, nevè quod patri parem ſe faceret, ſuetam rurſus calumniam excogitarent. Iudæorum loquacitati eripiens occaſionem, ſublatis in cœlum oculis patri hoc præclarè factũ acceptum*

acceptum refert Semper enim Christus hac ratione tractat Iudæorum nequitiam. Sic alias quoque curato leproso, & ob ægritudinem depulsam potestate innotescente liberatum à morbo remittit ad legem. Offer, inquit, munus tuum Sacerdotii in testimonium. Sit mihi lex testis curationis, & iniquitati lingua occludatur. Egenis misericorditer impertiebatur beneficia, & contra ipsos beneficiatos prouidentissima vtebatur cautela, & licet miracula testarentur innocentiam, edocuit altos oportere omni malignitati, & suspicioni occludere viam.

§. CIV.

Delinquit, qui superiorum audaci lingua abrodit mandata, & obtrectationibus infirmat edicta.

HOminis lingua excetra malorum est: *In ore stulti virga superbiæ*, id est, superbia, militiáque pro telo, quo feriant: stulti lingua abutuntur; nam improba lingua est malitiæ promptuarium, famæ pestis, virtutis hostis: verum etsi omnis obmurmuratio peccati inueniatur rea, tunc præcipuè delinquit lingua, cùm eneruat obmurmurando superiorum mandata; tunc enim audientes ab obsequela aliquomodò retrahuntur, & superiorem non adeò exornatum virtutibus suspicantur. Consultum à Saüle oraculum denegauit responsum, & silentio aliquod ostendit admissum fuisse piaculum: sortes consuluntur, & Ionathas capitur: *Captus est Ionathas.* Quærunt Interpretes, quod fuerit Ionathæ delictum, quando degustasse favum prohibitione prorsus ignorata non videtur esse peccatum? Cur ergo sors non fallax ostendit reum? Quia de prohibitione admonitus, patris obmurmurando infamauit edictum, & vti imprudens carpsit præceptum: *Turbauit pater meus terram. Vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eò quòd gustauerim paululum de melle isto.* Fortassis minus delinqueret comedendo, quàm deliquit obmurmurando. Adest Caietanus: *Censet Ionathas præceptum patris turbasse populum.* Adstipulatur noster Sanctius: *Ausus est, tacente, & non reclamante populo, mandatum illud imprudentiæ, & temeritatis arguere.* Ecce Saulis præceptum ab externis suscipitur à suis abroditur. Sæpè namque promptiores, & audaciores sunt familiarium linguæ, quàm exterorum. Non fuit peccatum favum degustare, sed crimine non caruit superioris mandatum imprudentiæ, & temeritatis arguere: ergo Ionathas capitur, & morti addicitur: *Captus est Ionathas.* Redeat noster Sanctius: *Est quidem hoc ad mores graue; nec enim subditus damnare superioris, atq; prælati consilia debet, sed potius ab omni vel suspicione, vel calumnia vindicare.* Ionathas, qui tueri tenebatur patris præceptum, audacter sugillauit mandatum, quod adeò grauiter Deus tulit, vt veraci sorte & reum, & morte ostenderit dignum. Pater ille familias omni patientia eruditus operarium non solùm ostendit nequam, sed ab electorum numero iustè amandatum. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. *v.* 15. Et cur operarius audierit nequam? Quia aduersus patrem familias armauit linguam: *Accipientes murmurabãt aduersus patrẽ familias.* Hilarius in Catena D. Th. hoc in murmure ait designari totius populi Israëlitici insolentiam, & contumaciam, quasi in lingua superiorem abrodente omnis inueniatur pravitas, & iniquitas. Hilarium audi: *Et secundùm insolentiam populi iam sub Moyse contumacis hoc murmur operantium est.* Linguax veluti collecta omnia crimina in se habet, dum superiorem abrodit: ergo sorte Ionathas capiatur, vt eius exemplo omnis contra superiorem obmurmuratio vitetur.

TEXTVS.

VERS. XLIII. Dixit autem Saül ad Jonatham: Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Jonathas, & ait: Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ, erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.

§. CV.

Quantumvis constet delictum, non incommodè reum audire, & supplicium maturitate suspendere.

NOn deerit (aiebat Seneca *de Ira, lib. 2. cap. 24.*) *suspicionis argumentatio ... Nihil nisi quod in oculos incurret, manifestúmque erit, credamus.* Imò nec oculis credendum est, si graue infligendum supplicium, fieri debet reo facultas se defendendi, & vel clarè inspecta infirmandi; nam sæpè visus fallitur, & sensus illuditur, & apparent facto examine incerta, quæ putabamus indubia. Atticinus amicum suum deceperat, & quem deceperat, accusauit. Crimen videbatur indubium, quandoquidem amicus, & familiarissimus erat delator, nec poterat credi fallacia, quando adeò arcta intercedebat inter vtrumque amicitia. Accusatus auditus est, & criminator apparuit reus, & iniusta ira inflammatus. Audi Plinium 6. *epist. 12. Atticinus flagitiis addidit, vt quem deceperat, accusaret. Recepta cognitio est ... Protulit Bruccianus, qui accusabatur, testamentum suum, quod Atticini manuscriptum esse dicebat. Hocenim & arcana familiaritas, & querela de eo, quem sic amasset, necessitas indicebatur. Enumerauit crimina fœda, manifestáque. Ille cùm diluere non posset, ita se gessit, vt dum defenditur, tupis: dum accusat, sceleratus probaretur.* Crimen videbatur indubium ab amico familiarissimo delatum; at dum audito accusatus, apparuit delator scelestus, & iniqua intentione motus. Addit Plinius: *Magna res acta est omnium, qui sunt prouinciis præfuturi, magna omnium, qui simpliciter credunt amicis.* Magna cautela opus est, quia sæpè, qui creditus amicus, interius est aduersarius, & à larvata amicitia quætit veræ malignitati sufflagium, & iniquitati auxilium: ergo oportuit accusato licere defendendi facultatem facere, & rem maturè discutere. Ob id Saul Ionatham cœlesti sorte deprehensum ad examen adducit, & quid admiserit quærit: *Indica mihi quid feceris.* Noluit inauditam partem multare, sed iudices erudire. Innuit Abulensis *quæst. 40. Per sortem positam putabat Saül sufficienter cognitum esse quòd Ionathas peccasset, nesciebatur tamen, in quo peccasset, ideò quæsiuit quid egerit.* Ionathas parum mellis inscius gustasse confitetur, & apparuit ob materiæ parvitatem, inscitiámque ea pœna non esse dignum, immò absolvendum. Hanc formam præscripsisse iudicibus videtur etiam Iosue. Nam cùm Acham sorte fuisset deprehensus, reum interrogauit: *Indica mihi, quid feceris.* Iosue 7. *vers.* 19. Noluit, quantumvis manifestum esset crimen, pœnam contra inauditum decernere, sed iudicis munus legitimè implere. Redeat ad suprà Abulensis: *Postquam sorte deprehensus esset violati anathematis Iericho, Iosue dixit ei: Fili mi, da gloriam Deo Israël, & confitere, atque indica mihi quid feceris.* Ne quis præcipitatum sugillaret iudicium, reum interrogauit, quantumvis manifestum fuerit peccatum. Vt nouerint superiores, iudicésque præscriptum à iure formam seruandam, nec pœnam aliter infligendam.

§. CVI.

Laudabilis est ambitus in culpabili morte pietatem implere, & salutem plurimis impertiri.

NOn *semper vnum merentur iudicium* (inquit Cassiodorus 8. variar. 27.) *diuersa merita personarum.* Inglorium est ob propria crimina mulctari, gloriosum cunctis moriendo vitam largiri. Laudandus est, qui spontè se obtulit morti, vt consuleret plurimorum saluti. *Maior ambitus est* (addit Cassiodorus) *dominis nos velle seruire, vt commendatis bonis initiis reliquam vitam securitatis munere perfruantur.* Ambitus erat honestus dominis inservire, & à duro captiuitatis iugo plures liberare. Hinc est, quod Ionathas, quem nulla delicti grauabat conscientia, decretam à patre mortem lubenter acceptarit, & propria emisse morte cæterorum libertatem plurimi duxerit: *Ecce morior.* Ac si dicat: Lubenter mortis à patre decretam accepto sententiam, vt populus potiatur victoriam. Nec enim mihi amarum supplicium à tanta pietate profectum, & totius Reipublicæ sospitati, ac saluti commodum. Ita Iosephus 6. Antiquit. 7. *Ille, ne præsenti quidem periculo territus, magno ac generoso animo se præbuit. Nihil, inquit, deprecor, pater. Libenter enim hanc mortem fero, qua te religione solvat, dum prius tam magnificam victoriam videre contigit: maximum enim mihi fuerit solatium Palæstinorum insolentiam ab Hebræis esse perdomitam.* Itaque Ionathas non solum mortem non recusauit, sed quodammodò exambiuit, quia acerbitatem melliebat, & captiuitas à populo abacta, & patri exhibita promptè obedientia. Profectò Ionathas hoc facto Christi Domini emblema fuit. Christus namque, vt obedientiæ nobis exhiberet exemplum, lubenti animo subiuit supplicium, vtque nos à dura dæmonum captiuitate liberaret, crucem ambiuit. Hæc etiam vestigia imitati sunt martyres, dum gestiebant mori, vt animas errorum vinculis illigatas exolverent, & veritatis luce præfunderent. Isaac manus gandens nexibus constringendas offert v. patri exprompte obedierit, & totum genus antea pulverem ad stellarum celsitudinem, & splendorem evexerit: *Cùm alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.* Gen. 22. vers. 9. Floridam Isaac ætatem despexit, & quam immatura ad speciem mors acerbitatem afferebat, in saporem vertit & exhibenda patri obedientia, & fratribus comparanda victoria. *Lætatus est puer* (aiebat Zeno serm. 1. de Abraham.) *patre fideli ipse quoque fidelior, nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat.* Isaac moriens mirandum patri exhibebat obsequium, & immortalem suis comparabat triumphum: *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Ergo vt vidit pulverem in splendida convertendum sidera, & immortali contra hostes coronandum victoria, mortem non recusauit, sed exambivit: *Nec recusabat mortem, quam Deus qui vitam dederat, imperabat.* Ergo Ionathas etiam gestiebat morte adimplere obedientiam, & asserere suis victoriam: *Libenter hanc mortem fero, qua te religione exolvat, dum prius tam magnificam victoriam videre contigit.*

Eman. de Naxera in Reg.

TEXTVS.

VERS. XLIV. Et ait Saül: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.

§. CVII.

Religio amori debet præponi, & filiis etiam dilectissimis anteferri.

PIetatis nomina implentur, dum filij religioni, ac Numini postponuntur. Natura erga prolem tenerum parentibus amorem indidit, & pericula vitæ etiam contemnere edocuit. *Maria ipsa* (inquit Cassiodorus 1. var. 14.) *sævis tempestatibus excitata genitoris cura non refugit, vt peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat.* Filij à parvulis accuratè nutriuntur, pro ipsis paternus amor duros labores amplectitur, & vitæ etiam discrimine providere filiis admittitur: verùm laudanda est dilectio, si religionem præponat, & Numini potiùs, quàm filiis placere exambiat. Deus Abrahamum in examen vocat, & vnicum, ac dilectum, quem in senectute acceperat, filium aris sibi imperat deuoueri: *Tolle filium tuum primogenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum.* Genes. 22. vers. 2. Dum vnigenitum, dum tenerè dilectum commemorat, omnes naturæ vires in campum producit armatas; verùm Abrahamus religionis amore naturæ amorem deuicit, Deumque prætulit, d gnúsque fuit longa, ac felici posteritate, dum piè seuerus armatur in filium, vt cœleste exequatur mandatum. Expendebat Zeno serm. 1. de Abrahamo: *O pater spiritum captans, corpus verò, mortémque contemnens! O qui servum Domini ita se esse meminerat, vt patrem se esse nesciret!* Oblitus est se patrem esse, & dum filio non pepercit, melius seruauit. Nec aliter Saul se gessisse videtur, dum mavult dilectum sibi Ionatham morti addicere, quàm emissi iuramenti religionem violare: *Morte morieris Jonatha.* Morte Ionatham condemnans caret filio, sed satisfacit iramento: ergo patrem se ignorat, vt se Dei servum sciat. Ita Iosephus 6. Antiquitat. cap. 7. *Saulus iurat se eum occisurum, pluris quàm genus, aut naturam, aut affectus iusiurandum faciens.* Noluit, vt filij vitæ, ac saluti consuleret, iuramentum violare, immò gestiuit vitæ, affectuique religionem præferre, & dum filium virtuti postposuit, securiùs asseruauit: dignus visus est, qui non careret filio, dum postponit Sacramento. Consonat Iosepho Ambrosius apud Glossam: *Videte quanta apud eum fuerit religionis observantia, qui offensum Deum optauit etiam parricidio mitigare.*

§. CVIII.

Quò vitidiùs contra virtutem emergunt difficultates, validiùs exercendæ contra difficultates sunt vires.

VIrtus ex se difficilis emergentibus solet reddi difficilior impedimentis: difficultates emergunt, perplexitates occurrunt; verùm virtutis studiosus tunc maiores exerit vires, quibus superare possit difficultates. *Quamvis sensum nostræ pietatis* (aiebat Theodericus 3. variar. 40.) *turba multiplex cogitationis intraret, & diversas regni partes consueta sedulitate respiceret; festinè tamen remedia vestræ utilitatis inspeximus.* Accelerauit adhibere remedia, vt maiora nouit emergere obstacula. Peritus medicus, dum morbi læsionem validiùs agnoscit impetere, validiora solicitiùs remedia

conatur opponere, ne ignauia vires acquirant pericula, & fruſtrentur applicanda remedia. Vt vidit Saül tacere oraculum, agnouit contra Deum admiſſum delictum: ergo, vt Numinis iram auertat, expiandum peccatum iuramento confirmat: *Viuit Dominus Saluator Iſrael, quia ſi per Ionatham filium meum factum eſt, abſque retractatione morietur.* Non putabat, cùm emiſit iuramentum, in Ionatha reperiendum delictum; ſors nõn fallax Ionatham prodidit. Obſtupuit pater, quia vidit filium ſibi chariſſimum, & hoſtilibus ſpoliis coronatum morti tradendum. Quid tunc? Vt vidit maiora inſurgere obſtacula, repetiuit iterum Sacramenta: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* Satis videbatur emiſſum, quin modò iterum emitteret iuramentum. Cur ergo tertio ſe Sacramento contra filij vitam obarmat, mortémque accelerat? Quia inopinè modò difficultates emerſerant. Occidendus erat præter opinionem filius multis nominibus dilectus, & victoria etiam glorioſus: ergo contra difficultates nouas à iuramento quæſiuit vires. Notauit Chryſoſtomus apud Gloſſam: *Ecce tertium iuramentum, nec ſimpliciter tertium, ſed cum multa temporis anguſtia.* Natura affectibus obarmata perſuadebat retractare ſententiam: ergo Saül, dum ſenſit validius naturæ robur, ſe iterato communiuit Sacramento, ne triumpharet natura, ſi inerti ipſe ſe geſſiſſet ignauia. Hoc facto edocuit Saül vigilantius in ſtatione perſiſtendum, cùm inimicus maiores opponit vires, & armat difficultates. Hanc veritatem edocuit etiam Dauid. Nam cùm Philiſthæus proceræ magnitudinis in certamen proſiliret, & Iſraelitas vel ſolo aſpectu de ſtatione deturbaret, vires erexit, & alacriter certamen arripuit. Saül, vt vidit puerum pugnæ amore incenſum difficultates objecit: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti.* 1. Reg. 17. *v.* 33. Quid tunc Dauid? *Leonem, & vrſum* (inquit) *interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircunciſus quaſi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi.* Quo paſſu ei objiciebat difficultates, Dauid oſtentabat inuictas vires. Edocens difficultatibus ignauiter non cedendum, ſed validius depræliandum. Notauit Baſilius Seleucienſis, orat. 15. *Qua ratione à propoſito certamine conatus es auertere, acriùs, ô Rex, ad pugnam exacuiſti.* Acriùs ad pugnam eſt exacutus, vt ſe vidit multis difficultatibus impetitum, & aduerſarium validioribus armis protectum. Vt diſcas hinc animo non cadere, ſed contra difficultates maiores animos prudenter reſumere.

TEXTVS.

VERS. XLV. Dixitque populus ad Saül: Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſraël? Hoc nefas eſt: Viuit Dominus, ſi ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus eſt hodiè. Liberauit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.

§. CIX.

Proſunt egregia facta ad avertenda animæ, & vitæ pericula.

BEnè proſpicit (aiebat Caſſiodorus 7. *var.* 7.) *rebus futuris, qui regnantium ſeruiuit initiis.* Exhibita denotè obſequia fauſta ſunt futurorum auſpicia. Nullus perdidit, quod honeſtè collocauit; in benè cœptis perſeueraturus creditur, qui virtutibus inſeruiſſe dignoſcitur, & ſe contra aduerſos fortunæ vultus communiuit, qui virtutes egregiè coluit. Ionathas contempſit pericula, vt populo acquiſierit trophæa; per ſcopulos reptans aſcendit, & adverſarios audacia feliciſſima inuaſit. Cumque ad magnas anguſtias deveniſſet, & iam vitæ immineret periculum, præclara eius facinora ſaluti præſtitere ſuffragium, & nefas cenſuit populus diſperire, quem tot triumphos agnouerat exornari: *Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſraël?* Quaſi dicant: Eſto aliquod Ionathas perpetrarit erratum, cur à tot, tantiſque facinoribus contra erratum non habebit auxilium, & leuis, aut nulla culpa ei adducet mortem, qui magnam adeò eſt operatus ſalutem? Notauit Gloſſa: *Multum proſunt tranſacta bona. Niſi enim Ionatham præterita bona iuuiſſent, imminentia mala non euaſiſſet. Non enim iuſtus Deus, vt obliuiſcatur bonorum.* Qui eleemoſynas pauperibus erogauit, vitæ ſuæ, ac ſaluti prouidit: qui innalidum à potentiori defendit, ſcutum adverſæ fortunæ oppoſuit. Dauid, dum mappalibus degeret, & curæ gregum incumberet, innoxium agnum à ferocientis lupi rictibus extraxit, ab immanis leonis vnguibus ouem eripuit: *Veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum.* 1. *Reg.* 17. *v.* 34. Audis invalidorum conſuluiſſe ſaluti, vide etiam ereptum vrgenti ſatis diſcrimine: nam cum Saul in illum haſtam contorſerit, prouidentia cœleſtis eripuit, & haſta caſſoſtu in parietem delata eſt. *Tenebat Saül lanceam, & miſit eam, putans, quòd configere poſſet Dauid cum pariete, declinauit Dauid à facie eius ſecundò.* Infr. c. 18. v. 10. Non adeò mirum fuit leonem in deſerto ſuffocare, ac in aula inuidentiæ telo non transfigi: verùm Dauidem gratia diſcrimini eripuit, quia innalidorum ſaluti proſpexit. Innuit Baſilius Seleucienſis orat. 15. *Haſtam iacit in Dauidem. Illum verò paries excipit, omnibuſque facinus indicat. Non enim omnia videns oculus hic cuncta remiſit, neque iactum telum diuinam prouidentiam præuertit. Ita Dauid periculo exemptus eſt.* De potentioris manu Dauidem exemit prouidentia; quia de potentioris manu exempta fuerat ouicula, & Dauid, dum invalidorum auertit periculum, in ſe retorſum fruſtrauit telum; nam oculus omnia videns juſtum remunerauit, & pro benè retrò actis vitam conceſſit.

§. CX.

Plurimum valent ſanctorum ſuffragia ad eludenda pericula, & ſupplicia delinienda.

MAgna orationis vis; nam mutuata quodammodò omnipotentia honeſtè audet, & laudabiliter præſumit. Deus ipſe gaudet quodammodò parere, & quod poſtulatur, efficere. Vnde Tertullianus in Apologetico, c. 39. altè ſcribebat: *Hæc vis Deo grata eſt.* Et Chryſoſt. homil. 5. de incomprehenſibili, &c. *Aptiſſima arma oratio eſt.* Vt armis alios protegimus, & à periculis ſervamus; ita oratione defendimus: verùm tunc crebrior eius efficacia, cùm plures veluti facta manu conveniunt, & Dei miſericordiam, ſi fas eſt dicere, invadunt. *Coïmus* (verba ſunt Tertulliani) *in cœtum, & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta precatione ambiamus orantes.* Itaque Deus quaſi iucunda ſibi obſidione ambitur, & oratio multorum, quod piè audet, fortunatiſſimè aſſequitur. Chananæa filia dura ſuffebat tormenta mater accurrit, & anxias effundit preces: *Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè a dæmonio vexatur.* Matth. 15. v. 22. Chriſtus tacuit, & nos arcano ſilentio edocuit: *Non reſpondit ei verbum.* Apoſtoli mulieris ſuſcipiunt patrocinium, & depelli precantur morbum: *Accedentes diſcipuli eius rogabant eum;* & iam mulier propiùs accedit, & ſalutem ſibi promittit: *At illa venit, & adorauit eum.* Inquiramus, cur modò plus audeat, propiúſque accedat? Si prius indignitatem diſtantia fatebatur, cur modò plus præſumat,

sumat, & placandum tormentum credat ? Quia iam vidit pro se ab Apostolis preces fusas, & credidit non fore irritas, quas tanto animorum consensu aspiciebat armatas. Audi D. Thomam in Catena : *Ideò non respondit, vt discipuli pro ea rogarent : ostendens per hæc necessarias esse preces sanctorum ad aliquid impetrandum.* Fiduciam fouit, & spem salutis fixit, non ignara, quantum sanctorum orationes valeant ad comprimenda dæmonia, & ad releuanda supplicia. Nec fiduciæ fructu fraudata est, nam vexatio cessauit, & sanitas redit. Plurium etiam orationis vim Ionathas expertus est : mortis iam imminebat periculum, Regis adurgebat decretum, cùm populus pro Ionatha intercessit, & à morte liberauit : *Liberauit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.* Populi suffragia auerterunt supplicia, nec pater potuit denegare, quod tot precibus aggressi sunt obtinere. Prodest Rhabanus apud Glossam : *Precibus populi liberatus est. Vnde patet eum qui mundi voluptate superatur, Sanctorum suffragiis, & Sanctorum orationibus indigere.* Breuis, & exigua fami voluptas periculo expoluit vitam, & coronam, sed suffragia Sanctorum restinxerunt Regis iram, & infligendum vitarunt pœnam. Plurium oratio vitæ fuit redemptio: æmulatur namque quodammodo redemptionis efficaciam in ordine ad pœnam, & vitam. *Iuxta Habræum habetur* (inquit Caietanus) *& redemerunt populus Ionatham, & non est mortuus ; tanquam redemptio censetur officium populi pro Ionatha.* Oratio plurium redimit à morte, quem fauus damnarat breui dulcedine.

TEXTVS.

VERS. XLVI. Recessitque Saul, nec persequutus est Philisthiim : Porrò Philisthiim abierunt in loca sua.

§. CXI.

Inefficacia redduntur arma, si commissa Dei auxilium impedierint delictæ.

ARma, vt hostibus incutiunt terrorem, sic populis pariunt salutem : verùm si culpis admissis retundantur, nil valent ad aduersariorum impetus retundendos, nil ad triumphos comparandos. *Quid est enim dignius* (aiebat Theodericus 4. variar. 6.) *quod die, noctúque assidua deliberatione volvamus, nisi vt Rempublicam nostram, sicut arma protegunt, æquitas quoque inuiolata custodiat.* Arma, & æquitas Reipublicæ sunt custodes, & aduersariorum pestes; debent tamen amica societate iuvari, & alternis auxiliis communiri ; nam solum oneri erunt arma, si eorum aciem retuderint vitia. Armis exundabat populus, cùm effinxit vitulum & tamen Moyses adspicit denudatum : *Videns ergo Moyses populum, quòd esset nudatus.* Exod. 32. vers. 25. Nudatus erat diuino auxilio, & quia defecerant cælestia auxilia, parum, aut nihil iuvábant arma. *Nudum constituerat* (inquit Hugo) *gratia Dei, qua tunc plurimam indigebat.* Inermis Israëlita armatum Pharaonis demicit exercitum, quia virtutibus pugnabat armatus; modò verò, quantumvis armorum copia munitus, hostibus videbatur objectus. Arma, & æquitas magnum robur : quòd si aliquid ex his deficiat, satius est æquitate adornari, quàm armorum copia muniri. Saul nullis, aut paucis armis Philisthinorum phalangas aggressus partim occidit, partim fugauit, & cùm iam consummanda arrideret victoria, non est prosequutus certamina. *Recessit Saul, nec persequutus est Philisthiim.* Sicut elogium est cœpta perficere, sic inglorium videtur inchoata non consummare. Cur ergo Saul inermis de victoria præsumpsit, & modò hostilibus armis onustus certaminis cursum intercidit, de victoriáque desperauit ? Quia modo (inquit noster Sanctius) ob admissam culpam Deum existimauit iratum, & prudenter censuit parum iuvare arma, si cælestia deessent auxilia.

Eman. de Naxera in Reg.

Accipe egregium Interpretem : *Coniectauit Saul, & qui illi tunc à consiliis aderant, offensum esse Deum, cùm nullum dederit ad interrogata responsum ; neque irato Deo ex vsu futurum esse iudicabat quidquam tentare prorsus inauspicatum, maxime in re bellica, vbi si quid peccatum fuerit, grauissimæ fiunt rerum inclinationes.* Veritus Deum offensum, statuit vlterius non progrediendum, ne, quem de hostibus reportarat triumphum, culpa verteret in lamentum. Itaque arma, Deo offenso, non consummauere victoriam, cùm propitio Deo inermis populus verteret aduersarios in fugam.

TEXTVS.

VERS. XLVII. Et Saül confirmato regno super Israël pugnabat per circuitum aduersus omnes inimicos ejus contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & Reges Soba, & Philisthæos, & quocumque se verterat, superabat.

§. CXII.

Qui Dei sequitur iussa, facilè de hostibus reportat trophæa, & coronatur victoria.

QVi cum Deo pugnat, facilè assequitur triumphum, quia non potest non arridere victoria, si pugnando diuina adimplentur mandata. *Is vincit assidue* (aiebat Cassiodorus 2. variar. 41.) *qui nouit omnia temperare*, immò qui nouit obtemperare, & in omnibus parere ; nam *vir obediens loquetur victoriam.* Proverb. 21. v. 28. Galfridus in Allegor. Tilman. legit : *Vir obediens loquitur victorias.* Additque : *Verè non victoriam, sed victorias ; triplicem enim loquitur victoriam, scilicet, de se ipso, de diabolo, & mundo.* Quisquis Deo subjicitur, auspicato bellum aggreditur, & licèt pro diuersitate regionum, ac terrarum diuersa sint hostibus tutamenta, & munimina, obediens Numini victricia omnibus infert arma. Saul variis cum aduersariis dimicans ditissima reportauit spolia : *Saul confirmato regno super Israël pugnabat per circuitum aduersus omnes inimicos eius contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & Reges Soba, & Philisthæos. & quocumque se verterat, superabat.* Gentium diuersitas, locorum arduitas Saulis militauere decantandis triumphis, quia pugnando cælestibus obsequebatur mandatis. Ita Abulensis q. 42. *Hoc Deus iusserat Sauli per Prophetam, quando vnctus est in Regem suprà cap. 10. scilicet, ecce vnxit te Deus super hæreditatem suam in Principem, & liberabis populum eius de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt.* Dum pugnat per circuitum, Domini præceptis obsequitur : ergo triumphis multiplicibus coronatur : *Quocumque se verterat superabat.* Nam obtemperanti Deo Principi copiosus obtemperabat exercitus, cúmque milites alacres, & ardentes in vicinos aduersarios irruerent, aut turbabant, aut subigebant, cúmque Deus Principis promoueret consilium, de quocumque hoste reportabatur trophæum. Israëlitis jubet Deus aduersus populos acriter pertinaces pugnare : *Sin autẽ fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam : Cúmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manus tua, &c. omnem prædam exercitui diuides, & comedes de spoliis hostium tuorum.* Deut. 20. v. 12. Vbi iubetur pugna, agitur de victoria, & dividenda militibus præda; quasi idem fuerit contra hostes Numini obediendo oppugnare, & spolia ab eis obtinere. Iam spolia diuiduntur, si Dominica præcepta asseruantur. *Seruiet tibi sub tributo* (inquit Interlinearis) *obediendo.* Obediendo imponuntur hosti tributa, aut reportantur trophæa ; nam qui Numini obsequitur, aduersariis feliciter dominatur.

§. CXIII.

Frequenter qui propitio Marte vtitur, culparum nebulis obscuratur.

Qvi militaribus officiis assueti, ciuilitatem premere dicuntur armati (scribit Cassiodorus 1. var. 11.) *& ob hoc iustitiæ parere despiciunt, quoniam ad bella Martia semper intendunt.* Idem videtur esse militarem armaturam induere, & virtutibus denudari. Nulla alia milites agnoscunt iura, nisi quæ sibi fecerint arma, & tantum arbitrantur sibi licere, quantum audent armis præsumere. *Nescio quo pacto* (addit Cassiodorus) *assiduè dimicantibus difficile est morum custodire mensuram.* Morum despicitur mensura, quia militaris solùm laudatur audacia. *Chrysantam laudauit Cyrus* (scribit Plutarchus in quæst. cent.) *quòd obtruncaturus hostem, sublatúmque tenens gladium, vt tubam audiuit receptui canentem, hominem missum fecisset, neque vt prohibitus, percussisset.* Deprædicandus fuit miles spolijs abstinens, & præceptis ducis obediens; cùm frequenter, si inuitauerit præda, morum non custodiatur mensura; verùm etsi non rarò milites à legibus sibi videantur soluti, hi præcipuè edicta diuina calleant, qui triumphis coronati, & Marte propitio vsi. Vbi murus Iericho Israëlitas iuvit collapsus: *Muri illicò corruerunt.* Iosue 6. vers. 20. Acham crimine refertur infectus: *Tulit aliquid de anathemate.* Iosue 7. vers. 1. Quasi idem fuerit triumphis potiri, & perpetratis criminibus sordidari. Nec aliter videtur accidisse Sauli. Nam vbi noster Textus habet: *Quocumque se verterat, superabat,* in Hebræo est vox æquivoca, quæ significat impiè agere, & hostes subigere. Notauit in Additione Gloss. *Dictio Hebraïca in hoc loco posita æquiuoca est. Vno modo significat idem, quod vincebat, vel superabat. Alio modo communiori significat idem, quod impiè agebat.* Adstipulatur Lira: *In Hebræo habetur: & quocumque se vertebat, impiè agebat, vel impius fiebat.* Quo passu crescebat triumphus, morum decrescebat ornatus, & vnde tenebatur Saül morum custodire mensuram, inde contra bonos mores, & pietatem maiorem fouebat audaciam. Vt vera sit nostra thesis, scilicet, qui propitio Marte vtitur, corruptis moribus sordidatur.

TEXTVS.

Vers. XLVIII. Congregatóque exercitu percussit Amalec, & eruit Israël de manu vastatorum eius.

§. CXIV.

Ni copiosa adfuerit pecunia, strenuè nequeunt tractari bella.

Ni competens exercitui præbeatur annona, milites abjicient arma, nec corpora objicient periculis, si alendæ vitæ indiguerint alimentis. Priusquam cogatur exercitus, copiosus prouidendus est nummus; nam si contigerit alimenta Principem non largiri, omnia milites arbitrantur sibi licere. *Præsenti jussione* (aiebat Theodericus 5. variar. 13.) *vos credidimus admonendos, vt annonas constitutas exercitui præbere debeatis, quatenus nec illi negligantur aduerso voto, nec prouinciales pernicioſa debeat grauare direptio. Commodius enim sub expensarum lege teneatur exercitus, quàm si cuncta fuerit vastare permissus.* Modum nescit fames seruare, nec cogi potest ad morum custodiendam mensuram, si miles ad alendam vitam debitam non accipiat annonam. Ob id Saül congregauit aurum, vbi congregauit exercitum: *Congregato exercitu percussit Amalec.* In Hebræo habetur: *Congregatis diuitiis.* Nequiret exercitum copiosum contra aduersarios producere, ni priùs studuisset congregato auro annonam militibus prouidere. Habens aurum coëgit exercitum; & bene instructo exercitu debellauit inimicum: *Et eruit Israël de manu vastatorum eius.* Eodem tempore militarem cogebat exercitum, & copiosum alendis militibus congregabat aurum, vnde contigit, vt facilè attereret inimicum. Innuit Abulensis quæst. 42. *In Hebræo habetur secundum quosdam: Congregatis diuitiis percussit Amalec. Et istum sensum tenet Rabbi Salomon.* Militares auolassent copiæ, ni ad alendos milites prouiderentur diuitiæ. Nam si militi non præbeatur stipendium, aut vigor hebetatur, aut fuga subsidium quæritur. Abimelec cognatorum ambitione electus argentum priùs curauit habere, quàm bellum aggrederetur instruere: *Dederunt illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberith, qui conduxit sibi ex eo viros inopes, sequuntique sunt eum.* Iudic. 9. vers. 4. Inopes, vt alerent vitam, vitam ipsam discrimini exponebant: ast Martia detrectarent subire certamina, si depellendæ fami deficerent alimenta. Ergo Abimelec astutè prouidus priùs curauit habere aurum quàm cogere aggrederetur exercitum; esset namque labor irritus exercitualia non habere, & copias militares instruere. *Pro electione promouenda* (inquit Glossa Moralis) *expensas magnas facium.* Sine annona non possunt milites inire ardenter certamina, nec competens exhiberi potest annona ni pecuniarum vim antea collegerit prouidentia. Ergo Saül, vt militares haberet copias, copiosas priùs parare procurauit diuitias.

TEXTVS.

Vers. XLIX. Fuerunt autem filij Saül, Jonathas, & Iessui, & Melchisua: & nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.

§. CXV.

Qui optima parentum exempla non sectatur, à fortiorum numero mulctatur excluſus.

In sobole frequenter homines falluntur: filius non respondet origini, cùm virgulta respondeant cespiti. *Propago vitis* (aiebat Cassiodorus 2. variar. 14.) *priè seruit origini, & discrepat homo à suo fusus initio.* Vt glorioſum est ab ignobili origine discrepare, ita est præclaræ inglorium non respondere. Non videtur nobili vena prognatus; qui inconcinnis moribus videtur obscurus. Saülis filios recensens Sacer Textus Isboseth omisit: *Fuerunt autem filij Saül, Jonathas, & Iessui, & Melchisua:* cúmque indubium sit à Saüle, vt constat 2. Reg. 3. vers. 7. fuisse prognatum, facri Interpretes inquirunt omissionis mysterium: Cur scilicet hic Isboseth excludatur à filiorum summa, cùm eadem fuerit exortus vena? Lira existimat ignavum ac timidum arma detrectasse, cùm alij Martia gererent bella, & egregiè tractarent arma: *Hic non nominatur Isboseth propter defectum magnanimitatis; quia fuit pusillanimis, & ineptus ad prælium, propter quod in bello vbi mortuus fuit Saül, non fuit cum aliis fratribus suis.* Isboseth otiosus indulgebat deliciis, cùm eius patres fratrésque desudarent laudandis prælijs: ergo dum optima exempla non sequitur, à filiorum numero excluditur; nec enim fas erat, vt glorioſis clareret meritis, qui à dilaudandis majorum recedebat exemplis. Matthæus, dum Davidis recenset filios, tres arcano silentio suppressit: Ait enim: *Ioram autem genuit Oziam.* Matth. 1. vers. 8. Cùm Ioram genuerit Ochoziam, Ochozias Ioam, Ioas autem Amassiam; Amassias demum Oziam, vt patet ex 4. Regum cap. 9. vers. 27. & 12.

& 12. vers. 18. & 21. Hi tres exularunt expuncti. Quod si causam inquiras, respondebunt Interpretes, fuisse à Davidica pietate prorsus degeneres, Prophetarumque hostes. Ergo, vt doceret filios maiorum stemmatis indignos à fratrum numero fore excludendos eos Euangelista reticuit, & parumpendit. Prodest Rupertus lib. 3. in cap. 2. Apocal. *Dauid pater Christi est, videlicet quia Verbum Dei, quod est Christus, corde credens, & ore deprompsit, & scriptis edidit. Primus Prophetarum, clarissimus Patriarcharum. Alioquin nisi per fidem Christi pater fuisset, frustrà secundum carnem antecessor eius extitisset.* Attentiùs audi, quæ subjicit. *Vide Ochozias, Ioas, atque Amassias, qui eiusdem Verbi Dei præcones Prophetas persequuti sunt, & occiderunt, in illa generatione computati non sunt.* Secundùm carnem erant Dauidis filij, sed à Dauidis pietate, ac religione prorsus alieni: ergo de filiorum numero sunt expuncti; nam qui optima maiorum exempla non sequitur, iure stemmatum honore priuatur.

TEXTVS.

Vers. L. Et nomen vxoris Saül Achinoam filia Achimaas: & nomen Principis militiæ eius Abner, filius Ner patruelis Saül.

§. CXVI.

Matris nomen non debet silentio præteriri, dum filios constat egregijs factis radiare.

QVi timet Dominum (aiebat Ecclesiasticus) *honorat parentes.* Eccl. 3. vers. 8. Vt à parentibus optimis in filios claritas deriuatur, sic ob præclaros filios honor parentibus exhibetur. *Propositum tuum* (aiebat Athalaricus 9. *variarum* 22.) *celebrata dilatauit opinio faciens fidem generis morum pondere, non ætate. Semen generis morum fructibus reddidisti. Nihil vobis ætas longa subduxit... Cui specialiter adscriptum est, quod immanissimum hostem statu Reipublicæ periclitante inuasit, & in tanta virorum fortium multitudine solus inventus est, qui patriam plus amasset.* Magna parentibus adaugebat gloriam filium genuisse, qui patriam inclinata fortuna liberasset, & hostes immanissimos compressisset. Vt degener filius matrem obscurat, sic strenuus genitricis famam æternat. Hinc est quòd nomen matris Ionathæ Sacer Textus passus non est tumulari silentio, quia digna erat famæ dilaudari præconio: *Nomen vxoris Saül Achinoam, filia Achimaas.* Sæculis nomen protulit celebrandum, erat enim digna, quæ tantum ediderat filium. Innuit aliquomodo Abulensis q. 42. *Ex ea genuit istos filios, qui nominantur hic.* Ionathas hostes inuicta fortitudine invasit, hostes attriuit, nec solùm periclitante Republica repulit iugum, sed acquisiuit florulentissimam laurum: ergo matris prodatur nomen, ne silentij obscuretur tenebris, quæ tanti filij ornabatur glorioſis factis. Vbi Christus Dominus miranda in Synagogis radiauit Sapientia: *Docebat eos in Synagogis eorum, ita vt mirarentur.* Matth. 13. *vers.* 55. Parentela proditur, & matris nomen auditur: *Nónne Mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas?* Non potuit genus latere, quod egregiis adeò luminibus noscebatur radiare. Huc apto, quod aiebat datus Cassiodorus: *Benè noti sunt, qui meritis asseruntur, & abundè cognoscitur quisquis, fama teste, laudatur.* Livor, odiúmque in suffragium euaserunt, & cognatorum nomina promulgarunt, vt ab ipsa inuidia matris nomen luceret proditum, quæ talem, tantúmque ediderat filium.

TEXTVS.

Vers. LI. Porrò Cis fuit pater Saül, & Ner pater Abner, filius Abiel.

§. CXVII.

Extraneæ origini solent se inserere, quibus contigit dignitatum luminibus emicare.

DVm Sacer Textus arcanum expressit mysterium, humanum etiam adumbrauit stilum. Dubium non est Melchisedechum à Noë agricola exortum, & tamen sibi genealogia adscribitur, cum regijs Sacerdotalibúsque insulis adornatus refertur. *Interpretatur* (inquit Paulus) *Rex iustitiæ, deindè autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia* Ad Hebr. 7. *vers.* 2. Quia Dei filij gerebat imaginem, arcano mysterio siletur genealogia, & non proditur parentela. Verùm quod in Melchisedech fuit cœleste mysterium, in aliis superbiæ tumidæ est artificium; genealogiam occultant propriam, & furantur alienam, cúmque à terræ cultoribus sint prognati à Cæsaribus haberi volunt exorti. *Dicunt* (inquit Lira) *ipsum fuisse Sem filium Noë.* Sem Noë viri agricolæ, terrámque exercentis fuit filius: at Salem Rex Melchisedech dicitur, & genealogia tacetur. Vt dicebam, non occultauit genealogiam tumens superbia, sed cœlestis doctrina: ast inuenies plures, qui genealogiam repudiarint, si fastigia dignitatum inscenderint. Non sine causa Sacer Textus, cùm sæpè expresserit Saülem Cis filium accepto iam triumpho, confirmatóque regno à Cis iterum repetiuit exortum: *Porrò Cis fuit pater Saul*: quasi præcaueret, ne iam Rex claros sibi parentes adsciscceret, & magnatum se originibus immisceret. Abulensis *quæst.* 42. legit: *Cis fuerat pater Saul, vt patet supra cap.* 9. Adnectit: *Hoc ponitur ad significandum gradum affinitatis.* Originem expressit iterum, nec fuit superfluum, sed venturis sæculis necessarium. Tertullianus Saturnum, Iovémque ex hominibus natos gentibus obiectauit, forsitan quia ipsi, dum essent homines, ad dignitatem euecti originem respuerunt humanam, & sunt mentiti diuinam. *Iouem* (inquit in Apologetico, *cap.* 10.) *ostendimus tam hominem, quàm ex homine, & deinceps totum generis examen tam mortale, quam seminis sui par.* Quia Iuppiter: iam non homo, iam ab omni terrea origine expunctus & à cognatione omni distractus, cùm tamen liqueret ab homine genitus, & terreno semine exortus. Antiquæ adeò sunt hæc prospera fortuna vsis mendacia, & tumoris artificia: ergo non otiosè Sacer Textus Saülis iam dignitatibus clari repetiuit patrem, quo ostenderet aliam sibi plures prosapiam elaborare, & parentelam confingere.

TEXTVS.

Vers. LII. Erat autem bellum potens adversus Philisthæos omnibus diebus Saül. Nam quemcumque viderat Saül virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

§. CXVIII.

Vir præstans non est in otio permittendus, sed dignis occupationibus applicandus.

DIgnitas, si ad incognitum venit, Reipublicæ potest esse periculum; si ad expertum, & dignum, est vtilitati publicæ commodum. Tales debet Princeps

promouere, quorum neqneat populus promotionem niquis linguis abrodere. Et quidem Reipublicæ consultum, quoties qui gloriosis virtutum meritis radiat, ad dignitatum apices promouetur. Commiseratione erit dignum, si inerti bellum committitur, & ignaro causas decernere demandetur. *Dedimus* (aiebat Theodericus 1. *variarum* 13.) *personam tantis honoribus parem, vt alterutro decore fulgentes mutua se gratia qualitatis ornarent. Hîc est, qui nostro pridem lateri veridicus quæstor adhæsit, quem liuoris nebula nulla fuscauit, nec maleuolentiæ studio nocendi artes fellitis sensibus exquisiuit: sincero pectoris arcano puritati nostræ paruit, & ad pietatem iussionum innocentiam suam præbuit.* Adnectit: *Nec passi sumus otiosum, quem merita non sinebant esse priuatum.* Non potuit non florere, Respublica, vbi eligebant merita, non affectionum suffragia. Quod si eligendus relinqueretur obliuione sepultus, & qui relinqui debuit, ad dignitatem evolaret electus, Respublica ordine inverso aut nutaret, aut gemeret. Omnibus diebus Saulis validissimis certaminibus Philisthini atterebantur: *Erat bellum potens adversus Philisthæos omnibus diebus Saul.* Vndè Philisthæis calamitas promanarit, & felicitas Hebræis arriserit, Textus non tacuit, dum retulit fortes, & strenuos à Saule militiæ adscriptos, sibique familiariter assotiatos: *Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.* Si ad prælia duceret timidos, omnium animos eneruaret, & hostibus vigorem adjiceret; at dum ipse milites quærebat strenuos, debellabat aduersarios. Saul, quia bellicosus, milites honorabat, & strenuos perquirebat. *Amare nouimus* (aiebat Vitigis Rex 10. *variarum* 31.) *viros fortes, qui sæpiùs bella peregimus*: *Additur*: *Quòd vnicuique virtutum vestrarum testis assisto. Ab alio enim mihi non est opus facta vestra narrari, quia omnia vobiscum laboribus sociatus agnoui.* Pertulerat duros campi labores, certaminum subierat pericula, & propria experientiâ edoctus magni strenuos milites æstimabat, & præmiis dignis fouebat. Ergo Saul Martiis etiam certaminibus assuetus, quos viros fortes inueniebat, sibi associabat, honoribus ad prælia exacuens, & militum electione aduersarios deterrens. *Ecce modus* (inquit Caietanus) *quo Saul congregauit gentem fortem*, scilicet sibi associando, & vrbanè cum eis agendo. Consonat noster Sanctius: *Præclarum Imperatoris consilium, quod etiam Imperatores alij cũ magno rei bellicæ bono, & gloria secuti sunt.* Si obuij quique militiæ adsignentur, hostium auxilium conducitur, ignavi namque aliorum animos debilitant, ad fugiendum stimulos addunt, & vigoris nervos dissolvunt. Idem in aliis materiis censendum est. Sic nimque est quævis dignitas, vt administrationum probitas, & capacitas. Mathathias morti proximus, populique salutis percupidus Simonem consiliarium delegit, & Iudam militiæ adscripsit: *Ecce Simon frater vester scio quòd vir consilij est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater. Et Iudas Machabeus fortis viribus à iuventute sua, sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.* 1. Machab. 2. vers. 65. Innumeræ populo ab hac electione prouenerunt vtilitates, quæ cessassent, si Iudas relinqueretur privatus, & Simon otiosus, aut si Iudas ad præstanda eligeretur consilia, & Simon ad Martia bella. Adest Lira: *Iudas Mach. fortis vir, ideò ad principatũ militiæ aptus.* Mortem zelũ dilaudandũ ostẽdit, & formam eligendi præscripsit.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

Prior Numerus, Caput: Alter Paragraphum; Postremus verò Paginam indicat.

A

Absens.

ABsens sæpè laudatur, qui præsens despicitur. c.10.§.59.p.246.

Absentia.

Numinis deploranda. c.4.§.38.p.83.
Principis absentia suorum vires eneruat.c.5.§.6.p.92.

Abstinentia.

Salutem reparat, robur ædificat. c.7.§.63.p.176.

Abundantia.

Frequenter est socia culpæ. c.12.§.25.p.282.

Administer.

Non dolet bonus dignitate carere, sed Principis gloriam minui. c.8.§.27.p.195.
Non est suspicionibus denigrandus, dum apparet virtutibus expolitus. c.7.§.98.p.187.
Ampla palatia non constituat, sed vtilitati communi inseruiat. c.7.§.97.p.ibid.
Otio non indulgebit, sed laborem laboris mutatione leuabit. c.7.§.96.p.186.
Rarus est, qui incrementa respuat, vt generalitati prospiciat. c.8.§.30.p.196.

Admonitio.

Qui admonitus peccat, contra se indignationem inflammat. c.4.§.33.p.82

Adulatio.

Refert grata, celat aduersa. c.11.§.27.p.160.

Adulator.

Blanditur, vt prædetur. c.6.§.110.p.158.
Non audet resistere, qui cupit gratiam lucrari. c.14.§.91.p.362

Ærumna.

Sui ipsius est medela Deo patienter oblata. c.6.§.21.p.122.

Affectus.

Rectum est meritis antecedere, & ob affectum postponi. c.1.§.38.p.9.
Virtutem commendat laudabiliter subjugatus. c.6.§.43.p.30.

Altitudo.

Casui exponitur, nisi industriè suffulciatur. c.9.§.52.p.224.

Ambitio, Ambitiosus.

Manum abscondit, cùm deturbare contendit.c.5.§.18.p.97.
Virtutis oblitus, dignitatis anxius. c.10.§.43.p.241.
Dum ampliorem solicitat reuerentiam, tectam solet detegere infamiam. c.5.§.32.p.102.
Exigua tellure in morte tegitur, & mundi claustra rumpere adnititur. c.14.§.26.p.334.
Quidquid laboris fugit: quidquid honoris exambit. c.10.§.70.p.250. & c.1.§.33.p.9.
Omnibus ferè semper ingratus. c.8.§.33.p.197
Amittit aliquando propria, dum sitit aliena. c.13.§.33.p.285.
Soluit magna tributa, & demetere solet detrimenta. c.8.§.31.p.197
Sibi existimat ablatum, quidquid alteri impensum.c.9.§.54.p.226.

Amicus, Amicitia.

Sæpè attendit fortunam, rarò personam. c.14.§.45.p.342
Nil fructuosius colitur, & dulcius exercetur. c.1.§.30.pag. 8

Amissum.

Ad recuperandum non sunt consulenda specula, vel auguria. c.9.§.18.p.213
Dei auxilio citò recuperatur, quod longo tempore amittitur. c.14.§.50.p.344

Amor.

Difficultates emollit, & ipsam vitam contemnit. c.14.§.14.p.329
Tristatur, nisi munera dilargitur. c.1.§.26.p.26
Sic ingeniosus est, vt legi pareat, & affectui inserviat. c.1.§.27.p.26.
Stultus est, si ob alienum lucrum animi patitur detrimentum. c.1.§.27.p.26
Sæpè impenditur, vnde nullus fructus percipitur. c.1.§.30.p.8
Sibi non attendit, amato studet. c.1.§.31.p.8
Rarò se continet, sed limites juris excedit.c.1.§.32.p.8

Angelus.

Nobis denuntiat pericula, & solicitat remedia.c.2.§.91.p.43

Nobis

Nobis ministrat subsidia contra diabolica arma. c.11. §.48. p.268
Ei debemus tutelã,& sæpè victoriam.c.13.§.61.p.321

Angustia.

Impetrat,dum ad Deum clamat. c.9.§.31.p.218

Anima.

Despicitur, corpus magni habetur. c.5.§.56.p.111

Appetitus.

Est durissimus carnifex. c.11.§.14.p.256

Arca.

Indignationem accendit, qui ab hoste Dei Arcam posse devenustari præsumit. c.6.§.101.p.154

Arcana.

Dei arcana non sunt nimia curiositate scrutanda. c.6. §.10.p.118

Arma.

Reipublicæ fulcimenta. c.8.§.46.p.201
Eorum decet Principem experientia, & peritia. c.13. §.11. p.304
Enervantur sæpè culpa. c.14.§.111.p.324

Aspera.

Virtutis alumnus nec asperis terretur, nec iucundis allicitur. c.14.§.9.p.327

Auaritia, Auarus.

Est virtutum pestis. c.13.§.50.p.313
Præ se ipso diuitias amat. c.11.§.30.p.262

Audacia.

Nimium timet, qui nimium audet. c.6.§.104.p.156
Aliquando crescit, cùm aliena strages reprimi docet. c.4.§.26. p.79

Augurium.

Non est quærendum ad instaurandum amissum. c.9. §.18. p.213

Aurum.

Nobilitatem procudit, & quidquid obscurum tegit. c.1.§.12. p.4

Auxilium.

Cœleste adest tendenti ad virtutis castrum. c.7.§.58. p.175
Adest diuinum, dum deficit prorsus humanum. c.14. §.4. p.324

B

Beatus.

Nullus ex omni parte beatus. c.1.§.14.p.4

Bellum.

Satius est collectis viribus semel decertare, quàm exiguis sæpius repetere. c.13.§.25.p.308
Nequit adornari, si desit pecunia, aut annona. c.14. §.114 p.371

Benedictio.

Debet præcedere prandium. c.9.§.28.p.215

Beneficium.

A Deo acceptum gratitudine est honorandum, & augendum. c.1.§.90.p.[illegible]
Non tam quantitate, quàm opportunitate nitescit. c.1. §.29. p.8
Non tam pretio constat, quàm modo. c.1.§.28.ibid.
A Deo acceptum aliquando contra accipientem retortum. c.2.§.28.p.[illegible]
Gratitudine non solum compensatur, sed etiam augetur. c.3.§.52.p.[illegible]
Ad promerendum aliud, sit incentivum. c.2.§.4.p.[illegible]
Non sic obtinet gratiam eximium, quàm leue exaperet detrimentum. c.8.§.32.p.[illegible]
Nunquam plenum, si dilatum. c.11.§.42.p.[illegible]
Recusat ingenuus accipere,si nequit solvere.c.9.§.22. p.214
Satis non est memoriter retineri, si quiverit compensari. c.12.§.26.p.[illegible]
De quovis ratio est reddenda. c.12.§.19.p.[illegible]
Diuinum plus valet,quàm sonat,humanum plus sonat, quàm valet. c.14.§.51.p.[illegible]
Sæpe à nobis divinum impeditur, & retardatur. c.14. §.96 p.[illegible]
Ita est largiendum,vt nullum virtus sustineat damnum. c.13.§.10. p.[illegible]
A Deo acceptum aliquando ad vitia retortum. c.14. §.79. p.[illegible]

C

Calamitas.

Eius remedium aliquando à nobis possumus impetrare, & malumus ab aliis perquirere.c.12.§.[illegible] p.293
Aliena docet quærere profugia. cap.4. §.26. p.[illegible] & §.51.p.88.& c.7.§.12. p.[illegible]
Cùm altera sedatur, altera exoritur. c.10.§.9.p.[illegible]
Grandi pretio aliquando emitur. c.7.§.66.p.[illegible]
Est culpæ fœtus, non cæcæ fortunæ partus. c.4.§.[illegible] pag.75
Qui non eruditur aliena, ingemiscit propria.c.5.§.[illegible] pag.103
Mitum est, si non denuntietur, vt amaritudo augeatur. c.3.§.39.p.[illegible]
Grauissima est,si non permittat querelam,& adaugeat ægrimoniam. c.2.§.33.p.[illegible]
Est vitiorum proles. c.11.§.8.p.[illegible]
Est Deo præsentanda, & conformitate medenda. c.[illegible] §.81. p.17
Rarò venit sola, & frequenter associata. cap.4.§.[illegible] pag.88
Solet augeri, à quibus debuit leuari. c.5.§.52.p.[illegible]
Alteri illata est prudenti medela. c.7.§.43.p.[illegible]
Rebus sacris accidens non Dei impotentiæ adscribenda, sed crimini. c.5.§.15.p.[illegible]
Docet sæpè virtutem,vt fortuna prauitatem.c.4.§.[illegible] p.74.& c.2.§.92. p.[illegible]
Vertitur in felicitatem,si expungat errorem. c.6.§.[illegible] pag.123
Maior aliquando incurritur, dum depellitur. c.6.§.[illegible] pag.108

Campus.

Si Martiali in campo adsit Dei servus, dubietas pellitur, & insolentia reprimitur. c.14.§.7.p.[illegible]

Canus.

Cantus.

Pro eius qualitate viget honestas, aut pranitas. c.10. §.14. p.231

Caro.

Eius despicienda oblectamenta, vt Domino exhibeantur officia. c.7.§.28. p.167

Casus.

Solatium est, si contingat aliena inertia, non propria culpa. c.8.§.39. p.199
Aliquando putatur triumphus. c.5.§.12. p.118

Causa.

Nisi auferatur, inutiliter effectus eluditur, cap.5. §.46. pag.119.

Cautela.

Est necessaria victoria etiam parta, c.11.§.6.p.202.& c.13.§.7. p.253
Fœminæ semper necessaria, quia insidiatur astutia, c.1.§.67. p.14

Celebritas.

Quæ in Dei obsequium, detorquetur aliquando ad inane oblectamentum. c.1. §.35. p9

Censura.

Non potest in alienam sæuire culpam,ni asservarit innocentiam. c.12. §.6.p.276

Ceremonia.

Sæpè plus,quàm conscientia, exterior attenditur ceremonia. c.4.§.15.p.75

Certum.

Non est relinquendum ob maius bonum, si dubium. c.11.§.25. p.260

Charitas.

Non refugit mortem,vt plurimis impertiatur salutem. c.14.§.106. p.369
Nomen sibi acquirit, dum proximis consulit. cap. 12 §.32. p.285
Vitat propria,cùm pericula propulsat aliena. cap. 11. §.35. p.264

Christus.

Non recusat laborem,vt afferat nobis salutem.cap.11. §.44. p.266

Cæcitas.

Miseranda, si nullum aditum permittat luci. c. 3. §. 7. pag.53.

Cœnobium.

Miserum est diù eo viuere, & mortem Deo absente oppetere. c.4.§.49.p.87

Comitas.

Gratam vim infert,& desiderata extorquet. c. 3. §.42. pag.53.

Commercium.

Cum Deo lucrosum,cum homine sæpè nocivum. c.2. §.66. p.35

Commiseratio.

Laudabilis à virtute exorta,non degeneri affectu nata. c.6.§.59. p.133

Commoditas.

Quæritur detrimento virtutis. c.4.§.43.& c.6. §. 106.
Plus dolet commoditate carere, quàm virtutem exulare. c.4.§.42.p.66

Concionator,Concio.

Vilescit venalis. c.3.§.6.p.53
Dæmonis horror,& vitiorum est terror.c.7.§.79.p.80 & c.4.§.49. p.181
Non est idem xenium accipere,& doctrinam vendere. c.9 §.23. p.215
Si crucifixo adiungitur, audienti medetur. c. 6. §. 35. pag.127
In communi carpat, singularem non feriat. c.7. §.17. pag.184
Dæmon eum curat impedire,vt hominibus possit nocere.c.13.§.54. p.312
Esse debet mortificatus, & eruditus. c.6.§.62.p.138
Semper admoneat,etsi fructu non ditescat. c.7.§. 15. pag.165.
Non sibi plausum, sed audientts quærat profectum. c.7.§.16. p.163
Si nugis texitur,concio enervatur. c.3.§.50.p.69
Si non concordia vmantur, audientibus non medentur.c.6.§.36.p.127
Qui ad id munus electus, eximia resplendeat virtute ornatus. c.12.§.33.p.285

Concordia.

Honesta est aduersariorum ruina. cap.7.§.47.p.388.& c.14.§.11. p.171

Confessio,Confessor.

Eligendus virtute præditus,& sapientiâ ornatus.c.12. §.21. p.281
Si non integra,peccata non delet,sed auget.c.13.§.38. pag.309.

Confidentia.

In creaturis affert detrimentum. c.12.§.35.p.286
Quæ vana, sæpè frustrata,& reiecta. c.2.§.34.p.26

Conformitas.

Stare potest cum sensu doloris. c.6.§.51.p.134

Congregatio.

Iustorum dæmoni exitialis.c.7.§.50. p.173

Coniectura.

Sæpè denigratur fallaciâ. c.1.§.68.p.11
Pugnat aliquando cum euidentia. c.6.§.6.p.116

Coniux.

Continentia,& oratione filiis exundat, & Dei Sacramentum ornat. c.1.§.85.p.117

Conscientia.

Sæpè despicitur, & ceremonia externa curatur. c. 4. §.15. p.75

Consiliarius, Consilium.

Graue est supplicium optimo consiliario priuari. c.3. §.4.p.52.& c.10. §.33.p.238

Aliquando ita est consilium ambiguum, vt nulli parti videatur aduersum. c.6.§.9.p.107
Sapientis est mutare consilium. c.5.§.60.p.112
A sapientibus,& expertis est expetendum. cap.6.§.7. pag.116.
Aduersariorum consilium præsagiendum,& prouidentia enervandum. c.7.§.51.p.173
Si rationi consonum, à quovis est accipiendum. c.9.§.26. p.215
A Dei amicis quærendum. c.5.§.51.p.119. & c.6.§.8. pag.117.
Qui exhibuit pessimum consilium, pati solet detrimentum. c.5.§.54.p.110
Si bonus consiliarius desit, Respublica languet. c.4.§.56. p.89

Consortium.

Iustorum est vtilissimum. c.10.§.39.p.239

Consuetudo.

Pluribus est pro ratione. c.8.§.29.p.196

Consulere, & Consultatio.

Non meretur responsum,qui non exequitur,iam consultum, & decretum. c.14.§.95.p.363
Aliquando tempus teritur in reculis consulendis, seriis omissis. c.10.§.67.p.249

Contemptus.

Humanorum affert gaudium, & dirigit gressum. c.6.§.65. p.140

Contumax.

Periculo semper expositus. c.14.§.43. p.341.& seq.
Vtile est posse contumacem depellere, & à collegio aliorum sejungere. c.2.§.76. p.38

Conuiuium.

Hospites debent præferri, & in conuiuiis præ cæteris honorari. c.9.§.46.p.223
Esse debet charitatis fomentum, non gulæ auxilium. c.9.§.29. p.217

Cor.

Quod eo latet,in labris lucet. c.7.§.34.p.168
Vt luce illustretur,indignis affectionibus exuatur.c.10.§.20. p.233
Si possederit cor Deus,non otiabitur manus.c.10.§.27. pag.236.
Integrum Deo donandum,non diuidendum.c.12.§.58. pag.294.

Corpus.

Eius commodis prouidetur,animæ detrimentum despicitur. c.5.§.56.p.111

Correctio.

Despicitur nimis assidua,& audaciam fouet rara. c.3.§.5. p.52.& seq.
Melior est vrbana,quàm torva. c.7.§.46.p.171
Si quis corrigatur, corrigentem abrodere adnititur. c.12.§.15. p.278.& seq.
Sic Principem carpat,vt audacter non lædat.c.12.§.17. pag.279.
Putatur vindictæ adulatus, si corrigat offensorem offensus. c.12.§.18. p.280
Sit silentiosa,non publicitate iniuria. c.12.§.24.p.282

Crux.

Ad eã accurrat,qui exolui malis exoptat.c.6.§.32.p.126
Aliquando aliis imponitur, vt proprius humerus releuetur. c.6.§.33.ibid.& seq.
Etsi aliqualem laborem afferat, triumphis compensat. c.6.§.34. p.127
Quam horret tepidus,suspirat deuotus.c.7.§.1.p.159

Culmen.

Rarus est,qui culmine elatus, fulgeat virtutibus expolitus. c.1.§.1.p.2
Rarò est Dei totus,qui culmine refulget excellus.c.1.§.5. ibid.& seq.
Ad dignitatis culmen venit compulsus, qui eximiis virtutibus exornatus. c.13.§.45.p.331

Culpa.

Ipsa contingentia est quodammodò nota.c.2.§.11.p.14
Non est adeò miserandum gehenna aduri, quàm sceleribus denigrari. c.3.§.33.p.59
Beneficium est culpas pœnis eluere, & futuras pœnas vitare. c.3.§.40.p.65
Si communis,communi pœna plectenda.c.3.§.39.ibid.
Quantumuis leuis, animam debilitat, si multiplex. c.5.§.45. p.107
Plus,quàm culpam, dolent homines auri, vel salutis iacturam. c.5.§.48.p.92.& seq.
Ob eam supplicia illata ex aliis causis putantur exorta. c.6.§.40. p.129
Magnatum à solo Deo frequenter punita. cap.6.§.92. pag.151.
Parum angit,pœna distorquet. c.6.§.95.p.151.
Grauior est culpa,quàm dissuadebat beneficentia.c.7.§.95. p.186
Ei tegitur culpa,à quo timetur medela.c.8.§.28.p.196
Plus dolent iusti ea infici, quàm dignitatibus expoliari. c.8.§.40.p.199
Aliorum culpis sæpè defenditur,& munitur.c.8.§.55. pag.205.
Mortis causa ambitur,& mors timetur. cap.12.§.34. pag.293.
Nequit diù latere, quia diuina prouidentia solet vulgari. c.13.§.57.p.311.
Prælati culpa,cæterorum ignauia. c.14.§.63.p.341.
De aliena patrocinium quæritur propriæ.c.14.§.69. pag.352.
Non quærimus eius remedium, sed patrocinium. c.14.§.69. ibid.
Alterius culpa correcturo solùm dicenda. c.14.§.80. pag.357.
In ipsa infantia est resecanda. c.14.§.98.p.363
Si inueterata, eludit remedia. c.14.§.98.ibid.
Prius debet discuti,quàm pœna tentari.c.14.§.99. ibid.
Enervare solitat arma. c.14.§.111.p.373

Cultus.

Numinis cultu oppugnatur aduersarius. cap.7.§.76. pag.178.

Cupiditas.

Superioris facit delinquendi licentiam. c.1.§.5.p.
Dum studet indignis lucris, caret maioribus incrementis. c.2.§.58.p.
Aliquando grandi pretio vile emit lucrũ.c.2.§.95.p.
Grauissimis aliquando coniecturis contra euidentiam pugnat. c.6.§.6.p.

Curiositas, Curiosus.

Prudenti est fugienda,prorsusque vitanda.c.1.§.82.p.
Durius est curiositate discuti,quàm malo tractari. c.5.§.4. p.92.
Dum notat, notatur. c.6.§.107.p.157

D

Decretum.

Nonnulli prosequuntur semel decreta, etsi agnouerint errata. c.8.§.24.p.194
Ad commune bonum sancitum non est memoriæ tradendum, sed literis æternandum. c.10.§.64.p.248
Ritè sancitum solicitè asseruandum, & nulla malignitate delendum. c.10.§.6.p.229
Si cum Deo non consultum, difficultatibus plenum. c.14.§.93. p.362
Qui iam decretum consulit, fallit. c.14.§.95.p.363

Dedecus.

Magnatum est tacendum, non publicandum. c.6.§.20. pag.121.

Dæmon.

In virtutis studiosos insurgit acrius. c.4.§.2.p.71
Eius frænatur audacia virginis præsentia. cap.4.§.17. pag.76.
Expauet concionatores. c.4.§.21.p.78
Inuitus veritati aliquando famulatur. c.6.§.50.p.134
Horret sacra comitia, & generalitatis lamenta. c.7.§.50. pag.172.
Acrius disponit certamen contra solicitè colentem virtutem. c.7.§.57.p.174
Plus accenditur, dum viuidius oppugnatur. cap.7.§.83. pag.182.
Ardet, si virtus floret. c.10.§.25.p.225
Conatur sensus pervertere, & fascinare. c.11.§.1.p.251
Oppugnat, si à se fugere aliquem videat. c.11.§.5.p.253
Non solum obcæcat, sed omnem luci aditum obturat. c.11.§.10. p.254
Prius virtutes debilitat, vt facilius subruat. c.13.§.48. pag.316.
Vt subiectos possit inficere, superiorem aggreditur criminibus obscurare. c.13.§.49.ibid.
Solicitat, vt terrenis incumbamus. c.13.§.56.p.319
Vt inferat bella, mutuatur à nobis arma. c.14.§.4.p.324

Defectus.

Vel dubius affert notam, cùm virtus certa non stabiliat famam. c.6.§.42.p.130

Deliciæ.

Vires enervant, dolores procreant. c.7.§.63.p.175

Delictum.

Misera est Respublica, si aperta fronte committuntur delicta. c.2.§.56.p.32
Principis delictum est Reipublicæ naufragium. c.4.§.7. p.73
Magnatum honorantur, sed à Deo vt populatium puniuntur. c.12.§.67.p.294
Qui impediuit, Deo obtulit holocaustum. c.14.§.84. pag.358.

Delinquere.

Qui in aliquo scelere invenitur primus, gemet durè mulctatus. c.13.§.41.p.313

Dependentia.

Subjici edocet, & adulari suadet. c.3.§.41.p.85

Desiderium.

Ab illicito abstinere est sine sanguine hostia, sine morte victima. c.7.§.33.p.161
Quamis occasione impletur, quod anxiè desideratur. c.8.§.19. p.193
Aliquando frustrari est lucrum. c.10.§.44.p.242
Vt succedant desideria beneficiorum aboletur memoria. c.10.§.52.p.244

Detrimentum.

Plus exasperat leue detrimentum, quàm obliget sumptuosum beneficium. c.8.§.32.p.197
Tèporali occurrimus, spirituali cedimus. c.11.§.7.p.253

Deturbare.

Qui non admonitum deturbare molitur, prauo affectu moueri videtur. c.8.§.34.p.197

Deuotio.

Et pietas erga sanctos diuinæ misericordiæ est illicium. c.13.§.46. p.315

Deus.

Pœnam procrastinat, misericordiam accelerat. cap.2. §.109. p.49.& c.10.§.36. p.238
Sic dolet inferre supplicia, vt dolorem molliat misericordia. c.2.§.110. p.49
Eius absentia plangenda. c.4.§.38.p.85
Aliquando scelestos tolerat, iustos castigat. cap.5.§.3, p.91.& seq.
Oculos quodammodò fugit, dum supplicia infert. c.5. §.17. pag.96
Vtraque benefacit, manu vnica punit. c.5.§.61.p.113
Passus offensam, solicitat amicitiam. c.6.§.3.p.115
Denegat aliquando propitius, concedit iratus. c.8.§.37. pag.198.
Aliquando nostris votis annuit, & de nobis vindictam sumit. c.8.§.38.ibid. & seq.
Vires præbet, cùm onus imponit. c.10.§.35.p.238
Plus proficit etiam iratus, quàm homo beneficiis obstrictus. c.10.§.51.p.244
Concedit iratus, quæ denegaret propitius. c.12.§.37. p.286.& seq.
Grauius aliquando punit Deus eius ministrum despicere, quàm aliis piaculis sordidari. c.12.§.45.p.289
Dei verbum in dæmonem fulgur. c.13.§.54.p.318
Semper beneficus, sed à nobis ipsis tardatus. c.14.§.96. pag.364.

Diabolus.

Tentat exigua, vt perveniat ad magna. c.11.§.16.p.257

Dicteria.

Durissima sunt, si à socio prolata. c.11.§.16.ibid.

Dies.

Quem claruit felicitas, non cruentet seueritas. c.11.§.54. pag.270.

Difficultas.

Non magni habetur, quod sine difficultate impetratur. c.1.§.16. p.5

Dignitas, Dignus.

Qui eminet dignitatis culmine, multiplici desudat certamine. c.1.§.3.p.2
Apud sæculum aditur dignitas aliquàndo fauore. c.1. §.24. p.7
Magis, quàm virtutes, suspiciuntur dignitates. cap.2 §.37. p.28.
Fas est anteferri, qui virtute constat probari. c.2.§.61. pag.34.

Non tam debetur tempori, quàm virtuti. c.2. §.90. pag. 42
Corruit vitiis, actionibus perseverat honestis. c. 2. §.100. p.46
Plus dolent aliqui ea spoliare, quàm vita carere. c.2. §.101. ibid.
Non tam durum est ea carere, quàm ad æmulum transire. c.2.§.103.p.47
Dignus, etsi ipse non petat, dignitate exornandus.c.2. §.112. p.49
Non debetur tempori, sed virtuti. c.3.§.45.p.67
Si iam corruit, inimicos sustinebit. c.4.§.28.p.100
Ambitur, labor eius detrectatur. cap.4. §.35. pag.82. & seq.
Titubat, ni prouidentia firmetur, & virtute fulciatur. c.4.§.45. p.86
Plus lucet vacua, quàm indignè possessa.c.4.§.46.ibid.
Non eget ad ruinam impulsu, si impellitur æquitatis defectu. c.4.§.47.ibid.
Quò altior, casui proximior. c.4.§.48.p.87
Splendet, sed aliquando exurit. c.4.§.50.ibid.
Miserum est ab ea deturbari, sed miserius ad venerandum deturbantem compelli. c.5.§.23.p.98
Vel trunco, si dignitate fulgeat, exhibetur reuerentia. c.5.§.31. p.101. & seq.
Qui ea habebatur dignus, spem aliquando frustrauit electus. c.8.§.7.p.190
Non est ad magnam eligendus in minoribus non probatus. c.8.§.12.p.191
Non degit tuta, ni virtute fundata. c.8.§.14.p.192
Non benè confertur nimia ætate confecto, aut vitiis sordido. c.8.§.17.p.192
Ad eam electus, prosapia non sordescat obscurus. c.9. §.1. p.208
Non debet ad dignitatem deligi, qui ventosa præsumptione constat inflari. c.9.§.10.p.211
Digno confertur, si electior affectionibus non deturpatur. c.9.§.35.p.119
A plurimis ambitur, onus à cordatis habetur.c.9.§.40. pag.220.
Qui eam occupauit, parentelæ frequenter prouidit. c.9. §.49. p.223
Ad tuendam plus iuvat illustrium parentela, quàm pecunia. c.9.§.44.p.222
Ad magnam electus, à Deo invenitur dotibus exornatus. c.9.§.45.ibid.
Honorat, sed grauat. c.9.§.48.p.223
Sacerdotalis regali dignitate maior, & celsior.c.9.§.49. pag.223.
Non est cæcè adeunda; sed considerata obligatione excipienda. c.9.§.50.p.224
Ea exornatus omnibus pateat conspicuus. c.9.§.51. ibid.
Ad eam elatus exuat humanos defectus.c.10.§.3.p.227
Eam possidens sciat plus debere Numini, quàm homini. c.10.§.5.p.229
Qui eam adeptus, sæpè obligationis probatur oblitus. c.10.§.6. ibid.
Ad eam electus, prudenti animositate sit exornatus. c.10. §.18. p.233
Non sit dignitas possidentis, sed sit possidens dignitatis. c.10.§.53.p.224
Imparem se arbitratur dignus, quò magis virtutibus exornatus. c.10. §.57.p.246
Eo solo tempore possidetur, quò ritè obligatio absolvitur. c.11.§.59.p.272
Si cesset, calumniam patitur, & qui possederat, variis calumniis feritur. c.12.§.2.p.274

Dilatio.

Oportet, nouerit eius incommodum, qui possidet dignitatis fastigium. c.10.§.34.p.238
Sæpè officit, nam opportunam occasionem amittit. c.14.§.38. p.339

Discordia.

Inter ministros Reipublicæ nocet, & tranquillitatem perdit. c.6.§.60.p.112

Discrimen.

Ni prouidentia præveniat, inopinum sæpissimè turbat. c.7.§.56. p.174.

Diuitiæ.

Securius seruantur, si ob virtutem periculis exponuntur. c.14.§.42.p.142
Plus dolet earum iactura, quàm Dei offensa.c.5.§.43. pag.108.
Auarus præ se ipso diuitias æstimat, & amissas amarè plorat. c.11.§.30.p.262
Miraculi adinstar erit, si quis eas abjiciat, vt virtutibus inserviat. c.14.§.49.p.244

Doctor, Doctrina.

Prius discat, vt posteà edoceat. c.3. §.10.p.77
Non est doctrinam vendere, gratis oblatum accipere. c.9.§.23. p.214
Citò addiscitur, si à Deo traditur. c.10.§.15.p.232

Dolor.

Non sit homo insensibilis, sed in dolore Dei voluntati conformis. c.6.§.51.p.134

Domestici.

Sæpè ignorant domestici, quæ infortunia agnouerunt extranei. c.10.§.8.p.236

Dominus.

Plus æstimet subditum, quàm iumentum. cap.9.§.17. pag.213.

Domus.

Sacerdotis sit Dei hospitium, immò habitaculum. c.7. §.7. p.161

Donum.

Deo oblatum inuenitur salutis fulcrum. cap.7.§.17. pag.163
Deo offertur exiguum, vanitati magnum. cap.6.§.73. pag. 142
Si optimum Deo oblatum, est felicitatis auspicium. c.7.§.65. p.177
A Deo accepta nec applicanda sanguini, nec originis. c.10§.41. p.241
Dona videntur delictorum baptismata. cap. 6.§.81. pag.148
Accepta, Deo debent adscribi, non alteri causæ applicari. c.6.§.72.p.142. & c.2.§.6.p.33

Dormiens.

Aliquando à Deo edocetur, & de arcanis instruitur. c.9.§.38. p.220

Dos.

Fulgeat honore nobilitatus, qui dotibus est eximius. c.12.§.41. p.288

Dulcia.

Qui de vitiis exambit triumphum, nec dulcibus allicitur, nec amaris terretur. c.14.§.9.p.327

Duritia.

Est grauissima sceleris pœna. c.2.§.84.p.41

Dux.

Hostium præcalleat studia, vt adhibeat remedia. c.4. §.23. p.78
Præiagiat aduersariorum consilia, & eludat prouidentia. c.7.§.51.p.173
Strenuus est militibus scutum, milites duci sunt propugnaculum. c.8.§.58.p.205
Aliquando culpa vincitur, & exuviis coronatur. c.14. §.113. p.372

E

Ecclesiasticus.

Quævis eius culpa est laicis velut delinquendi licentia. c.2.§.78. p. 39
Ad Dei laudes eius alliciat aspectus. c.2.§.89.p.42

Educatio.

Si bona desit, pueri nec vrbani, nec expoliti, cap.10. §.40. p.240

Effugium.

Sunt quærenda effugia pro periculi grauitate. cap.13. §.28. pag.309

Electio.

Secundò eligi, est approbari. c.1.§.23.p.6.& seq.
Non semel eligitur, qui ineptus esse probatur. c. 2. §.43. p.29.& seq.
Aliquando ex infima fortuna electus, electori inuenitur iniurius. c.2.§.93.p.40.& seq.
Si indignum effert, calamitatem infert. c.5.§.19.p.97
Aliquando venit ab vtilitate, non à virtute. c.5.§.21. pag.98
Non est ad magna eligendus in minoribus non probatus. c.8.§.12.p.191
Peiora frequenter eligimus, meliora postponimus.c.9. §.34. p.219
Rarò habetur digna, si præter omnium opinionem facta. c.10.§.22.p.243
Ni omnis præcidatur occasio, gliscet ambitio. cap.10. §.50. ibid.
Honoratior, sorte, suffragiis decreta, & facta.c.11.§.57. pag.271
Attendat virtutem non fauorem. c.13.§.44. p.144. & seq.

Elector.

Affectione non præoccupetur, vt dignus eligatur. c.9. §.35. p.219
Si affectione ducitur, sibi, & electo sæpè adversatur. c.2.§.96. p.44

Electus.

Resplendet electus, si affectione nulla obscuratus. c.9. §.3. p.208
Ad magna electus, reculis non demoretur implicitus. c.9.§.39. p.220
Ad magna à Deo electus, dotibus lucet ornatus. c.9. §.45. p.222
Ad dignitatem electus prudenti sit animositate exornatus. c.10.§.18.p.233

Eleemosyna.

Tibi consulis, dùm pauperi impertis. c.13.§.9.p.303
Danti proficit, dum pauperi seruit. c.14.§.85.p.359

Error.

Ei pertinaciter adhæremus, leuiter virtuti incumbimus. c.8.§.41.p.100

Eucharistia.

Eius frequentia ex virtute taxanda. c.1.§.25.p.7
Iustis salutem, sed indignis affert cladem.c.4.§.19.p.77
Est beneficium, & beneficij pretium. c.6.§.74.p.143
Qui accedit non repurgatus, probatur miserrimus. c.6. §.91. p.151.& seq.
Qui inconcinnis moribus audet accedere, grauem Deo iniuriam agnoscitur irrogare. c.6.§.93.p.151
Sumentibus est propugnaculum, vitiorum venenum. c.7.§.64. p.176
Ea armatus hostem fugat, & victoriam reportat. c.7. §.69. p.176
Deum placat, cùm delictum irritat. c.14.§.86.p.359

Euentus.

Imprudentia est eis regi, & ratione non consulere c.8. §.56. p.136

Examen.

Non incommodat examinare delictum, quantumvis sit notum. c.14.§.105.p.368

Excommunicatio.

Quoquo modo inflicta, timenda. c.14.§.59.p.348

Excusatio.

Quæritur, pœnitentia non arripitur. c.13.§.36.p.312

Exemplum.

Mirum erit malis non corrumpi, sed virtute florere. c.2.§.60. p.33.& seq.
Facilius prauis adhæremus, quàm bonis. cap.6.§.78. pag. 145
Sit publicum, si publicum fuit scandalum. c.7.§.41. pag.170
Superioris aut ruborem incutit, aut subiectum trahit. c.11.§.31. p.258.& seq.
Plus nocent praua, quàm arma hostilia. cap.14.§.17. pag.330

Exercitatio.

Secretò se exerceat, qui aditurus est publica. cap.10. §.29. p.236

Exercitus.

Ni defœdatur culpa, coronatur victoria. cap.7.§.72. p.78.& seq.
Quò maior, ni concors, periculosior. c.11.§.38.p.264. & seq.
Plus constet animo, quàm numero. c.13.§.8.p.302

Exigua.

Sæpe diabolus tentat exigua, vt perueniat ad magna. c.11.§.16. p.257

Reprehensibilis est, qui magna vicit, & exignis cedit. c.12.§.34. p.285.& seq.
Assequeris magna, si contemnas exigua. c.14.§.52.p.345

Eximius.

Vel in adversitate est honestè tractandus. c.5.§.14.p.96

Experientia.

Requiritur ad benè gerenda munera. c.10.§.69.p.249

F

Facinora.

Sanctorum plus aliquando demiranda, quàm sequenda. c.14.§.12.p.328

Fama.

Satis non est virtus interna, sed curanda bona fama. c.2.§.88. p.42
Comitatur virtutem. c.3.§.53.p.70
Minus prodest ad famam virtus nota, quàm macula ad infamiam dubia. c.6.§.42.p.130

Familia.

Plus dolent aliqui, si careat gloria, quàm si ipsi mulctentur vita. c.2.§.102.§.46
Rarus est, qui, vt Reipublicæ prospiciat, familiæ incrementa respuat. c.8.§.30.p.167

Fascinum.

Dæmonis fascinum, orationis meritum. cap.7.§.62. pag.176.

Fastigiatus.

Ei turba adulatur, nec dolet, si moritur. c.6.§.98.p.153

Fastigium.

Magnis laboribus possidetur, citò amittitur. c.13.§.2. pag.300.
Ad fastigium electus, sit decenti statura ornatus. c.9. §.4. p.209
Sæpius audiunt grata, quàm vera. c.10.§.4. p.228. & seq.
Qui alacriter adiuit, nescio quid humilitati detraxit. c.10.§.58. p.242
Non rarò adit virtute exornatus, & citò obscuratur sordidus. c.13.§.1.p.299

Fauor.

Aliquando rapit dignitatem. c.1.§.24.p.7
Eo citò acquiritur, quod labore non comparatur. c.10. §.42. p.240.& seq.
Cœlestis à nobis tardatur, & impeditur. c.10.§.48. p.242.& seq.

Felicitas.

Sæpè est bracteata. c.1.§.12.p.4
Solet accidere, quo dolorem valeat accendere. cap.4. §.53. pag.88
Quisque à se petit, felicitate radiare, aut infelicitate premi. c.10.§.1.p.227
Sine virtute est personata, & calamitas vera. c.13.§.6. pag.302.

Fervor.

Parum iuvat, si citò tepescat. c.10.§.38.p.239

Fides.

Principi inviolatè præstanda. c.4.§.36.p.83
Rei ingratæ difficulter præstatur, & suspicioni contrariæ creditur. c.10.§.56.p.245
Eam dæmon conatur auidissimè extinguere. c.11.§.11. pag.255.

Fiducia.

Fluctus eludit, & feliciter portum appellit. cap.1.§.70. pag.15.
In Deo coronatur victoria. c.7.§.61.p.178
Experti Dei misericordiam, in creaturis collocamus fiduciam. c.12.§.20.p.280
Sic fidendum, vt pro viribus sit laborandum. cap.14. §.40. p.340

Filius.

Eò magis iucundus, quò tardus. c.1.§.16.p.5
Orationibus impetratus ferè semper modestus. c.1. §.86. p.28
Accuratius educandus, si Deo offerendus. cap.1.§.94. pag.19.
Hilariter à parentibus offerendus, & Deo sacrandus. c.1.§.96. ibid.
Si Deo dicatus, parentibus quodammodò æternus. c.1. §.105. p.31
Dum Deo offertur, posteritas non præciditur. c.1.§.63. pag.35.
Si patris admonitiones contemnat, stragem sibi maturat. c.2.§.83.p.43
Miserum, si oppetat mortem, cùm aptior ad successionem, & dignitatem. c.2.§.106.p.48
Virtutibus expolitus parentis præmium. cap.2.§.115. pag.49.
Si indigeat, pater à rectitudine non rarò deviat. c.6. §.48. p.131
Procerum filij frequenter vitiis infecti. c.8.§.5.p.163
Aliquando ingratitudine compensauit, quæ à parentibus accepit. c.8.§.6.ibid.& seq.
A parente solet contrahere morbum ipsi generatione coëvum. c.9.§.2.p.208
Non benè educatus, mirum si euaserit vrbanus, & expolitus. c.10.§.40.p.240
Infligendum ei supplicium minui solet ob patris meritum. c.12.§.30.p.286
Est parentis gloria, aut infamia. c.13.§.23.p.307
Nimius eius amor parentes obcæcat. c.14.§.49.p.344
Parentes optimos non sequutus, à filiorum numero expungitur iure mulctatus. c.14.§.115.p.371

Flagitium.

Non semel virtutis specie tegitur. c.2.§.70.p.35.& 167

Fœdus.

Cum impiis initum, felicitatis venenum. cap.7.§.7. pag.178.

Fœmina.

In ea dissident sæpè affectus, & singultus. c.1.§.51.p.22
Indiget semper cautela. c.1.§.67.p.28
Debet abstinere vino. c.1.§.77.p.32
Plausibus allicitur, muneribus obcæcatur. cap.2.§.60. pag.36.
Impudica exiguo tempore celebratur, sed posteà lubrio habetur. c.5.§.34.p.103.

Occasiones loquendi cum viris quærit. c.2.§.27.p.36

Fortuna.

Sæpè in nos incurrit,& nos in illam. c.1.§.7.p.3
Si florens, deterioris status delet vestigia, nec patitur monimenta. c.1.§.104.p.20
Facilè vertitur, & mutatur. c.2.§.16.p.25
Est solida, si virtutibus suffulta. c.2.§.17.ibid.
Durum est ab ampla incidisse in adversam. cap.2.§.18. ibid.
Nobis nil prouenit à fortuna, sed à prouidentia. c.4. §.11. p.74
Ab infelicibus culpatur fortuna, cùm ab ipsis promanet causa. c.4.§.12. ibid.
Etsi contingat prospera, antiqua non est obliuioni tradenda. c.8.§.22.p.194
Pro fortunæ diuersitate induitur vultus. c.1.§.9. p.3
Alia fortuna opus est ad tuendam fortunam. c.9.§.43. pag.221.
Etsi arrideat, prudens antiquum tenorem nimis non variat. c.10.§.68.p.249
Magis attenditur, quàm persona. c.11.§.12.p.255
Fere omnes sequuntur fortunam,non personam.c.13. §.30. p.310
Pro eius diuersitate homines sunt aduersarij, vel amici. c.14.§.45. p.344

Fortunatus.

Errabit,ni ad futura mentem extenderit. cap.10.§.23. pag.244.
Alienis se propaginibus solent inserere,& nobilitatem tuctare. c.14.§.117.p.373

Furtum.

Qui aliena detinet,sibi invidit. c.6.§.77.p.145
Est salutis, & diuitiarum naufragium. cap. 14. §.77. pag.355.

G

Gaudium.

Solum est verum à virtute procreatum. c.2.§.3 p.33
Sæpè vertitur in tormentum. c.6.§.25.p.123
Verum nascitur ab humanorum contemptu. c.6.§.65. pag.39.

Gloria.

Humana graui compensatur angustia.c.5.§.49.p.108.

Gratia.

Sic in aliquibus relucet gratia, vt allexerit corda. c.2. §.85. p.41
Cordi restituta depellit tristitiam. c.6.§.64 p.139

Gratitudo.

Dum beneficium fatetur, ad vlteriora disponitur. c.1. §.87. p.19
Votum assequuta, non adeò vt antea inuenitur obsequiosa. c.1.§.107.p.21
Adauget,& compensat beneficium. c.3. §.52.p.69
Si exprompta,addit gratiam, & nobilitat, vel exiguam materiam. c.6.§.71.p.138
Insolita beneficia celebret immortali memoria. c.14. §.87. p.359
Et vlterioris beneficij fomentum. c.14.§.89.p.360

Gulosus.

Qui palato inseruit, legem aliquando infringit. cap.2. §.53. p.31.& seq.

H

Habitus.

Concordet cum luctu. c.4.§.37.p.83

Honor.

Honoris ambitio imponit nobis tributa, & affert non modica detrimenta. c.8.§.31.p.197
Eius ambitiosus inuenitur ingratus. c.8.§.33.ibid.
Sit consors honoris, qui fuit particeps anxietatis. c.9. §.47. p.225
Ambitur, labor recusatur. c.10.§.70.p.250

Hospes, Hospitium.

Dignè excipiendus,& honore tractandus. cap.9.§.30; pag.196.
Non debet grauanter ferri, peculiari honore tractari. c.9.§.46. p.201
Pro hospitis dignitate ornandum,& disponendum. c.9. §.30. p.219

Hostis.

Eius debet inuestigari consilium, vt apponatur remedium. c.4.§.23.p.78
Satis non est fugare,sed opus vincere. c.7.§.75.p.179. & seq.
Nunquam despiciendus. c.11.§.17. p.257
Non solum est impetendus,sed detriumphandus.c.11. §.43. p.246
Quò facilius possis atterere,cura auxiliares vires comparare. c.13.§.26.p.308
Curat armis denudare,ne iugum possis excutere.c.13. §.53. p.318
Dum adurget viuidius, ad tuta recurrendum est studiosius. c.14.§.5.p.324

Humilis, Humilitas.

Sibi videtur parvulus, cùm alios supergrediatur eximius. c.9.§.11.p.211
Vel inuitante occasione tacet, ne magnalia proferat. c.10.§.45. p.241
Humilitas, quò demissior, & virtutibus vberior. c.1. §.106.p.21. & c.9.§.42.p.221
Depellit damnum,& affert remedium. c.2.§.20. p.25
Ei non detrahit,qui prærogatiuas à Deo acceptas exigente ratione vulgat. c.9.§.37. p.219.& seq.
Licet latere exambiat, suis se actionibus manifestat. c.14.§.35. p.338

I

Ieiunium.

Sectetur ieiunia, qui carnis est sectatus oblectamenta. c.7.§.42. p.170
Obseruatum,dæmonum excidium,violatum,armamentarium. c.14.§.64.p.350
Negotiatur cæleste oraculum. c.14.§.65.ibid.
Felix,quia saturitate remunerandum.c.14.§.76.p.355

Ignauia.

Protelat, quæ facienda non ignorat. c.6.§.26. p.124.

Nil

Nil tutum, nil hosti non patet, si ignauia dormit. c.14. §.8. p.326

Improbus.

Iustorum mores abrodi, & carpit. c.1.§.45.p.11

Improuidus.

Miraculo opus erit, vt improuidus gaudeat triumphis coronatus. c.13.§.59.p.320

Imprudens, Imprudentia.

Si strage imprudens non eruditur aliena, ingemiscere solet propria. c.5.§.35.p.84
Vnire conatur oppositа. c.5.§.13.p.97
Imprudentia est vitare incommodum maiori detrimento. c.5.§.36.p.103
Imprudens est, qui intuitus supplicia, perpetrat similia peccata. c.6.§.28.p.124
Imprudentia est antiquæ fortunæ obliuisci, si contingat elevari. c.8.§.22.p.194
Res non à ratione metitur, sed euentibus regitur. c.8. §.56. p.205
Malè aliqua tentat, & peius aliquando sententiam mutat. c.12.§.5.p.274
Imprudentia est grandi futurorum dispendio præsenti occurrere incommodo. c.13.§.39.p.313

Incommodum.

Imprudenter vitatur, si grauius detrimentum incurritur. c.5.§.36.p.99
Grauius aliquando aditur, vt leuius vitetur. c.8.§.36. pag.398.

Incunabula.

Christi incunabula inferorum excidia. cap. 11.§.51. pag. 269.

Indignus.

Ad dignitatem electus, casui obnoxius. c.5.§.19.p.97

Industria.

Nihil omittat, etsi Numen apertè faueat. c.10.§.30. pag.237.

Inexpertus.

Mirum erit, si munus impleat. c.6.§.47.p.232

Infausta.

Non sunt auidè prædicenda, & alteri denuntianda c.5. §.21. p.59
Omnes recusant Principi denuntiare. c.4.§.40.p.77

Infelicitas.

Ab ipso peccatore promanat. c.2.§.99. p.45
Quisque infelix sordet, aut felix fulget. c.10.§.1.p.227. & seq.

Infernus.

Etsi contumacia alias despiciat pœnas, expauescit ad flammas. c.3.§.31.p.62

Infirmitas.

Velle remedium, est salutis exordium. c.6.§.18.
Eius aliquando vltimus habuit notitiam, qui posset applicare medelam. c.8.§.28.p.120

Infortunium.

Satius est non sentire infortunia, quàm tenere dignitatum excelsa. c.2.§.30.p.27
Alterius esse solet præsagium. c.2.§.107.p.48

Ingluvies.

Impedit cum Deo colloquia. c.14.§.65.p.350
Misera, quia fame punienda. c.14.§.76.p.355

Ignorantia.

Aliqui affectant ignorare, quod nolunt exercere. c.2. §.46. p.30

Ingratus.

Plus officit sibi ingratus, quàm noceat inimicus. c.7. §.78. p.172

Iniuria.

Dei gratia ornatur, qui iniuria non commouetur. c.1. §.44. p.10. & seq.
Religioni facta, summè dolenda. c.4.§.47.p.54.& seq.
Tenaci retinetur memoria, citò ab ea excidunt beneficia. c.7.§.77.p.171
Remissa est Numini hostia. c.7.§.48.
Facilè à sapiente remittitur. c.11.§.53.p.270
Gloriosum est beneficiis compensare, & iniurias confundere. c.12.§.63.p.287

Insidiæ.

Quas quis disponit, aliquando subit. c.14.§.52.p.338

Inspiratio.

Vt facilius possis audire, orationi debes attendere. c.1. §.25. p.16
Parentibus occultanda, si timeantur impedimenta. c.14. §.3. p.312

Instrumentum.

Deo auspice, quævis sunt apta. c.10.§1.p.231

Interpellator.

Si corrumpat conscientiam, subibit mulctam. c.12.§.7. pag. 276.
Parui pendunt delicta, si fortiantur patrocinia. cap.11. §.8. p.271

Inuidia.

In peius interpretatur, si quid est dubium. c.1.§.41.p.
Auspicatur gehennalem pœnam. c.2.§.26.p.
Cæcutit ad honesta, alterius semper videt obscura. c. §.8. p.53. &

Ira.

Laudabilis est honesta, & virtutis patrona. cap.11.§. pag. 261.

Iter.

Numine placato aggrediatur, qui periculum vitare nititur. c.1.§.84.p.
Qui iter absoluit, priùs quàm domum, aduerti templum. c.10.§.57.p.

Iudex.

Omnibus pateat, nec exasperatos excludat. c.2.§. pag.13.

Ad

Ad tutelam iustitiæ designatus refragatur aliquando potentia abusus. c.2.§.50.p.31
Se patrem debet nescire,& munus implere. c.2. §.73. pag.37.
Aliquando obsurdescit ad causam, quia inclinatur ad veniam. c.2.§.80.p.39.& seq.
Eum denigrat omissio tarda, vt excandescens ira. c.3. §.28. p.61
Reipublicæ est detrimentum integro iudice viduari. c.6.§.97. p.153
Eo loco debet tribunal collocare, quo non sit arduum confluere. c.7.§.89.p.184
Pro aliqua causa legatus curet ad itineris expensas populos non grauare, sed salario viuere. c.7.§.90. pag.185.
Sententiam maturè proferat, non præcipitanter decernat. c.7.§.91. ibid
Deum solum attendat,vt munus impleat.c.7.§.92 ibid.
Si affectibus non pareat,munus honorat. cap.7.§.93. ibid.
A se debet circumcidere quidquid suspicionem solet ingenerare. c.7.§ 94.p.186
Si opipara vtatur mensa,æquitatis sordescit fama.c.8. §.8. p.190
Si cupidus,sententiam vendet, & ius corrumpet. c.8. §.9. ibid.
Si cupiditate polluitur, sibi ipsi aduersatur. c.8.§ 10. pag. 191.
Graue malum est auarus,sed grauius impius. c.8 §.13. ibid.
Si auarus floret audacia, & damnatur aliquando iustitia. c.8.§.15. p.192
Expediat de longè aduentantium negotia, nec dilatione afferat detrimenta. c.8.§.61.p.200
Alienæ voluntati non seruiat, quem Respublica ad iustitiam administrandam designat. c.12.§.10.p.277
Si accipiat, lædit famam, & corrumpere putatur iustitiam. c.12.§.12.ibid.
Aliquando criminatur,vt deprædetur.c.12.§.12.& 13. ibid.
Antequam culpam examinet, pœnam non intentet. c.14.§.99. p.365
Omni cognatione sit nudus. c.14.§.100.p.366
Deum audiat,& maturè decernat. c.14.§ 105. p.368

Iudicium.

Præ cæteris calamitatibus est timendum.c.2.§.35.p.28
Non recusat subire, qui pura scit conscientia nitere. c.12.§.9. p.327

Iugum.

Miserum est non posse executere, & inuitè portare. c.6.§.52. p.134
Exterius premit, sed interius lætitiam gignit.c.6.§.61. pag.138.

Iurisdictio.

Si ad sacrata extenditur,periculum aduocatur.c.4.§.18. pag.76.

Ius.

Ius,& arma Reipublicæ fulcimenta. c.8.§.46.p.201

Iustitia.

Diuina est iustitia, quam non corruperunt dona. c.3. §.34. p.63
Vim patitur aliquando à quibus eius commissa est tutela. c.2.§.57.p.33

Iustus.

Omnibus inuenitur commodus,& proficuus.c.1.§.36. pag.9.
Abstinet à vindicta, etiam occasione suadente. c.2. §.7. p.23
Non superbiat,etsi virtutibus floreat. c.12.§.19.p.280
Pro iniuriis beneficia rependit. c.2.§.23.p.26
Etsi apud sæculum despectus, est reuera fortunatus. c.2.§.25. p.26
Non tam propriam calamitatem, quàm obscuratum Dei sentit honorem. c.3.§.49.p.68
Quò quis iustior, à dæmone validius impetitur. c.4. §.2. p.75
Ob leuia à Deo punitur, iniquus sæpè toleratur. c.5. §.3. p.91
Aliquando cadit,sed citò resurgit. c.6.§.1.p.114
Felix est laboribus diuexatus, iniquus infelix commodis circumfusus. c.6.§.2.ibid.
Affectibus non caret,sed vincit. c.6.§.56.p.136
Aduersis non frangitur, prosperis non corrumpitur. c.6.§.58. p.137
Plus horret culpa infici, quàm dignitatibus dispoliari. c.8.§.40. p.199
Deum placat, & populi periculum fugat. cap.9.§.33. pag.218.
Incedit per ardua, sed coronatur victoria. c.14.§.22. p.332. & seq.
Sibi indulgentiam non solicitat,nec aliis pœnam exoptat. c.14.§.101.p.366
Eximiè iustus legi obsequitur, & non obsequendi adimere sibi facultatem adnititur. c.14.§.102.p.367

Iuvenis.

Mirandus, si virtute perfectus. c.2.§.86.p.41

L

Labor.

Pro virtute affert lucrum. c.7.§.2. p.160
Laboris particeps,sit honoris consors. c.9.§.47.p.223
Recusatur,honor ambitur. c.10.§.70. p.250
Appetendus, vt pietati inservias, & munus impleas. c.11.§.29. p.262.& seq.
Stultus est, qui post magnos virtutis labores sequitur sordidas voluptates. c.13.§.32.p.311
Non sibi plaudat,qui laborat ob virtutem, cùm laborent plures ob vanitatem. c.14.§.13.p.329
Amore dulcescit. c.14.§.14.ibid.
Ob virtutem citò finitur,& æternum coronatur. c.14. §.73. p.354

Lachrymæ.

Deum placant, aduersarios enervant. c.7.§.37. p.169

Lætitia.

De aliena calamitate est miseria. c.2.§.22. p.26

Lamenta.

Pœnitentium lamenta, dæmonum exitia. c.7.§.50. pag.172.

Latere.

Qui cupit latere, contra se suspicionem inuenitur armare. c.7.§.5.p.160

Latro.

Concordant latrones in furando, discordant in diuidendo. c.14.§.33. p.336

Laus.

Aliquando sua à iustis profertur, vt charitati inseruiatur. c.12.§.5.p.275

Lenitas.

Melius sæpè corrigit lenitas,quàm rigiditas. c.7.§.46. pag.171.

Leuitas.

Nunquam sui similis. c.10.§.26.p.235

Lex.

Granat humerum,sed dirigit gressum. c.6.§.49.p.133
Felix Respublica, si Princeps pareat legi, & subditus Principi. c.10.§.63.p.248

Liberalitas.

Acquirit veluti sibi debita, quæ offeruntur dona. c.1. §.13. p.4
Summa est, si se ad benefaciendum cogit, & resiliendi pericula auertit. c.12.§.64.p.296

Libertas.

Vera est virtutis proles. c.13.§.16.p.305

Lingua.

Aliquorum lingua imitatur tela. cap.2.§.15.p.24.& seq.
Quid videtur diuinum, si nullum eius casum est verbum. c.3.§.51.p.69
In ea lucet,quod corde latet. c.7.§.34.p.168
Est cordis index. c.10.§.16.p.232

Liuor.

Salutis tinea,mortis causa. c.2.§.105.p.47
Dum adnititur obscurare, inuidiosi gloriam solet augere. c.5.§.53.p.110

Locus.

Loca à sanctis nobilitata, aliquando miraculis plena. c.6.§.88. p.184
Aliquis virtuti aduersus,vitiis amicus.c.10.§.21.p.233. & seq.
Suspectus tibi sit locus, vbi semel ruinam expertus. c.13.§.62. p.321

Loquacitas.

Sæpè officit futurorum spargendo notitiam, quia excitauit inuidentiam. c.10.§.47.p.242

Lucrum.

Mirum erit, si lucrum ad virtutem non impediat volatum. c.6.§.67.p.143.& seq.

Luctus.

Concordet cum habitu. c.4.§.37.p.83

Lux.

Corda illustrat, si repurgata adinueniat. c.10.§.20. pag. 233.

Luxuria.

Omnia deuastat, & miseriam incrementat. c.13.§.52. pag.317.

M

Magister.

Qui pueros erudit,Reipublicæ fauet. c.1.§.101.p.10
Sine magistro mirum erit certo vestigio gradi. cap.10. §.15. p.233
Citò addiscitur,quod,Deo magistro, edocetur. cap.10. §.15. ibid.

Magna.

Non sunt sine consideratione aggredienda, sed exploranda. c.10.§.32.p.237
Assequeris magna, si contemnas exigua. c.14.§.52. pag. 237.

Magnalia.

Ne sanctorum maneant sepulta, evulgari facit prouidentia. c.12.§.31. p.284.& seq.

Magnates.

Incredibile videtur aliquando puniri, & ob scelera castigari. c.3.§.35.p.63.& seq.
Legem ignorant,& omnia sibi licere putant.c.2.§.44. p.30. & seq.
Eorum dedecora non sunt publicanda,sed tacenda.c.6. §. 20. p.121
Omnes refugiunt eos admonere, veritatémque loqui. c.3.§.38. p.64
Mirum est Dei vestigia, & laudanda sequi exempla. c.6.§.75. p.144
Si eorum culpa punitur, à Deo puniri cognoscitur. c.6. §.92. p.151
Eorum scelera debent reprimi, non imprudenter vulgari. c.8.§.16.p.191
Cogunt eorum vsibus inseruire, & nolunt mercedem reddere. c.8.§.47.p.201
Subiectos solent granare, & histrionibus dona amplis impertiri. c.8.§.48.ibid.
Vt agnoscant errata,videntur necessaria prodigia.c.11. §.48. p.291
Dum priuatos honorant, insidias parant. c.13.§.51. p.311. & seq.

Magnitudo.

Apud Deum solida, apud sæculum fluxa. cap.2.§.67. pag. 36.

Manus.

Non otiatur manus,si animum possederit Deus. c.10. §.27. p.260. & seq.

Maria Virgo.

Eius præsentiâ dæmonis frænatur audacia. c.4.§.15. pag.76.
Impuritatis excidium,& dæmonis est tormentum. c.4. §.10. pag.
Ab omni labe prorsus exempta. c.5.§.11.
In primo instanti naturali victoria coronata. c.5.§.
ibid.
Dei iram temperat,& puniendis reconciliat.c.5.§.4. p. 105.
Qui eius vmbræ captiuitatem tentarunt, pœnas dederunt. c.5.§.38.p.
Est optima consiliaria. c.14.§.56.p.

Maritus.

Erga vxorem benevolus plura supplet, & lenit. c.1. §.48. p.10

Mater.

Nobilitatur ob prolem. c.2.§.2. p.22
Debet nomine evulgari, si filios egregios constat genuisse. c.14.§.16.p.330

Medicina.

Si aliquando lenior, quia infirmitas durior. c.3.§.9. pag.54.

Mediocritas.

Frequenter virtutis sequimur mediocritatem, non perfectionem. c.1.§.8.p.3

Memoria.

Tenacius conservat, quàm beneficia, iniuriarum acerba. c.7.§.77.p.180

Mendacium.

Facilè, si aduertas, apparet. c.5.§.30.p.101

Meritum.

Durum est meritis antecedere, & ob affectum postponi. c.1.§.38.p.9. & seq.
Parentis remuneratur in filiis. c.2.§.114.p.47
Parentum, supplicia temperat filiorum. c.12.§.30.p.224

Metus.

Antecedens est lenocinium muneri. c.1.§.16.p.5

Miles.

Est barbarus, si non placato Numine aggreditur bella, & periculosa certamina. c.13.§.40.p.313

Minister.

Reipublicæ sibi, & Reipublicæ nocet, si rapinæ deseruit. c.1.§.23.p.6.& seq.
Recusant onera, non recusant stipendia. c.2.§.45.p.30
Aliquando studet sibi acquirere, non Principi prouidere. c.2.§.47.ibid.
Vilius est grauari, quàm cum iustitiæ ministris contendere. c.2.§.48.ibid.
Stipendia lege taxata amplificant, & per fas, aut nefas extorquere exoptant. c.2.§.49.p.31
Plus aliquando curat propria stipendia, quàm Principis vectigalia. c.2.§.55.p.32
Aliquando studet cupidini, non Reipublicæ vtilitati. c.2.§.94. p.44
Sibi inuidet Dei minister, si veritatem detinet. cap.2. §.44. p.30
Reipublicæ minister mavult aliquando otiari, quàm imminens detrimentum depellere. c.5.§.26.p.100
Reipublicæ est cõmodum imprudenti carere. c.5.§.28. ibid.
Electus ad generale remedium, soli æquitati subdiderit collum. c.6.§.37.p.124
Inferiores iustitiæ ministri debent coërceri, quia sæpè audent bonis moribus contraire. c.7.§.88.p.188
Durius est in inferiores iustitiæ ministros incidere, quam Principis iram pati. c.12.§.27.p.283
Inferiores iustitiæ ministri nolunt impedire culpam, quia extorquere discupiunt pœnam. cap.14. §.67. p.351.

Miseria.

Accrudescit præscita, si nullo modo leuanda. c.8.§.40. pag.199.
Sæpè ad virtutem traxit miseria, quos infatuarat fortuna. c.11.§.40.p.265.

Misericordia.

Acquirit diuitias. c.1.§.13.p.4
Et lapsum effugit, & periculum. c.2.§.31.p.27
Nititur terrere, non ferire. c.2.§.36.p.30
Miraculi adinstar est, si Deus acerba infligat supplicia. c.2.§.108. p.48
Ea est diuina, vt otiosè non iuretur, si infligenda sit grauis pœna. c.3.§.32.p.62
Misericordia est calamitatibus vrgeri, si mores contigerit reformari. c.6.§.24.p.123
Pauperi exhibita quodammodò est hostia. c.10.§.13. pag.231.
Eam Deus accelerat, supplicium tardat. cap.10.§.36. pag.238.

Missæ sacrificium.

Fidelibus est victoria, & dæmonibus ruina. c.7.§.67. pag.177.

Mors.

Melior est, si honesta, quàm vita ingloria. c.4.§.27. pag.80.
Potestate abutentis amara. c.4.§.44.p.85
Aliquando Dei patientia abusus moritur mente priuatus. c.5.§.58.p.111.& seq.
Repentina conspecta vel durities stilum vertit, & sapit. c.5.§.59.p.112
Eius meditatio instruit vitam, & assequitur victoriam. c.11.§.39. p.287
Mortem timemus, culpam eius causam ambimus. c.12. §.54. p.293
Non facilè felicem subit virtutis inscius, & vrgente dæmone perturbatus. c.14.§.92.p.362

Mortificatio.

Eam arripiat, qui vitia subiugare procurat. c.14.§.21. pag.332.

Mulier.

Iugum subeat, nec ceruicem liberam gerat. c.1.§.80. pag.17.

Mundus.

Despectus affert laudem, & commendat virtutem. c.6. §.46. p.132
Specie fallit reprimit. c.12.§.23.p.281.& seq.

Munus.

Opus est aliquando plura offerre ministris, quàm dominis. c.1.§.100.p.20
Non semel ignarus ad munus inuenitur electus. c.2. §.43. p.29
Diuina est iustitia, quam non corruperunt dona. c.3. §.34. p.60
Indecorum est accipere, & non fauere. c.3.§.36.p.60
Iuvat religiosè oblatum, ni conscientia refragetur. c.4. §.20. p.77
Deo oblatum non sordeat pollutum. c.6.§.31.p.126
Mirum erit, si ritè absoluatur ab inexperto. c.6.§.47 pag.132
A iustis non solùm impletur, sed auctarium additur. c.6.§.70. p.142
Qui multa sibi arrogauit munera, non facilè absolvet, sed imperfecta relinquet. c.8.§.3.p.189
Eligendus est aptior, etsi alius sit virtutibus excellentior. c.9.§.9.p.210

Sunt iudicis macula, æquitatis tinea, cap. 12. §. 11. p.277.
Sæpè est præcipitium, c.14.§.25. p. 333. & seq.

Murmuratio.

Si superioris abrodat mandata contemnere docet præcepta, c. 14.§.104. p.368

N

Naufragium.

Miserandum, si in ipso portu, c.2.§.68. p. 36.

Negotium.

Magna non sunt immaturè expedienda, sed prudenter pensanda, c.8.§.35. p. 198
Arduum præmissa oratione gerendum, cap. 14. §. 37. p.339.

Nilus.

Aëre sereno turbulentus exæstuat. c.1.§.14. p.4.

Nobilitas.

Magni est habendum à nobili vena traxisse exordium, c.1.§.10. p.3.
Auro procuditur, c.1.§.12. p.4.
Sæpè fructibus viduata, & virtutibus infœcunda, c. 1. §. 15. p.5
Plures nobilitati se inserunt, & se inserendi occasiones quærunt, c. 6.§.96. p.152. & seq.
Pretiosior virtute parta, quàm origine accepta, cap. 9. §. 20. p.214.
Semper vult anteponi, & cæteris præferri, c.10.§.55. pag. 245.

Nocina.

Beneficium est denegare, & dilatatione desideria sopire, c.8.§.60. p.206.

Nomen.

Debet actione nobilitare, non sono illudere, c.2. §. 2. p. 22.
Est inglorium, si actionibus vacuum, c. 4. §. 3. p. 71. & seq.
Honestum est de peritia veniens, cap. 10.§.54.p.245.
Sibi acquirit, qui proximis consulit, cap. 12.§. 32. 281.

Notitia.

Si immaturè futurorum spargatur, successus sæpè impeditur, c.10.§.47. p.242
Infaustorum involat, faustorum tardat, cap. 13. §. 15. p.304. & seq.

Novitius.

Ni initio magnis virtutibus curet exornari, facilè solet deficere, c.10.§.2. p.227

Nox.

A sanctis impenditur orationi, à vanitatis voluptati, cap.14.§.90. p.391.

O

Obedientia, Obediens.

Non deligit exercitium, sed exercet mandatum. c.2 §.41. p. 29.
Lucet promptitudine, & alacritate, cap.3. §.13.p.55. & seq.
Quæ exprompta, honoris digna, c.3.§.18. p.57
Quæ promptè obedit, viciniorem Deum habet, cap.3 §.24. p.60
Etiam iniquo superiori debitè obedire, commoda solet afferre, c. 6.§.13. p.139
Obediens repuerascat, & priuilegium ætatis nesciat, c.9.§.12. p.211
Qui eam detrectat, indignationem cœlestem timeat, c.11.§.36. p.280
Adimplenda est, non vt effugias pœnam, sed vt eluceris Numinis gratiam, c.11.§.37. p.260. & seq.
Est securum contra periculum castrum, cap.13.§.3. p.310.
Non solùm est implenda, sed adhibenda, vt violari non possit cura, c.14.§.102. p.367
Dei præceptis reportat trophæa, & coronatur victoria c. 14.§.112. p.372.
Perfecta non solùm animum, sed etiam subjicit superiori iudicium, cap.14.§.56. p.346

Oblectamentum.

Carnis est despiciendum, si Numini officium præstandum, c.7.§.28. p.167
Carnis oblectamentum austerum puniat jejunium. c. §.42. p.170

Obsequium.

Parum prodest externè colere, si internè constet feritas c.2.§.14. p.87
Perditur, si animus reluctare dignoscitur, c.5.§.24. p.99
Facilè agnoscitur, si ab inuito exhibeatur, c.5. §.24 p.99
Exiguis rebus devenustatur, & indignationem meretur, c.6.§.10. p.127
Æstimatione dignum, si ritè exhibitum, c.14. §.88 p. 257. & seq.

Occasio.

Parum iuvat tantisper recedere, si causam certum est viuere, c.5.§.46. p.110
Qui distulit, non inuenit, c.11.§.18. p.271

Occupatio.

Honesta Deum affert, otiositas pellit, cap. 6.§.[illegible] p.140.

Oculus.

Superioris vires inspirat, hostémque enervat. c.7.§. 174.

Odium.

Mavult perire, quàm odio habitum splendere, cap. §.55.

Offensus.

Qui carpit offensus, liuori putatur adulatus, c.12.§. p.280.

Onus.

Cùm Deus imponit, & vires præbet, cap. 10.§. p.238.

Oratio.

Ei deligendus est locus à strepitu remotus cap.1.§.12. p.6.
Aut leuat calamitates, aut infundit vires, cap.1. §.5. p.12.

Non

Non constat ambagibus, sed gemitibus, c. 1. §. 54. ibid.
Gratam vim infert, & in Deum quodammodò prævalet c. 1. §. 55. ibid.
Non est idem orare, & longum tempus insumere, c. 1. §. 61. p. 13
Facilè impetrat, si desiderata Deo dicat, cap. 1. §. 62. p. 14.
Constantia assequitur vota. c. 1. §. 66. p. 14
Est patientiæ mater, & nutrix, c. 1. §. 75. p. 16
Edocet devorare contumeliam, & molliter ferre iniuriam, c. 1. §. 79. ibid.
Sacerdotis viget quadam energia, & efficacia, c. 1. §. 83. p. 17.
Iustorum affert salutem, depellit mortem, cap. 2. §. 21. p. 26.
Si plurium, dæmonis est exitium, c. 4. §. 22. p. 78.
Prodest Sacerdotis oratio populi associata ieiunio, & lamento, c. 7. §. 60. p. 175.
Fervens est inexpugnabile scutum, & dæmonis fascinum, c. 7. §. 62. p. 176
Affectionem depellit, c. 9. §. 31. p. 219
Ea inoculantur vel rudes, sine ea exoculantur sapientes c. 1. §. 12. p. 255
Eam impedire diaboli studium, & desiderium, c. 11. §. 9. p. 254.
Aduersarias vires frangit, pericula auertit, c. 11. §. 20. p. 258.
Multorum contra dæmonem telum, c. 11. §. 21. p. 258. & seq.
Iuvat ad ardua expedienda, c. 14. §. 37. p. 339

Ornatus.

Rarò tempori, & statui congruus, c. 2. §. 62. p. 34

Otiositas, Otium.

Virtutis tinea, c. 6. §. 66. p. 140
Stabilitur honestè confligendo, non inerter otiando, c. 7. §. 81. p. 182.
Ignorabit manus, si cor possederit Deus, cap. 10. §. 27. p. 236.

P

Parens.

Præconium est nobili vena exoriri, sed angustius à sanctis parentibus procreari, c. 1. §. 11. p. 4.
Non est censendus, qui genuit, ni virtutibus expoliuit, c. 1. §. 47. p. 11
Non debet religiosa filij desideria tardare, immò debet fouere, c. 1. §. 95. p. 19.
Non patiatur filium puerulum à latere suo seiungi, sed cupiat virtutibus exornari, c. 1. §. 99. p. 20
Quem Deo dicat, sibi filium quodammodò æternat, c. 1. §. 105. p. 21
Filios modestè vestiat, nec superbiam nutriat, c. 2. §. 63. p. 34.
Exhibeat filiis necessaria, si virtutis velit tradere documenta, c. 2. §. 64. p. 35.
Qui filium non corrigit suam, & eius famam innubilat, & fortunam, c. 2. §. 72. p. 37
Sæpè ex se inculpati, ob filios rei, c. 2. §. 74 p. 38
Aliquando, vt dignitate exornet, discrimini obiecit, c. 2. §. 75. p. 38
Sæpè plus curat filium adaugeri censibus, quàm virtutibus, c. 2. §. 97. p. 45
In filiis debet præmiari, & meritum eius lucere, c. 2. §. 114. p. 50
Si studeat libidini, relinquet filios mendicitati, c. 2. §. 116. p. 50.
Plus aliquando nocuit filiis mansuetudine, quàm rigore c. 3. §. 29. p. 61.
Filiorum amore amplectitur culpam, & inuolat ad ruinam, c. 14. §. 49. p. 344

Parentela.

Lucet, si cognatus dignitatem inscendit, cap. 9. §. 41. p. 221.

Pater.

A virtute solet degenerare, si filium adspexerit indigere, c. 6. §. 48. p. 133.

Patientia.

Est index virtutis, & indicium sanctitatis, c. 1. §. 44. p. 10. & seq.
Est calamitatis exilium, aut saltem delinimentum, c. 1. §. 46. p. 11.
Fulget, si homuncionum ineptias tolerat, cap. 1. §. 74. p. 16.
Orationis est index, c. 1. §. 75. ibid.
Melius tibi consules patientia, quàm iracundia, cap. 1. §. 76. p. 14
Semper affert fructum, & gignit gaudium, c. 2. §. 5. p. 23.
Dolorem lenit, & Dei iram minuit, cap. 3. §. 48. p. 68.
Qui abutitur diuina, perire solet morte miserrima, c. 5. §. 58. p. 111. & seq.

Patronus.

Aliquando pro negotiis numeratus retardat aduersus, c. 2. §. 54. p. 32

Pauper, Paupertas.

Ei subvenire, est quodammodò hostiam offerre, c. 10. §. 13. p. 231
Ad virtutem, & cœlestem lucem apta, cap. 9. §. 21. p. 211.

Pax.

Vel aliquo dispendio est quærenda præcipuè si aduersa experitur fortuna, c. 7. §. 85. p. 183

Peccator.

Si consuetudine obscurus, non facilè virtute nitebit splendidus, c. 1. §. 103. p. 26
Non desperet, quantumvis vitis infectus, c. 2. §. 19 p. 25.
Prolabi est naturæ, non oculos vereri, procaciæ, c. 2. §. 77. p. 39
Dum recusat lucem videre, invenit, dum desiderat avolare, c. 3. §. 10. p. 54.
Grande beneficium est eum à somno excitare, & rationi restituere, c. 3. §. 11. p. 55
Difficulter videt appetens supplicium, aut credit flagellum, c. 3. §. 22. p. 59
Animo non cadat, sed ad castra redeat, cap. 4. §. 13. p. 75.
Si frequenter cadit, spem aliquando amittit, c. 4. §. 30. p. 81.
Ni occasiones fugiat, cadet, cap. 4. §. 31. ibid.
Mavult cum Deo decertare, quàm inseruire, c. 4. §. 32. ibid. & seq.
Si delinquat admonitus, indignatione dignissimus, c. 4. §. 33. p. 82.

Si in Deum prævaleat, misertimus. c.5.§.1. p.90
Aliquando viuit impunis, cùm iustus vrgeatur pœnis. p.91 c.5.§.3.
Si punitus reincidit, iram accendit. c.5.§.27.p.100
Est infortunatus, etiam commodis circumfluus. cap.6. §.2. p.116
Aliquando felicitate floret, & viget. c.6.§.76.p.144
Nec vult quærere, nec à Deo quæri. c.6.§.94. p.152
Vitiis innutritus non repentè, sed pedetentim ad perfectionem ducendus. c.7.§.18.p.164
Si errauit cæcus, inuolet ad virtutes festinus. c.7.§.21. pag.163.
Plus sibi nocet culpam confessori non aperiendo, quam perpetrando. c.7.§.36. p.169
Se aliquando tantisper abstinet, sed citò ad antiqua redit. c.7.§.52. p.173
Qui delinquit admonitus, perit aliquando cæcus. c.7. §.54. p.173.& seq.
Si confugiat ad virtutem, experietur diuinam opem. c.7. §.58. p.174
Pudet peccatores alienis vitiis non infici, & gloriantur sectari. c.8.§.20. p.193
Leuiter incumbit virtuti, pertinaciter errori. c.8.§.41. pag. 200.
Ligatur somno, cùm proximus est periculo. c.11.§.49. pag.268
Si euasit periculum, confugiat ad pœnitentiæ remedium. c.11.§.55. p.271
Patienter tolerat aliquando supplicium, ne deterarit peccatum. c.12.§.29.p.284
Dum ad supplicia cogit, Deum amaritudine replet. c.12.§.40. p.268
Vt à culpis velit abstinere, opus est aliquando tempora demutari. c.12.§.50. p.292.& seq.
Potest in integrum restitui, etsi magnis sceleribus contigerit obscurari. c.12.§.57.p.271
Dum molitur à Deo impetrare, non cessat offendere. c.13.§.34. p.311
Etsi sæpius ruat, animo non cadat. c.13.§.47. p.315. & seq.
Se tutum credit, cùm periculum vrget. cap. 14. §.20. pag.332.
Erga salubria cæcus, erga vana oculatissimus. cap.14. §.24. p.333
Quæ putat munimenta, sunt præcipitia. cap.14.§.25. ibid.& seq.
Culpæ compede adstringitur, ne pœna mulctetur. c.14. §. 27. p.334
Si multi vniantur, difficulter puniuntur. cap.14 §.28. pag. 335.
Dum maior peccatorum numerus, proximior est casus. c.14§.29. ibid.
Deo tribuit arma, vt infligat supplicia. cap.14.§.30. ibid.
Ab ipsa tellure excutitur. c.14.§.31.p.336
Dum tentat effugere leuius, sibi maturat periculum grauius. c.14.§.34. p.337
Dæmoni præbet arma, vt inferat bella. cap.14.§.41. pag.341.
Se putat tutum, periculis multis obsessum. c.11.§.46. pag.267.
Accepta plaga, ad virtutem redeat, & victoriam exambiat. c.14.§.48.p.243.& seq.
Non debet infamari, sed corrigi. c.14.§.68. p.352
Delictum grauat, dum minuit. c.14.§.70.ibid.
Arbitratur commodum culpæ venenum. c.14.§.71. pag.353.

Peccatum.

Vires confert aduersariis. c.4.§.1.p.71
Contra artifices extorquet, & supplicium, & miraculum. c.5.§.43. p.109
Vrit præcordia, & malo silentio sigillat labra. c.7.§.35. p.168.& seq.
Magnatum debet corrigi, non imprudenter vulgari. c.8.§.16. p.192
Aliquomodo excusatur vtilitatis spebus, & quodammodò crescit, si spes nulla allicit. c.12.§.59.p.272
Magnatum apud sæculum non punitur, sed à Deo, vt priuati carpitur. c.12. §.67.p.298
Præcipuo ruente, cætera facilè cadunt. cap.13. §.13. pag.304.
Dum malè excusatur, augetur. c.14.§.70.p.352

Perdere.

Miserabilius est perdere, quàm non possedisse. cap. 2. §. 29. p.

Periculum.

A periculo ereptus afferet tibi gloriam, & famam. c.2. §.24. p.45
Qui in periculo imparatus, cadit misertimus. c.2.§.9. pag. 23.
Sæpè augetur, dum humana solum prudentia ab[illegible] procuratur. c.4.§.16.p.78
Aduocatur, si ad Ecclesiastica iurisdictio audacter extenditur. c.4.§.18.p.78
Virtus deseritur, si periculum incurritur. cap.6.§.81. pag. 147.
Qui malè recusat, accelerat. c.6.§.90.p.150
Qui iterum subire recusat, Dei beneficium honorat. p.151 c.7.§.80.
Si charitas vitet alienum, eludet proprium. c.11.§.31. pag. 260.
In eo ad sanctos confugiendum, sed à solicitudine non cessandum. c.12.§.53.p.289
Pro eius grauitate tutamina sunt quærenda. c.13.§.28. pag. 309.
Ita aliis impertienda auxilia, vt propria vitaueris detrimenta. c.13.§.10.p.301
Vrget, & peccator se tutum credit. c.14.§.20.p.331
Qui euasit pericula, involet ad virtutis castra. cap.14. §.47. p.[illegible]

Perseuerantia.

Est virtutum corona. c.13.§.42.p.[illegible]

Petere.

Est durius, quàm fame vexari. c.10.§.12.p.[illegible]

Pietas.

Parenti exhibita, est lucrandi artificium, & vitæ augmentum. c.9.§.13. p.211.&[illegible]

Plaga.

Sæpè anertitur, sacris rebus exhibita reuerentia. p. §.5.

Plausus.

Non penditur, nisi spes consulat, aut timor [illegible] c.5.§.29. p.
Fastigia possidentibus parvi humanus æstimandus [illegible] lestis est appetendus. c.12.§.49.p.

Pœna.

Communis sit pœna, si communis sit culpa. c.5.§.37. p.104. & seq.
Distorquet, culpa non angit. c.6.§.95.p.[illegible]
Non est intentanda pœna, indiscussa culpa. c.14.§.67. Mann. p.365.

Maturè est decernenda, culpa ritè examinata, c. 14. §.105. p.368

Pœnitentia.

Orationi robur inspirat, & naturam informat, c.1.§.57. pag.13.
Est pro muneribus ad Deum placandum, & periculum effugiendum, c.3.§.37.p.64
Non solùm aboleat delicta, sed proferat emendationis argumenta, c.6.§.15. p.119
Peccati est exilium, & calamitatis remedium, c.6.§.16. pag.120.
Ea quidquid fœdum inauratur, & pulchrum redditur, c.6.§.22. p.122
Sit circunstantiis integra, & integritate perfecta, c.7. §.32. p.168
Enadit naufragium, si fugiat iterum subire periculum, c.7.§.38. p.169
Sic sordes tergat, vt nec odorem relinquat, c.7. §.39. pag.170.
Dum abradit culpam, expungit miseriæ causam, c. 12. §.28. p.283
Eam faciliùs suadet vitæ, quàm animæ detrimentum, c.14.§.44. p. 342
Eam Deus suscipit, & honorat, c. 14.§. 46. p.343
Nihil apud hostes ex amissis relinquat, vt perfecta floreat, c.14.§.78. p.356

Politicus.

Plus curat, quàm pecuniam, illustrem acquirere parentelam, c.9.§.44. p.222

Possessio.

Qui Dei possessionem esse desiderat, virtutibus floreat, c.1.§.2. p.2

Potestas.

Eius abusus est casus, c.2.§.71. p. 37
Si hiauit ad rapinam adducet mortem amaram, cap. 4. §.44. p. 85. & seq.
Prudentia est ei quid detrahere, & detrimentis occurrere, c.8.§.26. p.295
Quidquid audet, sibi licere præsumit, cap. 8.§.43. pag.194.
Est periculosa, si legem rumpat, & cupiditati inseruiat, c.14.§.60. p.348. & seq.

Præceptum.

Qui infamat, contra se indignationem maturat, c. 12. §.39. p.303
Si multiplex, contemptui expositum, cap. 14 §.53. pag.345.
Difficilia Principum asservantur, leuia Christi contemnuntur, c.14.§.75. p.354

Præcipitium.

A peccatore putatur munimentum, c.14.§.25.p.333 & seq.

Præfectura.

Exigit ætate maturum, & moribus exornatum, c.8. §.4. p.189
Qui eam adit, patientia sit præditus, & charitate adornatus, c.9.§.6. p.209

Prælatus.

Pro se, & subditis debet pugnare, & solicitè prouidere, c.1.§.3. p.2
Eum exornet scientia, & scientiam commendet vita. c.1.§.4. p.2
Fulgeat patientia, & prouidentissima vigilantia. c.1. §.6. p.3
Vel malo in licitis obedientia præstanda. cap.2.§.38. p.30.& seq.
Ei est solatio, si calamitas non contingat eius inertia, sed aliena malitia. c.8.§.39.p.196
Nonnulli plus curant superbam pompam acquirere, quàm subditis prouidere. c.8.§.45.p.201
Bonus attendit legibus, non adulatur magnatibus. c.8. §.59. p.206
Supplicium est bono priuari, & eius solatio destitui. c.12.§.47. p.290
Quærat gloriam non sibi, sed Numini. c.12.§.66.p.198
Innocentiâ sit puerulus, iudicio maturus. cap.13.§.4. pag.301.
Non permittat sibi appropinquare, si aliorum vitia cupit corrigere. c.13.§.12.p.303
Plus obtinet à subiectis vrbanus, quàm durus. c.13. §.18. p.306
Sit cum morigeris humanus, cum contumacibus rigidus. c.13.§.19. p.306
Eius actio est subiecti actionis aut præsagium, aut indicium. c.13.§ 24.p.307
Si succedat improbo, locum nobilitet virtutum augmento. c.11.§.43.p.314
Si culpis inficitur, subjectus facilè sordidatur. c.13. §.49. p.316
Inter eum, & subiectos concordia est vitiorum ruina. c.14.§.11. p.328
Sic se erga subiectos gerat, vt omnem murmurationis occasionem præcidat. c.14. §.15.p.329.& seq.
Suos crimini non exponat præceptorum multiplicitate, & rigore. c.14.§.53.p.345
Nullus placet omnibus, est bonus, qui pluribus. c. 14. §.58. p.343
Eius culpa cæterorum ignauia. c.14.§.63.p.350
Prudens suorum errores corriget, & ne iterum admittant, impediet. c.14.§.81. p.357
Præsentia continet in officio, & obviat sine rigore piaculo. c.14.§.82. ibid.
Acrius obiurget familiæ delicta, quam aliorum piacula. c.14.§.83. p.358
Si virtute expoliti, fulcra sunt populi. c.14 §.47.p.351
Non solùm careat crimine, sed criminis suspicione. c.14. §.103. p.362

Præmium.

Apud Deum assequitur virtus, apud sæculum fauor. c.6.§.68. p.138

Prærogatiua.

Detorquetur sæpè ad vanitatis fomenta. c.1.§.43.p.10
Prærogatiuis nobilitatur, qui à Deo ad magna disponitur. c.9.§.45.p.222

Præsens.

Sæpè despicitur, qui absens quærebatur. c.10.§.59. pag.246.

Præsentia.

Principis vires inspirat. c.5.§.6.p.93
Prælati in officio continet subiectum, & auertit sine supplicio piaculum. c.14.§.82.p.357

Præsul.

Felicitas est odioso succedere, & actibus contraire. c.7. §.45. p.171

Pretiosa.

Pretiosa.

Sæpè quæruntur postrema. c.9.§.10. p.211

Prandium.

Illud præcesserit benedictio. c.9.§.28.p.216

Princeps.

Ei complacere est prudentia, si non interueniat culpa. c.2.§.113. p.49.& seq.
Ob eius scelera gemit Respublica. c.4.§.7. p.72
Ei fides inuiolatè præstanda. c.4.§.36. p.83
Vtatur oculis,non solùm auribus. c.4.§.39.p.84
Ei infausta recusant omnes nuntiare. c.4.§.40. ibid.
Eius præsentia robur inspirat, absentia enervat, c.5. §.6. p.92. & seq.
Deum placat, si publicos conuentus honorat, cap. 6. §.83. p.147
Nil ei negetur,si necessitate vrgeatur,c.8.§.44. p. 200
Deum sequutus, Reipublicæ commodus, cap. 6. §.84. pag 148.
Benè gubernat, si subiectis imperet,& legibus pareat, c.10.§.63. p.148
Ni per se quærat,nesciet aduersa, quia adulatio refert grata,c.11.§.27. p. 260
Si nimis rigidus, dignitatem infamat, aut turbat, c.11. §.33. p.263
Sic debet corrigi,vt non videatur reprehendi, cap. 12. §.17. p.279
Eum decet armorum experientia,& peritia,c.13.§.11. pag.303.
Reipublicæ, & sibi consulit, si eligat ad dignitatem dignos,non fauoribus commendatos, cap.13.§.44. pag.315.
Bonus discrimen non recusat, si subiectis subveniat, c.14.§.1. p.322.
Si generalitati prouideat, omnium sibi allicit corda, c.14.§.2. p.323. & seq.
Prius consulat, sed postea non differat, cap. 14.§.38. pag.339.
Rarus audet ei honestè resistere, quia ferè omnes admittuntur adulari,c.14.§.91. p.362

Profugium.

Quærendum est validius, dum hostis vrget audaciùs, c.14.§.5. p.325

Propositum.

Vacillabit virtutis propositum, si remanet voluptatis vestigium,c.7.§.26. p.166

Prosapia.

Virtutibus firmatur,vitiis evertitur,c.2.§.111. p.49

Prosperitas.

Non minus aliquando vitiis auxiliatur prosperitas, quàm calamitas. cap.14.§.10. p. 328

Prouidentia.

Ni vivres colligat, in periculo nutat, cap.4.§.9.p. 73 & seq.
Disponit,quidquid nobis,accidit,c.4.§.11. p. 74
Sic alij prouideas,vt tibi non noceas,c.6.§.39. p.129
Est fulcimentum dignitatis, c.4.§.4. p.86
Præsentiat aduersariorum consilia,& prudenti anertat cautela, c.7.§.51. p.173
Ea non munitus sæpè ingemiscit turbatus,cap.7.§.56. pag.174.

Prudens.

Dolorem glutit, ne alios contristet, c.1.§.50. p.12
Sic homini placet,vt Deo seruiat, c.2.§.87. p.46
Excusat prædicere aduersa,c.3.§.21. p.58
Se non fidit,sed alios consuluit,c.5.§.50. p.109.& seq.
Tempus sibi colligit,nec totum aliis impendit,c.8.§.1. pag.188.
Secretò expendit vires, antè quàm adeat difficultates, c.10.§.29. p.217
Non variat,quantumvis fortuna arrideat, cap.10.§.41. pag.249.
Mavult honesta sequi,quàm trahi,c.12.§.43. p.288 & seq.

Prudentia.

Qui fidunt humana, incurrunt pericula, cap.4.§.16. pag.76.
Alienis instrui debet calamitate,c.4.§.26. p.71
Tempori cedit,& pacem, vt potest init, cap.7.§.8. pag.183.
Prudentia est, vt grauiori occurras detrimento, vindictæ carere solatio, c.12.§.62. p.296
Vires expendit,antè quàm periculum vrgeat,cap.11. §.27. p.259

Puer.

Si Deo dicatus,pueritiam exuat,& maturitatem induat, c.1.§.92. p.8
A cunabulis benè instruendus,& educandus, c.1.§.9. pag.18.

Q

Querela.

Nullus iustè queritur, si quis propria pro libito disp[ensa]tur,c.2.§.27. p.26. & seq.
Durum est vexari,nec posse querelam proferre, cap.7. §.35. p.27. & seq.
Communis querela superioris semper est nota, cap.1. §.57. p.6.
Contra exauguratum exurgit,& factitia causa premit, c.12.§.14. p.278 & seq.

R

Rapina.

In vita placet,sed in morte vrget,c.4.§.44. p.78.
Si vigeat in superiore rapina, ingemiscet Respublica infortunata,c.7.§.49. p.170.

Recula.

Reculis Deus solet reportare victoriam, cap. 5.§.1. pag.103.

Regimen.

Sibi regimini videtur idoneus vel ætate consumpto, c.8.§.1. p.184.
Si ad plures pertineat, quisque minus solerter tractet, c.8.§.18. p.193.
Eius forma mutanda,si tempus,& ratio diuersa suadeat, tendere via,c.11.§.32. p. 262 & seq.
Bonum aliter tractat otiosos,aliter laboribus fatigatos, c.14.§.54. p.341.

Regnum.

Suffulcitur armis, & legibus,c.8.§.46. p.201. Religio,

Religio, Religiosus.

Magna aggressus detineri solet reculis impeditus. c. 14. §. 61. p. 349
Qui in sæculo angustè, cupit edere religiosus iam sanctè. c. 2. §. 52. p. 31
Deo prorsus dicetur, nec vanis occupationibus irretiatur. c. 1 §. 91. p. 18
Renuntiet commodis, vt inseruiat templis. c. 1. §. 101. pag. 20.
Si degenerat, sæculares aliquando criminibus superat. c. 2. §. 42. p. 29
Renuntians sæculo honorat virtutem, & acquirit sibi laudem. c. 6. §. 46. p. 132
Tenetur vigilare, & commodis interdici. c. 1. §. 65. p. 14
Solet necessariis ad victum frui, cùm sæculares contingit ærumnis premi. c. 12. §. 22. p. 281
Debet religio cognatis anteferri, & filiis præponi. c. 14. §. 107. p. 369
Eius iniuria summè dolenda. c. 4. §. 41. p. 84

Reluctans.

Aliquando ad virtutem trahitur, & misericordia compellitur. c. 6. §. 53. p. 135

Remedium.

Desiderare remedium, salutis exordium. cap. 6. §. 18. pag. 120.
Miserum est, si vergat ad detrimentum. c. 1. §. 71. p. 15
A nobis possumus aliquando impetrare, quod ab aliis solemus inquirere. c. 12. §. 55. p. 293

Respiscentia.

Fortunatum est respiscere, infortunium pertinacia indurari. c. 7. § 82. p. 182

Respublica.

Est misera, vbi sine rubore committuntur errata. c. 2. §. 56. p. 32
Gemit pressa ob superiorum delicta. c. 4. §. 7. p. 73
Infelix est bonis consiliariis priuata. c. 4. §. 56. p. 89. & seq.
Misera est, si non oculis gubernetur, sed auribus. c. 4. §. 39. p. 84
Floret, si pareat Principi, & Princeps legi. c. 10. §. 63. pag. 248.
Solet premi, à quibus debuit leuari. c. 5 §. 52. p. 109
Ingemiscet infortunata, si superior defœdetur rapina. c. 7. §. 49. p. 172
Solet laborare, dum eius causa ad aliquem non agnoscitur specialiter pertinere. c. 8. §. 57. p. 202
Gemit, si superior dormit, dum hostis vrget. c. 11. §. 22. pag. 259.
Viget, si abest rapina, & floret in superioribus vigilantia. c. 7. §. 68. p. 177
Felix est, si Præsul indicio maturus, innocentia pueritus. c. 13. §. 4 p. 300
Nitet, si Præsul virtute floret. c. 7. §. 19. p. 164
Eius aliqui salutem curant, sed ita vt aliis onera imponant. c. 6. §. 109. p. 158

Reuelatio.

Non est facilè credenda, sed maturè examinanda. c. 3. §. 23. p. 59

Reuerentia.

Exhibetur vel trunco ad dignitatem elato. c. 5. §. 31. p. 101. & seq.

Rebus sacris publicè exhibita communis auertitur sæpè plaga. c. 5. §. 5. p. 92

Reus.

Non debet inauditus puniri, sed maturè examinari. c. 14. §. 105. p. 368

Rex.

Promissa impleat, & nunquam fallat. c. 11. §. 45. p. 267

Rigor.

Exordia Principis infamat, aut turbat. c. 11. §. 33. p. 263
Correctioni aliquando nocet, vt lenitas prodest virtuti. c. 7. §. 46. p. 171

Rixa.

Qui occasionem ei præbet, frequenter cadit. c. 14. §. 18. pag. 331.

Rudis.

Orando fit sapiens. c. 11. §. 12. p. 255

S

Sacerdos.

Est populi salus sapientia, & virtute excultus. cap. 14. §. 94. p. 363
Debet sæculo renunciare, & virtutibus inservire. c. 7. §. 11. p. 162
Prodest eius oratio, dum generali associata lamento. c. 7. §. 60. p. 175
Vel procax est reuerendus. c. 1. §. 21. p. 6. & 78. p. 16
Ad bella cum vitiis cieat, & pericula à suis amoueat. c. 13. §. 20. p. 306
Qui Numini noscitur propinquare, debet virtutibus elucere. c. 7. §. 9. p. 62
Si indignus ad sancta accedat, mortem maturat. c. 4. §. 34. p. 82
Assideat templo, non foro. c. 1. §. 58. p.
Ad eius orationem recurrat, qui impetrare anhelat. c. 1. §. 83. p. 13
Eius habitaculum Dei sit hospitium. c. 7. §. 7. p. 161
Irreuerentius aliquando tractat sancta, decentius sæcularis diuina. c. 5. §. 2. p. 91
Dei quærat gloriam, non suam. c. 6 §. 63. p. 139
Eius domus templum referat, virtutem redoleat. cap. 1. §. 93. p. 19
Non audeat virtutis detrimento leuare calamitatem consilio. c. 6. §. 10. p. 177. & seq.
A Regibus honorandus, & cæteris præponendus. c. 9. §. 49. p. 223. & seq.
Est Numinis coadiutor, dæmonis terror. c. 7. §. 10. p. 162.
Sit occasio virtutis, non criminis. c. 1. §. 72. p. 15

Sacra.

Grauem pœnam subeunt, qui adstantes sacris irreuerenter se gerunt. c. 7. §. 73. p. 79.
Quæ Deo sacra, hominibus commoda. cap. 14. §. 85 pag. 359.
Deo sacra minuere, sibi est nocere. c. 2. §. 82. p. 40

Sacrificium.

Non debet pollui, quod constat Numini consecrari. c. 1. §. 63. p. 34
Aliquando vanitate corrumpitur, & fœdatur. c. 1. §. 64. pag. 35.

Sæcularis.

Præ Sacerdote aliquando veretur sacrata. c.5.§.2.p.91

Salus.

Eius est exordium desiderare remedium. cap.6.§.18. pag.120.
Reparatur, dum culpa euertitur. c.14.§.74.p.354
Animæ despicitur, corporis pretio ingeniosissimo comparatur. c.7.§.66.p.177

Sanctitas, Sanctus.

Ad eos in periculis confugiendum, sed à solicitudine non cessandum. c.13.§.53.p.318
Eorum suffragia à nobis depellunt pericula. cap.14. §.110. p.370.& seq.
Eorum facta aliquando non tam sequenda, quàm deuitanda. c.14.§.12.p.328
Sua aliquando evulgat magnalia, quia Deus vult non remanere sepulta. c.12.§.31. p.284
Ob eius orationem salus aduenit, & mors fugit. c.2. §.21. p.26
Suis precibus solet tempora inuertere, & demutare. c.12.§.51. p.292
Populis est pro muro. c.7.§.59.p.175.& c.13.p.315
Martiali in campo prodest ad audaciam frænandam,& dubietatem pellendam. c.14.§.7.p.329
Sui habere similes solicitat,& anhelat. c.2.§.10.p.28
Sanctus Franciscus fuit Ecclesiæ pro exercitu. c.14. §.23. p.333

Sapiens, Sapientia.

Sapientis est demutare consilium.c.5.§.60.p.112.& seq.
Qui verè sapiens,& verè liber. c.1.§.4.p.2
Semper est idem. c.1.§.9.p.3
Etsi ea non egeat, amicitiam habet. c.1.§.31.p.8
Obsurdescit ad iniuriam, præbet facilè indulgentiam. c.11.§.53. p.270
Sine oratione inuenitur rudis. c.11.§.12.p.255
Indignum est voluptatibus inseruire. c.11.§.13.ibid. & seq.

Scandalum.

Publicum publico exemplo delendum.c.7.§.41.p.170
Prudentibus sunt documenta aliorum errata. c.7.§.4. pag.160.
Quisque gestit aut effundere, aut alicui aperire. c.9. §.53. p.225

Senex.

Peccatis servit studiosus, ætate aliquando longa impeditus. c.13.§.57.p.319.& seq.
Eo carere, est Reipublicæ incommodum. cap.6.§.97. pag.153.
Inglorium est à puero excitari, & instrui. c.3. §.16. p.56.& seq.
Turpius est nescire, quàm edoceri. c.3.§.46. pag.67.
Erubescendum est à puero redargui, & confundi. c.3. §.47. ibid.& seq.
Excusatiùs puerulus, sine excusatione dormit ad virtutem senectute grauatus. c.3.§.12.p.55

Sensus.

Quo vegetior, vis animæ sæpè infirmior. c.14.§.72. pag.353.
Diabolus conatur fascinare, aut peruertere. c.12. §.1. pag.273.

Sententia.

Iustè etiam lata adscribi solet rigori, & æmulo iudici. c.5.§.47. p.107.& seq.
Nonnulli malunt incommodis adurgeri, quàm demutare. c.8.§.54.p.202
Si communis,non audet contradicere pertinacia.c.11. §.58. p.271
Si à nostra quis discedat, superbia fugillat. c.9.§.56. pag.226.

Sepulchrum.

Sanctorum est incolis patrocinium. c.10.§.10.p.230

Seruitus, & Seruus.

Durum est seruire, cui solebas imperare.c.4.§.29.p.80
Domini iniquam suspicionem solet augere, immò, vt aduletur,incrementare. c.1.§.73.p.33
Exundat aliquando pecunia, cum dominum premat inopia. c.9.§.25.p.215
Non est ei demandandum, si quid sine mora abiudicandum. c.9.§.36.p.219

Seueritas.

Debet frænari, præcipuè si felicitate inopina Principi contingat frui. c.11.§.54.p.270

Signum.

Aliquando decernuntur honestè, sed sæpiùs superstitiosè. c.14.§.13.p.331
Aliquando Deus signo ab homine decreto obsecundat, vt veritas clareat. c.6.§.57.p.136

Silentium.

Impositum est graue supplicium. c.2.§.35.p.58
Est virtutis cultus, vitiorum naufragium. c.11.§.50. pag.269.

Singularitas.

Periculis inuenitur exposita. c.11.§.2.p.252

Socius, Societas.

Improbus est hostis armatus. c.14.§.39.p.360
Plus nocet pravus, quàm inimicus. c.14.§.17.p.339
Bonorum societas est ad virtutum fomentum,vitiorum naufragium. c.3.§.3.p.42

Solatium.

Solatium est, si non propria ignauia, sed aliena quis asperum contingat malitia. c.8.§.19.p.196

Solemnitas.

Non semel deseruit pascendis oculis, & lasciuiæ. c. §.19. p.

Somnium.

Aliquando Deus somnio instruit, & ventura ostendit. c.9.§.38. p.242

Spes.

Aliquando,qui antea videbatur dignus, spes frustratur electus. c.8.§.7.p.190
Qui ea abutitur ad delicta, subire solet tormenta.c.6. §.30. p.145

Vbi humana deficit, auxilium Dei adest, cap. 14 §. 4. pag. 324.
Grane est, spebus delinquere, sed granius in spe vlla peccare, c. 12. §. 59. p. 295

Spiritus.

Sanctus pro nobis exorat, c. 6. §. 4. p. 115.

Splendor.

Humanus Dei offensa solet suspirari, & acquiri. c. 5. §. 37. p. 104

Status.

Qui leges sui status transgreditur, difficultatibus implicatur, c. 6. §. 85. p. 148

Strages.

Aliena visa, sunt qui sequantur oblectamenta, c. 10. §. 7. p. 209. & seq.

Strenuus.

Non est otio permittendus, sed igne occupandus, c. 14. §. 118. p. 375

Stultitia, Stultus.

Est abiecta, & sordida, c. 1. §. 4. p. 2
Stultus à se frequenter est alius, c. 1. §. 9. p. 3

Subditus.

Levia eius errata afferre solent superiori supplicia, c. 6. §. 103. p. 155
Durum est, si tractetur vt servus, c. 8. §. 50. p. 203
Plus aliquando attendit oculos superioris, quam Numinis, c. 2. §. 40. p. 29
Vel sub negligente superiore vivat modestus, c. 2. §. 39. pag. 27. & seq.
Si superioris infamat mandatum, docet contemnere, & refragari, c. 14. §. 104. p. 368
Proficit morigerus superioris ad laudem, c. 13. §. 22. pag. 307.
Inter eum, & superiorem honesta concordia vitiorum ruina, c. 14. §. 11. p. 328

Subiectio.

Morte durius ei subjici, cui solebas dominari, c. 2. §. 104 pag. 47.

Successus.

Si fortunatus, prudenter videtur quæsitus, cap. 12. §. 4. pag. 275.

Supellectilia.

Sacra ad profanos vsus aliquando detorta, c. 2. §. 51. pag. 31.

Superbia, Superbus.

Dum nimis confisa, facilè detriumphata, c. 4. § 4. p. 72
Reculis solet castigari, & affligi, c. 5. §. 44. p. 106. & seq.
Mavult premi, quàm humiliari, c. 6. §. 27. p. 124
Superbus à se excogitatum purat indubium, ab alius incertum, c. 6. §. 41. p. 130
Quas exegit, adorationes deturbatus exoluit, c. 5. §. 20. pag. 97. & seq.
Omnia sibi arrogat, & ad gloriam vendicat, cap. 13. §. 21. p. 307

Superior.

Præcalleat futura, prudenter tractet præsentia, c. 10. §. 19. p. 235
Eius exemplum non sequi subditus erubescit, c. 11. §. 31. pag. 262.
Punitur non solùm ob propriam, sed ob subditorum culpam, c. 12. §. 46. p. 290
Aliquando sibi consulit, commoda generalitatis spernit c. 11. §. 23. p. 259
Silentio corrigat, larga manu beneficia profundat, c. 12. §. 24. p. 282
Melior est honestè superbus, quàm abiectè remissus, c. 11. §. 24. p. 259 & seq.
Alliciat ad virtutem, & subditorum curet honorem, c. 11. §. 56. p. 271.
Probus est auxilium, improbus naufragium, c. 9. §. 32. p. 218.
Sic clarear, vt examinari non timeat, cap. 12. parag. 1. p. 273.
Vt dignitate antecedat virtute, c. 9. §. p. 5. 209
Non est ei crimini dandum, si non corrigit, quæ eius notitiam fugit, c. 8. §. 11. p. 191
Sibi solet indulgere, & satagit cæteros reformare, c. 1. §. 59. p. 13
Patitur aliquando supplicia ob levia inferiorum errata. c. 6. §. 103 p. 155
Sit secũ rigidus, aliis affabilis, & iucũdus, c. 1. §. 34. p. 8
Licèt vitiis sordeat, subditis ad virtutem inuolare suadeat, c. 6. §. 14. p. 119
Affectet ignorare, quod non decet publicè castigare aut corrigere, c. 10. §. 72. p. 250
Eius vita pateat, & subiectos ad virtutem alliciat, c. 7. §. 30. p. 167
Plus conducit ornatus meritis, quàm annis, cap. 7. §. 20. pag. 165.
Curet se æqualem ostendere, si iurgia velit vitare, c. 1. §. 40. p. 10
Despicitur, si oblectamentis laborante Republica addicatur, c. 11. §. 19. p. 258
Cupidus legibus infert iniuriam, c. 1. §. 51. p. 6
Ad corrigendũ euigoratur, si culpis polluitur, c. 1. §. 22. pag 6.
Bonum sortiri est beneficium, & præmium, c. 12. §. 44. pag. 289.
Discat obedire, vt sciat imperare, c. 9. §. 14. p. 212
Audit optimus, si dissimulat; durus; si corrigat, c. 6. §. 105 pag. 156.
Experiatur expectandi incommoda, ne dilatione inferat aliis tormenta, c. 10. §. 34. p. 219
Si exauguretur, emoritur, c. 7. §. 87. p. 184
Circa inferiores ministros debet inuigilare, quia probantur sæpè bonis moribus contraire, cap. 7. §. 88. pag. 188.
Gandeat præfectura denudari, si contigerat prauis præesse, c. 8. §. 42. p. 200
In eo maior virtutis requiritur, dum gubernationi præponitur, c. 10. §. 17. p. 232 & seq.
Exemplo moneat, & præeat, c. 7. §. 29. p. 167
Exuat humanos defectus regimini consecratus, c. 10. §. 3. p. 228
Si accipiat, dignitatem infamat, c. 10. §. 11. p. 231.
Eius est nota communis querela, c. 5. §. 57. p. 111
Ad virtutem præcedat, & cautela se muniat, c. 14. §. 16. pag. 331.
Malit dignitatem honorare, quàm honorem ab ea accipere, c. 11. §. 26. p. 260
Opus est ei timeri, & amari, c. 10. §. 60. p. 247
Est populi calamitas, si dormit, cum hostis vrget, c. 11. §. 22. p. 247
Prius sibi attendat, quàm aliis, c. 10. §. 28. p. 236
Polleat perspicacia, & prudentia, c. 9. §. 8. p. 110
Patienter sustineat, & prudenter admoneat, c. 3. §. 14. p. 56.

Ecclesiasticus pro subiectis debet orare,& quantumuis exasperatus doctrina instruere. c.12.§.65.p.297. & seq.
Per se ipsum veritatem inquirat, si inuenire exoptat. c.6.§.79. p.145. & seq.
Eius est nota alium suspirari,& inquiri. cap.12.§.36. pag. 286.
Sit vrbanus,& humanitate conspicuus. cap.10.§.24. pag.231. & seq.
Per eum Deus nos instruit,& quid velit, exponit. c.3. §.17. p.57
Et veritatis lydius ad reuelationes dignoscendas, & fallacias vitandas. c.3.§.19. p.58
Pluries admoneat,vt semel puniat. c.3.§.27.p.61
Si suorum dissimulet errata, corrigere nequit delicta. c.2.§.79. p.39
Malus tractat subditos, vt seruos. c.8.§.50. p.203
Malunt plures è suis indoctum, quàm ex extraneis expertum. c.10.§.49.p.243
Ei credere, est sibi sæpè periculum procreare. cap.5. §.53. p.110
Eius præsentia vires inspirat, & aduersarios enervat. c.7.§.55. p.174
Prodest rapinæ nescius, æquitatis studiosus. c.7.§.68. pag.177.
Si defœdetur rapina, gemit Respublica infortunata. c.7.§.49. p.172
Si sanctitate floret, Respublica tota nitet. c.7.§.19. pag. 164.
Præsentia sit absens, absentia præsens. cap.10.§.61. pag.247.
Si muneri satisfacere conatur,à Deo suppetias sortitur. c.11.§.34. p.263
Nequit corrigere, si constat defectibus denigrari.c.12. §.16. p.279
Subditorum reformet vitam, non lædat famam. c.7. §.23. p.165
Bonus non proprium splendorem,sed communem procurat vtilitatem. c.10.§.66.p.249

Superstitiosus.

Sibi statuit signa,& decernit miracula.c.14.§.59.p.306

Supplicium.

Deus supplicium tardat, misericordiam accelerat. c.10. §.36. p.238.& seq.
Aliquando tardat, sed tarditatem grauitate compensat. c.3.§.26. p.60
Filiis infligendum temperatur supplicium ob patris meritum. c.12.30. p.284
Qui sine admonitione punit, non bono affectu moueri ostendit. c.8.§.34.p.168
Ne possit euadere, videtur peccator ipsa culpa detineri. c.14.§.27.p.334
Fauor est pœnis vrgeri, si à reatibus possis exolvi. c.3. §.40. p.65
Si ad resipiscentiam suadeat, salutem iuvat. c.7.§.82. pag. 182.
Infelix est, qui luit supplicium, nec assequitur desiderium. c.6.§.29. p.125
Ob culpam illatum, ab aliis causis putatur exortum. c.6. §.40. p.129

Suspicio.

Lubentius adhæremus suspicioni, quàm veritati.c.10. §.71. p.250
Si animo semel adhæsit, nec miraculum expunget. c.9.§.55. p.245

T

Tellus.

A se conatur peccatorem excutere. c.14.§.31.p.335

Templum.

Aliquando aditur, vt oculis, & voluptati inseruiatur. c.1. §.19. p.6. & 42. p.10
Templis delinquere est Deum contemnere. c.2.§.81. pag.40.

Temporalia.

Amentia est sitienter ambire, & magnis laboribus procurare. c.8.§.21.p.191
Solicitè ambimus, spiritualia lentè desideramus. c.10 §.62.p.247.& c.13.§.60.p.320

Tempus.

Ob sanctorum preces solet inuerti, & mutari. c.11. §.51. p.280
Nisi virtutibus instaures, perdes. c.13.§.54.p.308
Oportet tibi colligere,nec totum aliis impendere.c.1. §.2. p.188
Virtuti adscriptum differtur,vanitati solvitur.c.1.§.17. pag.5.
Aliquando inuertitur,vt peccator resipiat.c.12.§.50. p.291.& seq.
Prudentia est ei aliquando cedere, & pacem stabilire. c.1.§.56. p.13
Qui tempus oblectationis orationi dicat, assequitur quod exoptat. c.1.§.56.ibid.

Tentare.

Imprudentia est aliqua tentare, sed maior aliquando recedere. c.12.§.3.p.271

Tentatio.

Qui cupit illudere, studeat virtutum arma premere. c.14.§.6. p.331

Terrena.

Curæ est dæmoni ad terrena allicere, & futilibus inescare. c.13.§.56.p.317

Timor.

Audaciæ est proles. c.6.§.104.p.135
Qui ab statione defecit timidus, redeat ad castra animosus. c.14.§.48.p.344
Qui cupit timoribus non vrgeri, satagat virtutibus inservire. c.12.§.56.p.312
Dei est securum profugium, & salutis tutamentum. c.12.§.52. p.287
Dei timor spernit delicias. c.14.§.55.p.346
Cordatus est consilij pater. c.4.§.25.p.87

Tormentum.

Sæpè oritur, vnde sperabatur gaudium. cap.6.§.25. pag.123.

Tribunal.

Sit patria æquitatis, non hospitium cupidinis. c.7. §.44. p.172

Tributum.

Aliquando non sine gemitu extortum histrionibus,& piratis inuenitur expensum. c.8.§.48.p.202
Debet ab omnibus solvi, non pauperes aggrauari.c.6. §.87. p.149
Si causa cessauit, tributum cesset. c.8.§.49.p.202
Emendum est, vt quod malè solvebas; honestè ab aduersariis extorqueas. c.7.§.86. p.183
Non videntur grauia,cùm ad Martia exhibentur bella. c.8.§.25. p.192
Quod voluerit,pendes, si veritatem sequaris. c.11.§.3. pag.252.

Trinitas.

Eius fides dæmon vrit. c.11.§.47. p.268

Triumphus.

Non tam reportatur robore,quàm virtute.c.14.§.62. pag. 349.
Vt de vitiis reportes,nec blandis debes allici,nec duris terreri. c.14.§.9.p.327
Lucet perfectus, si quæ abstulerat, reddiderit aduersarius. c.7.§.84.p.183
Ad speciem triumphus est aliquando casus. c.5.§.12. pag. 106.

V

Vana gloria.

Virtutes corrumpit, immò penitus enertit. c.13.§.51. pag. 317.

Vanitas.

Calamitosè culpis procuratur. c.5.§.37. p.104

Vanus.

Suas dotes effutit, aliorum tegit. c.10.§.46.p.242

Venia.

Sic danda,vt nulla offensorem torserit cura.c.12.§.64. pag.297.

Venus.

Ab ea aliena clades non arcet,nec labor terret. c.5. §.33. p.102
Facie pulchra, sed re amara. c.5.§.9.p.93.& seq.

Venustas.

Solet vitiis fauere, & virtutibus insidiari. cap.9. §.7. pag.210.

Verbum.

Regis sit firmum,vt factum. c.11.§.45. p.289
Si lenia,conspurcant labia. c.2.§.13. p.24
Si vana, afferunt secum detrimenta. c.2.§.12. ibid.

Veritas.

Qui vult eam edoceri, debet omni affectione purgari. c.8.§.36. p.195
Aliquando extorquetur à dæmone. c.6. §.50. p.118. & §.12. p.134
Inuenitur, si virtus colitur. c.6.§.81.p.146
Si rectè quæritur, facilè inuenitur. cap.6.§.19. p.117. & seq.
Sibi inuidet Dei minister, si eam detinet. cap.3.§.44. p.66. & seq.
Superbis tegitur parvulis reuelatur. c.3.§.15. p.56

Via.

Mirum est, si qua Deus vult, gradiatur, nec homo eligere viam conetur. c.6.§.54.p.123

Victoria.

Reportatur in Deo fiducia. c.7.§.61.p.175.& seq.
Melius acquiritur virtutibus, quàm phalangibus. c.7. §.22. p.165
Aliquando perditur, si cum impiis fœdus initur. c.7. §.70. p.178
Post victoriam animus disponatur ad pugnam. c.13. §.17. p.279
Vt perfecta luceat, apud hostem nihil ex deperditis remaneat. c.14.§.78.p.356
Etiam iam parta, est communienda cautela. c.11. §.6. p.302. & c.13.§.7. p.253
Deo auspice assequitur infirmis etiam instrumentis, & armis. c.10.§.31. p.257
Ni desudet prouidentia,erunt necessaria ad victoriam miracula. c.7.§.76. p.144

Vidua.

Magistratus vidua ærumnis subiecta. c.4.§.54.p.89

Vigilantia.

Contra se solet improbos excitare. c.1.§.6.p.3

Vindicta.

Mirum erit posse sumere, & abstinere. c.2.§.8.p.23
Non est exequenda etiam occasione opportuna. c.2. §.7. p.23

Vinum.

Fœminis est indecorum. c.1.§.77.p.16

Vires.

Deus vires præbet, cùm onus imponit. cap.10. §.35. pag.238.

Virgo.

Ferire non audet pœna,quem Mariæ protegit vmbra. c.3.§.30. p.61. & seq.

Virtus.

Pluris habetur aliquando apud exteros, quàm apud proprios. c.4.§.24. p.78.& seq.
Ipsa se prodit, plausum non sitit. c.5. §.16.p.96
Dum floret, dæmon ardet. c.10.§.25 p.235
Rarus fulget virtutibus expolitus, si fortunæ culmine elatus. c.1.§.1.p.2
Despicitur, commoditas procuratur. c.4. §.43. p.85
Rarò ambitur virtutis summa, sequimur frequenter mediocria. c.1.§.8. p.3
Eximia communi lege non tenetur, dum speciali privilegio donatur. c.7.§.99. p.187
Dignitatis est anchora. c.4.§.45.p.86
Inter hostes etiam reuerentiam sibi conciliat. c.6. §.5. p.115.& seq.
Deseritur,si periculum aliquod imminere putatur.c.6. §.82. p.124. & seq.
Sic debet coli,vt dæmon non præsumat accedere. c.7. §.8. p.161
Eam nonnulli volunt sequi, sed terminum sibi præfigere. c.6.§.80.p.146. & seq.

Infanstum est, si auertat, quod ad virtutem proritat, c.2.§.59.p.33.
Exiguo tempore diuexat, sed immortali præmio coronat. c.14.§.73.p.354
Perfecta lucet, imperfecta marcescit. c.4.§.55.p.85
Exiguis potest emi, & acquiri. c.9.§.24.p.215
Non potest non præmiari, & ideò est aliquando superfluum præmiandam exprimere. c.12.§.42.p.288
Eam sequimur, si spes utilitatis floreat, deficimus, si marceat. c.13.§.29.309. & seq.
Ob virtutem pericula vertuntur in tutamenta. c.14.§.42.p.341.
Citò fastiditur, ad vitium hiatur. c.13.§.5.p.301
Nihil prodest fucata, sed vera. c.12.§.60.p.205
Leuiter ei incumbimus, vitiis pertinaciter adhæremus. c.8.§.41.p.200
Pro ea exerantur vires, dum emergunt difficultates. c.14.§.108.p.369.& seq.
Acquiritur cœlesti prouidentia, & humana industria. c.7.§.74.p.179
Non superbiat, qui ob virtutem patitur, cum similia humanis affectibus inveniatur aggressus. c.14.§.13. p.329.
Satis non est amare, sed actionibus acquirere. c.7.§.31. p.167.
Dum stndiosiùs colitur, actiùs à dæmonibus impugnatur. c.7.§.57.p.174
Non junat exteriùs culta, si interiùs fœdata. c.7.§.40. p.170
Videntur aliqui eam amplecti, sed probantur erroribus sordidari. c.6.§.69.p.141
Est ardua, sed coronatur victoria. c.14.§.12.p.332
Si eximia, sine irritatore gradum accelerat. c.6.§.44. p.135.
Prudenter exercenda, & nullis nebulis obscuranda. c.1.§.97.p.19.
Quò humilior, perfectior. c.1.§.106. p.21
Lucet, si affectus laudabiliter corripit. c.6.§.43.p.130
Vanitate inficitur, præsumptione denigratur. c.7.§.27. p.165
Minus juvat evidens ad famam, quàm defectus dubius ad notam. c.6.§.42.p.130
Eius est præmium perseueranter colere, nec resilire. c.12.§.41.p.288
Non adolescit, ni vitium radicitùs extirpatur. c.7.§.24. p.166
Eam fama comitatur, & gloria. c.3.§.53.p.70
Postponitur euanidis commodis. c.6.§.106.p.156. & seq.
Vera libertate fruitur, casibus non turbatur. c.7.§.25. p.166
Aliquando homo quodammodo reluctatur, & à Deo impellitur. c.6.§.53.p.173
Si insueta, redditur ardua. c.6.§.45.p.170
Lentè crescit. c.7.§.13.p.163
Parum juvat initio floreat, si citò elangueat. c.3.§.2.p.52
Fructum affert lubenter culta, non violenter exercita. c.7.§.6.p.161.
Dum sollicitius colitur, persecutionibus impugnatur. c.7.§.83.p.182
Qui ad ejus confugit castrum, diuinum experitur auxilium. c.7.§.58.p.174
Ab infantia adulta, est firma. c.3.§.1.p.51
Satis non est proximare, sed opus virtutibus communiri. c.4.§.5.p.72
Si eximia, in eorum ditione aggreditur vitia. c.7.§.3. p.160
Quem laborem affert, in fructum vertit. c.7.§.2.p.160
Plus dolet, quàm ea carere, commodis denudari. c.4. §.42. p.85
Secum affert gloriam. c.2.§.98.p.45
Est placida, voluptas perturbationibus impetita. c.7. §.14. p.163
Egregiè culta prodest ad vitæ, & animæ eludenda pericula. c.14.§.109.p.370
Dum maior, humilior. c.9.§.42.p.221

Visus.

Qui non nouit frænare, solet lugere. c.6.§.89.p.145 & seq.

Vita.

Si ingloria, deterior morte honesta. c.4.§.27.p.80

Vitium.

Si aliquod admiseris, plurima tributa pendes. c.4.§.8. pag.73.
Prorsus euertenda, & obliteranda. c.4.§.6.p.72
Ita debet auferri, vt non possit pullulare. c.13.§.51. p.318.& seq.
Non sunt culminis, sed hominis. c.13.§.3.p.300
Adolescit citissimè. c.7.§.13.p.162
Cadit, qui vitiis cedit, triumphat, qui resistit. c.4.§.8. pag.74.
Nos subiugat non propria valentia, sed nostra ignauia. c.13.§.14. p.304.& seq.
Ratò fastidimus, aut tædio habemus. c.13.§.5.p.300
Eius euersio est salutis productio. c.14.§.74.p.314
Qui in eius degit confinio, premitur bello. c.11.§. pag.252.
Affert secum ignominiam. c.2.§.98.p.45
Dolorem procreat, & honorem infamat. cap.11.§. pag.254.

Vltio.

Eius est despiciendum solatium, vt grauius est ingens detrimentum. c.12.§.61.p.286

Voluptas.

Stultus est, qui ei paret post multos labores exhaustos, vt virtuti inseruiret. c.13.§.32.p.310
Si eam sequaris, quod voluerit, tributum pendes. c.11.§.3. p.251
Cæteris rebus antefertur. c.5.§.7.p.93
Diuitiis denudat, dolores incrementat. c.5.§.42.p.110
In tormentum vertitur. c.11.§.15.p.
Non permittit sequaces otiari, sed continò vrget. c.11.§.15. p.251
Eis tricis aliquando se implicat, vt somni nequeat. c.11. §.52. p.
Dum quærit oblectamentum, invenire solet supplicium. c.8.§.51.p.303.& seq.
Qui eam sequitur cæcus, oculos aperit aliquando confusus. c.14.§.66.p.
Secum affert, & tormentum, & supplicium. c.5.§. pag. 105.
Semper est anxia, & perturbationibus impetita. c. p. §.14.
Qui eam colit, sibi calamitatem adscisit. c.5.§.8.p.
Exambitur, cum stragi obnoxia cognoscitur. c.10.§. pag.232. & seq.
Semper volatica, & difficultatibus mixta. c.14.§. pag.347.

Votum.

Quàm citò est Numini persoluendum. c.1.§.88.p.
A noxiis non desistimus, sed obstinatè foenemus. c.12. §.38. p.287
Si palam faciendum, nobis fortè verecundum. c.4.§. pag.10.
Assequi aliquando est supplicium, esset non assequi commodum. c.8.§.38.pag. Infelix

Infelix est, qui neque sequitur votum, nec euadit voti supplicium. c.6.§.29.p.125
Si iam assequutum, laudis, gratitudinisque tributum pendat, & auctorem agnoscat. cap.2. §.9. p.23. & seq.
Ei annuit iratus, & denegaret Deus aliquando propitius. c.12.§.37.p.186.& c.8.§.37.p.198

Vrbanitas.

Sine violentia cogit, & regit. c.13.§.18. p.306

Vtilitas.

Si speretur, virtus colitur. c.13.§.29. p.309
Aliquando generalis affectatur, & propria qnæritur. c.6.§.108. p.157
Publica studiosè curanda. c.6.§.38. p.128
Indignum aliquando eligit,& suffulcit.c.5.§.21.p.98.

Vultus.

Cum fortuna mutatur. c.1.§.9. p.3

Vxor.

Priùs obligationi satisfaciat,quàm tempus templis impendat.c.1. §.89. p.18
Non debet despici, si contingat ægritudine laborare c.1.§.49. p.11. & seq.
Durum est à viro despici,& aliam amari.c.1.§.39.p.10
Honestè marito obediens assequitur, quod precatur. c.1. §.53. p.12

Z

Zelotypus, Zelus.

Durum est cum zelotypo agere, & viuere. c.1.§.37. pag.9.
Si zelus impediat culpam, Deo offert hostiam. c.14. §.84. p.358
Sibi regnum acquirit,dum proximis consulit.c.9.§.15. pag.212.
Legi obtemperat, & alios ad obsequendum trahere adlaborat. c.1. §.18. p.5
Deo vniatur, si prodesse aliis adnititur. cap.9. §.16. pag.212.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MANERA
LIB. II.
CIV
15

MANERA
L. 16. E.
Rec. 10.
C. 1V.
15

MAX
RA
in lib. Regum
Th
858a


NAXERA
In Lib. I.
Regum.
C. IV
15